BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
166
E
9
NAPOLI

XIII. E. 20

Digitized by Google

Ann. E. 10
07 3 111

VETUS, ET NOVA

ECCLESIÆ DISCIPLINA

CIRCA BENEFICIA, ET BENEFICIARIOS,

IN TRES PARTES DISTRIBUTA,

Variisque Animadversionibus locupletata;

AUCTORE, EODEMQUE INTERPRETE

LUDOVICO THOMASSINO

Oratorii Gallicani Presbytero;

EDITIO OMNIUM NOVISSIMA,

Et accurate emendata,

Cui adjectus est

TRACTATUS BENEFICIARIUS

FR. CÆSARII MARIÆ SGUANIN

Pro indemniter salvandis Juribus Sanctæ Matris Ecclesiæ quoad

BENEFICIA ECCLESIASTICA.

TOMUS QUINTUS.

UBI AGITUR

LIB. II. De Episcoporum Electione, Confirmatione, Ordinatione, Cessione, Resignatione, & Translatione.

OPUS EX SANCTIS PATRIBUS, EX CONCILIIS,

Et quorumque temporum Historiis decerptum.

NEAPOLI MDCCLXIX.

EXPENSIS GREGORII P. & MICHAELIS F. STASI

Ex Typographia de Dominicis

PUBLICA AUCTORITATE, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM
HUJUS TOMI QUINTI.

In quo agitur, De Episcoporum Electione, Confirmatione, Ordinatione, Cessione, Resignatione, & Translatione.

De Electionibus per quinque priora sæcula.

CAPUT I. De Electionibus, ante tempora Constantini. *pag.* 1

CAP. II. De Electione Episcoporum. Quæ ibi partes fuerint populi, Cleri, Monachorum, Magistratuum in Oriente post Imperium Constantini? 6

CAP. III. De Electione Episcoporum in Occidente post Imperium Constantini. 11

CAP. IV. In electionibus Episcopalibus Ecclesiæ Latinæ summa potestas penes Episcopos fuit per quinque priora sæcula. 16

CAP. V. In electionibus Episcoporum per Orientem summa erat Episcoporum auctoritas quinque prioribus sæculis. 19

CAP. VI. Quæ Imperatorum potestas fuerit in electionibus Episcoporum per quinque priora sæcula? 23

CAP. VII. Electio Episcoporum confirmanda erat a Metropolitano per quinque priora sæcula. 30

CAP. VIII. De confirmatione electionum ab Exarchis, a Patriarchis, a Papa, per quinque priora sæcula. Item de Consecratione. 31

De Electionibus ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

CAP. IX. De Electionibus in Oriente; a quingentesimo ad octingentesimum annum. 35

CAP. X. De Electionibus Episcoporum in Italia, in Gallia, in Occidente reliquo, per eadem media sæcula. 38

CAP. XI. Summa Potestas Electionum Episcopalium penes Episcopos, ab anno quingentesimo ad octingentesimum. 43

CAP. XII. Unum Episcopum sufficere, ut valida sit Ordinatio. De loco, tempore, & die Electionis & Consecrationis. 46

CAP. XIII. De potestate & auctoritate Regum & Imperatorum in electionibus Episcoporum, ac primum in Gallia, post Clodovæum ante Carolum Magnum. 49

CAP. XIV. Nova contexuntur argumenta ex Gregorio Turonensi, nonnulla & ex Marculpho de electionibus & nominationibus Episcoporum. 54

CAP. XV. De eadem re. Quantum sibi sumpserint Reges Hispaniæ in electionibus Episcoporum, sæculo VI. & VII. 59

CAP. XVI. De potestate Regum in electionibus Episcopalibus Italiæ, Africæ, Angliæ, ab anno quingentesimo ad octingentesimum. 62

CAP. XVII. De potestate Imperatorum in electionibus Orientalibus, sæculo VI. VII. & VIII. 67

CAP. XVIII. De Confirmatione Episcoporum per Metropolitanos, eodem ævo medio, sæculo VI. VII. & VIII. 70

CAP. XIX. Confirmatio Episcoporum a Primatibus, a Patriarchis, a Papa, ab anno quingentesimo ad octingentesimum. 75

De Electionibus ab anno octingentesimo ad millesimum.

CAP. XX. De Electionibus, sub Imperio Caroli Magni. 81

CAP. XXI. De Electione ad Prælaturas, sub Imperio Ludovici Pii. 84

CAP. XXII. De Electione ad Prælaturas, sub Imperio Caroli Calvi. 86

CAP. XXIII. De Electionibus ad Prælaturas, sub Regibus & Imperatoribus Carolinis posterioribus. 91

CAP. XXIV. De libertate electionum in Germania, Anglia, Italia, temporibus Caroli Magni, ejusque in Imperio & Regno successorum. 96

CAP. XXV. Variæ vicissitudines libertatis electionum Romæ, sub Imperio Caroli Magni, & ejus stirpis. 100

CAP. XXVI. Libertas electionum in Oriente per eadem sæcula Imperii Caroli Magni. 105

CAP. XXVII. In electionibus Episcopalibus dominabatur semper Episcoporum potestas, sub Imperio Caroli Magni, & Carolinæ prosapiæ. 110

CAP. XXVIII. De electione Abbatum & Abbatissarum, sub Imperio Caroli Magni. 114

CAP. XXIX. De confirmandis Episcopis a Metropolitano, Abbatibus ab Episcopo, sub Imperio Caroli Magni. 123

CAP. XXX. De Confirmatione Episcoporum per Romanos Pontifices, sub Imperio Caroli Magni. 126

De Electionibus post annum Christi millesimum. De Concordatis Galliæ & Germaniæ.

CAP. XXXI. Series historica Electionum Episcopalium in Gallia, a Clero & Populo, cum assensu Regum, ab anno Christi millesimo ad centesimum supra millesimum. 130

CAP. XXXII. Continuatur historica series earundem electionum, ab anno centesimo supra millesimum ad ducentesimum. 126

CAP. XXXIII. Electionum in Galliis series

ries historica continuatur, ab anno Christi ducentesimo supra millesimum, usque ad Concordata. 144
CAP. XXXIV. Electionum series Historica in Anglia, post annum Christi millesimum. 151
CAP. XXXV. De electionibus in Hispania, post annum Christi millesimum. 167
CAP. XXXVI. De electionibus in Italia, post annum Christi millesimum. 169
CAP. XXXVII. De electionibus in Sicilia, post annum Christi millesimum. 175
CAP. XXXVIII. De electionibus in Germania, de Investituris & de Concordato Germaniæ, post annum Christi millesimum. 177
CAP. XXXIX. De electionibus ad Abbatias, post annum Christi millesimum. 192
CAP. XL. De Nominationibus, & Electionibus in Gallia, post Concordata. 197
CAP. XLI. De Electionibus in Oriente, post annum Christi millesimum. 204
CAP. XLII. De Confirmatione Episcoporum a Metropolitano, post annum Christi millesimum. 211
CAP. XLIII. De Confirmatione Episcoporum & Metropolitanorum a Papa, post annum Christi millesimum. 216
De Sacramentis, quæ Metropolitano, & Papæ præstabantur.
CAP. XLIV. De sacramento, vel promissione obedientiæ & fidei ab Episcopis præstandæ Metropolitano & Papæ, sæculo VI. VII. & VIII. 223
CAP. XLV. De sacramentis & professionibus obedientiæ & fidei in Metropolitanum & Pontificem, sub Imperio Caroli Magni. 228
CAP. XLVI. De obedientia & fide ab Episcopis promittenda vel juranda Papæ, Patriarchæ, Metropolitano: a ceteris Beneficiariis Episcopo, a Monachis Abbati, post annum Christi millesimum. 232
De Sacramentis & Hominiis, quæ summis terræ Principibus exhibita sunt a Præsulibus.
CAP. XLVII. De sacramento fidelitatis & de hominio, quod summis sæculi Principibus Præsules Ecclesiæ præstiterunt, ante annum Christi octingentesimum. 245
CAP. XLVIII. De sacramentis fidelitatis, quæ summis Principibus persolvere Episcopi, & Abbates, sub Imperio Caroli Magni. 250
CAP. XLIX. De fidei sacramento & hominio, quod Episcopi & Abbates Regibus exolverunt, post annum Christi millesimum. 255
De Resignatione simplici Episcopatuum.
CAP. L. De cessione & resignatione Episcopatuum, per priora quinque Ecclesiæ sæcula. 264
CAP. LI. De resignatione aut cessione Episcopatuum in Ecclesia Latina, per priora quinque Ecclesiæ sæcula. 267
CAP. LII. De resignatione & cessione Episcopatuum, ab anno Christi quingentesimo ad octingentesimum. 271
CAP. LIII. De cessione Episcopatuum & Abbatiarum, ab anno octingentesimo ad millesimum. 274
CAP. LIV. De cessione & resignatione simplici Episcopatuum, & Abbatiarum post annum Christi millesimum. 279
De Resignationibus in favorem Successorum & Coadjutorum.
CAP. LV. De Episcoporum jure & potestate in Coadjutoribus & Successoribus deligendis per priora quinque sæcula. 290
CAP. LVI. De Coadjutoribus & Successoribus a superstite Episcopo cooptandis, in Occidente per priora quinque sæcula. 296
CAP. LVII. De Coadjutoribus & Successoribus, ab anno quingentesimo ad octingentesimum Christi. 302
CAP. LVIII. De Resignationibus in favorem. De Coadjutoribus & Successoribus, sub Imperio Caroli Magni & ejus filiis. 306
CAP. LIX. De Resignationibus in favorem, De Coadjutoribus, & Successoribus, post annum Christi millesimum. 311
De Translationibus Episcoporum & Abbatum.
CAP. LX. De Translationibus in Ecclesia Latina, quinque prioribus Ecclesiæ sæculis. 316
CAP. LXI. De Translationibus in Ecclesia Orientali, per priora quinque sæcula. 319
CAP. LXII. De Translationibus Episcoporum & Episcopalium sedium, ab anno quingentesimo ad octingentesimum. 325
CAP. LXIII. De Translationibus sub Imperio Caroli Magni, & ejus filiis. 329
CAP. LXIV. De Translationibus post annum Christi millesimum. 337
An concupiscere quis possit, an abnuere Episcopatum, & ceteros majores Ordines.
CAP. LXV. An expetere quis possit Episcopatum, & alios Ordines sacros, Presbyteratum & Diaconatum. 349
CAP. LXVI. Ubi repugnatum est aliquandiu, acquiescendum tandem esse imperio superiorum, nisi si cujus est apertissima & notoria indignitas, & habilitas prorsus nulla ad sacras functiones. 356
CAP. LXVII. Quas tenuerint regulas sanctissimi quique viri; ut electioni Episcopali repugnarent, aut acquiescerent. 361

PAR-

PARTIS SECUNDÆ
LIBER SECUNDUS,
IN QUO AGITUR
DE EPISCOPORUM ELECTIONE,

Confirmatione, Ordinatione, Ceſſione, Reſignatione & Translatione.

DE ELECTIONIBUS
per quinque priora ſæcula.

CAPUT I. *P. 1. l. 2. c. 14.*

De Electionibus ante tempora Conſtantini.

I. Intaminata & inconcuſſa lex, exemplo ſancita, ne ad Sacerdotium niſi vocati veniant.

II. Probationes ex Cypriano. Eligunt Epiſcopi, ut interpretes vocationis divinæ, populus teſtimonium dicit de vita & moribus.

III. Electio Cypriani ipſius. Electio Pontificum veteris Teſtamenti.

IV. Probationes aliæ ex Cypriano eodem, & Tertulliano.

V. Euſebii teſtimonia, ut in electionibus dominaretur Epiſcoporum auctoritas.

VI. Alia exempla ex Epiphanio & Gregorio Nyſſeno.

VII. De Canonibus Apoſtolicis.

VIII. IX. De electionibus ad minores Ordines. Exempla ex Cypriano & Euſebio.

X. Cur Origenes creatus ſit Presbyter a pluribus Epiſcopis.

XI. Ut Eccleſia Synagogam quandoque imitata ſit, Gentilitas Eccleſiam.

I. LECTIONES prima ſtatim ab origine ordiemur. Primus omnium electus eſt Matthias. Cœtum fidelium admonuit Petrus ſubrogandum eſſe Judæ in Apoſtolatu ſucceſſorem, eligendumque ex iis, qui Chriſti in terris agentis & in cœlos ſeſe recipientis teſtes aſſuiſſent. Electi ſunt duo, & cecidit ſors ſuper unum ex duobus Matthiam (1). Si veræ fuere eæ ſortes, cujuſmodi exempla in veteri Teſtamento, Synagogæ potius illa fuit reſidua fugientis conſuetudo, quam Eccleſiaſticæ Diſciplinæ auſpicium. Cum ſuo ipſe nutu Chriſtus Apoſtolos ceteros delegiſſet, viſum ipſis forſan eſt, vacuam tunc Apoſtolatus ſedem qui impleret, a Deo ſolo deſignari debere. Certe Paulus immediata Chriſti vocatione eidem Collegio adgregatus fuit, ut ipſemet teſtatur (2): *Apoſtolus*

(1) Act. 1.

(2) Ad Galat. cap. 2.

stolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum. Electi a cœtu fidelium Diaconi, ut qui temporalia dispensaturi erant, confirmati mox, & ordinati ab Apostolis fuere. Quod enim pronuntiavit Paulus de Christo, ut Summo Pontifice, quod *non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret*, sed Patris voce & imperio ad summam illam Pontificatus dignitatem venerit: ea regula constantissima & lex est inviolabilis, ad nullas quantumlascunque sacerdotalis Officii partes venire quenquam invocatum & injussum debere. Ut exiles enim & obscuri videantur hi cœlestis sacerdotii gradus, guttulæ quædam sunt, vel rivuli a Christi fontibus manantes. Ita qui Beneficia utcunque confert, ad sacerdotii Christi partes aliquas vocat, & ea vocatio cœlestis illius vocationis imitatio esse debet, qua sempiternus Deus Pater Filium unigenitum carne nostra vestitum ad summum vocavit Sacerdotium.

II. Ita constantissime Cyprianus, Episcopos Ecclesiæ Catholicæ docet ad Cathedras suas non accedere, nisi judicio, voce, & imperio Dei, qui voluntates Episcoporum eligentium, & testimonia populorum ipse regit, agitque. Consulto dixi voluntate Episcoporum, populorum testimonio electos fuisse olim Præsules. Eligebant Episcopi, testimonio suo plebs eam electionem approbabat, atque ita & ipsa eligebat. Pluticulum etiam momenti erat in suffragio Cleri, quam populi testimonio. Sed utrique eminebat auctoritas Episcoporum Provinciæ ivnodice ibi collectorum, vota Cleri, testimonia populi audientium, librantium, nunc probantium, alias improbantium, suo denique judicio & arbitratu rem conficientium. Et quidem cum potestas illa divina Clericos ad Episcopatum, & ad summam Sacerdotii Christi amplitudinem vocandi, participatio quædam sit & imago expressissima auctoritatis, qua in Filium incarnatum posset Deus & Pater, & qua illum in Pontificem gignit (1), *Ego hodie genui te*: non potest ea consultius cuiquam quam Episcoporum cœtui credi, qui vices Dei & Patris in terris gerunt.

III. Id valent, ut equidem interpretor, illa Cypriani verba, ubi docet nunquam non obtemperandum esse Episcopo, qui canonice electus, hoc est, divinitus vocatus sit (2): *Post divinum judicium, post populi suffragium, post Cœpiscoporum consensum, &c. Nisi si est aliquis ita perditæ mentis, ut putet sine Dei judicio fieri Sacerdotem, &c. Dispensatores Dei non de ejus sententia ordinari, &c. Plane Episcopi non de Dei voluntate sunt qui extra Ecclesiam sunt, &c. Christus Sacerdotes constituit, &c.*

Dixit quidem alibi Cyprianus (3) primariam potestatem eligendi dignos & repudiandi indignos Episcopatu, penes populum esse: sed his verbis non significatur nisi conscientia & testimonium populi, cui potissimum explorata sunt, vel virtutum insignia, vel vitia eorum, qui candidati sunt sacrarum dignitatum. Multa fallunt Episcopos, quæ plebem non fallunt, sive in vitio, sive in laude posita privatorum gesta. Hæc ergo libertate, immo & hac necessitate denudandi, quidquid quisque reseidit de moribus & factis eorum, qui ad Episcopatum invitabantur, videbatur electio in plebis potestate esse. Quanquam reapte non indubia semper essent populorum testimonia, quinimmo non raro incerta, fluctuantia, scissa, ne dicam quandoque corrupta, empritiaque: Episcoporum summa semper erat potestas, illa examinandi, dijudicandi, probandi, improbandique, & alia ex aliis revincendi. Quo judicio Episcopalis electio tandem certa & constans deprometur: *Cum ipsa maxime plebs habeat potestatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de divina auctoritate defenderе, ut Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur.*

Id illustrat Cyprianus Eleazari exemplo, qui totius Synagogæ conspectibus repræsentatus fuit, & tum Pontificis Aaronis vestibus indutus a Moyse; non a Moyse tamen, sed a Deo, Aaroni successor datus. Perspicuum est Eleazarum a Deo ipso electum fuisse; divinæ illius electionis interpretem, præconem, & executorem fuisse Moysem; electionem eam denique executioni mandatam fuisse, præsente & assentiente plebe, quæ interecdere potius debuisset, si quæ justæ fuissent causæ (4): *Coram omni Synagoga jubet Deus constitui Sacerdotem, id est, instruit & ostendit ordinationes sacerdotales nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere; ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur; & sit ordinatio justa*

[1] In Psal. 2. [2] L. 1. Ep. 3. [3] L. 1. Ep. 4. 4) Ibid.

juſta & legitima, quæ omnium ſuffragio & judicio fuerit examinata.

IV. Vides quam in partem veniat plebs earum electionum, quæ in eius formam regantur, qua Moyſes Del juſſu Eleazarum Aaroni ſubſtituebat. Nihil effugere poteſt oculos, aureſque, & conſcientiam innumerabilis multitudinis: ita præter eius conſcientiam & teſtimonium non eligebantur Epiſcopi. Profertur mox a Cypriano exemplum Apoſtolorum, qui turbam fidelium convocarunt: *In Epiſcoporum, & Sacerdotum, & Diaconorum ordinationibus*, & quod idem valet electionibus: electi enim protinus ordinabantur. Convocabatur autem multitudo, *ne quis ad altaris miniſterium, vel ad Sacerdotalem locum indignus obreperet*. Eo exemplo ait juſſos eſſe ab Eccleſia Provinciæ Epiſcopos omnes adeſſe in ea civitate, cui donandus eſſet Epiſcopus, utque electio celebraretur præſente populo, quem cujuſquam facinora & virtutes non poſſunt præterire: *Propter quod diligenter de traditione divina, & Apoſtolica obſervatione ſervandum eſt, & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per Provincias univerſas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam plenifſime novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione proſpexit*. Eligerant ergo Epiſcopos Epiſcopi Provinciæ *præſente plebe*, cujus oculis ſuffurari ſe non poterant ea facinora, flagitiave, ex quibus naſcebatur irregularitas. Unde rurſus Cyprianus Sabinum Epiſcopum electum fuiſſe ait, *de univerſæ fraternitatis ſuffragio, de Epiſcoporum qui in præſentia convenerant judicio*. Teſtes erant vitæ morumque populi, judices arbitrique electionum Epiſcopi. Quocirca rurſus (1): *Epiſcopo ſemel facto, & Collegarum ac plebis teſtimonio, & judicio comprobato*. Ubi vides teſtimonium populi, judicium Epiſcoporum eſſe. Et alibi rurſus de Cornelio Papa & de ejus electione (2): *Factus eſt Epiſcopus a plurimis Collegis noſtris, qui tunc in urbe Roma aderant*. Et paulo poſt: *Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei & Chriſti ejus judicio, de Clericorum pene omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc affuit ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum & honorum virorum collegio*. Et alibi (3): *Epiſcopo a ſexdecim Coepiſcopis in Eccleſia facto*. Idem ſummatim dixerat Tertullianus in Apologetico: *Præſident probati quique ſeniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti*.

V. Refert Euſebius ex Clemente Jacobum (4) cognomento Juſtum electum fuiſſe Epiſcopum Hieroſolymitanum a Petro & Joanne. Apoſtoli omnes Matthiam elegerunt ex Luca in Actis. Idem alibi teſtatur Euſebius, fundatis a ſe Eccleſiis eos ab Apoſtolis aſſignatos fuiſſe Paſtores, qui Apoſtolicæ caritatis & ſapientiæ æmulatores eſſent: *Quot vero & quinam horum Apoſtolorum veri imitatores, eorumdem judicio digni judicati ſint, qui fundatas ab ipſis Eccleſias paſtorali officio gubernarent*. Addit & Pauli Apoſtoli (5) juſſu Clementem in Gallias eſſe profectum, Dionyſium Athenis præpoſitum fuiſſe Epiſcopum: Apoſtolos, ceteroſque Domini Diſcipulos Hieroſolymis eſſe congregatos poſt mortem Jacobi, a quibus ſucceſſor in Epiſcopatu ei ſubrogatus ſit Simeon filius Cleophæ. Cum Narciſſus aufugiſſet a ſua Hieroſolymorum Eccleſia, ab Epiſcopis vicinis ſubſtitutus eſt ei Dius (6). *Poſt Narciſſi fugam, vigenaris omnibus ubinam gentium ageret, viſum eſt finitimarum Eccleſiarum Epiſcopis alium ejus loco Epiſcopum ordinare, Dium nomine*. Longo poſt tempore redux Narciſſus Eccleſiæ ſuæ gubernacula recepit: cumque annum ætatis demum attigiſſet ſextum decimum ſupra centeſimum, additus eſt illi ab Epiſcopis Coadjutor Alexander, Cappadociæ prius Epiſcopus. Epiſcopali quidem fedi illatus eſt Fabianus Papa concurſione populi, qui columbam quandam cœleſtem ſpectaverat capiti ejus inſidentem (7): *Quo ſpectaculo permotus populus, ac divino Spiritu incitatus, ſumma cum alacritate, uno conſenſu ſimul omnis exclamare cœpit: Dignum eſſe, ſtatimque comprehenſum ſacerdotali Cathedræ impoſuit*. At miraculi pius ea res habet, quam exempli. Adde quod ut ab Epiſcopis ordinandus fuit Fabianus; ita & ab iiſdem eligendus, tum demum electionem populi, alioqui irritam, ſuo judici firmantibus. Obſervat enimvero Euſebius, coactos tum Romæ fuiſſe Epiſcopos ad ordinandum, hoc eſt ad eligendum & ordinandum Epiſcopum. Utrumque enim

(1) L. 3. Ep. 11. (2) L. 2. Ep. 2. (3) L. 4. Ep. 2. (4) L. 2. c. 1. L. 3. c. 4.
(5) L. 3. c. 11. (6) L. 6. c. 10. 11. (7) L. 6. c. 19.

conjunctim fiebat, utrumque Græca voce inſinuatur, χειροτονίας ἔνεκεν; erant quippe iidem Epiſcopi ordinatores, qui & electores. Nec enim adduci potuiſſent, ut manus imponerent, niſi quos ipſi prius examinaſſent, & ſummæ ſanctiſſimæque dignitati idoneos experti eſſent. Refert apud eundem Euſebium Cornelius Papa, Novatum ſchiſmaticum a tribus Epiſcopis (1), quibus aſtute obrepſerat, ordinatum quidem illum fuiſſe; ſed eorum unum ab errore jam ſuo reſipuiſſe; reliquis duobus quos nullus pnpugerat tanti flagitii dolor, ſucceſſores a ſe datos eſſe: *Reliquis duobus Epiſcopis ſucceſſores ordinavimus, eoſque in loca illorum direximus*. Denique auctor eſt idem Euſebius, Epiſcopos Concilii Antiocheni abdicato Paulo Samoſateno, ſucceſſorem quoque elegiſſe & ordinaſſe (2): *Hunc cum abdicaſſemus, neceſſe habuimus alium ejus loco Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopum ordinare, &c.*

VI. Narrat Epiphanius ipſe ab Alexandro Epiſcopo Alexandrino miſſum ad Aulam Imperatoris Athanaſium Diaconum: eo vero temporis intervallo, cum gravi ipſe ex morbo decubuiſſet, declaratum ab eo fuiſſe ſucceſſorem Athanaſium eundem. Cum autem ea inoleviſſet Alexandriæ conſuetudo, ut ne electio procraſtinaretur, ad populi factiones & ambitioſorum turbas prævertendas, electum fuiſſe Achillam (3): *Athanaſio moriens Alexander Epiſcopatum commiſſi mandarat. Verum cum hæc ſit Alexandriæ conſuetudo, ut poſt Epiſcopi mortem ſucceſſor non diutius differatur, ſed ſubinde pacis tuendæ gratia ſubrogetur, ne aliis hunc, aliis illum amplectentibus, jurgia in vulgus & contentiones exiſtant; abſente Athanaſio Achillam ſubſtituere coacti ſunt.*

Docuit nos alibi Hieronymus, cum primum animam egiſſet Epiſcopus Alexandriæ, ejus Eccleſiæ Presbyteros unum ex ſuo cœtu confeſtim eligere ſolitos fuiſſe. Quibus ex Epiphanii & Hieronymi teſtimoniis illud emicare nimirum videtur, primariam eligendi auctoritatem penes Presbyteros Alexandrinos fuiſſe, qui ne provinciæ quidem Epiſcopos expectarent, ſed accelerata electione plebis tumultuationes anteverterent.

Gregorius Nyſſenus in vita Thaumaturgi differte tradit ſolum Phædimum Amaſeæ civitatis Epiſcopum tacito imperio, arcana vi, manus viſibiliter extenſæ inviſibili poteſtate, Gregorium ipſum hunc Thaumaturgum Epiſcopatui deſtinaſſe, fugam ejus compeſcuiſſe, elegiſſe, deniqne & ordinaſſe. Nec minus dilucide idem ibidem ait, Alexandrum Carbonarium a Gregorio Thaumaturgo ſolo ad Epiſcopatnm evocatum & ſegregatum eſſe, ut cui ſoli interluxerint, in ea veſtium vilitate, & diſplicabilis profeſſionis obſcuritate, Epiſcopalis ſanctimoniæ radii, & inclyti Martyris virtutes.

VII. Jubent Apoſtolici Canones, a duobus ſaltem vel tribus Epiſcopis fieri ordinationes Epiſcopales (4). Diximus, & ad nauſeam jam uſque inculcavimus, ea voce χειροτονίας ἔνεκεν, ſignificari tum electionem Epiſcoporum, tum ordinationem. Non recedit autem a veriſimili, numerum illum, quem deſiderant Canones, Epiſcoporum, primis his quidem ſeculis ad electionem potius quam ad ordinationem expetitum fuiſſe; cum vel maxime multo probabilius ſit ordinationi ipſi unum ſatis eſſe Epiſcopum, qui Conſecrator dicitur: ceteros Aſſiſtentes & dici, & eſſe. Vetant iidem Canones (5) ambiri Epiſcopales ſedes, aut pecunia ad eas quenqnam, vel potentum gratia & ſuffragio graſſari. Jam tum ergo his corruptelis locus erat, & turbis Laiciſque omnibus neceſſe erat moderatores imminere Epiſcopos, ne his artibus aut pollicitationibus eos ſinerent circumveniri in electionibus celebrandis. At vero Canon Apoſtolicus LXXV. longe apertius facit, quam in Collegarum electione dominaretur Epiſcoporum poteſtas, cum vetantur eligere vel ordinare fratres, filios, cognatos, ne quæ ſumma fuerit impietas, Epiſcopalis dignitas, tanquam hæreditaria quædam terræ portio ad poſteros traducatur: *Quod non oportet Epiſcopum fratri, vel filio, vel alii cognato gratificantem humana affectione ad Epiſcopatus dignitatem, quam vult, eligere. Epiſcopatus enim hæredes facere juſtum non eſt, ea quæ Dei ſunt, largientem.*

VIII. Quoad inferiores Epiſcopatu Ordines, certum eſt illos multo magis in arbitrio & poteſtate Epiſcoporum fuiſſe: quanquam ne ipſi quidem tum inconſulto Clero populoque, aut ſine eorum ſuffragatione & teſtificatione cuiquam conferrentur. Vide qnid

(1) L. 6. c. 43. (2) L. 7. c. 30. (3) Hæreſ. 69. n. 11.
(4) Can. 1. (5) Can. 30. 31.

quid ſcripſerit Cyprianus *ad Presbyteros, Diaconos, plebemque* Carthagineuſem, de lege quam ſibi ipſe præſcripſerat, ne quem unquam præter eorum conſcientiam ordinaret (1): *In ordinandis Clericis, fratres cariſſimi, ſolemus vos ante conſulere, & mores ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare.* Epiſcopi ergo partes erant, ut eligeret, nominaret, ordinaret Clericos & Beneficiarios Eccleſiæ ſuæ: ſed cum reſcire unus ipſe non poſſet, qui eſſent ſingulorum mores, quæ vita, teſtimonio uti cogebatur Cleri populique. Sed quando tam conſpicua & tam ſpectata erat cujuſquam pietas, ut teſtimoniis omnino opus non eſſet, tum illum ordinabat Epiſcopus, & ita populum Clerumque certiorem rei totius faciebat. Id ibidem additur a Cypriano: *Sed expectanda non ſunt teſtimonia humana, cum præcedunt divina ſuffragia.* Id ille ſcribit ex occaſione Aurelii, qui juventutis ſuæ flotem documentis decoraverat conſumatiſſimæ virtutis, illuſtri edita Chriſti nominis Confeſſione. Ideo illum Cyprianus Lectorem ordinavit, mox Clerum populumque admonuit (2): *Hunc igitur, Patres dilectiſſimi, a me & a Collegis, qui præſentes aderant, ordinatum ſciatis, quod vos ſcio & libenter amplecti & optare tales in Eccleſia quamplurimos ordinari. Et quoniam ſemper gaudium præparat, Dominico legit.* Ordinavit & Subdiaconum atque Lectorem, de eaque ordinatione ad Clerum Carthaginenſem ſtatim reſcripſit, quocum prius illos ad examen vocarant, ubi & eorum promotioni aſſenſus fuiſſe Clerus videbatur: *Examinantes, an congruerent illis omnia, quæ eſſe deberent in his qui ad Clerum pacabantur. Nihil ergo a me vobis abſentibus factum eſt, ſed quod jampridem communi conſilio omnium noſtrorum cœperat, neceſſitate urgente promotum eſt.* Celerini Lectoris & electio & ordinatio ſimillima fuit, iisdemque laudibus celebrata, atque Aurelii. Mirabili quadam & infracta fortitudine perſecutores fidei ſuperaverat. Cyprianus & alii Epiſcopi, qui una erant, illum ordinarunt, & tum ad Clerum populumque Carthaginenſem litteras dederunt (3): *Exultate igitur & gaudete nobiſcum lectis litteris noſtris, quibus ego & Collega mei, qui præſentes aderant, referimus ad vos Celerinum fratrem noſtrum virtutibus pariter & moribus glorioſum, Clero noſtro non humana ſuffragatione, ſed divina dignatione conjunctum.*

IX. Quanquam autem teſtetur Cyprianus alios etiam præſentes affuiſſe Epiſcopos, ubi hos ordinavit Lectores; indubium tamen eſt, nonniſi unum deſiderari Epiſcopum ad electionem & ordinationem Preſbyterorum, ceterorumque minorum Clericorum. Aperte ita pronuntiat Canon Apoſtolicus (4): *Presbytero ab uno Epiſcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici.* Commemorat quidem Euſebius, cum Origenes per Palæſtinam iter ageret, Cæſareæ Presbyteratu initiatum fuiſſe ab Epiſcopis regionis (5): *Cum per Paleſtinam tranſiret, Presbyterii gradum ab illius regionis Epiſcopis accepit.* Prope a vero abeſt hanc Epiſcoporum frequentiam in ordinatione Origenis non alio pertinuiſſe, quam ut conſilio ſuo eas elevarent difficultates, quæ ordinationem ejus remorabantur.

Ideo non multo poſt præfertur ab eodem Euſebio Epiſtola Cornelii Papæ ad Fabium Epiſcopum Antiochenum, ubi confirmat Cornelius ordinatum olim fuiſſe Presbyterum Novatum ſchiſmatis architectum, præter vota populi, Clerique, qui irregularem ex eo aſtruebat Novatum, quod baptiſmum non accepiſſet, niſi vi morbi lecto affixus, & adventante jam morte perterritus (6): *Poſt ſuſceptum baptiſmum, Presbyteri gradum conſecutus fuerat, idque per gratiam Epiſcopi, qui manus illi imponens, eum ad Presbyterorum ordinem evexit. Cui cum univerſus Clerus multique ex populo refragarentur, ex eo quod non liceret quenquam ex iis, qui urgente vi morbi, in lectulo, perinde ac illa perfuſi fuiſſent, in Clerum aſſumi, poſtulavit ab iis Epiſcopus, ut hunc ſolum a ſe ordinari paterentur.* Quo exemplo patet in arbitrio fuiſſe Epiſcopi ordinare, quorum operam exiſtimaret Clero ſuo conducibilem, aut neceſſariam; ſed eas fuiſſe populi Clerique partes, ut intercederent tum, cum irregularitate aliqua maculati ordinabantur: quanquam etiam tum poſſet Epiſcopus declarare, ex uſu eſſe Eccleſiæ, ut tum quidem venia fieret Canonum.

X. Origenis autem ordinatio ſingularis plane fuit, non ex ſola duntaxat irregularitatis venia, ſed & ex eo quod nulli illiga-

(1) L. 2. Ep. 5. (2) L. 3. Ep. 24. (3) L. 4. Ep. 20. (4) Can. 2.
(5) L. 6. c. 23. (6) L. 6. c. 43.

gatus fuerit Eccleſiæ. Ex ſupra dictis enim abunde conſtat, ordinatione ſua Clericos Eccleſiæ affixos ſuæ fuiſſe, & Epiſcopo a quo ordinabantur. Argumento ejus rei etiamnunc eſt Epiſcopatus ipſe, quo Eccleſiæ quiſque ſuæ individuſis nexibus devincitur Epiſcopus. Ejuſdem generis erant olim omnia Beneficia, quod eis implicata ſemper eſſent miniſteria quædam ſacra, quæ in Eccleſia cuique ſua defungenda eſſent, & ex quibus exiſteret jus temporalis ſuſtentationis.

XI. Nec vero fas eſt ſilentio præterire, quod de Alexandro Severo Imperatore narrat Lampridius, Hiſtoriæ Scriptor. Publicabat enim ille nomina eorum, quibus officia & dignitates Imperii primarias deſtinabat, Provinciarumque Præfecturas: ut ſi quid haberet quis criminis, quod illis objectaret, interim poſſet. Non diſſimulabat autem Alexander, id a ſe fieri exemplo Judæorum & Chriſtianorum (1): *Ubi aliquos voluiſſet vel Rectores Provinciis dare, vel Præpoſitos facere, vel Procuratores, id eſt rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus: ſi non probaret, ſubiret pœnam capitis. Dicens grave eſſe, cum id Chriſtiani & Judæi facerent, in prædicandis Sacerdotibus qui ordinandi ſunt, non fieri in Provinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur, & capita.*

X. Probationes novæ ex Euſebio & Theodoreto.

XI. Vim quandoque adferebat plebs, idque Patrono, ſi credere fas eſt, Nazianzeno.

XII. Epiſcopi quandoque ipſi plebis furori cedebant.

XIII. Qui cogebantur, cedebant tandem neceſſitati, vel voci potius & voluntati Numinis. Argumenta ejus rei.

XIV. XV. Argumenta alia ejuſdem violentæ neceſſitatis, cui libera ſe caritas accommodaret.

XVI. Cum malitioſe quidam abuti inciperent ea vi & impreſſione plebis, exinde prohibita ſunt.

XVII. Ut electus ſit Baſilius a Clero, Monachis, Nobilibus, Magiſtratibus, populo.

CAPUT II. *P. 1. l. 2. c. 15.*

De Electione Epiſcoporum. Quæ ibi partes fuerint populi, Cleri, Monachorum, Magiſtratuum in Oriente poſt Imperium Conſtantini?

I. II. Nonnulla ſemper fuere populi partes in electione Epiſcoporum. Explicatur Canon Laodicenus.

III. IV. V. Probationes ex Conciliis Antiochena, Conſtantinopolitano, Epheſino.

VI. VII. Item ex Concilio Chalcedonenſi.

VIII. Electio B. Athanaſii.

IX. Clerus, populus, Nobiles, Magiſtratus conſpirabant ad electiones.

I. II. PAulo accuratius jam nobis exploranda eſt ipſa electionum ratio poſt Imperium. Conſtantini, ut liqueat qui modus, quæ vis, quæ partes auctoritatis fuerint populi, Cleri, Epiſcoporum, Principum, & Magiſtratuum. Initium ducemus a Clero & populo in Oriente: tum ad Epiſcopos pergemus & Principes, atque in Occidentem.

Quanquam viſa ſit multis Laodicena Synodus populum ſpoliaſſe (2) priſtina poteſtate eligendorum Altaris Miniſtrorum: certum eſt tamen illum ſuas ſemper aliquas ad eam partes interpoſuiſſe: *Turbis, τοῖς ὄχλοις non eſſe permittendum, eorum qui in ſacerdotio ſunt conſtituendi, electionem facere.* Itaque hoc Canone non ſuo ſuffragii quaſiſcunque, aut teſtimonii jure excuſſa eſt plebs; ſed aut ſummotæ ſunt tantum tumultuoſæ turbæ, quæ negotio pacis & ſapientiæ, ſuarum quadam cupiditatum procella plerumque obſtrepebant: aut illud definitum eſt, non ex voluntate plebis, cui facile illudit vel imperitia, vel cupiditatum faſcinatio, ſed ex judicio & arbitrio Epiſcoporum terminandas eſſe electiones, aut eorum qui ſapientia & religione præſtant: ut ponderari magis debeant ſuffragia, quam numerari.

III. Jubet certe Antiochena Synodus, ut Epiſcopus Epiſcopatu ſuo quo demum cunque caſu exutus, ne vacantem poſſit invadere Epiſcopatum alium, quamvis plebs univerſa percupiat, niſi Metropolitanus & Epiſcopi Provinciæ ei ſuffragentur transla-tio-

[1] Lamprid. in Alex. Sever.

[2] Can. 13.

tioni: quod facile fuerit Epiſcopo populum lactare ac delinire (1): *Eſſi cunctus populus, quem diripuit, eum habere delegerit.* Agitur ibidem mox de Epiſcopis, qui poſſeſſionem inire Epiſcopatus ſui non potuere (2), *propter populi recuſationem*. Vetantur Epiſcopi ex Eccleſia una in aliam migrare, quantamcunque plebs vim adhibeat (3): *Non vi coactus a populis*. Nec minus flagravit Sardicenſis Concilii zelus, ad ejuſmodi Epiſcoporum translationes proſcribendas, quamvis eis prætexeretur populi vis, qui facile potuerat inefcari (4) *Cum manifeſtum ſit potuiſſe paucos præmio & mercede corrumpi, eos qui ſanctam fidem non habent, ut clamarent in Eccleſia, & ipſum petere viderentur Epiſcopum.*

IV. Scripſit Oecumenica Conſtantinopolitana prima Synodus ad Damaſum Papam & ad ceteros Occidentis Epiſcopos, Regiæ hujus urbis Epiſcopum electum eſſe Nectarium ab Oecumenica ipſa Synodo, aſſenſu & ſuffragio Epiſcoporum, Cleri & populi: *Nectarium in Concilio generali, communi omnium conſenſu, præſente Imperatore, totius denique Cleri, totiuſque civitatis ſuffragiis Epiſcopum conſtitutum: κάντες ἀνὰ ψηφίζωσιν τὸν τόπον.* Additur & Flavianum electum fuiſſe Antiochenæ urbis Epiſcopum, omnium conſenſione clariſſimæ illius Eccleſiæ alumnorum: *Tota illa Eccleſia ſuffragante, & velut uno ore virum illum honorifice collaudante.*

V. In Concilio Epheſino Memnon ejus urbis Epiſcopus, tantum non ejectus eſt ea ſede, Joannis Antiocheni Epiſcopi factione, a quo Senatores & Proceres Epheſini ad eligendum Epiſcopum alium concitati fuerant. De ea re conqueſtus eſt Memnon litteris ad Clerum Conſtantinopolitanum datis (5): *Quotidie venerandum Senatum, illuſtriſſimoſque cives ὅτι σπεύδει βιαίως, καὶ τὸν κοσμοῦντα, ad ſe evocans, magna importunitate flagitabat, ut eorum ſuffragiis alius in meum locum ordinaretur Epiſcopus.* Hinc emerſit multo plus momenti fuiſſe in Senatus & honoratorum civium, quam in infimæ plebis votis, quamvis & ipſius plebis aliquo loco eſſet ſuffragium. Inde eſt quod diſſipato Conciliabulo Epheſino, Leo Magnus & Concilium Romanum Romæ coactum, litteras dederunt ad Clerum, ad Optimates & ad populum Conſtantinopolitanum, ut eorum in fide Catholica tuenda conſtantiam roborarent, & ad amorem ac tuitionem accenderent orthodoxi Epiſcopi ſui Flaviani, qui in ea pſeudoſynodo abdicatus fuerat: *Clero, Honoratis, & plebi conſiſtenti apud Conſtantinopolim.*

VI. In Concilio Chalcedonenſi Stephanus Epiſcopus Epheſinus, ut nutantem firmaret dignitatem ſuam, affirmabat Epiſcopum ſe conſtitutum fuiſſe ab Epiſcopis quadraginta, aſſentientibus Optimatibus & Primoribus populi, Clerique (6): *Me quadraginta Epiſcopi Aſiani ſuffragio & Nobilium & Primatum populi & totius reverendiſſimi Cleri, & omnis civitatis ordinaverunt: ψῆφῳ, καὶ τῶν λαμπροτάτων, καὶ τοῦ λαοῦ, καὶ τῆς ὅλης πολίτου πάσης.* In ſui defenſione æmulus ejus & competitor Baſſianus, ajebat ſe approbatum & pene coactum a plebe, a Clero urbis, & ab Epiſcopis: denique ab Imperatore confirmatum: *ὑ λαός, καὶ ὁ κλῆρος, καὶ τὸ λοιπὸν.* Certe mox teſtatur contra Baſilius Epiſcopus, non fuiſſe niſi a ducentis vel trecentis ſedi iatruſum Baſſianum. Utramque eam electionem irritam fecere Chalcedonenſes Patres, Epiſcopum vero eligi alium ſanxere ab illis omnibus, qui ejus juriſdictioni & imperio obnoxii futuri erant: *Ab omnibus, qui poſcendi ſunt, eligendus: παρὰ πάντων τῶν μελλόντων ποιμαίνεσθαι ψηφίζεσθαι.*

VII. Ab eodem Chalcedonenſi Concilio conceſſa eſt Epiſcopo Conſtantinopolitano ordinatio Metropolitanorum Exarchatuum Ponti, Aſiæ & Thraciæ, poſquam canonice electi fuiſſent a Clero cujuſque Eccleſiæ Metropolitanæ, a Civibus, a Nobilibus, & ab Epiſcopis Provinciæ (7): *Decreto facto a Clericis uniuſcujuſque Metropolis, & Poſſeſſoribus, καὶ πόλεως, & clariſſimis viris, καὶ κοσμητόρων κτήτωρ, ſuper hac, & a reverendiſſimis Epiſcopis Provinciæ omnibus, aut pluribus.* Poſt ejus Concilii finem, cum Proterius Epiſcopus Alexandrinam regeret Eccleſiam, intrudi ſe fecit in ejus ſedem impius Timotheus a duobus Epiſcopis, & a Clericis quibuſdam extraneis, cum Imperatori Leoni interim ementiretur, electum ſe fuiſſe a populo & honoratis Civibus (8). *De Timotheo, quem Alexandrinorum populus, & Honorati, & Cu-*

(1) Can. 16. (2) Can. 18.
(3) Can. 21. (4) Can. 2.
(5) Ep. Carth. in Epheſ. Synod.
(6) Conc. Ch. par. 1. c. 21. 22.
(7) Act. 16. (8) Conc. Ch. par. 3. c. 22.

Curiales, & Nauclerі Epiſcopum ſibi petunt.

VIII. Si rurſum autem reflectamus veſtigia, obvia prodibit Epiſtola encyclica Concilii Alexandrini, ubi perhibetur Athanaſius electus fuiſſe & expetitus ab univerſo populo Alexandrino, tam cupide, ut in eam rem enixiſſimas preces & ad Deum funderent, & ad Epiſcopos, cum nec exire eos ſinerent foribus Eccleſiæ, nec exirent ipſi per plures dies, donec voti compotes fierent (1): *Teſtamur omnem multitudinem, populumque Catholicæ Eccleſiæ in unum coactum, quaſi in ſpeciem unius corporis & animæ, clamoribus vociferationibuſque poſtulaſſe Athanaſium Epiſcopum dari, idque publicis votis a Chriſto expetiſſe, noſque ut faceremus, per multos dies ac noctes jurejurando obteſtatos fuiſſe: cum interea nec ipſi ab Eccleſia diſcederent, neque nobis facultatem diſcedendi permitterent.*

Teſtabatur & ipſemet alicubi Athanaſius, quanquam de facinore quopiam convictus fuiſſet, & neceſſario ſibi dandus fuiſſet ſucceſſor, electionem tamen ipſam a populo, a Clero, & ab Epiſcopis faciendam fuiſſe (2): *Juxta Eccleſiaſticos Canones, & Pauli verbum, congregatis populis & ſpiritu Præſidentium cum virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti, omnia Canonice inquiri & peragi docebat præſentibus populis & Clericis.* Id quoque confirmat Gregorius Nazianzenus (3); totius primum populi ſuffragiis electum fuiſſe Athanaſium: Ψήφῳ τῷ λαῷ πιστὸς: *Suffragiis totius populi.* Teſtatur Julius Papa in ea quam in Athanaſii defenſionem ſcripſit Epiſtola, Gregorium non potuiſſe illi obtrudi ſucceſſorem (4): *neque plebi cognitum, neque poſtulatum a Presbyteris.* Teſtificatur & Theodoretus Lucium Arianum, nec a Synodo Epiſcoporum electum fuiſſe Epiſcopum, nec ſuffragiis Cleri, nec poſtulatione plebis, ut volunt Canones (5): *Non Epiſcoporum orthodoxorum Synodo, non Clericorum virorum ſuffragio, non petitione populorum, ut Eccleſiæ leges præcipiunt.*

IX. Nec plura, opinor, aggerenda hic ſunt argumenta, ut conſtet, 1. In Eccleſia Græca non parum momenti ad electiones Epiſcopales in populi ſuffragatione fuiſſe. 2. Sed multo tamen plus fuiſſe in favore Senatorum, Nobilium, Honoratorumque, quos natales, quos dignitas, quos ſapientiæ fama ſupra vulgi fæcem eveheret. 3. Sed non paulo plus adhuc ponderis habuiſſe Clerum, & in Clero Presbyteros: maxime in urbibus celebrioribus, ubi & frequentior erat Clerus. Illud enim obſervari potuit, in majoribus tantum civitatibus factam eſſe Cleri mentionem, nec niſi ſequentibus ſæculis. Augeſcebat enim in dies Clericorum numerus, & cum numero auctoritas. Ab exordio ſolus pene populus apparebat, ſolus commemorabatur in tanta Clericorum paucitate; poſt conſpicuus factus eſt, uti & numeroſior Clerus; qui & numero tandem & ordinis ſui auctoritate magis magiſque convaluit.

X. Balſamoni & Zonaræ impoſuit ſui ſæculi conſuetudo. Cum enim nihil loci tunc reſiduum eſſet populo in electionibus Epiſcopalibus: hinc illi augurati ſunt eam illi fuiſſe abrogatam poteſtatem, eo Canone Nicæno (6), quo electio & ordinatio Epiſcoporum Metropolitano & Epiſcopis Provinciæ commendatur. Sed quæ deprompta ſunt a nobis hic teſtimonia, nihil prorſus dubitationis reſidere ſinunt in cujuſquam animo, aperteque vociferantur, duos hos medii ævi Canonum interpretes ſuæ ætatis præjudicio & uſu deluſos fuiſſe, ut non aliter tem habuiſſe ominarentur temporibus Concilii Nicæni, cujus & Canonem eo detorſerunt.

His adjici poſſet Epiſtola Imperatoris Conſtantini *ad populum Antiochenum*, ut eum avocaret a priori ſententia eligendi ſibi in Epiſcopum Euſebium Epiſcopum Cæſarienſem (7): adduceretque ad alium quemlibet eligendum, *omni ſeditioſo & immodico clamore procul amoto.* Scripſit Conſtantinus & ad Epiſcopos Antiochiæ Synodice collectos, ut eos abſterreret ab electione Euſebii, quem conjunctim cum populo aſciverant: *Quandoquidem hæc litteris veſtris continebatur ut juxta populi ac prudentiæ veſtræ ſuffragium ac voluntatem*, κατὰ τὴν τῶν λαῶν, καὶ τῆς ὑμετέρας προκρίσεως συγκλῆτε, καὶ βάλητε, *Euſebius Eccleſiæ Antiochenæ præſideret.* Scripſit & ad Nicomedienſes de eligendo ſibi Epiſcopo. Hanc ejus Epiſtolam hiſtoriæ ſuæ intexuit Theodoretus, in qua & illud ediſſerit. Petrum Athanaſii in Alexandrina Eccleſia ſucceſſorem, in id culmen provectum

(1) Athan. Apol. 2. (2) Epiſt. ad Orthod. (3) Orat. 21.
(4) Athanaſ. Apol. 2. (5) Theodoret. l. 4. c. 20. (6) Can. 4.
(7) Euſeb. de vita Conſt. L. 3. c. 60. 62.

ctum fuiſſe ipſius Athanaſii ante mortem ſuffragio, aſſenſu Cleri & Magiſtratuum, ſecundis & vehementibus populi acclamationibus (1): *Quem primum Athanaſius ſuo ſuffragio deſignarat, ejuſque electioni ab omnibus tam Sacerdotibus quam Magiſtratibus aſſenſum eſt; populus quoque univerſus acclamationibus, quantum lætitiæ percepiſſet, demonſtravit.* In hac vero conſpiratione ſuffragiorum perſpicuum eſt, Epiſcoporum, Presbyterorum & Magiſtratuum calculos plurimum habuiſſe momenti: a populo autem unum id expectatum fuiſſe, ut applaudereret, vel ne refragaretur. Scripſit & Leo Imperator apud Evagrium (2) ad Alexandrinos, ut Epiſcopo ſubeſſe vellent, quem Cleri populique electio deſignaret: ὥ ἔι ὁ κλῆρος ϗ ὅτι μοῦς ψηφίσετο. Erat tamen & cum vis populi vehementior ingrueret, vinceretque, ut cum Conſtantinopoli electus eſt Siſinius poſt mortem Attici. Ita enim ea de re Socrates (3): *Laicorum ſtudium tulit ſuperiores, & Siſinius ordinatus eſt.* Incredibile Siſinii & largitates & eleemoſynæ: hæc illi plebis ſtagrantiſſima ſtudia conciliaverant.

XI. Nuſquam tam perſpicue patent rationes, artes, ſtrophæ, machinæ, viciſſitudines variæ & ſemper alternantes electionum Epiſcopalium, quam in narratione Gregorii Nazianzeni, de electione Euſebii, & poſt Euſebium Baſilii in famoſa civitate Cæſarea Cappadociæ principe. Cum convenifſent Epiſcopi ad creationem Archiepiſcopi & Exarchi ejus Eccleſiæ, aliquandiu fluctuatus eſt populus, hinc cupiditate, hinc pietate pelliciente, perinde ut quiſque affectus erat; cum tandem omnium ſuffragia in unum conſenſere Euſebium, religione & nobilitate ſpectabilem illum quidem, ſed adhuc Catechumenum. Huic electioni reluctatus eſt pro virili ſua parte Euſebius, at plebs adminiculantibus militaribus copiis, vim attulit, ad Epiſcopos eum pertraxit, quos & coegit, ut illum ordinarent, ſedicque Epiſcopali inveherent. Epiſcopi templo digreſſi, irritam contendebant eam ordinationem, quod ſibi facta vis eſſet. Gregorius Epiſcopus Nazianzenus, ejus Gregorii parens, cui divinæ cujuſdam eloquentiæ & ſapientiæ cumulus Theologi nomen peperit, animo infracto novi Epiſcopi tuitionem adgreſſus eſt (4), quippe cum non minor Euſebio ipſi allata eſſet vis: ſi ut ille, ita & ipſi vi ceſſiſſent, ex æquo vel reos omnes teneri, ſi cedere nefas erat: vel innoxios haberi, ſi fas erat: cum communis ergo eſſet cauſa, non poſſe alios ab aliis damnari: ut vero Euſebius cum diu ex animi mira modeſtia & demiſſione repugnaſſet, caritate & obedientia tandem vinci debuerat, quo iis ſe proderet non deſtitui virtutibus: Epiſcopos quoque caritate Epiſcopali & provida conſulteſſimaque diſpenſatione, aſſentiri denique populo debuiſſe, quem vehementior quidem, ſed ex pietate tamen profectus zelus transverſum egiſſet: *Aderant Epiſcopi, ut Archiepiſcopum darent: ſed cum in plures ſententias multitudo diſtraheretur, aliique alium proponerent, vel benevolentia in aliquem, vel pietate in Deum; tandem plebs tota uno conſenſu, primarii ordinis virum unum, vita quidem & moribus eximium, divino tamen Baptiſmo nondum conſignatum, invitum & repugnantem corripientes, ſimulque militaribus copiis, quæ tum in urbe erant, opem afferentibus, in ſacrario collocarunt; & Epiſcopis obtulerunt, ſuaſioni vim admiſcentes; non id quidem admodum modeſte atque compoſite, admodum tamen pie atque ardenter, &c. Epiſcopi diſceſſerunt, &c. Conſilium ineunt, ut nihil eorum, quæ geſta fuerant, ratum eſſe deceret, vim ei objicientes, qui non minorem ipſe vim paſſus fuerat, &c.*

XII. Crebra erant id genus exempla, validæque hæ & canonicæ habebantur ordinationes; quod compertum eſſet, eam populi vim, a zelo manare pio certe, tametſi immoderato. Quod qui reniſus diu fuerat electioni, ſponte tamen cedebat, non tam vi populi, quam voci Dei, cujus voluntatis index certiſſima eſt ea, ad quam dejicimur, ineluctabilis neceſſitas. Quod denique præſumptum id eſſet animo, Epiſcopos, qui rei non aderant tantum, ſed præerant, nequaquam ceſſuros fuiſſe, ſi quid inde detrimenti importari Eccleſiæ ſenſiſſent: & quæ Epiſcopalis eſt magnanimitas, ſauguinis etiam impendio hoc a ſe, hoc ab Eccleſia dedecus amolituros, ne ordinationem facerent, quam mox infectam declararent; fingerentque quod mox diffingerent. Unde idem ibidem Nazianzenus: *Longe enim ſatius fuiſſe, ut ipſi tum temporis periculum adirent, atque ad extremum uſque obſiſterent, quam ut poſtea inſidias compararent.*

(1) Theodoret. l. 2. c. 20. l. 4. c. 18.
(2) Evagr. l. 3. c. 22.
(3) L. 7. c. 26.
(4) Nazianz. Orat. 19.

XIII. Et ſane Euſebii electio rata tunc fuit, ratæ fuere & aliæ id genus omnes. Id præjudicatum ſemper fuit, ubi ceſſerunt Epiſcopi Synodice collecti, cedere eos debuiſſe: & quod fecerunt, voluiſſe tandem; cum ſi noluiſſent, ne feciſſent quidem. Ita perſuaſiſſimum fuit, electum qui pietatis & religionis inſtinctu retinebatur, renitum etiam fuiſſe & ſapienter & circumſpecte, atque adeo convenienter humilitati & obedientiæ, quam religio, quam pietas, quam ſapientia ſancit: unde & tandem conſenſiſſe voluntati divinæ, quæ nullquam ſe nobis apertius prodit, quam ubi nos indeclinabili premit neceſſitatis laqueo. Suis & exemplis nos & verbis addocebant ſupra Auguſtinus & Paulinus, eſſe quandam vim, qua fiat, non qua faciamus, quod nolumus: ſed qua velimus, quod nolebamus. Utrique enim illorum furor quidam incubuit incuriionis popularis, ut Presbyteri inconſtanter & abrupte ordinarentur. Reſtitum ab illis eſt ſtrenuiſſime: ſed ubi quantumcunque repugnantiam ſuam vinci agnoverant; ſenſerunteque non quid populus cogeret, ſed quid Deus hac ipſa tempeſtate lignificaret, quid moderatio, quid patientia, quid humilitas, quid caritas ſuaderet, jugum tandem ſubiere, quod fruſtra contumacius declinaſſent. Vide quid Auguſtinus univerſim ſentiat de his ordinationibus vi impactis (1): *Tam multi ut Epiſcoporum ſuſcipiant, tenentur invitii, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni.* Teſtatur Paulinus ſe ea coactione & neceſſitate quam expertus eſt, intellexiſſe quid Deus juberet, atque ita coactioni lubens ceſſit (2): *Repentina vi multitudinis, ſed credo ipſius Domini ordinatione correptus, & Presbyteratu initiatus ſum, fateor invitus, &c. Novum inſperatumque placitum divinæ voluntatis expavi; data igitur cervice in jugum Chriſti, &c.*

XIV. Nec diſpar fuit vis, qua Epiphanius Epiſcopus Cypri Paulinianum oppreſſit, ut Diaconatum primo, mox & Presbyteratum impingeret, quantumvis renitenti (3): *Per multos Diaconos apprehendi juſſimus, & teneri os ejus; ne ſorte liberari ſe cupiens, adjuraret per nomen Chriſti: & primum Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes ut miniſtraret; valde quippe obnitebatur, indignum ſe eſſe conteſtans. Vix ergo compulimus eum, & perſuadere potuimus, teſtimoniis Scripturarum, & propoſitione mandatorum Dei. Et cum miniſtraret in ſanctis Sacrificiis, rurſus cum ingenti difficultate tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum, & iiſdem verbis, quibus antea ſuaſeramus, impulimus, ut ſederet in ordine Presbyterii.* Hic obſervamus porro non a temerariis tantum populi turbis adhibiram quandoque fuiſſe vim, ſed & ab Epiſcopis ſapientia & gravitate conſpicuis, ut jugum imprimerent Regii Sacerdotii Chriſti. 2. Non manu tantum, ſed rationibus vim fieri ita ſoliram, ut mens flecteretur, divini timoris aculeis compuncta, & fracta inexorabilis neceſſitatis ſibi incumbentis pondere. 3. Ita paruiſſe tandem aliquando, non vi tantum, ſed & voluntate. Unde & *invitum* ſe ordinatum fuiſſe Presbyterum fatetur Paulinianus, & ceſſiſſe ſe tamen divinæ voluntatis imperio. Ita vel dæ voluntates, vel unius ejuſdemque voluntatis duo ſejungenda ſunt tempora; reſiſtitur cum nondum conſtat de ineluctabili, tum rei neceſſitate, tum Dei voluntate: jam non ulterius reſiſtitur, ubi conſtat. 4. Qui renitentur, ſolo humilitatis & pietatis inſtinctu, ut Paulinianus, *indignum ſe eſſe conteſtans*; eos nihil in ſe habere, quod repugnet legibus & officiis obedientiæ, quæ humilitatis comes eſt individua; ſed ſui deſpicientia, & ponderis quod ingeritur meru, extimulari, ut ſubducant ſe oneri, & Epiſcopos abducant a ſententia & propoſito eos ordinandi. Interim tamen mens vere humilis & Deo ſubjecta, in ſinu fovet arcanum penitiſſimumque propoſitum ſubeundi, quod Deus juſſerit, quod Dei vicarii Epiſcopi conſtantiſſime voluerint. 5. Si replicetur memoria Abramii & Salamani, qui ordinati ſunt Presbyteri; ne id quidem ſcientes, quod ſacro Ordine tum initiarentur, ut narrat Theodoretus, facile intelligetur horum Ordinationis auctoribus Epiſcopis perſuaſiſſimum fuiſſe, viros omnibus virtutum numeris abſolutos, ideoque jure meritiſſimo ſacerdotio exornandos, ne poſſe quidem in animi ſui penetralibus diſſentire, vel tantillum repugnare, vel Dei, vel Dei Pontificum imperio. Non neſcii enim erant, non poſſe veram humilitatem non pari obedientia propendere in ea omnia, quæ lex caritatis, quæ legitima Paſtorum auctoritas ſancit.

XV.

(1) Ep. 204. (2) Ep. ad Severum. (3) Ep. Epiphan. ad Joa. Epiſc. Hieroſ.

XV. Iterum docebit nos Paulinus, ut vis illa foris circumſtrepens non everterit liberam ejus voluntatem, ſed mentem illuſtraverit, ut videret, ita neceſſe eſſe, ac proinde ita Deum velle, & proinde demum omnino parendum eſſe & neceſſitati & Deo (1): *Cum pro maritorum meorum conſcientia recuſarem, vel potius non auderem recipere, ego vermis, & non homo, vi ſubita, invitus, quod fateor, aſtrictus & multitudine ſtrangulante compulſus, quamvis cuperem calicem ipſum a me tranſire, tamen neceſſe habui dicere Domino: Verum non mea voluntas, ſed tua fiat.* Liquet ergo ea vi, qua auctoritas legitima & caritas vegeta urgent homines religione, & humilitate medullitus animatos, non debilitari, non violari libertatem, ſed flecti, & quo æquum eſt, converti. Sicut & repugnantia, qua viri pii humileſque obnituntur, non pugnacitas, non pertinacia eſt, ſed faſtidium & contemptus ſui, & modeſtia vehementior.

XVI. Sed cum eam vim fraudulenter quandoque & inſidioſe adhiberent, ſive plebs, ſive Epiſcopi, ut viros potentes per ſpeciem provectionis deprimerent, conſultiſſime Eccleſia poſthac ejuſmodi quidquam prohibuit tentari. Acerbiſſime Ravennatem Archiepiſcopum objurgavit Simplicius Papa, quod affectata malitia vim attuliſſet, & Epiſcopum ordinaſſet eum, qui ab ea dignitate abhorreret (2): *Non electione, ſed invidia, inexcuſabili violentia petrahi ad te paſſus es, atque vexari, ut ei honorem tantum per amentiam irrogares: quem non provectum conſtat eſſe, ſed pulſum.* Imperatores Leo & Majorianus irritas declararunt ordinationes, ubi *per parentum colludia* filii ordinati fuiſſent invitis (3): *Illo ſua reddito voluntati, qui coactus non potuit conſecrari.*

XVII. Præmiſſo hoc tam neceſſario elucidamento, redeo ad Gregorium Nazianzenum, ut ab eo audiamus, qui poſt Euſebium electus ſit Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus. Gregorius Epiſcopus Gregorii Theologi pater Coepiſcopis eligendum illum propoſuit, necnon & Clero, Monachis, Magiſtratibus, Senatoribus, Plebi: *Hæc iis ſcribo, qui ſacerdotii munere funguntur, & Monachis, & iis qui dignitates gerunt, & Senatorii ordinis ſunt, ac denique plebi univerſæ.* Hæc erat canonica eligendi ratio, horum erant ſuffragia ad Paſtorem creandum corroganda. Si unanimes omnes conſentiant, teſtatur Gregorius ſe ſpiritu illis aſſuturum, & electioni aſſenſurum (4): diſſenſurum autem prorſus, ſi ea fiat *per ſodalitia & cognationes:* κατὰ φατρίας καὶ συγγενείας; & ſi in eos dominetur tumultuoſa turba, ἐχλοβὸς χεὶρ. Agnoſcis verbum illud ipſum, quod uſurpatum eſt initio hujus capitis a Concilio Laodiceno.

CAPUT III. *P. t. l. 2. c. 16.*

De electione Epiſcoporum in Occidente poſt Imperium Conſtantini.

I. In Occidente quoque Epiſcoporum electionibus populus intererat. Probationes ex Conciliis Africanis.

II. De Epiſcopo viſitatore, cui imminebat cura vacantium Epiſcopatuum.

III. Probationes ex Epiſtolis Pontificum. Clerus, Senatus, Nobilitas, Populus conſpirabant ad electiones.

IV. V. Argumenta rurſus alia ex Epiſtolis Leonis Papæ.

VI. Argumenta ex Conciliis Galliæ.

VII. Exempla electionum Epiſcopalium in Gallia ex Sidonio Apollinari. Miræ factiones.

VIII. IX. Alia ejuſdem rei exempla. Competitorum numerus. Epiſcoporum auctoritas ſumma & moderatrix omnium.

X. Quam neceſſe eſſet ut ea dominaretur.

XI. De electione Metropolitanorum.

XII. De electione B. Martini. An ibi præponderarit populi auctoritas?

XIII. Triſtiſſimum exemplum in Africa, ubi populus præpolluit.

XIV. Ut ſuccaſſorem ſuum eligi fecerit Auguſtinus a Clero & populo.

I. UT in Græcis, ita & in Latinis Eccleſiis libera populo fuere ſua ſuffragia in electionibus Epiſcoporum. Auctor eſt Optatus populi Carthaginenſis ſuffragatione electum fuiſſe Cæcilianum (5): *Suffragio totius populi Cæcilianus eligitur.* De Sardicenſi Concilio dictum eſt capite ſuperiori. Vetitum eſt in Concilio Carthagi-

(1) Ep. ad Amandum. (2) Ep. 2. (3) Tit. 2. Legum Novel.
(4) Ep. 22. (5) Opt. l. 1.

nenſi II. ne Epiſcopi Provinciæ ordinarent eum, quem populus expetiſſet, niſi a Metropolitano confirmatum (1): *Ad deſiderium populi Epiſcopum ordinare contempto Primate Provinciæ*. Concilium Carthaginenſe III. facta copia ut tres Epiſcopi Epiſcopum poſſint ordinare, edicit, ut unus inſuper vel duo adſint, ſi plures de Epiſcopatu contendant, aut ſi quibus flagitiis electus impetitur, quæ purgari coram plebe oporteat (2): *Si qua contradictio fuerit obortа, non præſumant ad purgandum eum qui ordinandus eſt, tres jam; ſed poſtulentur ad numerum ſupradictorum unus vel duo; & in eadem plebe cui ordinandus eſt, diſcutiantur primo perſonæ contradicentium; poſtremo illa etiam, quæ objiciuntur, pertractentur. Et cum purgatus fuerit ſub conſpectu publico, ita demum ordinetur*. Eam ergo oportebat eſſe electi morum innocentiam, quæ tot haberet teſtes, tot non reformidaret cenſores, quot erant in populo capita: ante enim de Epiſcopo judicabant, quam ei ſubjicerentur.

In Concilio Carthaginenſi IV. conſcripta eſt formula examinis morum, & fidei, cui ſubjiciendi erant electi Epiſcopi; ſubditur autem hoc examine præmiſſo conſecrari debere Epiſcopum, aſſentiente Clero & populo, præſentibus Epiſcopis Provinciæ, præſente aut aſſentiente Metropolitano (3): *Cum in his omnibus examinatus, inventus fuerit plene inſtitutus, tunc cum conſenſu Clericorum & Laicorum, & conventu totius Provinciæ Epiſcoporum, maximeque Metropolitani vel præſentia vel auctoritate, ordinetur Epiſcopus*. Cautum eſt in Carthaginenſi Concilio V. ne Epiſcopus, cui vacantis Epiſcopatus regimen commendatum eſt, poſſit ibidem ipſemet Epiſcopus eligi, quantocunque ejus ſtudio ardeat populus. Si intra annum non perfecit, ut electio canonica celebraretur, inde jubetur facеſſere, & loco cedere novo interceſſori. Eo enim etiam deſignabatur Epiſcopus, cui Eccleſia quæpiam Paſtore orbata, concredita fuerat (4): *Nulli interceſſori licitum ſit, Cathedram, cui interceſſor datus eſt, quibuslibet populorum ſtudiis vel ſeditionibus retinere, ſed dare operam, ut intra annum eiſdem Epiſcopum provideat. Quod ſi neglexerit, anno exempto, interventor alius tribuatur*.

II. Ex eo Canone illud elicitur, cum primum defuncto Epiſcopo vacabat Eccleſia, ſtatim vel a Metropolitano, vel ab Epiſcopis Provinciæ deſignatum fuiſſe unum ex iiſdem Epiſcopis, qui & exequias curaret Collegæ mortui, & ſpiritalium temporaliumque ejus Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſciperet, qui denique canonicam electionem maturaret. Ubi vero propediem perficienda erat electio, Metropolitanus ab eo & Epiſcopi Provinciæ convocandi erant, ut advolarent, electioni præeſſent, electum conſecrarent. Si vertente anno nondum proceſſiſſet electio, delegabatur alius interceſſor, ſeu interventor, qui ne ipſe quidem poterat in eam tum ſedem eligi, tum quod Epiſcopus jam eſſet, tum vel maxime quod quamvis ambitionis purus eſſet & integer, non eſſet tamen ſuſpicionis.

III. Damnatus eſt a Zoſimo Papa in Decretis ambitus effrænis Lazari & Herotis, qui Epiſcopales ſedes duas invaſerant, in ea Provincia, ubi ignoti, ubi extranei eſſent, & ubi Clero populoque adverſante, ne fuco quidem juſtitiæ audaciam ſuam obumbrare poſſent (5): *Plebe Cleroque contradicente, ignotos, alienigenas, intra Gallias Sacerdotia uſurpaſſe*. Expreſſit ab Honorio Imperatore Bonifacius I. Papa Conſtitutionem, qua percellerentur, qui ſœdo ambitu Romanam Sedem prehenſabant; & ſtatueretur, ubi ſciſſis in duos ſuffragiis ambo ſe ordinari properaſſent, utrumque ambitionis ergo repudiatum iri, nec futurum Epiſcopum, niſi in quem omnium ſuffragia conſenſiſſent: *Si duo contra fas temeritate certantes, fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus Sacerdotem; ſed illum ſolum in Sede Apoſtolica permanſurum, quem ex numero Clericorum, nova ordinatione divinum judicium, & univerſitatis conſenſus elegerit*. Perſcripſiſſe ad ſe, ait idem alibi Bonifacius (6) Clerum, Senatum, populumque Lutevenſem in Occitania, gravate ferentes, quod eorum ſuffragia pro nihilo putarentur in electionibus Epiſcoporum, *Lutubenſis Eccleſiæ Cleri ordo, vel plebs preces ſuas ad nos miſerunt*. Legendum, ut ſuſpicor, *Clerus, Ordo, vel Plebs*. Cui conjecturæ etiam fidem aſtruet Epiſtola Cœleſtini ad Epiſcopos Galliæ ſuper eadem re (7): *Nullus invitis detur Epiſcopus; Cleri, Plebis & Ordinis conſenſus*

(1) Can. 12. (2) Can. 40. (3) Can. 1. (4) Can. 8.
(5) Ep. 3. (6) Ep. 3. (7) Ep. 2.

ſenſus ac deſiderium requiratur.

IV. Senatum & Magiſtratum Leo Papa I. nomine Populi complectitur (1) : *Cum de ſummi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebiſque conſenſus concorditer poſtularit, &c. Metropolitano defuncto, cum in locum ejus alius fuerit ſubrogandus, Provinciales Epiſcopi ad civitatem Metropolitanam convenire debebunt, ut omnium Clericorum, atque omnium civium voluntate diſcuſſa, ex Presbyteris ejuſdem Eccleſiæ, vel ex Diaconibus, optimus eligatur.* Et tamen alibi doctiſſimus idem Pontifex duas illas diligenter diſcriminat populi portiones, hinc dignitate vel nobilitate conſpicuos, hinc vulgi turbam (2) : *Secundum deſideria Cleri, Honoratorum & Plebis unanimiter conſecratis Epiſcopum.* Et rurſus alibi (3) : *Expectarentur certe vota civium, teſtimonia populorum, quæ rerentur Honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in Sacerdotum ſolent ordinationibus, ab his qui norunt Patrum regulas cuſtodiri.* Ubi primarias partes tribuit Clero, deinde Honoratis, vulgo non permiſit niſi teſtimonia & vota ſua promere, ut ne taceat quid de cujuſque moribus ſibi compertum ſit. Id vero ex Apoſtolo hauſerat Leo, jubente ut ab inimicis teſtimonium diceretur de incontaminata Miniſtrorum Eccleſiæ innocentia, quam arrodere nec hoſtes poſſent : *Ut Apoſtolicæ auctoritatis norma in omnibus ſervaretur, quæ præcipitur, ut Sacerdos Eccleſiæ præfuturus, non ſolum atteſtatione fidelium, ſed etiam eorum qui foris ſunt, teſtimonio muniatur.* Et rurſus Leo in eadem Epiſtola : *Teneatur ſubſcriptio Clericorum, Honoratorum teſtimonium, Ordinis conſenſus, & plebis.* Quin & ratio ejus diſciplinæ a Leone non filetur. Ingenua quippe & libera Chriſtianorum in Paſtores & duces ſuos obedientia eſt : eligebant ergo, qui ſibi præeſſent : *Qui præfecturus eſt omnium, ab omnibus eligatur.* Et ibidem rurſus : *Nullus invitis & non petentibus ordinetur ; ne Civitas Epiſcopum non optatum aut contemnat, aut oderit : & fiat minus religioſa, quam convenit, cui non licuit habere quem voluit.*

Expoſtulavit & Hilarus Papa de Epiſcopo, qui vota populi prævertiſſet, & ordinaſſet Epiſcopum (4) : *Nullis petentibus populis Epiſcopum ordinavit.* Modus tamen hic aliquis adhibendus eſt ex Conciliis Africanis. Sola enim plebs civitatis Epiſcopalis, non Parochiarum ruris, fere conſulebatur, & tamen omnes æque parebant Epiſcopo : *Ut ad eligendum Epiſcopum ſufficiat matricis arbitrium.* Ita Ferrandus (5) ex Conciliis Africanis.

V. Clericis ſpecialiter electionem vindicat Leo, cum eorum *ſubſcriptionis* neceſſariæ meminit, reliquorum *teſtimonii & conſenſus.* Et rurſus alibi (6) : *Nulla ratio finit, ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec a Clericis ſunt electi, nec a plebibus expetiti.* Si in Occidente autem a Clericis duntaxat ſubſcribebatur tunc electionis decretum : at in Oriente etiam a Laicis. Teſtem profero Euſebium illum fama percelebrem Epiſcopum Samoſatenum, qui decretum electionis Meletii, quod ſibi commendatum fuerat, tam fide tamque conſtanter cuſtodivit, quodque Catholici omnium ſubſcriptionibus muniri fecerant, etiam Arianorum, qui ſuæ ſe hominem ſectæ eligere rati, Catholicæ fidei invictiſſimum elegerant defenſorem, ut prolixe commemoravit Theodoretus (7).

VI. Concilio in Gallia Regienſi paulo diverſa ab Africanis Conciliis placuit diſciplina, ad regimen vacantium Epiſcopalium Eccleſiarum. Conſtituit enim ut proximioris Eccleſiæ Epiſcopus mortui Collegæ procuraret funus, viduatæ Eccleſiæ rem temporalem regeret, impenſis in id diebus non amplis ſeptem, in ſuam ſe reciperet Eccleſiam, nec eo rediret niſi cum aliis Provinciæ Epiſcopis a Metropolitano vocatis ad electionem canonicam celebrandam. Hoc Canone caute occurrebatur flexuoſis artibus ambitioſorum, & alienæ ſedis cupidorum, qui plebes clam deliniebant, ut optatiſſimam ſibi vim palam inferrent (8) : *Ne quis ad eam Eccleſiam, quæ Epiſcopum perdidiſſet, niſi vicina Eccleſiæ Epiſcopus exequiarum tempore accederet, qui viſitatoris vice Eccleſiæ curam gereret, &c. Hæc autem omnia exequiarum tempore uſque ad ſeptimam defuncti diem aget. Exin ſe Eccleſiæ referens, mandatum Metropolitani ſimul cum omnibus ſanctis Epiſcopis opperietur. Nec quiſquam ad Eccleſiam, quæ ſummum amiſerit Sacerdotem, niſi Metropolitani litteris invitatus, accedat, ne a plebe decipiatur, & vim pati voluiſſe videatur.* Ita ambitio-

(1) Ep. 84. c. 5. (2) Ep. 106. (3) Ep. 87. (4) Ep. 1. (5) Ferrand. Can. 11.
(6) Ep. 92. (7) Theodoret. Lib. 2. c. 31. 32. (8) Can. 6. 7.

tionis cœtro perciti Præsules fallebant & fallebantur; & quod perditissime concupiscebant, ad id se volebant cogi.

VII. Sed ut explicatius Gallicanarum Electionum ratio subjiciatur oculis, excutiendæ sunt nobis Sidonii Apollinaris Epistolæ. Cum Pastore orbata gemeret Cabilonensis Ecclesia, ad eam accessit Patiens Lugdunensis Archiepiscopus cum Episcoporum Provinciæ cœtu (1): *Provincialium Sacerdotum prævio partim, partim comitante Collegio*. Hoc certe *Pontificale Concilium* in tres competitores invexit partita populi vota: *Triumviratus accenderat Competitorum plebem*. Hic nobilitatis gloriam & stemmata ostentabat. Ille complurimos sibi adjunxerat conviviorum sumptu & splendore. Postremus clam spem faciebat deprædandorum Ecclesiæ prædiorum: *Tacita pactione promiserat Ecclesiastica plausoribus suis prædæ prædia fore*. Fœdissimas has grassationes Metropolitanus oppressit, ordinavitque Episcopum unum ex ejusdem Ecclesiæ Clero, ingenti pietate & eruditione virum; Joannem, qui omnes Cleri gradus, omnes Ecclesiæ ejus functiones a puero exhauserat. Ita perfecta est electio, *stupentibus factiosis, erubescentibus malis, acclamantibus bonis, reclamantibus nullis*. Ex demum fuere populi tum partes, ut non reclamaret, *reclamantibus nullis*. Electio certe ab Episcopis, potissimum vero a Metropolitano perfecta est. Nec minus admirationis habet, quod mox subjicio exemplum.

VIII. Sidonius ipse Apollinaris Arvernus seu Claromontanus cum esset Episcopus, a Bituricensibus accitus est, Episcopo nempe destituti, Provinciæ totius Metropolitano. Studia partium mirum in modum efferbuerant inter Clerum & populum (2): *Utriusque professionis ordinibus quoddam sacerdotii classicum cecinit. Fremit populus per studia divisus. Pauci alteros, multi sese non efferunt solum, sed inserunt*. Propudiosa hinc fede obtrudentium insolentia, hinc sacram nundinantium dignitatem. Agrocciun Senonentium Metropolitanum accivit Sidonius, ut tuppetias sibi ferret; nequedum enim electum esse quenquam, & ejus se judicio integram reservare eam electionem: *Nullus a me hactenus nominatus, nullus adhibitus, nullus electus est: omnia censuræ tuæ salva, illibata, solida ferventur*. Ne vero gravaretur opitulari Ecclesiæ alienæ, cum nusquam aliena, nusquam extranea sibi fit Ecclesia, caritatis glutine sibi arctissime compaginata; ut enim jurisdictioni limites defixi sint, non tamen caritati defigi potuisse: *Nec te, quanquam Senonia caput es, inter hæc dubia subtraxeris intentionibus medendis Aquitanorum, quia minimum refert, quod nobis est in habitatione divisa Provincia, quando in religione causa conjungitur, &c. Offendite quia terminus potuerit poni vestræ quidem regioni, sed non potuerit caritati*. Nusquam poterat gravior incumbere necessitas ex aliis Provinciis auxiliares Episcopos arcessendi, cum Reipublicæ & Ecclesiæ hostes totam prorsus eam Provinciam occupassent, nec reliquas fecissent civitates ullas, nisi Bituriges & Arvernum: *De Orbibus Aquitanicæ primæ solum oppidum Arvernum Romanis reliquum partibus bella fecerunt*.

IX. Scripsit & de eadem re Sidonius ad Euphronium Episcopum Augustodunensem, ut ejus sententiam scisciteretur de Simplicio, quem Bituricenses cives Episcopum sibi postulabant (3): *Quem Episcopum sibi flagitat populus Biturix ordinari*. Tam spectata expertaque probitate is erat, ut de eo nec mali obloqui, nec boni silere possent: *De quo civis malus loqui, bonus tacere non posset*. Electus tandem fuit Simplicius, reique gestæ seriem scripsit Sidonius ad Perpetuum Episcopum Turonensem Epistola ad eum data, & in Concione quam Epistolæ subjunxit, quam nimirum apud Bituriges habuerat, cum electionem concluderet. In Epistola tam ingenti numero fuisse candidatos tradit, ut duobus scamnis sedere omnes non possent: merito tam exili & casso, ut magnopere quidem sibi ipsis singuli plauderent, sed soli plauderent (4): *Tanta erat turba Competitorum, ut Cathedræ unius numerosissimos candidatos, nec duo recipere scamna potuissent. Omnes placebant sibi, omnes omnibus displicebant*. Non potuisset ea sedari concertatio, nisi delinitus populus cupiditates denique suas obedientiæ postposuisset, judicioque Episcoporum acquievisset: *Nec valuissemus aliquid in commune consulere, nisi judicii sui faciens plebs lenita jacturam. Sacerdotali se potius judicio subdidisset*. In Concione vero Sidonius hinc difficultatem exag-

(1) L. 4. Ep. 25. (2) L. 7. Ep. 5. (3) L. 7. Ep. 8.
(4) L. 7. Ep. 9.

exaggerat tam pugnantibus inter ſe votis ſatisfaciendi, inde vero in laudes effunditur Simplicii, quem Epiſcopum tandem elegit Biturigum, & Provinciæ Metropolitanum, populo ſponte ſua jurato eum adprobare Epiſcopum, quem ille delegiſſet: *Et quia ſententiam parvitatis meæ in hac electione valituram eſſe juraſtis; in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti Simplicius eſt, quem Provinciæ noſtræ Metropolitanum, Civitati veſtræ ſummum Sacerdotem fieri debere pronuntio.* Neceſſario expreſſum forſan fuerat id jusjurandum, quod Epiſcoporum Provinciæ unus adeſſet Sidonius, nec poſſet Epiſcopus unus Epiſcopos deſignare. At cum convenerat *Sacerdotale Concilium* omnium Epiſcoporum Provinciæ cum Metropolitano, ab ejus nimirum judicio & delectu religata erat electio Epiſcoporum; nec neceſſe tum erat, ut ſacramento adigeretur plebs ad eam Pontificibus obedientiam præſtandam, quam ab ipſo ſacro baptiſmi fonte illis devovit. Idque patet in alio exemplo quod Sidonius retulit de electo Cabilonenſi Epiſcopo, a ſancto Patiente Lugdunenſi Metropolitano, ceteriſque Provinciæ Epiſcopis, ubi nulla ratione eorum habita in quos populi favor propendebat, is electus eſt, cujus ſuffragia & vota omnia in meritis & virtutibus propriis fuere.

X. Copioſius infra agemus de hac Epiſcoporum ſuprema poteſtate, maxime vero Metropolitani. Vel ex hoc Sidonii exemplo jam liquet, quam non ſolum res ita ſe habuerit, ſed & quam neceſſe fuerit, ut ita ſe haberet. Cum enim plebs tam facile, vel nobilitatis ſplendore prætringeretur, vel conviviis deliniretur, vel inescaretur muneribus, pecunia, promiſſis: cumque Candidati & tanto eſſent numero, & tam frontis nullius, ut oculatus teſtis narrabat Sidonius, cui dolebat valde, quod non etiam vindex eſſe poſſet: indubium eſt, niſi in his eximia quædam & dominatrix poteſtas penes Epiſcopos fuiſſet, electiones has omnes in detrimentum Eccleſiæ ceſſuras fuiſſe, & in dedecus Epiſcopatus.

XI. Obſerva rurſus in his Sidonii litteris: 1. Morem vetuſtum promulgandæ, publicandæque electionis, hodierno uſui valde conſentaneum, juxta Regulas juris Canonici. 2. Morem invitandi Epiſcopos vicinæ Provinciæ, ſicubi ex uſu erat: aut conſulendi, antequam res finiretur. 3. Eligi ſolitum Metropolitanum a Clero & populo Metropolitanæ civitatis tantum; quanquam Provinciæ univerſæ præfuturus eſſet. Regula tunc pervagatiſſima, eligendum ab eis Paſtorem, quibus præficiendus eſſet, non habebat hic locum, niſi ex eo quod Epiſcopi in eligendo principatum auctoritatis obtinerent.

XII. Objectari poſſet nobis non injuria forſan, quod commemorat Severus Sulpitius de electionibus beati Martini ad Epiſcopatum Turonenſem. Concurriſſe enim narrat ingentem hominum multitudinem ex vicinis urbibus ad ferenda ſuffragia; quin & populo videtur eam maxime vindicare electionem, ut qui Martino propenſiſſime ſuffragaretur, cum ejus & veſtium vilitatem, & pauperatis atque humilitatis ſordes impatientius ferrent Epiſcopi (1): *Mirum in modum incredibilis multitudo, non ſolum ex illo oppido, verum etiam ex vicinis urbibus ad ſuffragia ferenda convenerat. Una omnium voluntas, eadem vota, eademque ſententia, Martinum Epiſcopatu eſſe dignitſimum, felicem fore Eccleſiam tali ſacerdote. Pauci tamen, & nonnulli ex Epiſcopis, qui ad conſtituendum Antiſtitem fuerant evocati, impie repugnabant, dicentes ſcilicet contemptibilem eſſe perſonam, indignum eſſe Epiſcopatu hominem, vultu deſpicabilem, veſte ſordidum, crine deformem, ita a populo ſententiæ ſanioris hæc illorum irriſa dementia eſt, qui illuſtrem virum, dum vituperare cupiunt, prædicabant. Nec vero aliud his facere licuit, quam quod populus Domino volente cegebat.* Nec tamen vel univerſum populum ſuffragatum eſſe Martino, vel omnes adverſatos eſſe Epiſcopos affirmat Severus. Erant Martino utrobique fautores, erant & obtrectatores. Refragabantur aliqui, *pauci, nonnulli*, ex Epiſcopis, alii ſuffragabantur, & hi pervicerunt tandem conſpirante ſecum populi multitudine. Quoad urbes vicinas, quæ in ſocietatem quandam faciendæ electionis veniſſe videntur, erant illæ Diœceſeos magis, quam Provinciæ Turonenſis. Sed etſi fuerint aliquæ ex Provincia, nihil moror, quin & lubens adſentiar, aliquando ita factitatum eſſe.

XIII. Ex Gallia in Africam trajicio, in qua Hunericus Vandalorum Rex id Zenonis Imperatoris precibus donavit, ut Catholicæ Carthaginenſi Eccleſiæ Epiſcopi electio-

[1] De vita B. Mart. c. 7.

électionem permitteret ea conditione, ut perſimili libertate fruerentur Ariani Catholicarum Romani Imperii civitatum. Non fefellit Epiſcopos Afros, quanto Eccleſiæ univerſæ detrimento futura eſſet hæc ſibi impenſa gratia; intereſſere ergo inſidioſo favori, & exitiali beneficio (1): *Si ita eſt, interpoſitis his conditionibus periculoſis hac Eccleſia Epiſcopum non delectatur habere. Gubernat eam Chriſtus, qui ſemper dignatus eſt gubernare.* Sed quantumcunque conniterentur Epiſcopi, ut ne alius ſibi tunc Carthagine eſſet Pontifex, quam æternus ille & inconſpicuus in cœlis ſeſſitans & inde regens Eccleſias ſuas; cohibere non potuere plebis ardorem, & tot juvenum, qui Epiſcopum nunquam ſpectaſſent ſublimiori & ornatiori throno inſidentem. Ea ergo tum inconſiderata & effræni curioſitate præcipites Eugenium elegerunt Epiſcopum: *Simul & populus, ut tunc fieret, ut ignis exarſit, cujus erat clamor intolerabilis, qui nulla poſſet ratione ſedari.* Vicit tunc impotentia populi Epiſcoporum poteſtatem, ſed exitialis ea ſane fuit & deteſtanda populi victoria, tot præſultrix calamitatum.

XIV. Cum conſilium iniſſet Auguſtinus (2) deſignandi ſibi ſucceſſorem, Clerum populumque convocavit, ſtatimque conteſtatus eſt, ſapere ſe velle calamitoſo Severi Epiſcopi admonitum exemplo, qui cum ſucceſſorem ſibi ſuperſtes deſignaret, Cleri tantum ſui aſſenſum expetierat; quo factum eſt, ut cum ille e vita migraſſet, vix adduci potuerit populus, ut Epiſcopo præter conſcientiam ſuam electo morem gereret. Populo ergo ſuo edixit Auguſtinus, velle ſe ut Eradius ſibi ſucceſſor accederet: *Presbyterum Eradium mihi ſucceſſorem volo.* Tum vero & præjudicio Cleri, & Epiſcopali auctoritati ceſſit populus: *A populo acclamatum eſt, Deo gratias, Chriſto laudes. Dictum eſt vicies ter.* His duobus exemplis in firmanda aſſenſu ſuo electione Epiſcopali, ita primas patet fuiſſe Cleri partes, ut ſuas eſſe ſecundas non neſciret populus: quem acquieſcere omnibus modis neceſſe erat. Cum autem fauſtis acclamationibus conſenſionem ſuam plebs prodebat, curaverat Auguſtinus ut Notarii Eccleſiæ adeſſent, qui geſta exciperent. *A Notariis Eccleſiæ ſicut cernitis excipiuntur, quæ dicimus.*

CAPUT IV. *P. I. l. 2. c. 17.*

In electionibus Epiſcopalibus Eccleſiæ Latinæ ſumma poteſtas penes Epiſcopos fuit per quinque priora ſæcula.

I. Variæ probationes ex Sidonio Apollinari.

II. Aliæ probationes ex Ambroſio.

III. Soli poterant Epiſcopi dignos ab indignis, a dignis digniores ſecernere.

IV. Nuſquam juſtiores erant cauſæ, ut Paſtorum vocem audirent oves, quam in eligendo Paſtore.

V. Ad duo quædam jus populi coarctabatur, ut teſtimonio ejus aures præberent Epiſcopi, & ut ne invitis Paſtores darentur.

VI. De numero Epiſcoporum, quos electioni intereſſe neceſſe erat.

VII. Quanta Metropolitani auctoritas?

VIII. IX. Numerus trium, ſeptem, duodecim, omnium Provinciæ Epiſcoporum, ad electionem potius quam ad Ordinationem pertinebat Epiſcoporum.

X. Summa neceſſitas conſenſionis Metropolitani & Epiſcoporum, ex occaſione Armenturii.

XI. Probationes novæ ex Collectione Canonum Martini Bracchareníis Epiſcopi.

I. ALiquanto uberius hic pertractari operæ pretium eſt, ſummam illam & principem Epiſcoporum in Epiſcopalibus electionibus auctoritatem, in primis Metropolitani; quanquam vel ex ſuperiori uno Capite poſſit res ea videri jam extra controverſiam conſtituta. Lugdunenſis Metropolitanus Patiens Joannem delegit in Epiſcopum Cabilonenſem, quem nec Clerus, nec populus popoſciſſet. Unus maxime Euphronius Auguſtodunenſis Epiſcopus Patienti ſuffragatorem de adjunxit, auctore eodem Sidonio (3): *Creaverunt Epiſcopum Euphronio teſtimonio, manu Patiens, ambo judicio.* Nec inferior fuit Sidonii ipſius auctoritas in creatione Bituricenſis Epiſcopi, etſi ſolus eſſet; ſi advolaſſet Senonenſis Epiſcopus, arbitrium illi electionis Sidonius obtuliſſet (4): *Nullus a me hactenus nominatus, nullus electus eſt, omnia cenſura tuæ illæſa ſervantur.* Severus Africanus Epiſcopus

(1) Victor. De perſecut. Afric. L. 2.
(2) Epiſt. 110.
(3) L. 4. Ep. 25.
(4) L. 7. Ep. 5.

pus elegit ſibi ſucceſſorem, ſolo Cleri ſui aſſenſu fretus. Auguſtinus conſenſum populi etiam expreſſit, ſed imperioſa uſus voce: Se velle: *Presbyterum Eradium mihi ſucceſſorem volo.*

II. De Acholio Theſſalonicenſium ſanctiſſimo Epiſcopo agens Ambroſius, ait illum a populis Macedoniæ expetitum, ab Epiſcopis electum fuiſſe: *Ille ſe Moneſteriis puer dedit, ad ſummum Sacerdotium a Macedonicis obſecratus populis, electus a Sacerdotibus.* Aſtipulatur & ipſa Scriptura huic Epiſcoporum poteſtati ex eodem Ambroſio. Nec enim populus, ſed Moyſes a Deo juſſus ſucceſſores Aaroni deſignavit filios, illoſque ipſemet ſummi Pontificatus inſignibus veſtivit, ut inde clareſceret, ea ſolos Epiſcopos eſſe ſapientia & auctoritate prorſus divina, qua examinandi, eligendi, confirmandi & inaugurandi ſunt ſummi Sacerdotes (1): *Quid autem illud ſignificat, quod poſt defunctum Aaron, non univerſo populo, ſed ſoli Moyſi, qui eſt in Sacerdotibus Domini, imperavit Deus, ut exuviis Aaron Sacerdotis filium ejus induceret Eleazarum, niſi ut cognoſceremus, quod Sacerdos conſecrare Sacerdotem debeat, & ipſe induere eum veſtimentis, hoc eſt virtutibus Sacerdotalibus, ac tunc ſi nihil ei deeſſe advertit indumentorum Sacerdotalium: & apte quadrare omnia, ſacris eum adhibeat altaribus? Supplicaturus enim pro populo, eligi a Domino, probari a Sacerdotibus debet, ne quid ſit, quod in ipſo graviter offendat, cujus officium eſt, pro aliorum offenſa intervenire.*

III. Ineſt his Ambroſii verbis ejuſmodi vis, & ratio, qua refelli & indificari non poſſit. Non ordinandus eſt ab Epiſcopis, quem plebs Cleruſque poſtulant, niſi diligenter examinatus. At eo nno jure Epiſcopi judices ſunt & arbitri electionum. Quinimmo & ante electionem examine prævio opus eſt, eum ne eligi quidem debeant, niſi digni & digniores. At ſolos pene in Epiſcopos ea cœleſtis ſapientiæ copia exuberat, qua & dignos ab indignis, & a dignis digniores ſejungant. Epiſcopos creat vox divina, cœleſtis vocatio, Spiritus ſanctus: creat autem promovetque eorum maxime ore & manu, quibus ſe uberrime infundit.

IV. Si minutioribus in rebus etiam Paſtorum voci obaudire & morigerari, non ſuo frui ſenſu ac judicio debent fideles: quid in re omnium multo graviſſima, & ubi de ſumma rerum agitur: in præficiendo, inquam, ſibi Paſtore, an ſuam ipſorum magis quam Paſtorum vocem audient? Id vero vehementiſſime deprecatur & prohibet Leo, ne Epiſcopi tumultuoſis plebis poſtulationibus cedant, nec indulgeant votis multitudinis imperitæ, & effrænatæ. Ita enim Leo ad Epiſcopos Mauritaniæ (2): *Mirantes tantum apud vos per occaſionem temporis impecati, aut ambientium præſumptionem, aut tumultum valuiſſe populorum, ut indignis quibuſque & longe extra Sacerdotale meritum conſtitutis, Paſtorale faſtigium & gubernatio Eccleſiæ crederetur. Non eſt hoc conſulere populis, ſed nocere; nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen. Integritas enim præſidentium ſalus eſt ſubditorum, &c. Principatus autem quem aut ſeditio extorſit, aut ambitus occupavit, etiamſi moribus atque actibus non offendit, ipſo tamen judicii ſui eſt perniciosus exemplo, & difficile eſt, ut bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio.*

V. Præcipit idem Pontifex, ut ubi ſciſſa ſunt eligentium vota, Epiſcopatum addicat Metropolitanus ei qui meritis & virtutibus præcellit, ſuffragante interim Clero & plebe, ſaltem non refragante (3): *Ille omnibus præponatur, quem Cleri plebiſque conſenſus concorditer poſtularit, ita ut ſi in aliam forte perſonam partium ſe vota diviſerint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus & ſtudiis juvatur & meritis; tantum ut nullus invitis & non petentibus ordinetur.* Id erat nimirum tunc juris populis, ut ne invitis obtruderetur Epiſcopus, quem protinus recuſaſſent; atque quam præſtaturi erant obedientiam, Chriſtianæ ea libertati conſentiret. Aliud ſuperiori capite ediſſeruit nobis Leo idem populorum jus, ut eorum teſtimonia ne prætermitterentur. Ad hæc duo illos poterant Epiſcopi in electionibus coarctare.

VI. Syricius Papa illud dilucide demonſtrat, quod a nobis pene ad faſtidium inculcatur, eo maxime pertinuiſſe illam Epiſcoporum frequentiam, quæ ad ordinationem Epiſcopi deſiderabatur, ut Epiſcopus quaſi Synodali conventu & judicio electus videretur. Uno enim eodemque tempore electi ſtatim ordinabantur Epiſcopi, & qui ordinatores erant, iidem fuerant & primarii

(1) Epiſt. 82. (2) Epiſt. 87. (3) Epiſt. 84. cap. 5.

rii electores (1). *Extra conſcientiam Sedis Apoſtolicæ, hoc eſt, Primatis nemo audeat ordinare. Integrum enim judicium eſt, quod plurimorum ſententia conſequatur. Ne unus Epiſcopus Epiſcopum ordinare præſumat, propter arrogantiam, ne furtivum beneficium præſtitum videatur. Hoc enim in Synodo Nicæna conſtat eſſe definitum.* Veriſſima quidem ea ratio eſt, cur Metropolitani requiratur præſentia, quem Pontifex ad Afros ſcribens, ex eorum conſuetudine Primatem appellat: requiratur & Comprovincialium; quod cum eſſent cenſores & judices cognituri de electione; cumque Epiſcopus electionem ſuam eorum judicio, ſicut & conſecrationem eorum manu aſſecuturus eſſet: æquum erat tanti momenti cauſam & judicium plures inter Epiſcopos agitari: *Integrum judicium, plurimorum ſententia.*

Eandem Syricii Conſtitutionem innovavit Innocentius I. & paulo clarioribus verbis expreſſit: *Ut extra conſcientiam Metropolitani nullus audeat ordinare Epiſcopum. Integrum enim eſt judicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur.* Expreſſius id eſt, nec recedit a vero iiſdem verbis legi debere Syricii Decretum. Creſconius Epiſcopus Afer in eandem rem laudat Cœleſtinum Papam & Concilium Laodicenum: *Judicio multitudinis orationem fieri non debere. Laodic. Conc. tit. 13. Ex Decretis Papæ Cœleſtini: Quod docendus ſit populus, non ſequendus.*

VII. Id ipſum novo Decreto roboravit Hilarus Papa, ne citra præſentiam Metropolitani quiſquam Epiſcopus ordinaretur; utque populi inconſideratis petitionibus obturarentur Epiſcoporum aures (2): *Nec tantum putetis petitiones valere populorum, ut cum his parere cupitis, voluntatem Dei noſtri, quæ nos peccare prohibet, deſeratis.* Denique ſi vel ipſi Provinciæ Epiſcopi emolleſcant, & ab auſteritate Canonum deflecti & abduci ſe finant, jubet Pontifex, ut Metropolitanus tam periculoſæ licentiæ intercedat (3): *Quia pro loco & honore tibi debito, ceteri Sacerdotes docendi fuerant, non ſequendi.* Quæ eadem pene verba ſunt Cœleſtini Papæ in Decretis (4): *Docendus eſt populus, non ſequendus; noſque, ſi neſciunt, eos quid liceat, quidve non liceat, commonere, non iis conſenſum præbere debemus.* Ita indeflexus Epiſcoporum vigor in his electionum conventibus, populorum vel cauſigabat levitatem, vel cupiditates coercebat.

VIII. In Sardicenſi Concilio illud ſancitum eſt, ſi unus tantum ſupereſſet Epiſcopus in plurium Epiſcopatuum Provincia, & is ſuperſtes Epiſcopus pigriteretur, & ceſſet Collegas ſibi alios ordinare, ubi civitates aut plebes flagitabunt; tum Epiſcopi vicinæ Provinciæ ad eum accedant, unaque cum eo conſpirent ad creandos novos Epiſcopos: aut ſoli creent, ordinentque. Populi poteſtas hic eo circumſcribitur, ut Epiſcopum petat ſibi ordinari (5): *Et populi petant Rectorem.*

IX. In Concilio Carthaginenſi III. quibuſdam Epiſcopis vitium eſt (6), ſtatui debere, ut ne poſthac ordinarentur Epiſcopi, niſi præſentibus duodecim aliis Epiſcopis: quod non ita pridem in Numidia duo Epiſcopi tertium conſecraſſent Epiſcopum. Contra autem nitebatur Carthaginenſis Epiſcopus Aurelius; propterea quod eſſent Provinciæ, quæ quinque tantum ſedes Epiſcopales haberent: Carthagine ſingulis pene Dominicis celebrari ordinationes Epiſcopales; atque adeo ne ſperari quidem poſſe, ut ſingulis Epiſcoporum ordinationibus adeſſent Epiſcopi duodecim, ideoque retinendum priſtinum uſum, ut tres Epiſcopi ſufficiant.

Concilii Arelatenſis Patribus optatiſſimum fuerat (7), ut ſeptem ſaltem præſto eſſent Epiſcopi; ſed tribus tamen contenti fuerant, ubi plures non poſſent; quin & ibidem adverterant ab uno tantum Epiſcopum quandoque ordinatum fuiſſe. Canone Apoſtolico primo duobus vel tribus Epiſcopis permiſſa fuerat Epiſcopi ordinatio. Concilii Nicæni Canon quartus tres ſaltem deſideraverat. Canon Sardicenſis paulo ante commemoratus Epiſcopo ei qui ſolus ſuperfuerit in ſua Provincia, copiam facit, immo onus imponit alios ordinandi; nec niſi eo ceſſante jubet vicinos Epiſcopos advolare, & novos ordinare Epiſcopos. Illud ergo hinc eluceſcit, ſi lex & votum Eccleſiæ primo fuerit, ut Epiſcoporum ordinationi adeſſent omnes Provinciæ Epiſcopi: ſi optatiſſimum fuit, ut adeſſent ſaltem duodecim: ſi alii voluerunt, ut eſſent ſaltem ſeptem: difficultas eo numero illos adgregandi, fecit ut tres ſufficere exiſtimarentur: ſi duo tantum quandoque ſufficere viſi ſunt:

(1) Epiſt. 4. (2) Epiſt. 2. (3) Epiſt. 5. (4) Cap. 22.
(5) Can. 5. (6) Can. 39. (7) Can. 20.

ſi ſunt: denique ſi cogente neceſſitate unus eo munere fungi poſſe declaratus eſt, hinc ſane, inquam, eluceſcit, non alio quam ad electionem ſpectaſſe, illam priorem Epiſcoporum deſideratam frequentiam; Ordinationi enim vel unus ſufficiebat valide celebrandæ: at antevertendis ſedandiſque ordinationum tumultuationibus nulla nimia poterat eſſe Epiſcoporum frequentia. Verba faciens Sidonius de ordinatione & conſecratione Joannis Cabilonenſis Epiſcopi, ab una Patientis Metropolitani manu eam derivat: *Manu Patiens, Euphronius teſtimonio, ambo judicio creaverunt Epiſcopum*. At ejuſdem electionem idem ipſe refundit in Synodum Epiſcoporum (1): *Exceperunt Pontificale Concilium variæ oppidanorum voluntates*.

X. Concilium Regienſe irritam declaravit Ebrodunenſis Epiſcopi ordinationem, quod duo tantum non tres Epiſcopi aſſiſterent: quod nec interveniſſet Metropolitanus, nec ceteri Provinciæ Epiſcopi litteris ſaltem ſuffragati eſſent: *Abſque trium Epiſcoporum præſentia, abſque Comprovincialium litteris ſine Metropolitani auctoritate, irritam ordinationis ſpeciem a duobus temere conventibus præſumptam eſſe clarebat, &c. Ordinationem, quam Canones irritam definiunt, nos quoque evacuandam eſſe cenſuimus*. Exauctorato tamen huic Epiſcopo concedunt Concilii Patres, ut conferat Confirmationis ſacramentum; quoad illos autem quos ordinaſſet jam, copiam faciunt futuro Ebrodunenſi Epiſcopo, ut Ordinum ſuorum munia illos ſinat obire. Non ergo dubitabant, quin valida & rata fuiſſet ordinatio ab eo celebrata, atque adeo ejus ipſius in Epiſcopum ordinatio. In electionis ergo tantum vitia ſtomachabantur: Quod abfuerit Metropolitanus, quod Epiſcopi Provinciæ non per litteras ſaltem affuerint: ejuſmodi ea ſunt vitia, quæ electionem irritare poſſunt, non ordinationem, in quam nihil a litteris illis, nihil a mera Metropolitani præſentia manare poſſet virium, aut gratiæ.

XI. Martini Braccharenſis quondam Epiſcopi Collectio vetuſtiſſimorum Canonum Eccleſiæ Græcæ, in Latina utcunque vigentium, opportune hic ſe objicit, ut ex ea decerpamus, quæ antiquis Conciliis moribuſque Eccleſiæ illuſtrandis uſui ſint. Vide ut Canonum & Juris antiqui peritiſſimus Præſul, voluntati & judicio Epiſcoporum permittat poteſtatem & exitum electionum Epiſcopalium (2): *Non licet populo electionem facere eorum qui ad ſacerdotium promoventur; ſed judicium ſit Epiſcoporum, ut ipſe eum qui ordinandus eſt, probent ſi in ſermone & fide & in ſpiritali vita edoctus ſit*. Et alio Canone (3): *Epiſcopum oportet maxime quidem ab omni Concilio conſtitui; ſed ſi hoc aut pro difficultate, aut pro longinquitate itineris difficile fuerit, ex omnibus tres colligantur, & omnium præſentium vel abſentium ſubſcriptiones teneantur; & ſic poſtea ordinatio fiat: Hujus autem rei poteſtas in omni Provincia ad Metropolitanum pertinet Epiſcopum*. Canone ſequenti idem inculcatur, ut ordinatio fiat aſſentientibus omnibus Epiſcopis Provinciæ, tum præſentibus, tum etiam abſentibus: *Et ſic omnium facto conſenſu, ordinationem Epiſcopi fieri oportet*. Alio Canone cavetur, ne quis Epiſcopus dum ſuperſtes eſt, ſucceſſorem ſibi adopter, propterea quod non niſi eo mortuo confluere debeant Provinciæ Epiſcopi ad ſucceſſorem deſignandum (4): *Non ergo aliter fieri oportet, niſi cum conſilio & judicatu Epiſcoporum, qui poſt exitum præceſſoris poteſtatem habent dignum eligere*.

CAPUT V. *P.I.d.2.c.* 18.

In electionibus Epiſcoporum per Orientem ſumma erat Epiſcoporum auctoritas quinque prioribus ſæculis.

I. Summatim conglobantur exempla ſuperius relata.

II. III. Canones Conſilii Laodiceni, & Nicæni, & Antiocheni.

IV. De Concilio I. Conſtantinopolitano. Electio Nectarii, Flaviani, Cyrilli.

V. VI. Ex Concilio Epheſino & Chalcedonenſi.

VII. Argumenta nova ex Nazianzeno, & Vita ejus Scriptore vetuſtiſſimo. In votis erat Nazianzeno, ut in Clero & Monachis plura eſſent momenta, quam in populo, ad electiones.

VIII. Ad Eccleſias recentiſſime fundatas mittebant Epiſcopi electos a ſe Epiſcopos.

IX. Nec aliter res ea ſe habere poterat, cum parentes filiis, Paſtores gregibus ævo priores ſint.

(1) Lib. 4. Epiſt. ult. (2) Can. 1. (3) Can. 2. (4) Can. 3.

X. Vocatio, electio, ordinatio, generatio quædam ſpiritalis eſt & cœleſtis; ea non poſſunt Epiſcopi niſi ab Epiſcopis generari & procreari, ut Chriſtus a Patre Deo.

I. DIximus jam in Eccleſia Græca non minus viguiſſe, quam in Latina, Epiſcoporum in Epiſcopalibus electionibus exortem quandam & principem poteſtatem. Hinc Euſebius narravit (1) a Petro, Jacobo & Joanne electum fuiſſe Jacobum cognomine Juſtum, & Hieroſolymæ creatum Epiſcopum. Extincto Jacobo (2) Apoſtolos Diſcipulosque Domini conglobatos deſignaſſe ei ſucceſſorem Simeonem, Cleophæ filium. Poſt fugam Narciſſi Hieroſolymitani Epiſcopi (3) Epiſcopos vicinarum Eccleſiarum ordinaſſe & ſuffeciſſe illi Dium. Narciſſo ſedem ſuam repetente, fideles urbis Hieroſolymæ Alexandro Epiſcopo manus injeciſſe (4), qui Chriſti monumenta veneraturus venerat, & Coadjutorem ei adjunxiſſe, conſentientibus vicinis Epiſcopis. Patres denique Concilii Antiocheni Paulo Samoſateno depoſito (5), Demetrianum ſubrogaſſe.

II. His exemplis imbuta Concilia Epiſcopalibus electionibus leges fixerunt, earumque moderatores fore ſanxerunt Epiſcopos Provinciæ, duce Metropolitano. In Concilio Laodiceno ſtatutum eſt, ut terminentur omnia judicio Metropolitani, & vicinorum Epiſcoporum (6): *Ut Epiſcopi judicio, χρίνει, Metropolitanorum, & eorum Epiſcoporum, qui circumincæ ſunt, provehantur ad Eccleſiaſticam poteſtatem.* Jubet Nicæna Synodus ad conſtituendum Epiſcopum, ut adſit Metropolitanus cum omnibus Provinciæ Epiſcopis; ſi minus id fieri poſſit, tres ut ſaltem præſentes ſint, reliquorum conſenſio ſcripto teneatur. Perpicuum eſt illum apparatum ad electionem ſpectare, cujus arbitrium & jus ſummum penes Epiſcopos eſt (7): *Epiſcopum convenit, maxime quidem ab omnibus qui ſunt in Provincia, Epiſcopis conſtitui. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter inſtantem neceſſitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodo in id ipſum convenientibus, & abſentibus quoque pari modo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum quæ geruntur per unamquamque Provinciam, Metropolitano tribuatur Epiſcopo.* Quamquam ergo rogarentur Cleri ſuffragia, & teſtimonia plebis: certo tamen conſtat ipſam Epiſcopi electionem auctori & principi Metropolitano, Synodoque Epiſcoporum Provinciæ vindicandam fuiſſe.

III. Suppetunt & ex Antiocheno Concilio invictiſſima quædam argumenta. Prohibetur Epiſcopus Epiſcopali ſede ſua excuſſus, vacuam occupare ſedem Epiſcopalem, quantumcunque inſtet & faveat populus, niſi a Metropolitano & Concilio Provinciæ ea translatio approbetur (8): *Si quis Epiſcopus vacans in Eccleſiam vacantem proſiliat, ſedemque pervadat abſque Concilio ἀρχιε πωπῶν, hic objiciatur neceſſe eſt, ejſi cunctus populus, quem diripuit, eum habere delegerit. Perfectum vero Concilium illud eſt, ubi interfuerit Metropolitanus Antiſtes.* Ibidem mox ſancitur, ut Metropolitanus omnes vocet Epiſcopos Provinciæ, ut affluant illi omnes, ut ſaltem plures adſint, ceteri ſcripto ſuffragentur (9): *Saltem plures adeſſe conveniet, aut certe ſcriptis ejuſdem ſententia comprobari.* πλείες παρεῖναι δεῖ, ἢ διὰ γραμμάτων ὁμολόγους γενέσθαι. Si ſuffragia in plures eant, maior vincat numerus: *Si vero juxta dictam regulam fiat, & nonnulli pro contentione propria contradicant, obtineat ſententia plurimorum:* κρατεῖν τὴν τῶν πλειόνων ψῆφον. Major ergo numerus ſuffragiorum, non Cleri, non populi, ſed Epiſcoporum, rem profligabat, & electionem perficiebat. Denique hac Synodo caſſatur decretum Epiſcopi, qui ſucceſſorem ſibi ſuum, dum ſpirat adhuc, delegiſſet, quod leges Eccleſiæ non ſinant quenquam in Epiſcopalem ſedem ſuccedere, niſi qui Concilio Provinciæ & judicio Epiſcoporum allectus ſit: *Servetur autem jus Eccleſiaſticum, id continens, oportere non aliter fieri, niſi cum Synodo, & judicio Epiſcoporum, qui poſt obitum quieſcentis poteſtatem habent, eum qui dignus extiterit, promovere.* Non eo conſilio vetantur Epiſcopi ſuos ſibi ſublegere ſucceſſores, ut ſartum tectumque Clero & Populo ſervetur eligendi jus: quſnimmo ut ea Epiſcopis conſtet ſemper intacta poteſtas, Synodice coeundi poſt cujuſcunque Coepiſcopi mortem, & ſucceſſoris illi Syno-

do-

[1] L. 2. c. 1.
[2] L. 3. c. 11.
[3] L. 6. c. 9.
[4] L. 6. c. 11.
[5] L. 7. c. 30.
[6] Can. 12.
[7] Epiſt. 40.
[8] Can. 16.
[9] Can. 19.

nodico judicio aſſignandi, ut leges ferunt Eccleſiæ.

IV. Ab Epiſcopis Concilii Oecumenici apud Conſtantinopolin primi, datæ ſunt litteræ ad Epiſcopos Occidentales: ut certiores eos facerent, electum eſſe a ſe in Oecumenica Synodo Nectarium, communi omnium conſenſu, aſſtante Imperatore, Clero populoque applaudente: *In Concilio Generali, communi omnium conſenſu*. Illud quoque addebatur, convenisse Epiſcopos Orientalis Diœceſeos, ſive Exarchatus Antiocheni, & in eadem civitate ordinaſſe Flavianum, conſentiente univerſa ejus Civitatis Eccleſia, eamque ordinationem ratam habitam eſſe a Concilio Oecumenico. Denique approbatum & illud fuiſſe, quod Cyrillus Hieroſolymis ordinatus eſſet Epiſcopus juxta Canones ab Epiſcopis Provinciæ. Exemplis in his omnibus non ordinatio tantum, ſed & electio ſignificatur voce τῆς χειροτονίας. Ea eſt Græcorum ipſorum conſuetudo. Adde quod & ipſe narrationis contextus vociferatur de electione potius agi, quam de Ordinatione.

V. Concilii Epheſini Oecumenici Patres abdicato Neſtorio, ſui muneris eſſe duxerunt, ut ſucceſſorem ei darent: qua de re & ad Imperatorem ſcripſerant (1): *Liceatque nobis futuri Epiſcopi ordinationi incumbere*. Ubi reſcivit Imperator quæ geſta fuerant in Synodo, Neſtorii abdicationem ratam eſſe juſſit: Epiſcopis a Synodo ad eum Legatis præcepit, ut novum Epiſcopum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ donarent, quod & fecerunt (2): *Imperator Legatorum Synodi ſententia approbata, Orientales quidem condemnat, Neſtorium vero exilio multat: Illis præterea qui ex ſancta Synodo Legati venerant injungit, ut ad Eccleſiam ſe conferant, ibidemque ſanctæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Epiſcopum creent. Illi in Eccleſiam ingreſſi, Maximianum Epiſcopum mox creant*. Gratulatus eſt Imperatori Cœleſtinus Papa per litteras, de Maximiano ab Epiſcopis in locum Neſtorii electo: *Huic tanta pro ſuo merito illius Eccleſiæ Sacerdoti, electo taliter & conſenſu ſanctæ Congregationis quæ interfuit, ordinato*. Hæc denique Epheſina prima Synodus ſecundum Cypri Epiſcopos pronuntiavit adverſus Joannem Epiſcopum Antiochenum, eiſque intactam & incolumem conſtare juſſit libertatem priſtinam, qua ſe jactabant, ſuum ſibi Metropolitanum, ac proinde Epiſcopos eligendi: *Synodus noſtræ Provinciæ congregata conſtituebat Metropolitanum*.

VI. In Chalcedonenſi Concilio poſt diſcinctum dejectumque Dioſcorum Epiſcopum Alexandrinum, omnes Ægypti Epiſcopi Concilium interpellaverunt, ut ab ipſo Alexandrinus eligeretur Epiſcopus, & poſtquam hic Concilii Decretis ſubſcripſiſſet, tum ei ſe vehementer & ex animo aſſenſuros ſubſcripturoſque (3): *Fiat hic Archiepiſcopus, & ſubſcribimus & conſentimus*. Viſum eſt Concilio e re eſſe, ut hac vice ea poteſtate non uteretur. Proterius ergo in Ægypto ab Epiſcopis ſui Patriarchatus electus eſt, cumque is non multo poſt martyr occubuiſſet, ſcripſere Epiſcopi Ægyptii ad Imperatorem, ut in eligendo Patriarcha Alexandrino ſuum ſibi jus juxta Canones integrum ſervaretur (4): *Jubeat, ſicut ſancta Patrum regulæ præcipiunt, & antiqua Conſuetudo tradit, Ægyptiaca Diœceſis omnem Synodum orthodoxam, & communicatricem totius orbis Epiſcoporum, quempiam ſanctæ vitæ eligere, dignum Sacerdotio virum, &c.*

VII. Narratur a Scriptore vitæ Gregorii Nazianzeni electio Gregorii hujus Theologi, & ordinatio ad Epiſcopatum Saſimorum, ſola auctoritate Baſilii facta Archiepiſcopi Cæſareæ. *Invitum & repugnantem ordinationi admovet, negotiumque conficit*. Cum hoc abiiſſet Epiſcopatu Gregorius, & ad gubernacula poſtea Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ acceſſiſſet, hac quoque ſarcina exonerari ſe voluit. Tantiſper ergo ſuſtinuit, dum Concilium Oecumenicum Conſtantinopoli coiret, ut ab eo maxime ſucceſſor ſibi deligeretur: *Tantiſper ſe apud eos manſurum recepit, quoad Epiſcopi, quorum advenius in ſpe & expectatione erat, aliquem Epiſcopatu dignum elegiſſent, ſibique curis libero poteſtatem abeundi feciſſent*. Coaluit ergo Concilium, tum multis de cauſis, tum ut Epiſcopum Regiæ urbi daret: *Sancta centum quinquaginta Epiſcoporum Synodus coacta eſt, tum ut pium Præſulem auguſtæ civitati præficerent, tum ut, &c.* Meletius Antiochenus Epiſcopus Concilii Patres vehementer cohortabatur, ut eam ſedem Gregorio confirmarent: *Hujus conſilio atque hortatu, Gregorio auguſtæ urbis*

(1) Act 3. Concil. Epheſ. Part. 3. c. 14. (2) Ibid. c. 21. (3) Act. 4.
(4) Part. 3. c. 20.

bis Epiſcopatus, Concilii decreto confirmatus eſt, συνοδικὴ ψῆφος ἐκύρωσε. Sed cum diſſenſiones inter Epiſcopos recaluiſſent, abdicavit ſe Gregorius Epiſcoparu, eique a Concilio ſucceſſor datus Nectarius. *Nectarius Eccleſiæ a Synodo Epiſcopus conſtituitur.* His exemplis liquet Epiſcopos in arcem quandam auctoritatis evaſiſſe, ut Epiſcoporum electionibus dominarentur, eoque ineluctabili quadam neceſſitate adactos fuiſſe, ne tumultuoſis plebis factionibus omnia peſſumdarentur. Ei malo exilimabat Gregorius medicinam fieri poſſe, ſi Clero & Monachis multo plus annueretur poteſtatis, quam populo (4): *Perſpicuum eſt cum aliis omnibus, tum ſelectiſſimæ præſertim ac puriſſimæ populi parti, hoc eſt, iis qui altare circumſtant, & noſtri temporis Nazaræis, quibus ſolis vel certe potiſſimum, electiones hujuſmodi committi oportebat. Sic enim nunquam Eccleſiis male eſſet: ac non ii qui opibus ac potentia pollent, aut plebis impetui & temeritati, atque etiam plebejorum vilißimo & contemptiſſimo cuique.*

VIII. Dum rediret ab exilio Athanaſius (2), omnibus in Eccleſiis, quas vel vacantes, vel ab Arianis Epiſcopis inſeſſas invenit, Catholicos Epiſcopos collocavit. Euſebius, ille virtutum fama notiſſimus, Epiſcopus Samoſatenus, inſania Valentis exturbatus ab Eccleſia ſua, plures peragravit Provincias, militari veſte amictus, & orthodoxos præfecit Epiſcopos Eccleſiis omnibus, quas vacuas invenit (3). Idem qui ſupra Athanaſius, Frumentium Indis ordinavit Epiſcopum, ab eo edoctus, rudimenta jam ibi aliqua eſſe Eccleſiæ Chriſtianæ. Miſit Conſtantinus Imperator Epiſcopum & Clerum Regi gentique Iberorum, qui Paſtores deposcebant, novellæ Eccleſiæ ſuæ excolendæ inſudaturos. Id fieri ne potuit quidem niſi aſſentientibus & concinentibus Epiſcopis, qui mittendum Epiſcopum ordinaverunt. Ex quibus manifeſtum eſt, id muneris eſſe Epiſcoporum Orthodoxorum, ut Epiſcopos quoquo verſum mittant, prius a ſe electos & ordinatos, ad omnes Eccleſias, quas Paſtoribus indigere intelligent.

IX. Et ſane Epiſcopi & Paſtores populis fidelibus ævo majores & priores ſunt, ut qui eos genuerint, & gignere pergant, tum prædicatione Verbi, tum baptiſmo, ut idoneus teſtis eſt Paulus (4): *Per Evangelium ego vos genui, Filioli, quos iterum parturio.* Naturæ igitur ipſi repugnat, quiſquis vult filios patribus ſeniores, & fideles jam inde ab exordio elegiſſe ſibi Paſtores. Nec enim fideles illi primum fuere, niſi quos in fide Paſtores aliqui genuiſſent. Paſtores ergo gregibus ſeniores & anteriores ſunt, ab aliis nimirum prioribus electi Paſtoribus, donec ad Apoſtolos ſurſum revolvamur, quos elegit Chriſtus, a ſempiterno Patre genitus ipſe & electus, vocatuſque ad Pontificatum.

X. Miſſio, vocatio, electio, ordinatio Paſtorum, generatio quædam admiranda & divina quodammodo eſt; ubi qui mittit, qui eligit, Pater eſt, participatione & imitatione quadam ineffabilis illius paternitatis, & generationis, ſeu miſſionis, ex qua prodit prodiitque Chriſtus. Nec enim Chriſti vocationem ab ejus generatione ſejungit Paulus (5): *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret; ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, Ego hodie genui te:* Et juxta Prophetam (6): *Ex utero ante Luciferum genui te, juravit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum.* Communione quadam & participatione ejus divinæ generationis ſummi Pontificis Chriſti factum eſt, ut & Chriſtus ipſe Apoſtolorum, Apoſtoli Epiſcoporum, Epiſcopi alii aliorum Patres & genitores evaſerint; eorum ſcilicet quos elegerant; ordinarunteque perpetua quadam propagatione cœleſtis & divini Sacerdotii ſui. Ideo ajebat ſupra Epiphanius id valere Ordinem Epiſcoporum, ut Patres gignat Eccleſiæ, cum Ordo Presbyterorum ad procreandos tantum filios pertineat. Epiſcopus enim electione & ordinatione Presbyteros & Epiſcopos alios procreat; Ideo Nicopolitanis civibus ſcribebat Baſilius officio functos Epiſcopos, qui Epiſcopum eis dediſſent; jam ipſorum eſſe, ut eum ſuſcipiant (7): *Quod Epiſcopos concernebat, impletum eſt; ad vos ſpectat, ut datum Epiſcopum ex animo complectamini.* Ecquis denique ambigat, ſeptuaginta illos Epiſcopos, qui cum Chryſoſtomo Epiſcopum

(1) Orat. 19.
(2) Sozomen. l. 2. c. 12.
(3) Theodoret. l. 7. c. 30. L. 1. c. 23. Socrat. l. 1. c. 15. L. 4. c. 29. Theodor. L. 4. c. 2.
(4) 1. Cor. 4. 15. Gal. 4. 19.
(5) Hebr. 5.
(6) Pſ. 109.
(7) Epiſt. 194.

pum Epheſi conſtituerunt, principem locum auctoritatis obtinuiſſe? Ita certe auctor eſt Palladius (1) in vita Chryſoſtomi.

CAPUT VI. *P. 1. l. 2. c. 19.*

Quæ Imperatorum poteſtas fuerit in electionibus Epiſcoporum, per quinque priora ſæcula?

I. Cum tantum Eccleſia conceſſerit populo, Magiſtratibus, Senatui, Nobilibus, in electionibus Epiſcoporum: non potuit non & Imperatoribus plurimum tribuere.

II. Quantum ſibi ſumpſerit Theodoſius Magnus in electione Nectarii Epiſcopi Conſtantinopolitani?

III. Quam id tum neceſſe fuerit, ut pax Eccleſiæ conciliaretur?

IV. Qui vere tamen tunc diceretur electio fuiſſe libera, & canonica?

V. Jura Principum.

VI. Quam libertatem deſiderent electiones, tum in electis, tum in eligentibus?

VII. Jam idem jus tribuerat Valentiniano Concilium Mediolanenſe, quo electus fuerat Ambroſius.

VIII. Acres tum erant Mediolani animorum diſſenſiones.

IX. Quam neceſſe eſſet, ut in electionibus potior eſſet Epiſcoporum poteſtas.

X. Utque interponeretur quandoque Imperatorum auctoritas, conciliandæ pacis ergo.

XI. Non inſeruit ſe electionibus Conſtantinus. Conſtantius ingenti Eccleſiæ damno illis ſe altius interpoſuit.

XII. Arcadius Chryſoſtomum promovit, ut Competitorum violentiſſimas conſpirationes frangeret.

XIII. Ut electi ſunt Neſtorius & Siſinius?

XIV. Synodus Oecumenica Epheſina Imperatorem compellavit, ad Epiſcopi nominationem.

XV. Similiter & Chalcedonenſis.

XVI. Alia exempla Concilii Chalcedonenſis.

XVII. Rome cum ſciſſæ eſſent ſuffragia inter Symmachum & Laurentium, interpellatus eſt Rex Gothorum Theodoricus.

XVIII. Paucis poſt annis Papam Rex nominavit, ejus poſteri confirmarunt tantum.

XIX. Alias Conſtantius Papam deſignarat.

XX. Conatus neſarii Anaſtaſii Imperatoris.

I. PErpenſa Populi, Cleri, Epiſcoporum legitima in Epiſcoporum electionibus poteſtate: excutiendum nunc incumbit nobis, an aliquam in ejus partem venirent Principes & Imperatores ipſi. Illud jam obſervatum fuit non ſemel, Pontificibus ipſis Romanis & ſanctiſſimis Epiſcopis placuiſſe, ut Nobilium & Magiſtratuum ratio potior haberetur, quam plebis, eorumque in ſuffragiis periculum ut eſſet momenti. Nec imputandum id tunc erat, vel fœdæ adulationi, vel acceptioni perſonarum turpiter terrenis poteſtatibus ſervienti; ſed quod ejuſmodi viri plerumque emineant, non opibus, non natalium gloria tantum, ſed ſapientia, & zelo, & caritate Eccleſiæ longe caſtiori & fragrantiori quam plebs, cui aut inani ſpecie facile imponitur, aut cupiditatem illuditur præſtigiis.

Jam vero ſi plebi, ſi populo, ſi populi honoratioribus, ſi Magiſtratibus, ſi Nobilibus multum pro ſuo quibuſque modo tribueret Eccleſia: quid ſummis Principibus, ut Populi & Rei totius publicæ Capitibus, quorum & prudentia, & ſagacitas tanto copioſior, quorum pietas in Eccleſiam, quorum poteſtas ad promovendam pietatem tanto amplior? Si falli quandoque, ſi a recti orbita aberrare nonnunquam Principes contingat, quid populum, quid Vulgi fœcem? Si ejus rei contemplatione excluſi non ſunt populi ab electionibus: ergo ne Principes quidem. His autem juſtiſſimis de cauſis conſtat quod dixit Socrates. Ex quo Chriſti jugum ſubiere Imperatores, maxima quæque in Eccleſiæ negotia plurimum illis tributum fuiſſe juris & poteſtatis: *Ex quo Chriſtiani eſſe cœperunt Imperatores, Eccleſiæ negotia ex illis pendere cœperunt.* Quo loco inſinuatur, Conciliis ipſis approbatam fuiſſe ejuſmodi auctoritatem, cum ab eis ſe convocari & confirmari, non placide modo, ſed & gratanter tulere.

II. Sed cum profiteamur & præ nobis feramus, nihil nos noſtro ex penu promere, nihil proferre, niſi ex Conciliorum, Canonum, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ teſtimoniis & exemplis quaſi confectarum: his jam ex fontibus hauriendum nobis eſt, ſi qua ibi ſint hujus Principum documenta poteſtatis ad Epiſcoporum vel electiones, vel nominationes.

In Concilio I. Oecumenico Conſtantinopolita-

(1) Pallad. in vita Chryſoſt. c. 14.

politano & in Epiſtola ejus Synodali, dicitur tantum Nectarium conſtitutum eſſe Epiſcopum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, præſente & ſpectante Imperatore, ὑπ' ὄψιν τοῦ βασιλέως. Clero, Populo & Concilio ipſo conſpirante ad ejus electionem. Socrates ait Nectarium a populo abreptum, ut ſedi Epiſcopali inveheretur: ἁρπασθεὶς ἀπὸ τοῦ λαοῦ εἰς τὸ ἐπισκοπεῖον προεβλήθη. At Sozomenus (1) ita rem ſigillatim & penſiculare denarrat, ut non poſſit non hic ſtupor aliquis menti injici. Tradit enim Theodoſium Epiſcopis præcepiſſe, ut conſcripta ſibi eorum nomina ſinguli ederent, quos Epiſcopali ei faſtigio non impares arbitrarentur, ſervata poteſtate deligendi quem ſibi collibitum eſſet. *Cum ſibi ipſi unius ex illis electionem reſervaſſet.* Sibi quos perſpectiores haberent, eorum nomina ſinguli inſcripſere. Meletius poſt omnes alios Nectarium addidit (2), id donans importunis precibus Diodori Tarſenſis Epiſcopi, qui eum ad Epiſcopatum protrudere meditabatur. Eum Catalogum ſemel iterumque legit Imperator, & Nectarium ceteris omnibus præruit. Admiratione tanto majori percuſſi ſunt Epiſcopi, quod ne baptiſmo quidem tinctus eſſet adhuc Nectarius. Itaque Imperatorem adiere, quo illum a ſententia deducerent. At ille a propoſito abduci ſe non eſt paſſus: *In ſententia perſtitit multis Sacerdotibus reluctantibus.* Ceſſerunt ergo Epiſcopi, Nectarius ſacro fonte initiatus eſt, & confeſtim ſuffragatione totius Concilii electus: *Poſtquam igitur omnes ceſſerunt, & in Imperatoris calculum conſenſerunt, baptizatus fuit, & communi ſuffragio Synodi declaratus Epiſcopus.* κοινῇ ψήφῳ τῆς συνόδου. Addit Sozomenus compluribus viſum fuiſſe ea in re Theodoſium, ſummi Numinis ſpeciali providentiæ & altiori conſilio fuiſſe obſecutum; cum illam Eccleſiam Nectarius non ſine ſummæ ſapientiæ & moderationis laude adminiſtrarit.

III. Simillimum veri eſt altius conſuluiſſe Theodoſium, Religionis & Eccleſiæ alias amantiſſimum Principem, nec tantum ſibi tunc poteſtatis ſumpſiſſe, aut Nectarium delegiſſe, niſi ut ſedaret diſſenſiones inter Epiſcopos hujus Concilii tum flagrantiſſimas. Ante Concilium Epiſcopi Ægyptii Maximum Philoſophum Cynicum elegerant Epiſcopum Regiæ urbis ab Imperatore petiturum. *Auguſtæ urbis Epiſcopatum ab eo petens.* Cum enim meritis legibuſque nihil ſe poſſe conſequi ſperaret, rem perficere moliebatur Imperatoria Conſtitutione: *Quoniam enim in legibus ſanctionibuſque Eccleſiaſticis nihil habebat quo niteretur, Imperatorio edicto Sacerdotium vendicare cogitabat, ut qui non Sacerdotem, ſed tyrannum agere in animum induxiſſet.* Verum Theodoſius, cujus animo altius inſederant Epiſcopales virtutes, quam his Epiſcopis, illos ejecit, ſubiratus & minax: *Verum illinc ejiciuntur, Imperatore eos ita miniſque vehementius infectante.* Hæc ex Scriptore vitæ Nazianzeni. Denique Imperator reportata de Barbaris inſigni victoria, Conſtantinopolin rediit, Gregoriumque Nazianzenum nactus, ab adverſariis ſuis, hoc eſt Eccleſiæ, graviter exagitatum, illam ei ſedem his verbis confirmavit: *O Pater, Deus tibi tuiſque ſudoribus per me Eccleſiam commiſit. En ſacram eadem & thronum tibi trado.* Gratulatus eſt tam benefico Principi Gregorius, & confeſtim illum Epiſcopi in ejus Eccleſiæ ſedem invexerunt: *At beatus Gregorius mirifica lætitia perfuſus, &c. Ceterum ei ad extremum uſque obſiſtere non licuit, quominus in throno collocaretur. Pontificum enim multitudo eum quamvis nolentem, vehementerque recuſantem, in Archiepiſcopali ſede conſtituit.* Unus plurimum omnium connixus eſt Meletius Antiochenus, ut Gregorium Nazianzenum illi ſedi adſereret. Tum temporis porro Timotheus Alexandrinus Epiſcopus ad Concilium Conſtantinopolitanum cum Ægyptiis ſuis Epiſcopis, ea maxime cauſa Gregorium ſibi labefactandum ſtatuit, quod ei Meletius impenſius ſuffragaretur. Ea ſane inter Epiſcopos Alexandrinum & Antiochenum internecina conflictatio, ingens in Eccleſia incendium excitatura videbatur, niſi conſilium forte imiſſet Gregorius abjiciendæ ejus ſarcinæ, niſi partes ſuas interpoſuiſſet Imperator ad antevertendas opprimendaſque diſſenſiones omnes, quæ in eam electionem incidiſſent. Is illi forſan viſus eſt Nectarius, qui ab ejuſmodi Epiſcopalibus diſſidiis cum procul ſemper fuiſſet, iis componendis eſſet paratior. Cum thronum etiam urbis Regiæ Gregorio dediſſet plurimum aſſentientibus Epiſcopis Orientis: cumque oraſſent ante Ægyptii Epiſcopi, ut eo Maximum donaret: hinc viſus eſt etiam ſibi poſſe ſe eam ſedem donare ex utriuſque par-

(1) L. 5. c. 8. (2) L. 6. c. 7.

partis conſenſione, maxime vero ſi ei, vel uni ex eis donaſſet, qui ab illis nominati fuiſſent.

IV. Sed illud præ ceteris hic obſervandum; quanquam Theodoſius Epiſcopum ſuo nutu & arbitrio deſignaſſet Nectarium, ſpreta Epiſcoporum repugnantia, ne dicam Canonum regula, qui Neophytos arcent, & multo magis eum, qui ne Neophytus, ne tinctus quidem erat baptiſmo: nihilo tamen minus & vulgo prædicatum, & ab ipſo etiam Concilio affirmatum, Nectarium electum fuiſſe ab Epiſcopis Concilii, a Clero, a populo. Jam illud ſupra monuimus, cum populus vehementius quam ſapientius Epiſcopos adegerat, ut eum ordinarent qui ipſis minime placeret: hanc Epiſcoporum indulgentiam prudentiamque valde tempeſtivam, ad præveniendam plebis inſaniam, habitam fuiſſe pro conſenſione, quam cordati quique ſufficere non dubitarent, ut electio rata cenſeretur. Idem exiſtimandum de iis electionibus, ubi Epiſcopi inflexa conſtantia retundebant populi petitiones, ordinabantque Epiſcopos, quos nemo poſtulaſſet: cum populus ipſe tandem quanquam ſubinvitus acquieſceret, canonica habebatur electio. Gregorius Theologi pater, & Theologus ipſe electionem laudaverunt prioribus illis ſimillimam, Sidonius Apollinaris poſterioribus, ut ex antedictis patet. Ea vis non prohibet, quin liberum ſit & voluntarium, quidquid ex ea fit. Nec enim id vis ea præſtat, ut facias quod nolis; ſed ut quod nolebas, velis. Ita volentes faciunt, ſed quod noluerant velle incipiunt. Nolebant Nectarii electionem, voluerunt cedere urgenti Theodoſio, & Nectarium ingerenti. Noluerant Epiſcopi ordinare, quos violenta plebs obtrudebat. Sed ne ea violentia amplius graſſaretur, voluerunt & plebi cedere, & electo Epiſcopo conſentire. Ceſſere, quia voluere, qui poterant non cedere. Ita vere qui cedit, utique conſentit.

V. Reipublicæ ſummi vertices, populorum ſumma Capita, Principes, inquam, Regeſque, ſuo ſibi jure vindicare poterant aliquas in electionibus auctoritatis partes, non excluſis populis: eo jure ſua illos ſingularis abſtinuit pietas. Si ſubjectis tandiu ceſſerunt ipſi populis, ecquid eſt cur mirum novumque videatur, ſi quando eis populi ſuo decedebant eligendi jure? Quin poſſit ea viciſſim obſervantia, & cedendi alternatio, voluntaria & libera videri? Seu populo Princeps, ſeu Principi populus eligenti, tacitus ipſe tunc acquieſceret & aſſentiretur, liber hic erat utrobique conſenſus, libera electio.

VI. Vis etiam quandoque adſetebatur electis, ut ne pertinacius obluctarentur, & dignitatibus aſſentirentur, quo eos ſua pietas, ſua etiam humilitas, ſua dignitatum fuga vocabat. Suavibus quibuſdam cruciamentis, ut ſupra docebat Auguſtinus, extundebatur illis & voluntas & aſſenſio, a qua tantopere abhorrebant. Is conſenſus tametſi ita expreſſus, extortuſque, liberæ electioni & canonicæ ſufficiebat. Nec vero majorem deſiderant libertatem electi, quam eligentes. Hæc vis, hæc coactio neutris officit, cum bono publico, Eccleſiæ utilitati, pietatis incremento utrobique ſerviatur. Si ad incudem revocemus pleraque noſtramet ipſorum geſta, & libera comperiemus ea, & perſæpe ab hujuſmodi neceſſitatis vinculis non prorſus abſoluta.

VII. Ne Ambroſii quidem electio ad exitum perduci potuerat, niſi Valentiniani Imperatoris interpoſita auctoritate. Hinc exemplum arceſſi potetat, ut Theodoſius Nectarium nominaret. Nec Ambroſius baptiſmo initiatus fuerat, cum eligeretur, uti nec Nectarius. Itaque Epiſcopis Ambroſius ne in cogitationem quidem veniebat. At cum populus moleſtiſſimis diſſenſionibus diſcerptus fuiſſet, tandem ita unanimis in Ambroſium conſenſit univerſus, ut Epiſcopi eam dexteræ Excelſi murationem interpretati ſint, & ſibi quo ducebat Deus obſequendum. Unde Socrates (1): *Nam Epiſcopis qui aderant, videbatur hæc conſentiens populi vox divinitus ſane emiſſa.* Reſtitante porro Ambroſio interpellatus eſt Valentinianus Imperator, qui Epiſcopis reſcripſit, ut Ambroſium ordinarent, cum ea electio tam unanimis Deo pacis & unitatis Principi referenda potius eſſet, quam populo ſua ſponte ſemper verſatili & tumultuoſo: *Valentinianum de re geſta faciunt certiorem, qui populi admiratus conſenſum, opuſque Dei ratus, quod factum fuerat, ſignificat Epiſcopis, ut voluntati Dei inſervirent, jubente, ut illum ordinarent. Nam Deum potius quam homines ſuffragium tuliſſe.*

VIII. Rem geſtam illuſtrat Theodoretus iis circumſtantiis, quæ fileri prorſus non de-

(1) L. 4. c. 25.

debeant. Ait enim, cum inteſtina in civitate Mediolanenſi flagrarent diſſidia, ad Epiſcopos ibi convocatos dixiſſe Valentinianum, ipſorum eſſe, qui exploratas haberent Epiſcopales dotes & virtutes, eum deligere Epiſcopum, cui nec ipſe Imperatorium ſubjicere verticem gravaretur, ejuſque monitis & correptionibus morigerari. Oraſſe viciſſim Synodum, ut Epiſcopum deſignaret potius Imperator, ea ſapientiæ luce, eo pietatis æſtu ſuccenſus, qui Imperatorem deceret. Reſpondiſſe denique Imperatorem, eum delectum rerumque ſacrarum peritiam ſupra ſuas vires eſſe, eſſe autem Epiſcoporum cœleſti lumine & gratia perfuſorum, Epiſcopos ei muneri pares deligere. Tum populum poſtulaſſe Ambroſium Epiſcopum. Imperatorem juſſiſſe ut ordinaretur, baptiſmo prius initiatus (1): *Concilium Epiſcoporum contendit ab Imperatore, ut ipſe, utpote ſapientiæ & pietatis inſignibus præclare exornatus, Epiſcopum deligat* (2). *At ille: Major eſt*, inquit, *hæc Provincia, quam quæ viribus noſtris ſuſtineri queat. Proinde vos divinæ repleti gratia, & illius ſplendore illuminati, multo melius hoc Epiſcopi deligendi negotium tranſigetis, &c. Jubet Imperator extemplo Ambroſium & initiari myſteriis, & Epiſcopum ordinari* (3). Aliquanto poſt tempore Imperatorem Ambroſius Epiſcopus corripuit, ea fiducia, quam pietas ſuggerebat, tum ſuæ, tum Principis: magnanimo Epiſcopo Imperator Chriſtiana & ipſe moderatione, ac magnanimitate ea repoſuit, quæ ipſam Imperii purpuram novo ſplendore illuſtrarent: Debere Ambroſium Epiſcopum ſuæ ſuffragationi quod Epiſcopus eſſet: & id beneficii repentari ab eo non aliter aptius poſſe, quam crebris hujuſmodi ſalubrium monitorum medicinis: *Non modo non reſtiti tuæ in Epiſcopum ordinationi, verum etiam ſuffragatus ſum. Quare ſicut divina præſcribit lex, noſtrorum animorum erroris medicinam facito.* σώφρονος τῆ χειροτονίᾳ γενομένου.

IX. Hinc patet quantacunque teſtificandi & ſuffragandi libertate populus frueretur, primarios ſemper electores fuiſſe Epiſcopos, & ex eorum delectu atque judicio religatas fuiſſe electiones. Ponderabantur potius quam numerabantur ſuffragia. Integritate & ſapientia ea opus erat, quæ in Epiſcopos magis caderet, quam in populos, ut tot hinc & inde rerum momenta librarentur, locorum, temporum, meritorum. Adde & illam propriam Epiſcoporum peritiam, quæ in irregularitatibus & in legitimis diſpenſandi cauſis verſabatur. Irrita per ſeſe erat Ambroſii popularis electio, cum is nec baptizatus eſſet. Epiſcoporum fuit judicare, an quæ ex Ambroſii Epiſcopatu redundatura in Eccleſiam erat utilitas, ſatis compenſare poſſet & reſarcire diſciplinæ labem, ex irregulari ordinatione erupturam. Epiſcopis ergo canonica Ambroſii electio accepta ferenda eſt. Verum ea quidem de re jam nimis multa.

X. Advertamus hic ergo a Concilio Mediolanenſi permiſſam fuiſſe tunc Valentiniano Imperatori nominandi Epiſcopi poteſtatem: nec dubitatum eſſe, quin ea ille & ſapientia & religione polleret, quam is delectus deſideraret: Non enim commode Imperator ipſe quidem de ſe ſentiebat, quam Epiſcopi: ſed Epiſcoporum judicium eo maxime confirmabat, quod ab eo recederet: & quo minus ſibi ſumebat ipſe, eo præſtabat, ut ei tanto plus jure arrogaretur. In privatum quemlibet cadere poſſet vel dejectionis animi, vel adulationis ſuſpicio; ſed ea ne afflari quidem poteſt Concilium. Ea erat tunc rerum temporumque conditio Mediolani, quæ fuit poſtea Conſtantinopoli, cum Nectarius eligeretur, & nominaretur a Theodoſio. Eccleſiæ inſidiabantur Ariani, nec ſatis inter ſe Catholici concordabant. Utrobique unius maxime in poteſtate Imperatoris erat, ut dando Epiſcopo pacem daret. Eum Epiſcopum nominavit Theodoſius, quem Epiſcopi ſibi ſcripto deſignaſſent Epiſcopatu dignum. Valentinianus eum confirmavit, qui ab Epiſcopis & a populo fuerat electus. Atque adeo non immerito iis ſe annumeravit, qui Ambroſii ſuffragatores fuiſſent. σύμψηφος.

XI. Nullis ſe electionibus ſacris interpoſuerat Conſtantinus, (4) niſi ut diſſenſiones compeſceret, Canoneſque ſuaderet obſervari. Cum Antiocheni Epiſcopum ſibi elegiſſent Euſebium, Cæſarienſis in Paleſtina Eccleſiæ Epiſcopatu jam devinctum, ſcripſit ad eos Conſtantinus, ut turbulentas coitiones, factiones, inſanas cupiditates exprobraret, & inconſideratas machinationes adverſus Canones Eccleſiæ, qui translationes

(1) L. 4. c. 6. (2) ψηφίσασθαι. (3) ψηφῖσθαι προστάξαι.
(4) Euſeb. de vita Conſtant. l. 3. c. 60. 61. 62.

nes damnant Epiſcoporum. Scripſit & ad Concilium Antiochiæ convocatum, eamque translationem prohibuit. Succeſſit in Imperium Conſtantini Conſtantius, non in religionem & pietatem, modeſtiamque. Expoſtulabat de eo fidentiſſime æquiſſimeque Athanaſius, quod e Palatio miſiſſet primo Gregorium, poſtea Georgium, ut ſe exulante Alexandrinam invaderent Sedem (1): *Cur cum ſe Eccleſiaſticum Canonem curæ habere prætexit, omnia contra Canonem facit? Ubi enim ille Canon, ut e Palatio mittatur is, qui Epiſcopus futurus eſt? πῶς ἐκ κανὼν ἀπὸ παλατίου πάσχειν ἐπίσκοπον.* Eo quoque pertinet quod alibi ait, poſtulandos eſſe Epiſcopos Cleri populique votis, non vi intrudendos, contra civium voluntatem (2). Pari ergo vi ab eodem Conſtantino ejectus eſt Conſtantinopolitana ſede Paulus, eoque intruſus Euſebius, Nicomediæ jam Epiſcopatum gerens: *Euſebium eo traductum Epiſcopum Conſtantinopolitanum renuntiat.* Verba ea ſunt Socratis (3). Paulum reſtituit Julius Papa; ſed eo rurſus exturbato, ſuffectus eſt a Conſtantio Macedonius.

XII. Ante Theodoſium ergo & Valentinianum nulli fuerant ab Imperatoribus ita nominati Epiſcopi, ut Epiſcopi ceteri, Clerus populuſque aſſentirentur. Sed his prælucentibus exemplis, ſeu pietas horum ſpectetur Imperatorum, ſeu nominatorum ab ipſis Epiſcoporum aut confirmatorum religio & ſanctimonia, nemo jure ambiget, quin ſequentibus ſæculis probabile cum primis ſit Principes in eadem veſtigia ingreſſuros, & eorum voluntati Epiſcopos pari ſeſe accommodaturos indulgentia. Migrante e vita Nectario, plures erupere e Clericis, qui ſacroſanctam dignitatem iis ambirent artibus, precibus, muneribus, aſſentationibus, quibus ea merito arcendi & eliminandi eſſent. Improba ſpes aliquos eo impulit, ut Imperatorem ipſum Arcadium infaniæ ſuæ miniſtrum & adjutorem habere vellent. Id ſubolſiſcit populus, & Imperatorem adiit, ut Paſtorem, ipſemet eo culmine dignum præficeret: *Viri Sacerdotalis quidem ordinis, ſed nihil habentes dignum Sacerdotio; dum mentitur diſſiliunt ſuis, Pontificis ſolium electione fidelium adipiſci deſperantes, partim Palatii obſident fores, alii munera potentibus tribuunt, alii populis genio poſito ſuppliant. Ad hæc plebs fidelis indignans, Regem pia intentione ſollicitat, Paſtorem pertium ſibi dari ſuppliciter poſtulans.*

Hæc Palladius in vita Chryſoſtomi, qui ab Arcadio tum electus eſt, & Antiochia, ubi Presbyterum & Vicarium Generalem agebat, Conſtantinopolin abductus. Compromiſiſſe tunc videbatur Clerus populuſque in Imperatorem, & ejus arbitrio rem totam commiſiſſe, ut ſua ipſorum vice eligeret. Nec temere idem de Concilio Conſtantinopolitano, & de Mediolanenſi dicereturr, compromiſſum ab iis eſſe in Theodoſium & Valentinianum, quorum hic diſſenſus, ille aſſenſus eſt. Verum tam aulpicatus fuit exitus electionum a Theodoſio & Arcadio factarum, ut non potuerit non exinde vehementer augeſcere Imperatorum poteſtas in electionibus. Ceterum quanquam Arcadius Chryſoſtomum delegiſſet, nihilo tamen minus dicitur a Socrate (4) Chryſoſtomus, Cleri populique ſuffragiis electus: ψηφισαντος κλήρου, πάντος τε πληθους ὁμοῦ τε λαοῦ: Nec ab his abludit Sozomenus (5): *Poſtquam populus & Clerus ſuffragium ſuum contuliſſet, etiam Imperator adſtipulatus fuit, & qui Chryſoſtomum adduxerent, emiſit. Convocavit etiam Synodum, ut ea ratione venerabiliorem redderet illius ordinationem.* Narrat Theodoretus (6) Arcadium arceſſiſſe Antiochia Chryſoſtomum, Epiſcoposque exoraſſe, ut eum Epiſcopum ordinarent, inſcii vel ſic edito pietatis documento.

XII. Quanto fuit Eccleſiæ & ornamento electio Chryſoſtami & præſidio, tanto fuit exitio & dedecori Neſtorii nominatio, tametſi & ipſe ex eadem arceſſitus ſit civitate & Eccleſia Antiochena, ubi Presbyteri munere & ipſe fungebatur. Diſerte Socrates teſtatum facit, Imperatorem moleſtiſſime ferentem tantum factionum & ambitionis exarſiſſe in Eccleſia Conſtantinopolitana poſt mortem Siſinii, Clericos omnes ejus Eccleſiæ ejus adipiſcendæ ſpe dejeciſſe, & Antiochia Neſtorium acciviſſe (7): *Viſum eſt Imperatori propter homines inanium rerum appetentes, neminem ex illa Eccleſia ad Epiſcopatum illum eligere, ſed aliquem Antiochia arceſſere.*

XIV. Certo ergo conſtat, privatis diſſenſionibus & ambitioſis machinationibus compulſam fuiſſe Eccleſiam, ut Imperatoriam interponeret electionibus poteſtatem. Id & ſupe-

(1) Epiſt ad ſolit. viram agentes. (2) Epiſt. ad Orthod. (3) Socrat. l. 2. c. 5. 21. 22.
(4) L. 3. c. 2. (5) L. 8. c. 2. (6) L. 5. c. 25. (7) Socrat. l. 7. c. 29.

ſuperioribus enituit exemplis, nec minus ex infra addendis emicabit. Cum Epheſina Generalis Synodus Neſtorium *ſede* dejeciſſet, ad Presbyteros, Oeconomos, alioſque Clericos Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ reſcripſit, ut pro Eccleſia excubarent, ſuæ fidei curæque commendata, donec Epiſcopus ſufficeretur alius Dei voluntate, & Imperatorum nutu (1). *Omnia quæ ad Eccleſiam pertinent cuſtodite, ut & rationem reddituri ei, qui Dei voluntate, piiſſimorumque ac religioſiſſimorum Imperatorum noſtrorum nutu ordinandus eſt Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Epiſcopus.* κατὰ βούλησιν Θεοῦ καὶ τῶν εὐσεβεστάτων βασιλέων. Neſtorio etiam exauctorato tot ſupererant aſſeclæ & fautores, ut ex eis Conciliabulum coaleſceret Epheſi, germano Concilio adverſarium & infeſtum. Itaque ne ſperari quidem poterat, ut a ſede Conſtantinopolitana abſtraheretur, & ſucceſſor ei daretur, niſi ſuffragante & opitulante Imperatore. Maximianus in locum Neſtorii ſubrogatus eſt. Ingenue profiterur Cyrillus ab Imperatore ingenti eo beneficio non Maximianum, ſed Eccleſiam ipſam affectam fuiſſe (2): *Et hoc rurſum illuſtre pii Regis munus eſt præ-vio cœleſti ſuffragio.* Eadem Cœleſtini Papæ ſententia, illis quibus Theodoſio gratulatus eſt litteris: *Nec ſufficeret peſtilentiam repulſſe, niſi & ſalubres auras redderes, talem illi Eccleſiæ conſtituendo Pontificem, qui olim, &c.* Id quoque laudi vertit Socrates (3) Theodoſio, quod omnia ex Maximiani obitu pullulatura mala præfecuiſſet, maturata ejus juſſu Proculi electione per Epiſcopos qui tum aderant.

XV. Concilium Chalcedonenſe abdicato Dioſcoro Alexandrino Epiſcopo, ipſa pene adhibuit Epheſini Concilii verba, ut viduatam Eccleſiam ſuo commendarer Clero, qui ejus adminiſtrationis rationes aliquando probe redderent Epiſcopo Dei voluntate & Imperatorum conſenſu ſubſtituendo. Cum eadem ſint ac Epheſinæ Synodi verba (4), lubens hic ea prætermitto. Eæ tunc autem turbulentarum ſeditionum procellæ Eccleſiam Alexandrinam inceſſerunt, ut ſatis ſuperque patuerit, quam neceſſario compellata eſſet tota Imperatorum poteſtas, paci revehendæ, & orthodoxo Epiſcopo conſtituendo.

XVI. In eodem Chalcedonenſi Concilio diſceptata & finita eſt controverſia de Epheſinæ Eccleſiæ Pontificatu, totius Aſiaticæ Diœceſeos ſummo. Contenderat eſt Baſſianus competitorum alter a populo primum & Clero electum ſe fuiſſe, & tum ab Imperatore confirmatum, acceptis etiam ab eo litteris authenticis hujus confirmationis (5): *Multa neceſſitate & vi inſtrinxerunt me in eadem civitate Epheſi, Populus, & Clerus, & Epiſcopi. Agnoſcens autem hæc piiſſimus Imperator, repente hoc confirmavit, & regente per Commonitorium aperte declaravit, confirmans Epiſcopatum. Poſtea direxit iterum Sacram per Euſtachium Silentiarium, quæ confirmaret Epiſcopatum.* Vides ut Clero populoque abſurente ſuis ad electiones Epiſcopales ſuffragiis, promiſſique & donis atque partium ſtudiis pudendum in modum indulgente, cogeretur & Imperator intervenire, & Eccleſia interventionem Principis tum quidem probare, quamvis ne tum quidem ipſam falleret, nonſemper incorruptos fore Principum miniſtros, nec eum modum quem primo tenuiſſent Principes ipſi, ſemper retenturos.

XVII. Nec in ipſa Romana civitate & Eccleſia partium ſtudia, ac diſſidia ſemper conticuere. Itaque nec ibi vel Clerus vel Populus extra metas juſtæ poteſtatis evagari potuit, quin ejuſdem poteſtatis priſtinæ parte aliqua mulctaretur. Cum ſciſſis hinc & hinc ſuffragiis, alii Symmachum, alii Laurentium elegiſſent, convenit tandem, ut ad Regem Theodoricum referretur, cujus & ſapientiæ & æquitati ſingulari plauderet adhuc poſteritas, ſi Arianæ ſectæ contagio maculatus non fuiſſet. Pronuntiatum, ut par erat, ab eo eſt, ejus cauſam meliorem, qui prior, aut a pluribus electus (6): *Hoc conſtruxerunt partes, ut ambo Ravennam pergerent ad judicium Regis Theodorici. Qui dum ambo introiſſent Ravennam, hoc judicium æquitatis inveneruut, ut qui primo ordinatus fuiſſet vel ubi pars maxima cognoſceretur, ipſe ſederet in Sede Apoſtolica.* Eo judicio Pontificatum Symmachus tum obtinuit, at quarto demum poſt anno revocato ab ejus adverſariis Laurentio, ſciſſoque rurſus Clero, populoque, recurrendum rurſus fuit ad Theodoricum. Regem, qui Epiſcopum Viſitatorem Eccleſiæ Romanæ præfecit, & demum Concilium Romæ coire juſſit, ubi cauſa illa finita eſt. Ita pax Romanæ Eccleſiæ reddita. Sed jam inde

(1) Act. 1. (2) Conc. Eph. par. 3. c. 28. (3) L. 7. c. 39. 40.
(4) Act. 3. (5) Act. 11. (6) Liber Pontif. in vita Symmachi.

inde opprimi cœpta ejus libertas, cujus Præſules, vel nominari, vel confirmari a ſe debere Gothi Reges, etiam Ariani deinceps voluerunt.

XVIII. Symmacho enim, Hormiſda & Joannes ejus ſucceſſoribus hinc excedentibus, & ne tum quidem ſopitis Cleri populique concertationibus, cum ſedes Petri quinquaginta octo dies vacua mœreret, Felix IV. Papa a Theodorico in eam ſuffectus eſt Pontifex. Vel ipſa impietas ſuggerebat, ut eum eligeret, qui meritis & virtutibus facile præcelleret, ne electio quam feciſſet, infirmari poſſet; utque ne refragari quiquam poſſet ei, quam ſibi ſumpſerat poteſtati, niſi qui una pietati & religioni adverſaretur.

Nec multo poſt fato conceſſit Theodoricus, Athalaricus ſucceſſit, cujus nomine & juſſu Caſſiodorus Senatui Romæ ſcriptis gratias egit, quod acquieviſſet deſignationi factæ a Theodorico Athalarici avo. Eam porro Papæ a Rege factam nominationem iis Caſſiodorus illuminavit coloribus, iis argumentis aſtruxit, ut vix legi poſſit & improbari: *Gratiſſimum noſtro profitemur animo, quod glorioſi domini avi noſtri reſpondiſtis in Epiſcopatus electione judicio. Oportebat enim arbitrio boni Principis obediri, qui ſapienti deliberatione pertractans, quamvis in aliena religione, talem viſus eſt Pontificem delegiſſe, ut nulli merito debeat diſplicere: ut agnoſcatis illum hoc optaſſe præcipue, quatenus bonis Sacerdotibus Eccleſiarum omnium Religio pulluleret. Recepiſtis itaque virum & divina gratia probabiliter inſtitutum, & regali examinatione laudatum. Nullus adhuc priſtina contentione teneatur. Pudorem non habet victi, cujus votum contingit a Principe ſuperari.*

Cauſa ipſa mihil turpius, cauſæ defenſione nihil pulchrius, aut validius. Qui vir erat optimus, amoveri ab Epiſcopali ſede non poterat. Longam & extitialem diſſenſionem conſopiri, quis jure improbarit? Pacem & Epiſcopum præſtantiſſimum, non poterat abnuere Eccleſia, niſi ſuæ felicitatis inimica: ſed quod optatiſſimum ſibi erat & maxime conducibile, non ab Ariano Principe, ſed ab omnium bonorum largitore Deo conceſſum id ſibi eſſe illa quidem non immerito interpretabatur.

Denique ſi poſteritas Felicis memoriam conſecravit; ſi ea fuit in ſententia Caſſiodorus, non debuiſſe tum Felicem Pontificatum vel ſic traditum abnuere, debuiſſe Eccleſiam aſſentiri, & ſeſe ineluctabili accommodare neceſſitati: eſt in hoc ſane exemplo, quod in rem noſtram, & in noſtra regenda, moderandaque ſive judicia, ſive conſilia retorqueamus, ſi poſterioribus ſæculis incurramus in eos Principes Catholicos, qui Epiſcopalibus electionibus, vel nominationibus interveniant. Hæc Felicis Papæ per Theodoricum proviſio non contigit niſi poſt annum quingenteſimum (1). Sed cum religata ex eis pendeant, quæ ante eum annum cœpta fuerant, hic omnia ſimul neceſſario connectenda fuere. Prolixius infra de hoc eodem argumento verba faciemus.

XIX. Ejuſdem nominis Pontificem olim Conſtantius deſignavit, & quod fere referat imaginem *Antichriſti: ut qui in locum Eccleſiæ Palatium ſuum ſuccedere voluerit, & pro conventu populi & jure Comitiorum, tres Eunuchos præſentes eſſe juſſerit, tres item* ANTECESSORES, *hoc eſt, exploratores, non enim Epiſcopos dixeris, ut ipſi Felicem quendam Epiſcopum in Palatio crearent, dignum profecto talibus ſuffragatoribus. Ceterum populi omnes cognita hæreticorum pravitate, non permiſere eos in Eccleſiam intrare, proculque ab eis receſſerunt.*

XX. Haud ſatis ſcio, an his tot exemplis adjiciendum ſit illud Anaſtaſii Imperatoris, qui Euphemium Patriarcham Conſtantinopolitanum deponi ejicique fecit a Synodo Epiſcoporum, Aulæ, quam Eccleſiæ addictorum; tumque eleget ipſemet Macedonium Presbyterum, & Scevophylacem ejuſdem Eccleſiæ. Theodorus Lector, e quo hæc prompta ſunt, laudabilius geſſiſſe Epiſcopatum, quam iniiſſe, eaque pietate fuiſſe Macedonium teſtatur, ut impii Principis offenſionem mox incurrerit, a quo & extruſus ſit pari inſolentia, ac intruſus fuerat, deſignato ſucceſſore Timotheo, qui & ipſe ejuſdem Eccleſiæ Presbyter erat & Scevophylax.

C A-

(1) Cap. 16.

CAPUT VII. *P. I. l. 2. c. 20.*

Electio Epiſcoporum confirmanda erat a Metropolitano, per quinque priora ſæcula.

I. Probationes ejus rei ex Canonibus Apoſtolicis.

II. Item ex Conciliis Laodiceno, Nicæno & Antiocheno.

III. Eidem Diſciplinæ locus erat in Occidente. Argumenta ex Conciliis Carthaginenſibus.

IV. Et ex Decretalibus Pontificum.

I. ELectioni Epiſcoporum roboris & auctoritatis cumulus accedebat a confirmatione Metropolitani, qui Caput erat, & Princeps Epiſcoporum Provinciæ, cujus nutu & aſſenſu regebantur omnia, quæ alicujus eſſent momenti. Ita præcepit Canon Apoſtolicus, qui hanc mirandam Epiſcoporum comprovincialium inter ſe concordiam & communionem referre videtur ad divinarum Perſonarum individuam ſocietatem & unitatis nexum ineffabilem (1): *Epiſcopos gentium ſingularum ſcire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut Caput exiſtiment, & nihil amplius præter ejus conſcientiam gerant, quam illa ſola quæ Parochiæ ſuæ competunt. Sed nec ille præter omnium conſcientiam faciat aliquid. Sic enim unanimitas erit, & glorificabitur Deus per Chriſtum in Spiritu ſancto.* Titulum huic Canoni præfixit Dionyſius Exiguus *de Primatu Epiſcoporum*, quod Metropolitanus nihil aliud primum, quam *Primus* Provinciæ Epiſcopus, ſeu *Primas* diceretur.

II. Jubet Laodicena Synodus (2) electiones fieri *Judicio Metropolitanorum & Epiſcoporum*. Jubet Nicæna Synodus, ut omnes Epiſcopi Provinciæ, aut tres ſaltem electionem celebrent, & ordinationem Epiſcoporum, ſed ut omnium rerum confirmatio ad Metropolitanum referatur (3): *Firmitas autem eorum, quæ geruntur, per unamquanque Provinciam Metropolitano tribuatur Epiſcopo.* Irritas hæc eadem Synodus pronuntiat electiones Epiſcoporum, niſi eas aſſenſu ſuo confirmet Metropolitanus: *Illud autem generaliter clarum eſt, quod ſi quis præter ſententiam Metropolitani fuerit factus Epiſcopus, hunc magna Synodus definivit Epiſcopum eſſe non poſſe.* Jubet Antiochena Synodus (4), ut Metropolitanus Comprovinciales omnes convocet Epiſcopos, ad novi Epiſcopi electionem & ordinationem, utque abſentium nomina ſaltem & aſſenſus ſcripto teneantur. Idipſum jus Metropolitanus obtinet in Synodo Sardicenſi (5), ubi *Exarchus Provinciæ* dicitur, ἔξαρχος τῆς ἐπαρχίας.

III. Nec minor erat Metropolitanorum poteſtas in Occidente. In Concilio Carthaginenſi II. quantum vis numeroſa ſit Congregatio Epiſcoporum Provinciæ, non ſtabit electio ibi celebrata, niſi robur ei, & firmitas accedat, vel præſentia, vel litteris, & aſſenſu Metropolitani (6): *Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt, placet omnibus, ut inconſulto Primate cujuslibet Provinciæ tam facile nemo præſumat, licet cum multis Epiſcopis in quocunque loco, ſine ejus præcepto Epiſcopum ordinare. Si autem neceſſitas fuerit, tres Epiſcopi in quocunque loco ſint, cum Primatis præcepto ordinare debeant Epiſcopum.* Epiſcopos confirmandi jus Metropolitanum hic ſplendidius fulget, ubi conſtat eo abſente, nec electionem perfici, nec ordinationem potuiſſe *ſine ejus præcepto*, ſive aſſenſu ſcriptis edito. Quod idem jus corroboratur in Concilio Carthaginenſi IV. (7) *Cum conſenſu Clericorum & Laicorum, & Conventu totius Provinciæ Epiſcoporum, maximeque Metropolitani vel auctoritate, vel præſentia ordinetur Epiſcopus.* Ubi perſpicuum eſt non in Orientali tantum Eccleſia uſu invaluiſſe, ut voce χειροτονία, tum electio, tum ordinatio deſignaretur. Nam in hoc quoque Occidentali Canone his verbis: *ordinetur Epiſcopus*, electio includitur, cum facienda præſcribatur ordinatio, *cum conſenſu Clericorum & Laicorum*: Ad ſolam enim electionem ſpectat ille conſenſus.

IV. Innovatur ab Innocentio I. Syricii Conſtitutio jam laudata (8): *Ut extra conſcientiam Metropolitani Epiſcopi nullus audeat ordinare Epiſcopum.* Bonifacius Papa idem Decretum promulgavit (9), convenienter Nicæno Concilio. Leo I. jus illud ipſum Metropolitanis aſſeruit: *Ordinationem ſibi ſinguli Metropolitani ſuarum Provinciarum*,

(1) Can. 35. (2) Can. 12. (3) Can. 4. 6. (4) Can. 19. (5) Can. 6.
(6) Can. 12. (7) Can. 1. (8) Ep. 2. c. 1. (9) Bon. Ep. 3.

num, cum his qui ceteros Sacerdotii antiquitate præveniunt, reſtituto ſibi per nos jure defendant. Et alibi (1): *Nulla ratio finit, ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec a Clericis ſunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a Provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati.* Et Hilarus Papa (2): *Hoc juxta Patrum regulas volumus cuſtodiri, ut nullus præter notitiam atque conſenſum fratris Aſcanii Metropolitani aliquatenus conſecretur Antiſtes, quia hoc & vetus ordo tenuit, & trecentorum decem & octo Patrum definivit auctoritas.* Quod Canones vetant Epiſcopos eligi, vel ordinari, παρὰ γνώμην Metropolitani, latinis verbis hisillud ſcitiſſime Pontifex interpretatur: *Præter notitiam & conſenſum.*

CAPUT VIII. *P. 1. l. 2. c. 21.*

De confirmatione electionum ab Exarchis, a Patriarchis, a Papa, per quinque priora ſæcula. Item de conſecratione.

I. A Nicæna Synodo datum aut aſſertum eſt tribus antiquiſſimis Patriarchis jus confirmandi & ordinandi electos Epiſcopos omnes ſui territorii.

II. Probabile eſt ordinatos ab eis fuiſſe Metropolitanos omnes, confirmatos ſolum Epiſcopos, ſaltem remotiores. Id conſilii Innocentius I. Epiſcopo Antiocheno impertivit.

III. Eadem erat Romani Pontificis conſuetudo.

IV. Quid novatum ſit in Concilio Conſtantinopolitano I. & in Chalcedonenſi?

V. Archiepiſcopus Theſſalonicenſis ſuæ ditionis Metropolitanos ordinabat, Epiſcopos confirmare contentus.

VI. In his omnibus Exarchatibus non a ſolis Metropolitanis confirmandi erant Epiſcopi.

VII. Cum primum Metropolitanos creavere Apoſtoli, ſuo ſe immediato in Epiſcopos jure antiquo quodammodo exuerunt.

VIII. Jus Metropolitanorum Apoſtolicum jus eſt.

IX. Potuit Eccleſia Exarchos & Primates inſtituere, perxque ut Metropolitanos.

X. Potuerat ſolus Petrus, ſi collibuiſſet & ex re fuiſſet, eligere Matthiam, ex Chryſoſtomo.

XI. His ex omnibus liquet, longe plurimos Epiſcopos non neceſſario a Papa confirmandos fuiſſe.

XII. De conſecratione Epiſcoporum.

XIII. De anniverſario die Natalis ſui, hoc eſt, ordinationis ſuæ, quem quiſque celebrabat Epiſcopus, ad fervorem animi & zeli priſtinum innovandum.

I. COnſtituto jure Metropolitanorum in electionibus & ordinationibus Epiſcoporum ſuæ Provinciæ: expendendum jam nobis eſt, an ſint & alii Epiſcopi ſuperiores Metropolitanis, qui auctoritate ipſi quoque legitima immineant electis Epiſcopis, examinandis, ordinandiſque; & an diſciplina Eccleſiæ poſterior, quæ eam omnem poteſtatem ad Romanum Pontificem fere unum revocavit, aliquo nitatur priſcorum Conciliorum Canonumque exemplo, aut documento. Confirmavit Nicæna Synodus (3) antiquam conſuetudinem, quæ poteſtatem Epiſcopi Alexandrini propagabat in Ægyptum, Lybiam & Pentapolin: propterea quod conſimilis conſuetudo effundat & in longe plures Provincias poteſtatem Romani Præſulis. Quocirca & Antiochiæ & ceteris Eccleſiis priſca ſervari privilegia æquum eſſe. Ea admodum ſententia eſt famoſi Canonis Nicæni, quem Catholici & Heterodoxi tractatores tantopere infeſtis calamis vexavere, quem tot lucubrationibus Catholici illuſtravere diſſertationibus.

Noſtri non eſt nunc inſtituti ejuſmodi concertationes in hanc de Beneficiis incubrationem intexere. His ergo ſupersedebo, & unum monebo, convenire doctis nunc omnibus, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ peritis, agi hoc Canone de Ordinationibus Epiſcoporum: eoque juberi, ut ſicut Papa Epiſcopos omnes ordinat plurium tota maxime Italia Provinciarum: ita & Epiſcopo Alexandrino ſarta tectaque ſervetur poteſtas ordinandi Epiſcopos trium illarum Provinciarum, ita ut non poſſit ei obſtrepere Archiepiſcopus Meletius: ſimiliter ut Epiſcopo Antiocheno aſſeratur jus priſtinum ordinandi Epiſcopos omnium Orientis ſtrictæ ſumpti Provinciarum: ut omnes denique Metropolitani alii ſimiliter Epiſcopos ordinent priſco more in ſua ſibi Provincia obnoxios.

II. In dubium tamen vocari poſſet, an eo Canone tribus illis maximis Epiſcopis, Ro-

(1) Leo Epiſt. 89. 92. (2) Hilar. Ep. 2. (3) Can. 6.

mano, Alexandrino & Antiocheno concedatur jus ordinandi ſingulos prorſus Epiſcopos omnium harum Provinciarum : an ordinandi tantum Metropolitanos, & confirmandi electiones omnium Epiſcoporum, ad ſe relatas, antequam illi a Metropolitano quique ſuo ordinarentur. Poſtremæ huic interpretationi ſuffragari viſus eſt Innocentius I. in Epiſtola ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum data, ubi exemplo Eccleſiæ Romanæ, quam imitandam propoſuerat Nicæna Synodus, ſuadet ut Metropolitanos ipſe ordinet, Epiſcopos omnes ſemel electos confirmet, antequam ordinentur (1) ; *Revolventes auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ una omnium per orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum, quæ cenſuit de Antiochena Eccleſia, &c. Quam ſuper diœceſin ſuam prædictam Eccleſiam, non ſuper aliquam Provinciam recognoſcimus conſtitutam. Unde advertimus, non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod prima primi Apoſtoli ſedes eſſe monſtretur ; ubi & nomen accepit Religio Chriſtiana, & quæ conventum Apoſtolorum apud ſe fieri celeberrimum meruit ; quæque urbis Romæ ſedi non cederet, niſi quod illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum apud ſe, conſummatumque gauderet. Itaque arbitramur, frater cariſſime, ut ſicut Metropolitanos auctoritate ordinas ſingulari, ſic & ceteros non ſine permiſſu conſcientiaque tua ſinas Epiſcopos procreari. In quibus hunc modum recte ſervabis, ut longe poſitos litteris datis ordinari cenſeas ab his, qui nunc eos ſuo tantum ordinant arbitratu ; vicinos autem, ſi æſtimas, ad manus impoſitionem tuæ gratiæ ſtatuas pervenire. Quorum enim te maxima expectat cura, præcipue tuum debent mereri judicium.*

III. Circumcidendus fuiſſet & decurtandus hic contextus, niſi arcana veteris diſciplinæ eo continerentur longe plurima : 1. Si ab Eccleſiæ primordiis, Romæ, Alexandriæ, & Antiochiæ tres principes Epiſcoparuum ſedes collatæ ſint, non urbium amplitudini id eſſe tributum honoris, ſed Petri qui in eis ſederat principatui ſupra alios Apoſtolos : 2. Ita Nicænum Canonem VI. interpretatur Innocentius Papa, ut eo concedatur Antiocheno Epiſcopo jus ordinandi Metropolitanos totius Orientalis Diœceſeos, qua plures Provinciæ circumſcribebantur. Quoad Epiſcopos autem harum Provinciarum omnium, ita cenſet Pontifex, ut ordinet Antiochenus proximiores quoſque, quos & Antiochiam arceſſet ; ceterorum electionem litteris confirmet, eoſque a Metropolitanis quemque ſuis jubeat ordinari : 3. Prope abeſt ergo a vero, eam tenuiſſe Romanos Pontifices rationem in Provinciis ſuburbicariis, quarum eis ordinationes integræ reſervabantur. Unde & Cœleſtinus Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Calabriæ & Apuliæ permirum ſibi videri ait, quod cum Epiſcopos ex Laicis ſibi eligant earum Provinciarum cives, in ſpem adducantur, fore ut ab ipſo ordinentur : *De nobis peſſime ſentientes, quos credunt hoc poſſe facere.* 4. Condendi Canonis hujus VI. occaſio nata eſt ab Epiſcopo Alexandrino, cui tributas ordinationes uſurpabat Meletius Archiepiſcopus. Ita auctor eſt Theodoretus (2) : *In Alexandria Meletius adverſus Alexandrum ſeditionem movens, multis urbibus & Epiſcopos ordinavit, & Presbyteros, & Diaconos. Hunc Nicæni Patres ab Eccleſiæ gubernaculis repulerunt, &c.*

Auctor eſt etiam Epiphanius (3) ab Epiſcopo Alexandrino regi ſolitas Provincias complures circumjacentes, Ægyptum, Thebaidem, Lybiam, Pentapolin. Ex Epiſtolis quoque Syneſii (4) Epiſcopi Ptolemaidis, quæ Metropolis erat Pentapoleos, perſpicuum eſt id ei curæ fuiſſe, ut Epiſcopi ſuæ Provinciæ eligerentur, ut eos ipſe quidem confirmaret, ordinandos vero dimitteret ad Epiſcopum Alexandrinum. Epiſtola certe Nicænæ Synodi ad Alexandrinos cavetur omnino ne Epiſcopi Ægyptii ab alio quovis ordinentur, quam ab Archiepiſcopo Alexandrino.

IV. Præter tres illas Diœceſes majores, ſeu Exarchatus Concilii Nicæni, tres Diœceſes alias ſimiliter majores, & plurium ſingulas Provinciarum Concilium I. Conſtantinopolitanum commemorat (5), quibus ſingulis ſuus præerat Exarchus, ſeu mavis Patriarcha, cujus in jure & poteſtate erat Epiſcopos omnes earum Provinciarum ordinare. Eæ ſunt Aſiæ, Ponti, & Thraciæ Diœceſes, quarum principes & capita urbium ſunt Epheſus, Cæſarea & Heraclea. In Concilio Chalcedonenſi illud novatum eſt (6), ut ab Epiſcopo Conſtantinopolita-

no

[1] Epiſt. 28. [2] Hæret. fabul. L. 4. c. 7. [3] Hær. 68. n. 1.
[4] Ep. 67. 76. [5] Concil. Conſtantinopolit. Can. 2. [6] Can. 28.

no poſthac ordinaretur Metropolitani trium horum Exarchatuum, necnon & Epiſcopi omnes Barbaricarum circumpoſitarum regionum: permiſis unicuique Metropolitano ordinationibus Epiſcoporum ſibi obnoxiorum in ſingulis.

V. Conſtitutus fuerat a Pontifice etiam Romano Exarchus ſeu Primas in Provinciis Græciæ omnibus, quæ in ditione erant Romani Patriarchatus. Erat is Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, ad quem referre jubebantur Metropolitani omnes earum Provinciarum electiones Epiſcoporum, ut ab eo ante confirmarentur, quam eos ipſi ordinarent. Lubet hic proferre, quæ in hanc rem Leo Papa ad Anaſtaſium ſcripſerit Archiepiſcopum Theſſalonicenſem (1): *De perſona conſecrandi Epiſcopi, & de Cleri plebiſque conſenſu, Metropolitanus Epiſcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in Provincia bene placuit, ſcire te faciat, ut ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet auctoritas.* Ubi vita migraverat Metropolitanus, in Metropolin confluebant omnes Epiſcopi Provinciæ, Clerum Populumque convocabant ad electionem Paſtoris, de ea referebant ad Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, & ubi ab illo confirmatus eſſet electus, tum vero ipſimet Metropolitanum novum ordinabant. *Optimus eligatur, de cujus nomine ad tuam notitiam Provinciales referant Sacerdotes, impleturi vota poſcentium, ſi quod ipſis placuit, tibi quoque placuiſſe cognoverint.*

VI. Erat ergo inter hos Primates, ſeu Exarchos diſcrepantiæ nonnihil. Cum alii ordinarent ſuæ valtiſſimæ ditionis non Metropolitanos tantum, ſed & Epiſcopos prorſus omnes: alii ſolos Metropolitanos manu ſua ordinabant; alii neutros ordinabant, ſed ordinationem ſuſpendebant, donec electionem examinaſſent, approbaſſentque. In commune vero illud obſervabatur, ut confirmarentur hi Epiſcopi omnes, non a ſuo tantum Metropolitano, ſed a Primate, ſeu Exarcho & Patriarcha totius Diœceſeos ſeu territorii Patriarchalis. Et conſentanea quidem erat hæc Eccleſiarum tum Provinciarum, tum Diœceſeon diſtributio diſtributioni earundem civili: ſed quod attinet ad tres antiquiores & majores Patriarchas, jam inculcatum eſt a nobis nihil hic momenti fuiſſe in magnitudine earum civitatum Regiarum, ubi ſedilſent Imperatores Romani, Regeſque ſive Ægypti, ſive Orientis; niſi ut eo potius alliceretur Princeps Apoſtolorum Petrus a Chriſto conſtitutus, ut ibi maxime ſuam Chriſtique ſedem defigeret, utque idololatriam in ipſis arcibus Imperii ſui debellaret, ut quæ antiquiſſimæ fuerant magiſtræ erroris, fierent diſcipulæ veritatis.

VII. Porro ſi Romanus Pontifex ante aliquot jam ſæcula cœpit ſolus pene diſpenſare omnes Epiſcopatus orbis Chriſtiani, qui & ipſe fere jam Romani Patriarchatus finibus coarctatur: ſi unum in eum propemodum coaluiſſe videntur omnia Metropolitarum priſca jura: ſi poſtremæ hujus ætatis interpretes Canonum & Decretorum, Collatorem, & ſummum omnium Beneficiorum fere diſpenſatorem illum dixere: ea quidem Eccleſiaſticæ diſciplinæ immutatio viciſſitudini rerum humanarum & temporum lapſibus merito adſcribenda eſt; ſed ejus tamen recentioris diſciplinæ præluſiones quaſdam & veſtigia juvabit obſervaſſe prioribus, adeoque & veteſtiſſimis ſæculis impreſſa. Ne dubitari quidem poteſt, quin Apoſtoli, & maxime Apoſtolorum Principes ſumma quadam poteſtate præterunt in creandis Epiſcopatibus novis, & in Epiſcopis deligendis. Ubi ab illis creati ſunt Metropolitani, non ſuo ſe illi funditus priſco exuerunt jure in Epiſcopos, & in ipſos Metropolitanos. Iterum iterumque inculcandum illud eſt, Epiſcoporum imperium ſuper alios Epiſcopos Apoſtolorum æque ſucceſſores, proficiſci ab ejus prærogativæ imitatione & expreſſione, qua Chriſtus Petrum decoravit, extulitque ſupra alios Apoſtolos. Itaque tres illi majorum gentium Epiſcopi, qui Petri peculiares fuere ſucceſſores in tribus Eccleſiis Patriarchalibus, ingentem ſemper retinuere auctoritarem & juriſdictionem in Metropolitanos & Epiſcopos omnes complurium Provinciarum ſibi ſubjectarum. Epiſcopi Alexandrini in ſede Marci diſcipuli Petri confirmabant, ordinabantque Metropolitanos omnes, & cum libebat Epiſcopos omnes Provinciarum ſuæ ditionis. Ita ſoli quodammodo erant Metropolitani. Vetuſtam hanc conſuetudinem non aliud Nicæna Synodus quam novo robore firmavit, & ſive Alexandrinæ, ſive Antiochenæ Eccleſiæ diſciplinam exemplo Romanæ in hac parte conſtituit. Electiones omnes Epiſcopales ab Epiſcopis cujuſque Provinciæ fiebant, Cleri votis, populi teſtimoniis libratis, ſed is

(1) Ep. 84. c. 6.

ſane plurimum habet in electiones poteſtatis, qui earum examinandarum, confirmandarum, irritandarum jure fruitur. Ideo & primariam auctoritatem, τὸ κῦρος, electionum Metropolitanis Canones vindicabant: quod eorum eſſet muneris eas confirmare.

VIII. Quantavis antiquitatis gloria donetur jus Metropolitanorum, poſterius certe eſt privilegio Apoſtolorum, Sediumque Apoſtolicarum. Alibi jam demonſtratum eſt a nobis Metropolitanorum Sedium prærogativas inde maxime emerſiſſe, quod & ipſæ ſuo quodam modo Apoſtolicæ ſint Sedes.

IX. Si potuere Apoſtoli jam inde ab exordio Metropolitanos creare, qui mediam quodammodo poteſtatem exercerent inter ipſos & Epiſcopos: ut penderent illi quidem ab Imperio Apoſtolorum, Epiſcopos vero ſuis mandatis obſequentes haberent: Potuit ergo & Eccleſia, quæ auctoritatis Apoſtolicæ depoſitum & jus in ſinu ſemper ſuo geſtat; potuit, inquam, eodem modo, iiſdemque de cauſis creare Primates, Exarchos, aut Vicarios Legatoſque Apoſtolicos, qui medii eſſent inter Apoſtolicas Sedes & Metropolitanos. Ejus generis fuere Primates, ſeu Exarchi, Epheſinus, Cæſareenſis & Heracleenſis in Imperio Orientali, Primas ſeu Archiepiſcopus Carthaginenſis, Legatus Apoſtolicus Theſſalonicenſis, & non pauci alii, eadem poteſtate a Romanis Pontificibus in Occidente muniti. Non hærebo hic in Legatis & Vicariis Apoſtolicis, qui ſupra Metropolitanos a Papa collocati ſunt ante annum Chriſti quingenteſimum. Unum adnotabo, inter eos antiquitate ſua excelluiſſe Theſſalonicenſem, ei ceteros perſimiles fuiſſe, paruiſſe Eccleſiam Gallicanam his Papæ Vicariis, qui Metropolitanis etiam præerant; idque omnino argumenti ſatis habere, ut evincatur, in ordinationes Epiſcoporum omnium Patriarchatus Romani Romanos Pontifices jus non mediocre jam olim non obtinuiſſe tantum, ſed & exercuiſſe.

X. Chryſoſtomo viſum eſt, potuiſſe Petrum ſuo id ſibi jure ſumere, ut Matthiam ſolus eligeret; ſed de jure abuti noluiſſe, ne cui ſuſpicionem moveret, favori & gratiæ privatæ aliquid datum eſſe. Sic enim ille Homilia III. in Acta Apoſtolorum: *Quid, an non licebat ipſi Petro eligere? Licebat & quidem maxime; verum id non fecit, ne cui videretur gratificari.*

XI. Quantumcunque deſudatum ſit a nobis, ut exploremus, num veſtigia aut monumenta aliqua ſuppeditaret antiquitas ejus quæ nunc viget conſuetudinis, ut omnium fere per orbem Epiſcoporum electio vel ordinatio ſoli Pontifici reſervetur: ex adverſo enituit, omnes fere Epiſcopos, maxime Orientalium Patriarchatuum, Sedes ſuas adminiſtraſſe inconſulto Papa. Quanquam enim poſt ordinationem ſuam litteras ad eum darent, ut vertici ſe conglutinarent unitatis & communionis Catholicæ; nihil id attinebat ad confirmationem novæ dignitatis ſuæ ab eo flagitandam. Quinimmo nonniſi Patriarchæ, Exarchi & Primates hac Epiſtolarum ultro citroque commeantium alternatione alere tenebantur eam Sedis ſuæ cum Sede Petri ſocietatem, reliquis Epiſcopis ei cohærentibus medio hoc Primatum ſuorum nexu. Deniqne ſi vel Leo I. Papa hoc unum deſideravit, ut Epiſcopi Illyrici Occidentalis, qui parebant Exarcho Theſſalonicenſi Legato & Vicario Sedis Apoſtolicæ, ab eo confirmarentur; ut nihil præterea opus eſſet, ut Romam vel commearent ipſi, vel mitterent, quo Pontificem ſuæ vel electionis, vel ordinationis certiorem facerent: quid conjectandum reſtat de Epiſcopis longinquioribus, & qui ne Romani quidem Patriarchatus finibus claudebantur?

XII. Conſecratio jam Epiſcoporum uſque adeo electioni eorum cohærebat prioribus his ſæculis, & ita de proximo ſequebatur ſequentibus mediis ſæculis, ut eam Græci exprimerent una & eadem voce, atque electionem, χειροτονία. Qui ad electionem convolarant Epiſcopi, iidem ipſi plerumque electum mox conſecrabant, niſi differri rem cogeret neceſſitas expectandæ confirmationis Exarchi. Vetuit Chalcedonenſis Synodus, ne ea ſine gravi neceſſitate ultra tres menſes differretur (1): *Epiſcopi ordinentur intra tres menſes a Metropolitano, niſi ex cauſa neceſſaria.* Conſecrandi munus obibat Metropolitanus, aut illud delegabat. Quæ exceptiones hic erant, jam pertractatæ ſunt. Intererant ex officio omnes Epiſcopi Provinciæ, ut qui auctores & cenſores fuiſſent electionis. Voluit Nicæna Synodus (2), ut tres ſaltem intereſſent, ceteris per ſcripta aſſentientibus. Eidem numero cetera fere deinceps ſubſcri-

(1) Can. 25. (2) Can. 4.

ſcripſere Concilia. Canonum porro hujuſmodi omnium verba ſcrupuloſa lance penſitata, illum numerum declarant Epiſcoporum, præter Conſecratorem, ad ſolemnitatem magis & pompam conſecrationis pertinere, quam ad ejus neceſſitatem.

XIII. Hujus porro conſecrationis ſuæ pompam quilibet Epiſcopus privatim deinceps ſua in Eccleſia anniverſariam recolebat. Plurimi extant Patrum ſermones in hoc habiti Natali Epiſcoporum die annis ſingulis recurrente, ut primigenium Epiſcopatus ſui fervorem langueſcere ne ſinerent. In iſtiuſmodi ſermone aliquo docet nos Auguſtinus, eum a ſe celebrari annuum ordinationis ſuæ diem, quaſi tum primum graviſſima ſanctiſſimaque ea ſarcina ſibi infligeretur: *Cum dies anniverſarius noſtræ ordinationis exoritur, tunc maxime honor hujus officii tanquam primo imponatur, attenditur.* Eo die ſanctiſſimus Pater replicabat animo geſta hactenus ſui Epiſcopatus omnia, & in futurum meditabatur, quo expiari poſſent præterita commiſſa, quo futura præcaveri; ut accuſator ipſe ſui, accuſationes communis omnium accenſatoris & adverſarii declinaret: exarmaretque Judicem illum inexorabilem, qui illis demum unis parcet, qui ſibi non pepercerint ipſis (1): *Non ſolum futura, quemadmodum deinceps geri debeant, cauſa præviſione conſulimus; verum etiam præterita, quemadmodum geſta ſint, ſollicita recordatione recolimus; ut noſmetipſos in benefactis imitemur, & ſi qua culpanda tranſierunt, ut repetantur, curemus; ut ignoſcantur, oremus, & accuſationem diaboli, ubi poſſumus, recte agendi ſedulitate fugiamus: ubi autem non poſſumus, confitendi pietate vincamus. Sicut peccata ne fiant proſpicit caritas; ita facta dedet humilitas.*

De electionibus ab anno quingenteſimo ad octingenteſimum.

CAPUT IX. *P. 2. l. 2. c. 29.*

De Electionibus in Oriente a quingenteſimo ad octingenteſimum annum.

I. Imperator, Optimates, Epiſcopi, Clerus, Populus ſuo quiſque gradu & modo electioni Patriarchæ ſuffragabantur.

II. In Electionibus primas tenebat auctoritas Epiſcoporum.

III. Fuit ubi a Clero Populoque tres eligerentur, ex quibus Metropolitanus digniſſimum eligeret, vel ſenior Provinciæ Epiſcopus.

IV. Ita ſanxerat Juſtinianus, quaſi priſca ea viguiſſet conſuetudo.

V. Ita penes Metropolitanum reſidebat ſumma auctoritas.

VI. VII. Ex populo Optimates ſoli aliqua erant poteſtate.

VIII. Quanto tempore per Canones utriuſque Eccleſiæ vacare poſſint ſedes Epiſcopales? Uſus Orientalium toto Occidente pervagatiſſimus.

I. AD mediæ jam ætatis priora ſæcula accedimus, quæ a Clodovæo Rege ad Carolum Magnum effluxere: & quæ tum Electionum regulæ fuerint, perſcrutari adgredimur. Initium ducimus ab Eccleſia Græca, ubi quantum potuerint Epiſcopi Provinciæ, Metropolitanus, Clerus, Populus, liquet ab exemplo Epiphanii, quo poſt obitum Joannis Patriarchæ Conſtantinopolitani electo, Synodus Epiſcoporum ex iis ſolemni more conflata, qui tum forte Conſtantinopoli verſabantur, de ea re ad Hormiſdam Papam litteras dedit, teſtatumque fecit, unanimi conſenſu electum eum fuiſſe ab Imperatore & Imperatrice, Magnatibus Imperii & Epiſcopis (2): *Secundum rectam & probabilem Chriſtianiſſimi noſtri Principis, & piiſſimæ Reginæ, & glorioſiſſimorum communis Reipublicæ Procerum ſententiam, noſtra quoque etiam omnium in hac urbe habitantium teſtificatione, &c.*

(1) L. 50. homil. hom. 24. 25.

(2) Poſt Ep. 70. Hormiſdæ.

Scripſit & ipſe Epiphanius ad Pontificem, electionem ſuam approbatam fuiſſe Imperatoribus, Proceribus Aulæ, Epiſcopis, Monachis, Populoque (1): *Sententiæ & electione Chriſtianiſſimi Principis Juſtini, & piiſſimæ Reginæ, ſequentiumque eorum, his quibus eſt bona converſatio, & qui regiis honoribus ſunt ſublimiores, ſimul & Sacerdotum, & Monachorum, & fideliſſimæ plebis conſenſus acceſſit.*

Electus quoque fuit Sophronius, ille virtutum fama celebratiſſimus, Hieroſolymorum Patriarcha, non conſenſione ſolum, ſed pene violenta conſpiratione Cleri, Monachorum, Populi, ut teſtificatur ipſemet in Epiſtola ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum data (2): *Neceſſitate magna & vi, Deo Amabilium Clericorum, religioſorumque Monachorum, & fidelium laicorum, omnium civium hujus ſanctæ civitatis, qui violenta manu me compulerunt, & more tyrannico coegerunt.*

II. Sed quantamcunque in ſocietatem electionum vocaretur Clerus, Populuſque, Epiſcopi ſoli ſemper principem poteſtatis locum obtinebant & ante omnes Metropolitanus. Id teſtatum facit Trullana Synodus, ubi ait, cum Metropolitanus Cypri inſulæ coactus fuerit incurſationibus Barbarorum ſedem ſuam transferre, immo & plebem ſuam omnem traducere in Helleſpontum, æquum eſſe, ut omnibus ille ejus Provinciæ præſit Epiſcopis, utque eligatur & ordinetur ab eis (3): *Præſit omnibus Helleſpontiorum Provinciæ Epiſcopis, & a ſuis Epiſcopis eligatur,* χειροτονῆσθαι, *ex antiqua conſuetudine.* Qui hic ordinabat, elegerat: qui elegerat, ordinabat. Una utrobique Græca vox, quod eorum qui eligerent Nuceps eſſet ordinator ipſe. Ita perſpicue Joannes Antiochenus in ſuo Nomocanone (4): *Oportere Epiſcopum tum a Metropolitano, tum etiam ab omnibus ejuſdem Provinciæ Epiſcopis ordinari, vel præſentibus ipſis, vel ſcriptis conſentientibus, ac non multitudini permittere Epiſcoporum facere electiones,* ἐκλογάς. Itaque idem ſonant duæ hæ voces: χειροτονία, ἐκλογή.

III. Accipe & alias non paulo validiores probationes. Cum Proclus Epiſcopus Lariſſæ vivis abiiſſet, Stephanus in ejus locum ſubſtitutus eſt, coactuſque Romam proficiſci, ut in Synodo coram Bonifacio II. Papa anno 531. cauſam ſuam tueretur. Ibi hanc fuiſſe ſignificavit electionis ſuæ rationem; Clerum & Populum tres elegiſſe, quorum digniſſimus duobus aliis anteponeretur (5): *Decretum factum eſt communiter tam Cleri, quam populi, Metropolitani, atque eorum, quorum aſſenſus erat actui neceſſarius, & ſecundum priſcam conſuetudinem tribus electis, Alexandro Presbytero, N. Presbytero, ac me exiguo, meliori teſtimonio fortito, electionis palmam promerui, &c. Et quia ordinationem ſecundum priſcam conſuetudinem non alibi, ſed in eadem Civitate fieri oportebat, convenit ſancta Provinciæ Synodus, & totius Civitatis poſſeſſores, omneque corpus Eccleſiæ, & communi omnium teſtimonio, nihil conſuetudini detrahente, in Eccleſia ſum ordinatus Epiſcopus.*

VI. Obſervandum hic venit, moris jam fuiſſe vetuſti, ut a Clero, populoque tres proponerentur, ex quibus qui electioni præerat, unum, eumque digniſſimum deligebat. Porro præeſſe non poterat electioni, niſi Metropolitanus, aut alius quis ejus vice Epiſcopus. At ecce ipſiſſimam Juſtiniani Conſtitutionem, qua confirmatus eadem conſuetudo, ut Clerus & Populus tres primum deligant, & Metropolitano, vel Conſecratori Epiſcopo copia fiat ex tribus illis digniſſimum deligendi (6): *Sancimus, quoties opus fueris Epiſcopum ordinari, Clericos & Primates civitatis, cujus futurus eſt Epiſcopus ordinari, mox in tribus perſonis decreta facere, &c. ut ex tribus perſonis pro quibus talia decreta facta ſunt, melior ordinetur, electione & periculo ordinantis,* ὁ βέλτιον χειροτονηθῇ τῇ ἐκλογῇ καὶ τῷ κρίματι τοῦ χειροτονήσαντος.

V. Si tres tantæ dignitati pares non occurrant, poſſunt pes eam Juſtiniani legem eligentes ad duos ſeſe coarctare, immo & ad unum; verum ſi intra ſex menſes non eligant, quorum id juris eſt, faucitus, ut Conſecrator ſolus eligat, ordinetque Epiſcopum (7): *Si vero, ut evenit in quibuſdam locis, non inveniuntur tres perſonæ, ad talem electionem opportunæ, liceat decreta facientibus, in duabus, & in una perſona decretum facere. Si vero qui debent Epiſcopum eligere, citius ipſa decreta inter ſex menſes non faciant, tunc periculo propriæ ani-*

[1] Ibid. poſt Ep. 71. [2] Sext. Synod. act. 12. [3] Can. 19
[4] Tit. 7. Biblioth. Juris Canon. pag. 610. [5] Collect. Rom. Holſtenii pag. 6. 7.
[6] Nov. 123. c. 1. (7) Ibidem.

anima, ille quem competit ordinare Epiſcopum, ordinet. Perſpicuum eſt & hoc ultimo caſu electionem & ordinationem ab uno & eodem Epiſcopo peractam fuiſſe. Itaque cum electio fieret, vel duobus, tribuſve nominatis, qui eſſent idonei: vel denique præterlapſis ſex menſibus vacuæ ſedis: hoc ultimo caſu ſolus conſecrator Epiſcopus eligebat, quem voluiſſet: primo caſu eligebat idem ipſe digniſſimum, ex duobus tribuſve electis: ſecundo caſu, illius, æque ut Cleri & Populi, ad unum arctabatur electio, quod unius tantum copia eſſet idonei.

VI. Hæ Juſtiniani Conſtitutiones Novellæ confirmantur etiam alibi in ejus Novellis & in Codice (1). Præmittere his voluimus cauſam Stephani Metropolitani Lariſſæ agitatam in Synodo Romana, paucis poſt annis, quam Imperii clavum capeſſiverat Juſtinianus; ut certius liqueret, a Juſtiniano nonniſi confirmatam & obſervari juſſam antiquam Eccleſiæ conſuetudinem, *Secundum priſcam conſuetudinem*: ut Clerus Populuſque tres eligerent e quibus Metropolitanus, vel Conſecrator quicunque alius futurum Præſulem digniorem eligeret. Illud autem hic præterea enituit, populi ſive ſuffragia ſive teſtimonia in electionibus devoluta jam fere fuiſſe ad ſolos honoratiores, quibus ceteri applauderent.

VII. Sanctiſſimus Archimandrita Theodorus Siceota a Clero populoque Anaſtaſiopolitano ex ſuo Monaſterio vi abreptus eſt (2): *Acceſſerunt Clerici & Cives &c. Vi quadam pia illata*: ad Metropolitanum Ancyram pertractus, a quo & ordinatus eſt, commendatuſque Epiſcopo Cynaræ, qui eum in Eccleſiam ſedemque ſuam deduceret. Auctor vitæ Stephani Junioris, Monachi & Martyris, tanquam rem ſtupendam & inauditam narrat & lamentatur, intruſionem Presbyteri Conſtantini in ſedem Patriarchalem Conſtantinopolitanam, audacia infanda & ſacrilega Conſtantini Copronymi, cum eum nec elegiſſent Epiſcopi, nec Synodus examinaſſet.

VIII. Nullibi opportunius quam hoc loco pertractari poteſt ea quæſtio, quandiu fas ſit vacare Eccleſiam Epiſcopalem. Canone VIII. Concilii Carthaginenſis V. jubebatur Epiſcopus Viſitator intra annum perficere, ut electio fieret, & Epiſcopus ordinaretur, alioqui Viſitator alius eidem Eccleſiæ deſignabatur: *Intra annum eiſdem Epiſcopum provideant; quod ſi neglexerint, anno exempto, alius Interventor tribuatur*. Non diſtat a veriſimili, ante Concilium Chalcedonenſe in Eccleſia Orientali nullum certum ad id tempus præfinitum fuiſſe. Verum cum Chalcedonenſis Canon ea de re editus ſanciat, ut intra tres ſaltem menſes ordinatio fiat: inde augurari datur, eam diſciplinæ partem minus in Oriente, quam in Africa, relaxatam fuiſſe (3): *Quoniam quidam Metropolitanorum commiſſos ſibi greges negligunt, & ordinationes Epiſcoporum facere differunt, placuit ſanctæ Synodo intra tres menſes Ordinationes Epiſcoporum celebrari, niſi forte inexcuſabilis neceſſitas cogerit tempus dilationis extendi*.

In Oriente ergo refundebatur culpa in Metropolitanum, in Africa vero in Epiſcopum Viſitatorem, ubi ultra ſtatum tempus electio procraſtinabatur. Capite autem ab eo manabat ea diverſitas, quod in Oriente Metropolitano vacantium Epiſcopatuum cura & cuſtodia mandaretur: in Africa & Occidente fere toto Epiſcopo Viſitatori. Quod autem Carthaginenſe Concilium unius anni inducias daret ad eligendum Epiſcopum, ex eo forſan id proficiſcebatur, quod longe difficiliores eſſent in Occidente electiones, propter non mediocrem in eis plebis poteſtatem: ac cum in Oriente multo minus plebi tribueretur, longe proclivius erat Epiſcopis, diſſenſiones ſedare omnes, & rem totam trimeſtri extricare ſpatio.

Locus tamen fuit in Occidente Chalcedonenſi huic Canoni, quanquam non ſatis mihi quidem conſtet, quod fatis religioſe fuerit obſervatus. Ejus alicubi memoria eſt in Epiſtolis Gregorii (4): *Sacri Canones ultra tres menſes Eccleſiam præcipiunt non vacare*. Epiſcopi Concilii XII. & XIII. Toletani eam ſibi prætexuere cauſam concedendæ Epiſcopo Toletano poteſtatis, ut nominatos a Rege Epiſcopos Toleti ordinaret, ne diutius vacare ſinerentur Eccleſiæ Epiſcopales (5): *Ut Epiſcopi alterius Provinciæ cum conniventia Principum in urbe regia ordinentur, &c. Quoſcunque poteſtas Regalis elegerit, &c.* Ea cautione, ut tertio poſt ordinationem ſuam menſe, ſuo ſe ſiſtant Metropolitano: *Infra trium men-*

(1) Nov. 137. c. 2. Cod. l. 9. De Epiſc & Cler. l. 42.
(2) Can. 23. (3) Vita ejus apud Surium die 22. Apr.
(4) L. 6. Ep. 14. 39. (5) Can. 6. Can. 9.

menſium ſpatium, proprii Metropolitani præſentiam viſurus accedat. Fidem facit Hincmarus Chalcedonenſem eum Canonem Gallis noſtris haud incompertum fuiſſe (1): *Epiſcopi in Chalcedona ſexcenti triginta & eo amplius conſtituerunt, ut ultra tres menſes Ordinationes Epiſcoporum non differantur.* In Concilio Lateranenſi ſub Innocentio II. inſinuatur ea fuiſſe Occidentalium Eccleſiarum regula: *Ultra tres menſes vacare Eccleſias prohibent Patrum ſanctiones.* Copioſius alibi de innovationibus in ea re poſterius factis.

De Decretali Pelagii Papæ omnino ſilui, quod commentitia prorſus ea ſit, ut dictum eſt ſupra, ubi de Pallio ageretur. Quæ autem hic dicta ſunt de Eccleſiis Occidentalibus, planum faciunt nullam in eis habitam fuiſſe rationem Novellæ Juſtiniani (2), quæ ſex menſes concedebat, pro tribus menſibus Concilii Chalcedonenſis. Non diffideret a veriſimilitudine, ut huic Canoni de tribus menſibus obtemperaretur, retentam eſſe ad Epiſcopales Ordinationes antiquam conſuetudinem ſingulis Dominicis ordinandi: cum ceteræ ordinationes quatuor temporum jejuniis ſint affixæ.

CAPUT X. *P. 2. l. 2. c. 30.*

De Electionibus Epiſcoporum in Italia, in Gallia, in Occidente reliquo, per eadem media ſæcula.

I. In Italia Præſides, Nobiles, Senatus, Populus cum Clero conſpirabant ad electiones, & Decreto electionis ſubſcribebant.

II. Si ſuis in Civitatibus & Eccleſiis non ſuppeterent idonei, compromiſſarios Romam delegabant, qui ibi eligerent.

III. Primaria auctoritas penes populum erat.

IV. V. Quam alienus eſſet Gregorius a nominandis ſuo nutu Epiſcopis.

VI. De electione Pontificum Romanorum.

VII. Clerus ibi etiam dominabatur.

VIII. In Gallia omnes Epiſcopi Provinciæ concurrebant, maxime ad electionem Metropolitani.

IX. Populi & Cleri ſuffragiis locus erat, ſed dominabatur Metropolitanus.

X. XI. Non fere niſi ad electionem Metropolitani convolabant Provinciæ Epiſcopi omnes.

XII. Permiſſio Regia neceſſaria.

XIII. Hinc Clotarius I. anſam arripuit nominandi Epiſcopos.

XIV. Reſtitum eſt ab Epiſcopis, immo & a poſterioribus Regibus.

XV. Temperamento quandoque huic acquievere; ut quem Rex nominaſſet, is ab Epiſcopis, a Clero, a Populo examinaretur & probaretur.

XVI. Occupabant quandoque Epiſcopi præſentare Regibus eos, qui Epiſcopatu digni cenſerentur: quos tum Clerus Populuſque eligebat.

XVII. XVIII. XIX. In Hiſpania & in Africa Populus, Cleruſque eligebat.

I. IN Eccleſia Latina conſtitit media etiam hac ætate Populo Cleroque priſca libertas eligendi. Ab Italia ordiar. Scripſit Gregorius Magnus (3) Papa *Urſicino Duci, Clero, Ordini, & Plebi* Ariminenſi, ut eos hortaretur ad eligendum Epiſcopum, qui eam dignitatem ſacratiſſimam non dehoneſtaret. Eadem de cauſa ſcripſit (4) *Clero, Ordini, & Plebi* Peruſitanæ civitatis: *Clero & Nobilibus, Ordini & Plebi* Neapolitanæ: *Clero, Ordini & Plebi* Nepienſi. Cum autem Subdiaconum Eccleſiæ Romanæ delegaret ad acceleranda electionem Epiſcopi Mediolanenſis, præcepit ut Genuam iter ageret, & vota audiret complurium Mediolanenſium, qui eo aufugerant propter hoſtium incurſiones. Uſu receptiſſimo in pleriſque Italiæ urbibus, qui electus fuerat, Romam proficiſci tenebatur, ad Metropolitanum videlicet ſuum, cum Decreto authentico ſuæ electionis, ſigillis munito eligentium & Epiſcopi, qui electioni præfuerat, tanquam Eccleſiæ vacantis Viſitator (5): *Qui dum fuerit poſtulatus, eum ſolemnitate Decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & dilectionis tuæ teſtimonio litterarum ad nos veniat ſacrandus.*

II. Scripſit idem Gregorius ad Ducem Campaniæ, ut Primates Neapolitanæ civitatis, Populumque convocaret ad alterius Epiſcopi electionem, & ſi forte Neapoli nullus occurreret, qui ei oneri ſerendo par eſſet, Romam tres ſpectatæ ſapientiæ & probitatis viros delegarent, a quibus is eligeretur Epiſcopus, cui tota civitas conſentiret

(1) Ep. 12. c. 5. (2) Novel. 123. c. 1. (3) L. 1. Ep. 56. 58.
(4) L. 1. Ep. 3. 8. 30. (5) L. 2. Ep. 19. 27. 38.

tiret (1): *Siu aptam non invenietis, in quam poſſitis conſentire perſonam, ſaltem tres vi-ros rectos ac ſapientes eligite, quos ad hanc urbem generalitatis vice mittatis, quorum & judicio plebs tota conſentiat.* Tres hi ad eligendum delegandi erant ex Clero, eiſque ſe Romæ adjungere debebant Neapolitani quidam Nobiles ad Epiſcopi electionem. Accipe enim quæ idem Pontifex ſcripſerit ad ſuum in Campania Apoſtolicum Nuntium (2): *Experientia tua Clerum Eccleſiæ Neapolitanæ conveniat, quatenus duos vel tres de ſuis eligere, & huc ad eligendum Epiſcopum tranſmittere non omittant. Sed & ſua nobis relatione inſinuent, quoniam ii quos tranſmiſerint, omnium in hac electione vice fungantur, &c. Sub omni hac celebritate electos de Clero tranſmitte, ut quia diverſi hic Nobiles civitatis Neapolitanæ præſentes ſunt, una cum eis de Epiſcopali ordinatione tractare poſſimus.*

III. Ex his enitebcit Duces & Præſides civitatum ac Provinciarum, Nobiles, qui alicubi ſuum privatim & quidem primarium conſtituebant Collegium, ut Neapoli, quæ civitas eo etiamnunc nomine nobilis habetur & dicitur; Senatum denique, & populum, partes ſuas aliquas ad electionem interpoſuiſſe, ſed primas auctoritatis vindicaſſe ſibi Clerum. Illi quippe Neapolitanæ civitatis Delegati, vel Compromiſſarii, ex Clero erant. Nec idem Gregorius niſi ad *Preſbyteros, Diaconos & Clerum* Mediolanenſem ſcripſit (3) de eligendo ab ipſis Epiſcopo. Ad Epiri quoque Epiſcopos ſcribens (4), electionem confirmat a Clero & Epiſcopis Provinciæ factam: *Cujus conſecrationem, quoniam Cleri & Provincialium proveniſſe ſignato aſſenſu, gaudemus.*

IV. Quod autem præ ceteris jure deminemur, unum illud eſt a privatis affectibus & cupiditatibus quibuſvis alieniſſimum Gregorii pectus, conſtanſque ratio & voluntas, ut ne ſe unquam ipſe electionibus Epiſcoporum interponeret, non eas in ſuum torqueret uſum, non ex qualicunque parte ſibi vindicaret; non antiquius denique, aut dulcius haberet quidquam, quam Eccleſiarum ſingularum jura & libertates tueri. Cum idoneis Epiſcopi copiam non haberent Panormitani, illud idem eis Gregorius inſuſurtavit conſilium, ut Romam aliquos ex ſuis mitterent, qui eorum nomine eligerent Epiſcopum: contellatus non aliud ſibi cordi eſſe, quam ut eis conſuleret, utque unaquæque Eccleſia proprio ex Clero ſuum ſibi Paſtorem cooptaret (5): *Hortandus eſt Clerus & populus, ut eis qui ad nos venerint, ſua debeant vice mandare, quatenus hic habeant eligendi licentiam, ut ſi vel hic inveniri potuerit, confecretur. Quod tamen nos non voluntate impulſi loquimur, ſed neceſſitate compulſi; quia quantum eſt ad noſtræ auctoritatis judicium, de ſuis volumus ut debeant habere Paſtorem.* Idem rurſum alibi inculcaverat, Eccleſiæ cujuſque Clericos extraneis omnibus antehabendos in Epiſcopali electione (6): *Nullum de altera eligi permittat Eccleſia, niſi forte inter Clericos earundem civitatum, in quibus viſitationis impendis officium, nullus ad Epiſcopatum dignus, quod evenire non credimus, poterit inveniri.*

V. Indigitavit tamen quandoque ſanctiſſimus Pontifex quem eligi cuperet, ſed ita demum ſi nemo eſſet in Clero proprio idoneus, & ne tunc quidem aliud quam eligendum proponebat, impevio abſtinebat prorſus (7): *Habitatoribus civitatis edicito, ut ſi in eadem Eccleſia dignum ad hoc opus invenerint, in ipſius cunctis electione declinent. Alioquin præſentium tibi portitor perſonam, de qua ei diximus, indicabit, in cujus debeat fori electione decretum.* Cum denique reliſſet Gregorius Mediolani electum fuiſſe in Epiſcopum Conſtantinum Diaconum, qui ei civitati & venerationi erat, & amori prope ſingulari: per litteras mandavit, ut circumſpectiſſime nihilominus agerent; ſibi enim jamdiu certiſſimum eſſe, nullis ſe electionibus immiſcere (8): *Veruntamen quia antiquæ meæ deliberationis intentio eſt, ad ſuſcipienda paſtoralis curæ onera, pro nullius unquam miſceri perſonæ.*

VI. Electus fuerat Gregorius ipſe a Clero, Senatu & Populo Romano (9): *Reniteutem totis viribus Clerus, Senatus, Populuſque Romanus ſibi concorditer Pontificem delegerunt.* His tum conſtabat Romana Civitas. Quoad urbes alias docet nos Caſſiodorus, qui eſſent earum viri ſpectabiles (10): *Ho-*

(1) L. 2. Ep. 15. (2) L. 2. Ep 25. (3) L. 2. Ep. 29. (4) L. 3. Ep. 7.
(5) L. 11. Ep. 14. (6) L. 2. Ep. 38. (7) L. 2. Ep. 55. 56.
(8) L. 2. Ep. 19. (9 Joan. Diac in ejus vita.
(10) L. 1. c. 39. Caſſiod. L. 2. Ep. 17. L. 3. Ep. 49. L. 4. Ep. 8. 45. L. 6. Ep. 24. L. 8. Ep. 29. L. 9. Ep. 15.

Honoratis, Poſſeſſoribus, Defenſoribus & Curialibus, Comitibus, Defenſoribus, & Curialibus. Epiſcopis & Honoratis. Hi nimirum ad electiones concurrebant. Symmachus Papa Clerum tantum & Cives commemorat, quorum conſenſus conſtare debet teſtimonio Epiſcopi Viſitatoris, qui Eccleſiæ vacanti præerat & electioni (1): *Decretum ſine Viſitatoris præſentia nemo conficiat, cujus teſtimonio Clericorum ac Civium poſſit unanimitas declarari.*

At vero prima Synodus Romana ſub eodem Symmacho conſtituit, ut ſi Cleri Romani vota omnia in unum conſpirarent, is Epiſcopus inauguraretur: ſi diſſiderent ſuffragia, vinceret major numerus: *Si in unum totius inclinaverit Eccleſiaſtici ordinis electio, conſecretur electus Epiſcopus; ſi autem, ut fieri ſolet, ſtudia cœperint eſſe diverſa eorum, de quibus certamen emerſerit, vincat ſententia plurimorum.* His vocibus *Eccleſiaſticus ordo* ſolus videtur primo deſignari Clerus, nec tamen in dubium vocari poteſt, quin populus electionibus adhuc intereſſet. Itaque ne conſuetudini inconvulſæ obſtrepamus, ſatius eſt aliquantulum torquere ea verba, & ex illis unum id exprimere, quanto potior eſſet Cleri quam Populi in electionibus auctoritas. Etenim Hormiſda ipſe Pontifex ita pronunciavit, in electionibus in voce & conſenſione Populi divinam quandam ineſſe vim, & eum eſſe optimum divinæ voluntatis interpretem (2): *Iſtam Sacerdotibus ordinandis reverentiam ſervet electio, ut in gravi murmure populorum divinum credatur eſſe judicium. Ibi enim Deus, ubi ſimplex ſine pravitate conſenſus.* A Clero tamen Vigilium eligi expreſſit Beliſarius, auctore Liberato (3): *Beliſarius convocatis Presbyteris, & Diaconibus; & Clericis omnibus, mandavit eis, ut alium ſibi Papam eligerent.*

VII. His ergo teſtimoniis, quæ totam Clero vindicare nimi videntur electionum facultatem, potiſſima ſaltem ejus pars ei jure ſuo aſſeritur. Ejus rei argumento ruſſus eſt electio Cononis Papæ, ut ab Anaſtaſio Bibliothecario refertur. Archipresbyterum Clerus elegerat Petrum, Theodorum Presbyterum Exercitus. Multum diuque deſudatum eſt, ut concordiæ aliqua ratio iniretur: ſed cum irritus caderet conatus, tandem a Clero electus eſt Conon, vir ſupra omnem comparationis, ſupra omnem admirationis aleam poſitus. Ei electioni Optimates populi protinus conſenſere, eoque Exercitus fractus conſenſu ceſſit: *Sacerdotes & Clerus unanimiter elegerunt tertiam perſonam ſupraſati Pontificis, &c. E veſtigio omnes Judices una cum Primatibus exercitus pariter ad ejus ſalutationem venientes, in ejus laude omnes ſimul acclamaverunt. Videns autem exercitus unanimitatem Cleri populique, in decreto ejus ſubſcribentium, poſt aliquot dies & ipſi flexi ſunt, atque in ejus decreto devota mente ſubſcripſerunt, &c.*

Vides ut Clerus primo eligeret, tum ſpectabiles laici, & plebs ipſa aſſentirentur, ſubſcriberentque decreto electionis, quod denique ad eum referebatur, cui jus erat illud confirmandi. Excedente hinc Cononе, contraria rurſus in ſtudia ſciſſus eſt populus, & diu contumaciterque ſecum ipſe conflictatus. Denique Optimates Cleri, Populi, Exercitus, Sergium elegerunt, eaque pars quia validior, utique prævaluit: *Cum unus alii locum non cederet, inito concilio Primates Judicum Exercitus Romanæ militiæ, vel Cleri plurima pars & præſertim Sacerdotum, & populi multitudo in perſonam Sergii ſe contulerunt, &c. Quæ pars quia validior erat, prævaluit.*

VIII. In Gallias ex Italia concedo, ubi Concilium Aurelianenſe II. ſanxit, ut omnes Epiſcopi Provinciæ ad Ordinationem, hoc eſt ad electionem confluerent Epiſcoporum (4): *Nullus Epiſcoporum, admonente Metropolitano Epiſcopo, ad Ordinationem Conſacerdotis venire detrectet.* At electionem contineri voce Ordinationis, ex Canone alio ejuſdem Concilii apertum fit, ubi edicitur, ut eligantur Metropolitani ab Epiſcopis, Clero & Populis, ac conſeſtim ordinentur, præſentibus omnibus Provinciæ Epiſcopis (5): *In ordinandis Metropolitanis Epiſcopis antiquam inſtitutionis formulam renovamus, quam per incuriam omnimodis videmus omiſſam. Itaque Metropolitanus Epiſcopus a Comprovincialibus Epiſcopis, Clericis vel Populis electus; congregatis in unum omnibus Comprovincialibus Epiſcopis ordinetur.* Ubi palam eſt tot Epiſcoporum cœtum ad electionem magis, quam ad Ordinationis neceſſitatem deſiderari. Sed non diſſimulamus enixius flagitari

(1) Ep. 5. (2) Ep. 25. (3) Breviarii, c. 22.
(4) Can. 1. (5) Can. 7.

tari hoc Canone præſentiam omnium Epiſcoporum Provinciæ, ad Ordinationem Metropolitani, qui ipſis ut Pater & Caput præficiendus erat. Itaque uniuſcujuſque Epiſcopi ordinationi adeſſe cogebantur ex Epiſcopis ii, quos Metropolitanus evocaſſet: at Metropolitani electioni & ordinationi nemo eorum ſubducere ſe poterat.

IX. Ex hoc rurſus Canone patet adelectionem Metropolitani requiſita fuiſſe ſuffragia Epiſcoporum, Cleri & Populi: *Metropolitanus a Comprovincialibus Epiſcopis, Clericis, vel Populis electus*. Concilii Arverni Patres ſuffragia Cleri & Populi, conſenſumque Metropolitani deſideravere, ad electiones Epiſcoporum: proptorea quod Decretum electionis a Clero & Populo celebratæ ad Metropolitanum deferebatur, ab eo confirmandum (1): *Epiſcopatum deſiderans, electione Clericorum, vel Civium conſenſu etiam Metropolitani ejuſdem Provinciæ Pontifex ordinetur*.

X. Illud vero diſcrimen electionis Metropolitani & Epiſcoporum evidentiſſime declaratur in Concilio Aurelianenſi III. ubi utrique electioni neceſſaria Cleri Populique ſunt ſuffragia; at Epiſcoporum electioni unus ſufficit Metropolitanus, cum electioni Metropolitani omnes ſuffragari neceſſe ſit Epiſcopos Provinciæ (2): *Ipſe tamen Metropolitanus a Comprovincialibus Epiſcopis, ſicut decreta Sedis Apoſtolicæ continent, cum conſenſu Cleri, vel civium eligatur, quia æquum eſt, ſicut ipſa Sedes Apoſtolica dixit, ut qui præponendus eſt omnibus, ab omnibus eligatur. De Comprovincialibus vero ordinandis, cum conſenſu Metropolitani, Cleri & Civium, juxta priorum Canonum ſtatuta, electio & voluntas requiratur*.

XI. Non obſcure hic ſignificatur Decretis maxime Syricii Papæ & Succeſſorum ejus, eam conſtitutam eſſe diſcrepantiam electionis Metropolitani & Comprovincialium: ne toties, ne tandiu peregrinari & abeſſe cogerentur Epiſcopi ſuis ab Eccleſiis, ſi ſingulis intereſſe juſſi eſſent electionibus Epiſcoporum, quæ diutius quandoque protrahebantur. Rariores vero erant Metropolitanorum electiones, & æquum erat alioqui ab Epiſcopis eligi, qui præfuturus eis eſſet.

XII. Superaddita eſt ab Aurelianenſi Concilio V. neceſſitas conſenſus Regii, aut permiſſionis (3): *Nulli Epiſcopatum præmiis, aut comparatione liceat adipiſci. Sed cum voluntate Regis, juxta electionem Cleri ac plebis, ſicut in antiquis Canonibus tenetur ſcriptum, a Metropolitano, vel quem in vice ſua præmiſerit, cum Comprovincialibus Pontifex conſecretur*. At cum Regum permiſſio in præceptum facile deſcilceret, in Concilio Pariſienſi III. irritæ & caſſæ pronuntiatæ ſunt electiones omnes, quæ ſola Principis auctoritate factæ eſſent, quod ea infami non raro dignitatum amatores abutebantur, nullo Cleri interveniente, Populique conſenſu (4): *Nullus civibus invitis ordinetur Epiſcopus, niſi quem populi & Clericorum electio plenilſima quæſierit voluntate. Non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem contra Metropolis voluntatem, vel Epiſcoporum Comprovinciallium ingeratur. Quod ſi per ordinationem regiam honoris iſtius culmen perſuadere aliquis nimia temeritate præſumpſerit, a Comprovincialibus loci illius recipi nullatenus mereatur, quem indebite ordinatum agnoſcunt*.

Nec minori conſtantia ambitioſos hos & violentos imperus fregit Concilium Pariſienſe V. (5) *Decedente Epiſcopo, in loco ipſius debet ordinari quem Metropolitanus, a quo ordinandus eſt, cum Provincialibus ſuis, Clerus vel populus civitatis abſque ullo commodo vel datione pecuniæ elegerint. Quod ſi aliter aut poteſtate ſubrepta, aut quacunque negligentia, abſque electione Metropolitani, Cleri conſenſu vel Civium, fuerit in Eccleſia intromiſſus, ordinatio ipſius ſecundum ſtatuta Patrum irrita habeatur*.

XIII. Confirmatum eſt hoc ſtatutum Concilii V. Pariſienſis Regio Clotarii II. diplomate, cui inſinuata ſimul eſt hujuſmodi clauſula, qua electionum poteſtas confirmandi ejus, quem Epiſcopi, Clerus & Populus elegiſſent; aut ex Palatio mittendi Epiſcopum Eccleſiis vacantibus, permiſſa Metropolitano & Epiſcopis poteſtate ejus examinandi, nec ordinandi, niſi cujus virtutes & merita conſtarent: *Ut Epiſcopo decedente, in loco ipſius, qui a Metropolitano ordinari debet, cum Provincialibus, a Clero & Populo eligatur; & ſi perſona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinetur. Vel certe ſi de Palatio eligitur, per*

(1) Can. 2. (2) Can. 3. (3) Can. 10. 11. (4) Can. 8. (5) Can. 2.

per meritum perſonæ & doctrinæ ordinetur.

XIV. Planum eſt e diametro repugnare eam clauſulam Canonicis ſtatutis ſupra relatis, maxime autem Conciliorum Pariſienſium III. & V. Obſecundare utcunque cœperat Concilium V. Antelianenſe votis Principum, ſtatuto ut electiones fierent *cum voluntate Regis*. At ex iis verbis exculpi id non facile poterat, ut e Palatio poſſet Princeps quos vellet Epiſcopos nominare & mittere. Hinc facili conjectura aſſequimur, novæ huic Clotarii II. clauſulæ haud unquam aſſenſos fuiſſe tum Epiſcopos. Unde & in Concilio Remenſi paucis poſt annis habito ſub Dagoberto Rege innovata eſt antiquiſſima Electionum libertas (1): *Ut decedente Epiſcopo, in locum ejus non alius ſubrogetur, niſi loci illius indigena, quem univerſale & totius populi elegerit votum, ac Provincialium voluntas aſſenſerit. Aliter qui præſumpſerit, abjiciatur a Sede, quam invaſit potius quam accepit; ordinatores autem triennio ab officio ceſſare decernimus.* Adverſa prorſus hæc ſunt Clotarii II. Regis Decretis. Dagobertus I. Rex Theſaurarium ſuum Deſiderium miſit, ut Cadurcenſis Epiſcopus crearetur, utpote quem Abbates, Clerus, Populuſque ejus civitatis poſtulaſſent: *Dum Civium Abbatumque Cadurcorum conſenſus hoc expoſcit, &c. Acclamante Clero, vel populo.* Acta hæc ipſa publicavit doctiſſimus Baluzius, in editione pulcherrima Capitularium. Nec minus advertebatur Clotarii diplomari Concilium Cabilonenſe ſub Clodovæo II. (2) *Si quis Epiſcopus de quacunque fuerit civitate defunctus, non ab alio niſi a Comprovincialibus, Civibus & Clero, alterius habeatur electio. Sin aliter, hujuſmodi ordinatio irrita habeatur.* Quæ perſpicue eſt innovatio Canonis Concilii V. Pariſienſis, prætermiſſa clauſula Edicti Clotarii.

XV. Videntur porro hæc Concilia, Cabilonenſe, Remenſe, Pariſienſe item V. & III. expreſſius inculcaſſe neceſſitatem conſenſus Epiſcoporum Provinciæ ad electiones Epiſcopales, ut eo repagulo frangeretur ambitio eorum, qui Aulæ Regiæ præſidio ad ſacras infulas contendebant. Nec illud tamen ſilendum, aut diſſimulandum nobis eſt, ipſos quoque Reges Regumque Miniſtros, non facile abduci potuiſſe ab inceptis, & ab ea quam ſemel ſibi ſumpſerant poteſtate. Non infrequens fuit illud quaſi medium temperamentum ut Epiſcopis & populo approbaretur, quem Rex nominaſſet. Cum viduata lugeret Arverna Eccleſia, ſanctiſſimum virum Quintianum Theodoricus Rex eo donavit Epiſcopatu, a Gallici nominis & Regni hoſtibus Epiſcopatu ſuo exturbatum, videlicet Rutenicæ Civitatis. Ea de re hæc habet Gregorius Turonenſis, ut demonſtret, Regi curæ fuiſſe, ut Quintianus a ſe nominatus Epiſcopis & Clero approbaretur, ut qui illum olim elegiſſent (3): *Juſſit Theodoricus inibi ſanctum Quintianum conſtitui, & omnem ei poteſtatem tradi Eccleſiæ, dicens: Hic ob noſtri amoris zelum ab urbe ſua ejectus eſt. Et ſtatim directi nuntii, convocatis Pontificibus & Populo, eum in Cathedram Arvernæ Eccleſiæ locaverunt.*

XVI. Præcurrebant nonnunquam ipſi Epiſcopi, & ne ambitioſorum precibus occuparentur Regis aures, ipſimet occupabant illi eos ſuggerere & commendare, qui vere Apoſtolicis virtutibus Apoſtolicos thronos implere & illuſtrare poſſent, nuſquam tamen excluſo vel Cleri ſuffragio, vel populi aſſenſu. Poſtulavit a Childeberto Rege, a quo inviſebatur in extremis agens Lugdunenſis Epiſcopus, ut Nicetium Presbyterum ſanctiſſimum & nepotem ſuum in Epiſcopatu ſucceſſorem ſibi daret; profeſſus illud ſe non cognationi, ſed virtutibus clariſſimis Nicetii donare. Aſſenſus eſt Rex, & Nicetium populus tum elegit (4): *Reſpondit Rex: Fiat voluntas Dei. Et ſic pleno Regis & Populi ſuffragio, Epiſcopus Lugdunenſis ordinatus fuit.* Ejuſmodi fuit electio ſanctiſſimi Epiſcopi Nicetii. A populo electum fuiſſe idem Gregorius teſtatur Gregorium Lingonenſem Epiſcopum (5): *Poſt mortem uxoris ad Dominum convertitur, & electus a Populo Lingonicæ urbis Epiſcopus ordinatur.*

XVII. Nunc obiter ſalvem perſtringendæ ſunt nobis electiones Hiſpaniæ Eccleſiarum. Concilium Barcinonenſe ſub Recaredo Rege Clero Populoque integras ſervat electiones: ſed ea cautione, ut duo, treſve eligerentur, ex quibus Metropolitanus & Epiſcopi Provinciæ unum deligerent, vel ſortito, ut Canonis verba innuunt, vel ratione quavis alia legitima: *Ita tamen ut duobus aut tribus, quos ante conſenſus Cleri, aut*

(1) Can. 25. (2) Can. 10. (3) L. 3. Hiſt. c. 2. (4) Vit. Patr. c. 8.
(5) Ibid. c. 7.

aut plebis elegerit, Metropolitani judicio, ejusque Coepiſcopis præſentatis, quem ſors præeunte Epiſcoporum jejunio, Chriſto Domino terminante monſtraverit, benedictio conſecrationis accumulet. Et eodem tamen Canone perſpicue inſinuatur, jam ſe Reges electionibus immiscere ſolitos; his nempe verbis (1): *Nulli laicorum liceat, ad Eccleſiaſticos ordines prætermiſſo Canonum præfixo tempore, aut per ſacra Regalia, aut per conſenſionem Cleri, vel Plebis, vel per electionem aſſenſionemque Pontificum, ad ſummum Sacerdotium aſpirare, ac provehi.*

At Concilium Toletanum IV. de conſenſione Principis prorius ſilet, totum ponit in Populi, Cleri, & Epiſcoporum voluntate (2): *Sed nec ille diœceſis Sacerdos erit, quem nec Clerus, nec Populus propriæ civitatis elegerit, vel auctoritas Metropolitani, vel Comprovincialium Sacerdotum aſſenſio exquiſivit.*

XVIII. Non ſatis liquet, an convenienter Juſtiniani legibus & Decreto ſupra memorato Concilii Barcinonenſis, electi quandoque fuerint a Clero Populoque duo, treſve, ex quibus fortito unus a Metropolitano & Epiſcopis deligeretur (3). Longe diverſam prius rationem inierat Concilium Arelatenſe II. nimirum ut Epiſcopi Clero Populoque tres proponerent, ut ex his quem vellent, deligerent ſibi Epiſcopum. Quod rurſus an in uſum vocatum fuerit, latet me prorſus. Totus potius eo propendeo, ut irrita potius hæc fuerint tentamenta (4): *Placuit in ordinatione Epiſcopi, hunc ordinem cuſtodiri, ut primo loco venalitate, vel ambitione ſubmota, tres ab Epiſcopis nominentur, de quibus Clerici, vel Cives ergo unum eligendi habeant poteſtatem.*

XIX. Nec diſſimilis erat electionum ratio in Africa. Mittebatur a Primate, ſive a Metropolitano Epiſcopus Provinciæ, qui præeſſet electioni faciendæ in Eccleſia viduata. Diffidebant quandoque Clerus & Populus diutius, quam Eccleſiæ conduceret. Id exemplo confirmat Ferrandus (5) in vita Fulgentii Ruſpenſis Epiſcopi, ubi de ejus ſucceſſore agit.

CAPUT XI. *P.a. l.2.c.31.*

Summa Poteſtas Electionum Epiſcopalium penes Epiſcopos ab anno quingenteſimo ad octingenteſimum.

I. Variæ probationes ex Gregorio Magno, plus tributum eſſe in Electionibus Epiſcoporum Clero, quam populo: Epiſcopis, quam Clero.

II. Quandoque ſolus eligebat Metropolitanus, vel Papa.

III. Nec aliter res ſe habebat in Gallia; in arbitrio Epiſcoporum erant electiones, maxime in Metropolitanorum.

IV. Similiter & in Hiſpania.

V. Iidem mores erant Eccleſiarum in Anglia. Paſtores Eccleſiarum naſcentium a ſuis Gregibus eligi non potuerant, cum ſuos ſibi greges ipſi genuiſſent.

VI. Novæ probationes, quod ad electionem magis quam ad conſecrationem, deſiderent Canones præſentiam, aut conſenſum ſcripto teſtatum omnium Provinciæ Epiſcoporum.

VII. VIII. Alia rurſum ejuſdem rei argumenta in Occidentali & Orientali Eccleſia.

I. TAnti ſemper nobis viſa eſt hæc doctrina de ſumma Epiſcoporum jam olim in electionibus poteſtate, ut quanquam ea jam ex Capite ſuperiori diluxerit, non poſſimus non & hic eam magis magiſque illuminare, quo ex vetuſtiſſima diſciplina recentiori munimenta aliqua ſemper aſtruamus. Mandabat Petro Subdiacono & Apoſtolicæ Sedis in Sicilia Nuntio Gregorius Papa, ut renuntiaret ſibi, an eſſent in Sicilia Eccleſiæ aliquæ ideo Paſtoribus vacuæ, quod in Clero ſuo non haberent, qui Epiſcopalem farcinam ſubire & geſtare poſſet: ut in eam ipſe curam incumberet, quo eis provideret Paſtorem (6): *Ut Deus quem dignum talibus ordinationibus judicaverit, valeat providere.* Scripſit & ad eum, quem delegarat ad electionem expediendam Epiſcopi Ariminenſis, ſi inopia conſimili premeretur ea Eccleſia, a quo litteras has ſuas acceperat, ab eo acceptarum nomen ejus, cui illa Eccleſia committenda foret (7): *Aliqui præſentium tibi*

(1) Can 1. (2) Can. 18. (3) Ann. 452. (4) Can. 54. (5) Cap. ult.
(6) L. 1. Ep. 28. (7) L. 1. Ep. 55. 56.

portitor perſonam, de quæ ei diximus, indicabit, in cujus debeat fieri electionis deretum. Epiſcopo Juſtinianæ Primæ ſcripſit, incredibili ſe gaudio perfuſum eſſe, quod ejus electioni unanimi conſenſione faverint Epiſcopi omnes Comprovinciales, & Imperator ipſe (1): *Manifeſtum bonitatis liquet eſſe indicium, in unius electione cunctorum convenire conſenſum. Quia igitur ſuſcepta fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum relatio, ad locum vos Sacerdotii, totius Concilii unito conſenſu, & ſereniſſimi Principis voluntate declarat arceſſiri,* &c. Ad Caſtorium Notarium ſcripſit, cum primum celebrata foret electio Epiſcopi, electum ad ſe ut Romam mitteret, vel electos duos, cum quinque ſenioribus Presbyteris, quinque item Diaconis provectioris ætatis, aliiſque Clericis qui venire cuperent, ut una cum eis examinarentur electi (2): *Sive autem unus, ſive duo electi fuerint, quinque de prioribus Presbyteris, & quinque de præcedentibus Diaconibus ſimul venire ad nos per omnia commoneto. De Clericis vero, præter eos qui venire deliberant, ſi quos alios neceſſarios præſentes æſtimas, ad nos ſine mora tranſmitte,* &c. Ubi palam eſt plurima momenta habuiſſe Clerum, Metropolitanum vero ipſum penes quem erat jus examinandæ electionis, ejus arbitrum & moderatorem fuiſſe.

Cum vita exceſſiſſet Maximianus Syracuſanum Epiſcopus, Nobiles ejus civitatis per Epiſtolas Gregorium interpellarunt, ut Epiſcopum ipſe eis deligeret, non eos ſe eſſe rati, qui electionis faciendæ periculum in ſe vellent ſuſcipere (3): *Quam direxiſtis, Epiſtola, electionis vos onera ſapienter declinaſſe ſignificat. Et quoniam noſtro hoc arbitrio commiſiſtis,* &c. Interim vero Clerus & populus Agathonem elegerant, alii alium prætulerant. Mandavit Gregorius, ut utrunque Romam ablegarent, ut ex amborum alterum ipſe, quem digniorem probaſſet, ei Eccleſiæ Paſtorem deſignaret: *Hunc qui a Clero & plebe electus eſt, ad nos interim venire neceſſe eſt: ut utriſque communi conſtituto, ille qui Deo placuerit, & utilior vitæ fuerit, ordinetur: Nam deſiderii noſtri eſt, talem illic ordinare Pontificem,* &c.

II. Itaque ſeu penuria hominum tanto culmini parium laborarent Eccleſiæ, ſeu in plures ſuffragia irent, ſeu Clerus, Populus, Nobilitas rem totam Papæ, aut Metropolitani judicio & providentiæ permitterent; is erat vere electionis auctor, arbiterque. At ſæpiuſcule id contigebat. Eo referri debet, quod monitos nos voluit Joannes Diaconus, a Gregorio Papa compluribus Eccleſiis præpoſitos fuiſſe Epiſcopos, quos ipſe digniſſimos undique arceſſere potuiſſet: neo abſtinuiſſe ab ipſis Eccleſiæ ſuæ Cardinalibus, Monachiſque ſanctiſſimis, ad variarum Eccleſiarum regimen amandandis (4): *Epiſcopos undecunque meliores invenire potuit, ſtudioſiſſime ordinavit: Et ſi quando neceſſitas ordinandi Sacerdotis obreptit, neque Cardinales Eccleſiæ ſuæ, neque Monachos Monaſterii ſui penitus exeuſavit.*

III. Si probavit vehementer Gregorius electionem Epiſcopi Juſtinianæ Primæ, quod facta fuiſſet *totius Concilii unito conſenſu*: probatum eſt & in Gallia Patribus Concilii Aurelianenſis II. (5) ut *Metropolitanus Epiſcopus a Comprovincialibus Epiſcopis, Clericis, vel Populis* eligeretur. Placuit & Concilio Aurelianenſi III. (6) ut *ipſe Metropolitanus a Comprovincialibus Epiſcopis, ſicut decretæ Sedis Apoſtolicæ continent, cum conſenſu Cleri & Civium eligatur*. Utque Epiſcopi eligantur a Clero & Populo cum conſenſu Metropolitani (7): *De Comprovincialibus vero ordinandis, cum conſenſu Metropolitani, Cleri & Civium electio & voluntas requiratur*. Damnat Concilium III. Pariſienſe electiones omnes, quæ fiunt *contra Metropolis voluntatem, vel Epiſcoporum Comprovincialium*. Irritam decernit Concilium Pariſienſe V. electionem Epiſcopi, qui electus non fuerit a Metropolitano cum aſſenſu Cleri & Populi (8): *Si abſque electione Metropolitani, Cleri conſenſu, vel Civium fuerit intromiſſus, ordinatio irrita habeatur*. Etenim ex hoc Concilio Lex illa omnino retinenda eſt, & ſanctiſſime colenda, ut *decedente Epiſcopo ille debeat ordinari, quem Metropolitanus, a quo ordinandus eſt, cum Provincialibus ſuis, Clerus, vel Populus civitatis elegerint*. A quo non recedit Remenſe Concilium anno 630. (9) *Quem univerſale, & totius populi elegerit votum, ac Provincialium voluntas aſſenſerit*: & Concilium Cabilonenſe (10): *Non ab alio, niſi a Comprovincialibus, Clero & Civibus ſuis alterius habeatur electio*.

IV.

(1) L. 4. Ep 8. (2) L. 4. Ep. 23. (3) L. 4. Ep. 47. (4) L. 3. e. 7. (5) Can. 7.
(6) Can. 3. (7) Can. 8. (8) Can. 1. (9) Can. 25. (10) Can. 10.

IV. Ingenue vero confitendum eſt in his omnibus Canonicis ſanctionibus, promiſcue & in eundem ſenſum uſurpari has voces omnes *ſuffragium*, *votum*, *electio*, *conſenſus*; & nunc Metropolitano, vel Epiſcopis, nunc Clero tribui, vel populo. At quanquam verba uſurparentur eadem, non eadem tamen jura tribuebantur. Ejus rei ratio inde ducitur, quod electio conſurgeret ex conſpiratione Nobilium, Exercitus, Honoratorum Civium, Cleri, Comprovinçialium Epiſcoporum, Metropolitani, quorum vis creſcebat decreſcebatque pro perſonarum gradu, pro temporum locorumque varietate. Atqui in hac unanimi conſpiratione non poterat non plus eſſe momenti in Honoratis, & Nobilibus, quam in vulgi face, in Clericis quam in laicis, in Epiſcopis quam in Clero populoque. Ut enim receptiſſimum illud erat axioma, *Nullum invitis ordinandum Epiſcopum*: Ita & jure cautum, & inculcatiſſimum erat, vulgi turbulenti inconſtantiæ non eſſe permittendas electiones. Quam indignanter tulerit Avitus Viennenſis Archiepiſcopus, quod alicubi populi voluntas præponderaſſet, ipſemet teſtatum fecit his verbis (1): *Siquidem ſatis gravis exempli eſt, ut nunc Sacerdotalis ordinatio a populis regenda dicatur.*

V. Ex hac quoque diverſiſſimorum Collegiorum conſenſione electiones conſtare ſignificat Concilium Toletanum IV. ubi ne fieri quidem, fingivi poteſt quin plerumque ſumma poteſtas penes Epiſcopos ſit: *Sed nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec Clerus, nec populus propriæ civitatis elegerit, vel auctoritas Metropolitani, vel Comprovincialium Sacerdotum aſſenſio exquiſivit.* Sed multo præclarius in Concilio Toletano X. manifeſtatum eſt pleniſſimam eligendorum Epiſcoporum facultatem Epiſcopis ipſis eſſe commendatam, cum exauctorato Potamio Braccharenſi Metropolitano, qui ſemetipſe atrocioris flagitii ſpontanea confeſſione dejecerat: in Concilio ipſo ſucceſſor ei ſubrogatus eſt Fructuoſus, nulla uſquam alibi celebrata electione: *Tunc venerabilem Fructuoſum Eccleſiæ Dumienſis Epiſcopum, communi omnium noſtrum electione, conſtituimus Eccleſiæ Braccharenſis gubernacula continere.*

VI. Jam vero in Anglia Epiſcopus conſtitutus fuerat a Gregorio Papa Auguſtinus, ejuſque juſſu a Gallicanis Epiſcopis ordinatus. Quin nec ceteri Epiſcopi ejuſdem Anglicanæ tunc Eccleſiæ, ſuis ex cineribus, quodammodo reſuſcitatæ, ab aliis eligi ullis potuere, quam ab Epiſcopis, a quibus ordinabantur. In novellis enim omnibus primum, vel reſurgentibus poſtea Eccleſiis, neceſſe eſt, ut Paſtores ipſi gregem ſibi parturiant adaugeantque, antequam grex Paſtores ſibi ſubrogare alios aliis poſſit. Atqui parturiuntur & numero augentur greges, non punctо temporis, non brevi aliquo plerumque ſpatio, ſed diu & tarde, lentiſque incrementis, & interim Paſtores inſuetum cogente neceſſitate ſucceſſores ſibi ipſi ſubrogare: nec fieri poteſt, quin ejus exempli vis aliqua ad poſteras propagetur ætates. Joannes Diaconus ea de re in hæc verba differit (2): *Sed & Auguſtinum penes Anglos a Galliarum Epiſcopis ordinari præcepit. Per quem nihilominus ad Epiſcopatum in eadem gente, Monachi ejuſdem Patris diverſo tempore provecti ſunt, Melitus, Juſtus, Laurentius & Paulinus.* Poſſent & ex Bedæ Anglicana Hiſtoria corradi plura exempla, quibus ſuperſedeo, unoduntaxat deprompto de ſancto Cuthberto, qui Epiſcopus Lindisfarnenſis electus eſt in Concilio, cui præerat Archiepiſcopus Theodorus, præſente Egfrido Rege (3): *Contigit, ut congregata Synodo non parva, fuit præſentia Regis Egfridi, cui Theodorus Archiepiſcopus præſidebat, uno animo omnium que conſenſu ad Epiſcopatum Eccleſiæ Lindisfarnenſis eligeretur.*

VII. Diximus jam ſæpius, quod & rurſum novis adtruere argumentis non abs re erit, ideo conniti Canones, ut omnes, aut ſaltem plurimi Provinciæ Epiſcopi adſint ordinationi: ut & iidem ipſi interſint electioni Epiſcoporum, eique etiam abſentes ſcripto aſſipulentur. Denique cum tres ſaltem adeſſe neceſſum ſit prorſus ex ſacris Canonibus, unum conſecrationi ſufficere, ceteros electioni potius aſſiſtere & ſuffragari innuit Gregorius ad Auguſtinum ſcribens (4): reliquos præter unum Conſecratorem, teſtes aſſiſtere: *Tibi teſtes aſſiſtent.*

Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo viſum eſt, eo agmine præſentium Epiſcoporum convocato, cautum fuiſſe, ne Metropolitani ſuo arbitratu Epiſcopos obtruderent, etiam minus

(1) Ep. 66.
(2) L. 3. c. 7.
(3) Beda. l. 3. c. 22. 28.
(4) L. 12. Epiſt. 32.

nus orthodoxos (1) : *Porro quod Epiſcopus non ab uno , ſed a cunctis Comprovincialibus Epiſcopis ordinatur , id propter hæreſes inſtitutum agnoſcitur : ne aliquid contra fidem Eccleſiæ , unius ordinantis tyrannica auctoritas molnetur . Propterea ab omnibus convenientibus conſtituitur, ac non minus quam a tribus præſentibus , ceteris conſentientibus teſtimonio litterarum .* Concilium Toletanum IV. Epiſcoporum aliorum præſentiam, aliorum litteras in unum conſtringit , & eodem collineare inſinuat , cum ſuffragiis Cleri , Populique (2) : *Cum omni Clericorum , vel Civium voluntate , ab univerſis Comprovincialibus Epiſcopis , aut certe a tribus in Sacerdotium die Dominica conſecrabitur , convenientibus ceteris , qui abſentes fuerint , litteris ſuis ; & magis auctoritate, vel præſentia ejus , qui eſt in Metropoli conſtitutus .*

VIII. In Concilio Arelatenſi II. diſertis verbis ſignificatur , vel præſentiam , vel abſentium litteras Epiſcoporum , non alio magis attinere , quam ut ad electionem concurrant (3) : *Epiſcopum ſine Metropolitano vel Epiſtola Metropolitani , vel tribus Comprovincialibus , non liceat ordinare , ita ut alii Comprovinciales Epiſtolis admoneantur, ut ſe ſuo reſponſo conſenſiſſe ſignificent . Quod ſi inter partes aliqua nata fuerit dubitatio , majori numero Metropolitanus in electione conſentiat .* Dilucida res eſt, Epiſcoporum præſentium vota, vel abſentium litteræ robur addunt electioni ; intereſt Metropolitanus , præſtque , ut plura vincant ſuffragia . Præiverat in hæc omnia illud veteſtiſſimum Arelatenſis Concilii primi Decretum , quod jam ſæpius laudavimus (4) : *Ordinare Epiſcopos nullus præſumat , niſi aſſumptis ſecum aliis ſeptem Epiſcopis . Si tamen non potuerit ſeptem , infra tres non audeat ordinare .*

II. Idem probatur ex Eccleſiæ Gallicanæ Conciliis .

III. IV. Ex Conciliis item Orientis & Ægypti .

V. VI. Ex Decretis Eccleſiæ Romanæ & Anglicanæ .

VII. Ex Canonibus & Conſtitutionibus Apoſtolicis .

VIII. Objectio ex Syneſio .

IX. Idem confirmatur ex Legibus Juſtiniani .

X. De loco & die Ordinationis .

XI. XII. Quando ei rei dicari cœpere quatuor jejuniorum tempora ?

I. ETſi autem ne duo quidem illi Aſſiſtentes Epiſcopi præſto fuiſſent , affuiſſentque Ordinationi , rata illa nihilominus & valida , tum erat , tum cenſebatur; idque facillime evincitur ex uno illorum Carthaginenſium Conciliorum , quæ a Ferrando & Creſconio , adeoque & a Dionyſio Exiguo prolata ſunt (5) . Expoſtulatum ibi eſt enim graviter de Epiſcopis Numidiæ duobus , qui Epiſcopum ſine tertio Epiſcopo ordinaverant , qui hic tamen , nec abdicari , nec rurſus ordinari jubetur . In Concilio Araufican o L exauctorantur Epiſcopi duo , qui tertium ſoli , & quidem invitum ordinarint : & hic recens ordinatus, in alterius eorum locum ſubrogatur , nec rurſus ordinari jubetur (6) : *Unius eorum Eccleſiæ is qui vim paſſus eſt , ſubſtituatur, ſi tamen vita reſpondet .*

II. In Regienſi quidem Concilio irrita declarata eſt ordinatio Armentarii , qui a duobus tantum inauguratus fuerat Epiſcopis : *Abſque trium Epiſcoporum præſentia ; abſque Comprovincialium litteris , ſine Metropolitani auctoritate irritam ordinationis ſpeciem , a duobus temere convenientibus præſumptam eſſe clarebat .* Verum irritari a Concilio nobis quidem videtur electio potius , quam ordinatio . 1. An neceſſariæ enim jactabantur abſentium Epiſcoporum litteræ , ut rata ſit ordinatio ? ne veri quidem ſimile id eſt . Atqui ea ratio eodem eſt loco , quo trium Epiſcoporum non plenus numerus . 2. Idem argumentandum de Metropolitani conſenſu non præſtito . Eo enim poteſt electio , non poteſt ordinatio irrita fieri . 3. Armentario abdicato indulget hæc Synodus , ut Sacramentum Confirma-

tionis

CAPUT XII. *P. 2. l. 2. c. 32.*

Unum Epiſcopum ſufficere , ut valida ſit Ordinatio . De loco , tempore , & die Electionis & Conſecrationis .

I. Unum ordinando Epiſcopo Epiſcopum ſufficere , ex Conciliis primum Africanis probatur .

(1) De Offic. Eccl. l. 2. c. 5. (2) Can. 18. (3) Can. 5. (4) Can. 20.
(5) Dionyſ. Exig. c. 49. (6) Can. 21.

tionis conferre poſſit (1); quod non facile permitteret ei, qui Epiſcopus non eſſet. 4. Quos ante abdicationem ſuam ordinarat Armentarius, ii arbitrio permittuntur & indulgentiæ Metropolitani Ebrodunenſis, an ſuo illos Clero velit adgregare, nulla mentione iterandæ ordinationis: *Aut in Eccleſiæ ſuæ miniſterio tenendos, aut transferendos, &c.*

III. Paulinus Antiochenus Epiſcopus, ille Occidentalium communioni adglutinatus, ſchiſmatis Antiocheni tempore, ſuum ſibi ſucceſſorem ſolus ordinavit Evagrium, appetente jam morte. Reclamat quidem Theodoretus, uno eo facto plures conculcatos fuiſſe Canones; quod ſucceſſorem ſibi aſciſceret: quod non omnes Provinciæ Epiſcopos, aut tres ſaltem convocallet (2): *Quippe ſolus Paulinus eum ordinavit, in qua re complures ſimul violavit Canones, &c.* At non ille tamen affirmat ea Canonum tranſgreſſione irritam fieri Ordinationem; quinimmo Evagrii Ordinationem auctor eſt ab Occidentalibus approbatam fuiſſe: *Illi nihil horum ſcire cupientes, Evagrii communionem amplexati ſunt.* Ea demum lege Innocentius I. (3) pacem & communionem Eccleſiæ Occidentalis Alexandro Antiocheno Epiſcopo reddidit, ut communicatores Evagrii ſuæ conſociaret communioni.

IV. Ægyptii Epiſcopi longe æquius conquerebantur, quod ſpirante adhuc Alexandriæ Epiſcopo Proterio, impius Timotheus ejuſdem urbis Epiſcopum ordinari ſe curaſſet a duobus tantum Epiſcopis, inſaniæ ſuæ, ut & hæreſeos conſortibus, inconſultis Ægypti ceteris Epiſcopis (4): *A duobus illorum creatur Epiſcopus, nullo omnino Epiſcoporum orthodoxorum ex Diœceſi Ægyptiaca, ſicut in creando Epiſcopo Alexandrino fieri ſolet, præſente.* Pſeudo epiſcopus item Alexandriæ Petrus Mogus a duobus tantum ſimiliter Epiſcopis ordinatus eſt, erroris furoriſque ejuſdem imbutis contagio (5). Sed ea quantacunque irregularitas obſtruebatur quodammodo, & non apparebat, in tanta facinorum flagitiorumque utriuſque colluvione.

V. Longe alia ratio Pelagii Papæ, qui ne ipſe quidem plures duobus habere potuit Epiſcopos a quibus ordinaretur, addito tertio quaſi ſubſidiario Presbytero Oſtienſi: ſive ſuſpicionibus obliquis exagitaretur Pelagius, quaſi Vigilii Papæ morti aſſenſus eſſet: ſive quod complures adhuc animi penderent, & anxie fluctuarentur circa tria Capitula, a Concilio V. generali damnata, cui adhærere ferebatur Pelagius. Hæ quippe tum cauſæ eſſe poterant, quæ Epiſcopos ab ejus ordinatione abalienarent. Narrat quidem Anaſtaſius Bibliothecarius, quam anxie laborarit Pelagius, ut mortis Vigilii ſuſpiciones a ſe abſtergeret; ſed nec verbum facit ullum, aut a quoquam factum eſſe commemorat, de eo rurſum ordinando.

VI. Percontanti Auguſtino Anglorum Apoſtolo, de numero Epiſcoporum neceſſario ad Epiſcopi ordinationem; reſpondit Gregorius, inter illa quidem exordia neceſſum eſſe, ut ſolus ordinet Epiſcopos, cum & ſolus ſit ejus reviviſcentis Eccleſiæ Epiſcopus; ſed ordinari ab eo Epiſcopos novos debere in Eccleſiis, urbibuſque tam vicinis, ut in poſterum tres poſſint, vel quatuor coire ad novi Epiſcopi ordinationes. Si enim carnales nuptiæ tanta perſtrepunt pompa, multo majori celebritate ſpiritale Epiſcopi cum Eccleſia ſponſa ſua conjugium frequentari æquum eſſe. Non ergo hæſitabat Gregorius, quin Epiſcopo ab uno ordinari poſſet Epiſcopus, & quin inter Eccleſiarum cunabula jam inde ab Apoſtolicis temporibus plures id genus fuiſſent Ordinationes Epiſcoporum ab uno Epiſcopo conſecrante, nullis Aſſiſtentibus celebratæ (6): *Et quidem in Anglorum Eccleſia, in qua adhuc ſolus tu Epiſcopus inveniris, ordinare Epiſcopum non aliter niſi ſine Epiſcopis potes.*

VII. Primo Apoſtolico Canone dun deſiderantur tantum Epiſcopi, novo Epiſcopo conſecrando: *Epiſcopus a duobus, aut tribus Epiſcopis ordinetur.* Conſtitutionum Apoſtolicarum auctor rationem propalat (7), cur duorum requiratur, aut trium præſentia Epiſcoporum. Id enim fit ad auctoritatem electioni conciliandam, & novi Pontificis innocentiam eo teſtimonio muniendam: *Jubemus, ut a tribus Epiſcopis Epiſcopus ordinetur, & ut minimum a duobus, ita ut ab uno conſtitui non poſſit. Teſtimonium enim duorum & trium firmius eſt, & certum.* Sed tam conſtanter prohibita ordinatione ea, quam unus conferret Epiſcopus:

(1) Can. 3. (2) Hiſt. Eccl. L. 5. c. 23. (3) Epiſt. 14. (4) Evagr. l. 2. c. 8.
(5) L. 3. c. 20. (6) L. 2. Ep. 31. (7) L. 3. c. ult.

pus: idem nihilominus Scriptor fateri cogitur, ratam validamque fore unius ab uno Epiſcopi ordinationem, & ſi per litteras ceteri aſſenſum præſtitiſſent, & eas rerum anguſtias excuſaret neceſſitas (1): *Quod ſi neceſſitas coegerit ab uno ordinari, quod propter perſecutionem, aut aliam cauſam plures adeſſe non poſſint, afferatur decretum commiſſionis plurium Epiſcoporum.*

VIII. Summa illa penuria Epiſcoporum, quæ inuſitatas & raras excuſabat unius ab Epiſcopo uno ordinationes, non facile obtendi poterat in ordinatione Epiſcopi Palebiſcæ, de qua tam æquas & tam acerbas fudit querelas Syneſius, quod nec Alexandriæ facta fuiſſet, nec a tribus Epiſcopis, nec aſſenſu Epiſcopi Alexandrini (2): *Cum neque ſit Alexandriæ conſtitutus, neque a tribus hic, ut maxime eligendi illinc ſignum datum fuerit. Etenim ſolum beatæ memoriæ Philonem auſum eſſe Collegam ſuum Epiſcopum pronuntiare.* Utcunque tamen elevat Syneſius eam ordinationis abſurditatem Canonibus minus concinentem, ut difficillimis factæ temporibus, quibus ægre ſervari poterant leges Eccleſiæ, adeo ut Athanaſio ipſi viſum ſit diſpenſatione utendum fuiſſe: *Sed formidoloſis temporibus, ſummum jus prætermitti neceſſe eſt: ideo magnum illum Athanaſium tempori id dediſſe, &c.*

IX. In Novellis Juſtiniani Conſtitutionibus (3) de ordinatione Epiſcoporum ita ſemper libranıur verba, ut unus Epiſcopus ubique ordinare videatur, unus periculum ſubire, ſi quid perperam in ordinatione fiat: *Ex tribus pro quibus decreta facta ſunt, melior ordinetur, electione & periculo ordinantis.*

X. Libanda ſuperſunt nobis pauciſſima aliqua de loco & die conſecrationis Epiſcoporum. Monebat nos modo Syneſius omnes Patriarchatus Alexandrini Epiſcopos Alexandriæ ordinari debuiſſe, vel ubi Epiſcopus Alexandrinus indixiſſet. Concilium Toletanum IV. præcepit ut Metropolitanus in civitate Metropolitana ordinetur; deſignetur autem ab eo locus, ubi ſinguli ſunt Epiſcopi ordinandi (4): *Epiſcopus ibi conſecrandus eſt, ubi Metropolitanus elegerit, Metropolitanus autem nonniſi in civitate Metropoli.* Dies autem Dominicus tantum ab eodem Concilio præſcribitur: *A tribus die Dominica conſecrabitur.* Querebatur Zoſimus Papa de ordinationibus Epiſcoporum a Proculo Maſſilienſium Epiſcopo factis diebus haud legitimis (5): *Ne dies quidem legitimus ordinationis adſciſcitur, &c. Nec ſaltem diei cuſtodita ſolemnitas.* Abdicationis pœnam videtur Leo Magnus intentare, ſi quo alio tempore ordineutur Epiſcopi; præterquam veſperaſcente Sabbato, aut diluceſcente Dominica die (6): *Nec ſibi conſtare Ordinis ſui noverit firmitatem, qui non die Sabbati veſpere, quod luceſcit in prima Sabbati, vel ipſo Dominico die, fuerit ordinatus.* Quaſi dicat exordiendam eſſe ordinationem ea nocte, quæ Sabbatum Dominicumque intercurrit diem, non interrupto Sabbati jejunio uſque ad Dominicæ diei tempus matutinum. Ita ſanctiſſimus Pontifex ſuſius rem ediſſerit in Epiſtola ad Epiſcopum Alexandrinum qua de re mox.

XI. Ea quippe Leonis Epiſtola ad Dioſcorum Alexandrinum, non Epiſcoporum tantum, ſed & Presbyterorum ordinationes, immo & Diaconorum præfigit, vel ad veſpertinum Sabbati deſinentis tempus, vel ad matutinum ineuntis Dominicæ diei: quod eo maxime tempore innovetur memoria reſurrectionis Chriſti, cœleſte & ſempiternum ſacerdotium ſuum tunc dedicantis. Itaque ad Leonis uſque Papæ tempora, quæ in medium incidere ſæculum quintum, quolibet Dominico die promiſcue celebrabantur ordinationes Diaconorum & Presbyterorum, peræque ut Epiſcoporum (7): *Quod a Patribus novimus eſſe ſervatum, a vobis quoque volumus cuſtodiri, ut non paſſim diebus omnibus Sacerdotalis vel Levitica ordinatio celebretur, ſed poſt diem Sabbati, ejuſque noctis, quæ in prima Sabbati luceſcit, exordia deligantur, &c. Jejunia & a jejunantibus ſacra benedictio conferatur. Quod ejuſdem obſervantia erit, ſi mane ipſo Dominico die, continuato Sabbatæ jejunio celebretur, a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem reſurrectionis pertinere non dubium eſt, &c. Ut his qui conſecrandi ſunt, nunquam benedictio niſi in die reſurrectionis Dominica tribuatur, cui a veſpera Sabbati initium conſtat adſcribi, &c. In hac denique die promiſſus a Domino Apoſtolis Spiritus ſanctus advenit.* Diſplicuit eidem Leoni, quod Anatolius Patriarcha Conſtantinopolitanus Pres-

(1) L. 8. c. 27. (2) Ep. 67. (3) Novel 6. Novel. 123. c. 1. Novel. 137. c. 2.
(4) Can. 18. (5) Ep. 6. (6) Ep. 89. c. 3. (7) Ep. 81. c. 1.

Presbyterum ordinaſſet feria ſexta.

XII. Quatuor jam temporum jejunia Romæ celebrabantur temporibus Leonis, ut ex ejus liquet ſermonibus. Sed non liquet, ab eis jam tum affixæ eſſent Ordinationes. Altum de ea re ſilentium, & in his Leonis Sermonibus & in ejus Epiſtola modo tam copioſe ſelata. Brevi ergo illo temporis ſpatio, quod Leonis & Gelaſii Papæ Pontificatum diſpeſcuit, aſcriptæ ſunt Ordinationes jejuniis quatuor Temporum, Presbyterorum certe & Diaconorum. Epiſcopos enim quolibet Dominico die celebrari, pro antiquo more & tunc conceſſum eſt, & deinceps ſemper uſurpatum. En Gelaſii Decretum de hac ordinationum lege, quatuor Temporibus jam defixarum (1): *Ordinationes etiam Presbyterorum & Diaconorum, niſi certis temporibus & diebus exerceri non debent, id eſt, quarti menſis jejunio, ſeptimi & decimi; & etiam Quadrageſimalis initii, ac mediana Quadrageſimæ die, Sabbati jejunio circa veſperam noverint celebrandas.* Cui uſui accommodaverunt ſe poſteriores Pontifices & ætates. Vide ſi vacat Gregorii II. Epiſtolam quartam.

CAPUT XIII. *P. 2. l. 2. c. 33.*

De poteſtate & auctoritate Regum & Imperatorum in electionibus Epiſcoporum, ac primum in Gallia, poſt Clodovæum ante Carolum Magnum.

I. Ex Conciliis ipſis Galliæ neceſſaria erat Regum conſenſio, qui permitterent electionem celebrari, & qui electum confirmarent, ita ut nihil eo decerperetur de libertate electionis.

II. III. Subreptum eſt quandoque Regibus, ut amplius aliquid auderent.

IV. V. Nitebantur contra Synodi ad tutandam electionum libertatem.

VI. VII. VIII. Clotario II. placuit, ut aut confirmaret ipſe quos Epiſcopi canonice elegiſſent; vel quos ipſe nominaſſet Epiſcopos, eoſdem Epiſcopi examinarent & confirmarent. Æquiori animo id ferendum fuit, quam ea ſpiritalis Anarchia, in quam poſtea prolapſa eſt Eccleſia Gallicana.

IX. X. Carlomannus & Pipinus Principes, Concilia Liptinenſe & Sueſſionenſe Epiſcopatum aliquando tandem reſtituerunt, electione Epiſcoporum facta a Principe, confirmata ab Epiſcopis.

XI. XII. Probatur ea poteſtas Principum utcunque conglutinari poſſe cum electionum libertate.

XIII. XIV. XV. XVI. Series electionum vel nominationum ex Gregorio Turonenſi.

XVII. XVIII. XIX. Continuatur ea ſeries & contextio.

I. SÆpius jam animadverſum eſt, non potuiſſe electiones Epiſcoporum celebrari, niſi interpoſita quandoque Regum poteſtate. Ab Eccleſia Gallicana initium ducemus. In Concilio Arverno anni 535. damnatæ ſunt electiones, quæ Principum & Optimatum favore aut poteſtate fierent: *Eminentiſſimæ dignitatis apicem electione conſcendant omnium, non favore paucorum, &c. Non patrocinia potentum adhibeant.* Cum ergo paucis poſt annis, nempe anno 549. Concilium V. Aurelianenſe decrevit, ut electiones fierent *cum voluntate Regis*, id nimirum ſtatutum inconcuſſumque conſtare volebat nihilominus, ut veteriſſimi vigerent Canones de liberis ſuffragiis Cleri, Populi & Epiſcoporum. Idque diſertis verbis in hoc Concilio expreſſum eſt: *Sed cum voluntate Regis, juxta electionem Cleri & plebis, ſicut in antiquis Canonibus tenetur ſcriptum, a Metropolitano cum Comprovincialibus Pontifex conſecretur.* Ea certe voluntas Regis, quæ nihil officeret libertati electionis, alio pertinere non poterat, quam ut permittente Rege fieret electio, vel libere electus ei ſiſteretur confirmandus, vel utrunque.

II. Si his cœpere Concilia ſummos Principes conceſſionibus demereri, non his ſtatim adulatores Aulici acquieſcere & contentos eſſe paſſi ſunt. Concilium Pariſienſe III. anno 557. habitum, hoc eſt, octavo tantum poſt Aurelianenſe V. anno prohibuit (2) admitti Epiſcopos, qui regia nominatione & commendatione graſſarentur ad Epiſcoparus, non a Populo, non a Clero, non ab Epiſcopis electi; & religioſiſſime antiquos Canones obſervari præcepit, pro tuenda eligendi libertate: *Et quia in aliquibus rebus conſuetudo priſca negligitur, ac decreta Canonum violantur; placuit*

(1) Ep. 9.

(2) Can. 8.

cuit ut juxta antiquam conſuetudinem, Canonum decreta ſerventur. Nullus civibus invitis ordinetur Epiſcopus, niſi quem populi & Clericorum electio pleniſſima quæſierit voluntate. Non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra Metropolis voluntatem, vel Epiſcoporum Comprovincialium ingeratur. Quod ſi per ordinationem Regiam honoris iſtius culmen pervadere aliquis nimia temeritate præſumpſerit, a Comprovincialibus loci illius Epiſcopis recipi nullatenus mereatur, quem indebite ordinatum agnoſcunt. Si quis de Comprovincialibus recipere contra interdicta præſumpſerit, ſit a fratribus omnibus ſegregatus, & ab ipſorum omnium caritate ſummotus. Nec repugnat hic Canon Canoni Concilii Aurelianenſis V. cum altero deſideretur is regum conſenſus, qui libertati electionum nihil obſtrepat, altero arceatur juſſio ejuſmodi Principum, quo ea libertas perimatur.

III. Paucis poſt annis Leontius Metropolitanus Burdigalenſis Provinciale ſuum Concilium apud Santonas convocavit, ubi & Emerium fede ejus civitatis ejecit, qua illum donaverat Clotarius Rex, nec a Populo electum, nec a Metropolitano confirmatum. Cum vero Epiſcopum ejus loco eligi feciſſet unum ex Presbyteris Burdigalenſibus, Heraclium nomine, illum actum cum Decreto electionis miſit ad Charibertum Regem anno 563. (1) *Emerium ab Epiſcopatu depulit, aſſerens non canonice fuiſſe hoc honore donatum. Decretum enim Regis Clotarii habuerat, ut abſque Metropolitani conſilio benediceretur, qui non erat præſens. Quo ejecto conſenſum fecere in Heraclium, quod Regi Chariberto ſubſcriptum propriis manibus per nuncupatum Presbyterum tranſmiſerunt.* Concinebat hoc judicium Synodale Concilio III. Pariſienſi. At eam Charibertus contumeliam interpretatus, Clotario Regi parenti ſuo inuſtam, Heraclium exulare juſſit, Emerium reſtituit, pœnis pecuniariis multavit Burdigalenſem Metropolitanum ceteroſque Epiſcopos, qui ei aſſuerant Concilio. Proditum eſt a Gregorio Turonenſi Chariberti ejuſmodi verbum, quo facile conjiciatur, non ita exarſuram fuiſſe ejus iram, ſi prius illum adiiſſent Epiſcopi, oraſſentque, ut ſarciret ipſe labem, quam Eccleſiaſticæ diſciplinæ & Canonicæ electionum libertati invexerat Clotarius. Illud enim vero obſervare eſt in Conciliorum Oecumenicorum Actis, ſiquid peccatum, ſiquid adverſus Eccleſiæ leges commiſſum eſſet ab Imperatoribus, ipſos primum aditos eſſe & exoratos, ut quod inopini vulnus inflixerant, ſanarent. Ea ipſa apud Gregorium Chariberti verba, quæ id non obſcure inſinuant: *Quod hi Epiſcopum, quem Regis Clotarii voluntas elegit, abſque noſtro judicio præjecerunt.*

IV. Sed illud præ ceteris obſervandum, hos Præſules libertatis electionum tam ſtudioſos, tam fortes & infractos vindices, electum a ſe Presbyterum miſiſſe utique ad Regem Charibertum cum Decreto electionis ſuæ: ut ne auſteritſimi quidem libertatis electionum defenſores, ſuſpicarentur quidquam in eo eſſe, quod ei derogaret libertati.

V. Incolumis tamen & integra vigebat electionum plerumque libertas, quanquam interdum id genus contumeliis aſpergeretur. Inde eſt quod Concilio V. Pariſienſi anno 615. novo robore muniti firmatique ſunt priſci Canones omnes de libertate ſuffragiorum Cleri, Populi, Epiſcoporum, Metropolitani, irritæque decernuntur electiones omnes aliter factæ, etiamſi interpoſita ſit Principis auctoritas, cui tum ſurreptum fuiſſe præſumitur (2): *Quod ſi aliter aut Potejtate ſubrepat, aut quacunque negligentia, abſque electione Metropolitani, Cleri conſenſu, vel civium, fuerit in Eccleſia intromiſſus, ordinatio ipſius ſecundum ſtatuta Patrum irrita habeatur.*

VI. Hujus Acta Concilii confirmavit Clotarius II. additis tamen clauſulis iis, quibus jus Regium amplificari videbatur. Aſſentitur enim & electiones eſſe liberas, & ſervari Canones: at ſicut quem Populus, Clerus, Epiſcopi libere elegerunt, ordinari is debet, poſtquam Regi præſentatus, ab eoque confirmatus fuerit; ita quos Princeps nominarit, admitti, ordinarique debere, poſtquam eos Epiſcopi examinarint, approbarintque: *Idenque definitionis noſtræ eſt, ut Canonum ſtatuta in omnibus conſerventur, & quod per tempora ex hoc prætermiſſum eſt, vel deinc perpetualiter obſervetur. Ita ut Epiſcopo decedente, in loco ipſius, qui a Metropolitano ordinari debet, cum Provincialibus, a Clero & Populo eligatur; & ſi perſona condigna fuerit per ordinationem Principis ordinetur. Vel cer-*

(1) Greg. Turon. L. 4. c. 26.

(2) Can. 12.

certe si de Palatio eligitur, per meritum personæ & doctrinæ ordinetur. Quæ posterior clausula manifeste additita est, complectiturque novam rationem instituendi Episcopos, nominatione Regia, quam posterius confirmet Metropolitani & Episcoporum Provinciæ examen & consensus, immo & Cleri Populique sui etiam quodammodo assensus, ut qui intercedere potuissent, & varias accusationes atque irregularitates objicere. Id sonant, ut mihi quidem videtur, hæc verba: *Vel certe si de Palatio eligitur, per meritum personæ & doctrinæ ordinetur.* Hoc est ordinarum iri tum demum ab Episcopis eum, quem Rex nominarit, si ornatum pietatis & doctrinæ necessariis prædictis munitum probaverint examine instituto: Id autem jus examinandi, attestandi, accusandi, convincendique erat penes Clerum etiam, Populumque.

VII. Videbatur siquidem Rex eo Decreto antiquis obliqui Canonibus, maxime vero Concilio V. Aurelianensi, ubi ex his verbis: *Cum voluntate Regis, juxta electionem Cleri & Plebis*, emergere videtur, liberam fore & canonicam electionem, non modo ubi confirmarit Rex, quem cum Clero Populoque elegerint Episcopi; sed etiam cum ei quem Rex nominarit, Episcopi, Clerus, Populusque, ob ejus innocentiam vitæ & eruditionem non poterunt non acquiescere.

VIII. Non satis exploratum habeo, an ejus ævi Episcopi huic additamento, seu temperamento subscripserint. Non pauca jam supra congessimus (1), quæ contra niti videantur. Et illud tamen ingenue fateri cogimur, si vel eo temperamento usi essent Gallicani Antistites Regesque, anteverti potuisse eas Ecclesiæ Regnique calamitates, & morum inauditas corruptelas, quas obiter perstrinxit Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus in Epistola ad Zachariam Papam. Narrat quippe ab annis jam octoginta nullum superesse in Galliis Archiepiscopum, nulla celebrari Concilia, Episcopatus a laicis invadi aut ab iis Clericis, qui contaminatissimos laicorum mores improbitate vincant (2): *Modo autem maxima ex parte per civitates, Episcopales sedes traditæ sunt laicis cupidis ad possidendum, vel adulteratis Clericis, fœneratoribus, & publicanis, saculariter ad perfruendum.*

IX. Tantæ morum rerumque omnium perturbationi mederi cœpit Carolomannus Dux & Princeps Francorum, in Concilio Liptinensi sub Childerico III. Rege anno 743. electis Episcopis consilio Cleri, Optimatum laicorum, & ipsius maxime Bonifacii. Vide ut Carolomannus ipse differat in ejusdem Concilii Actis (3): *Ego Carolomannus Dux & Princeps Francorum, Episcopos cum Presbyteris ad Synodum congregavi, ut mihi consilium dedissent, quomodo lex Dei & Ecclesiastica Religio recuperetur, &c. Itaque per consilium Sacerdotum, Religiosorum, & Optimatum meorum, ordinavimus per civitates Episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium, qui est Missus sancti Petri.* Poterat hoc Concilium Consilium quoque videri, ubi Princeps in commune deliberabat, consulebatque cum Episcopis, cum Cleri primoribus, cum Magnatibus, eorumque de sententia & assensu Episcopatus dabat. Non potuissent nisi interveniente summi Principis auctoritate extrudi ab Episcopalibus sedibus, qui in eas se intruserant homines sceleratissimi. Itaque ei tum electionum disciplinæ jubentes assentiebantur Episcopi, & Legatus ipse Pontificius.

X. Eadem sectatus est vestigia Dux & Princeps Francorum Pipinus altero post anno, nimirum in Concilio Suessionensi, pro iis Provinciis, quæ ipsi administrandæ cessissent (4): *Ego Pipinus Dux & Princeps Francorum, &c. una cum consensu Episcoporum, sive Sacerdotum, vel Servorum Dei consilio, sive Comitum & Optimatum Francorum, &c. Constituimus per consilium Sacerdotum & Optimatum meorum, & ordinavimus per civitates legitimos Episcopos, & idcirco constituimus super eos legitimos Archiepiscopos Abel & Ardobertum.* Viginti tres Episcopi ei Concilio subscripsere, atque una consensere ei poteitari, quam sibi sumebat Pipinus, tum Princeps, mox Rex Francorum, Episcopos nominandi novos, Episcoporum & Optimatum consilio usus.

XI. Nec commentitia ergo est, nec impotibilis ea concordia suffragiorum Cleri, Populique & Episcoporum, cum potestate Principis electionibus intervenienris. Eminet enim illa splendidissime in his duobus Conciliis Suessionensi & Liptinensi, & in electionibus Episcoporum ibi celebratis. Elu-

(1) Supra cap. 10. (2) Epist. 1. (3) Can. 1. (4) Can. 2.

cet & pax eadem, & concordia in electione Eremberti Corbiensis Abbatis, a Monachis suis electi, impetrata prius Regia permissione: denique ubi electum Rex confirmavit Abbatem, & tum illum instituit Episcopus. Ex eo diplomate Theodorici Regis elucescit. 1. Permissio Regia eligendi Abbatis, vel potius Privilegium olim ad id concessum. 2. Permissio a Monachis expetita, & a Rege tum concessa defuncto Abbati alium subrogandi. 3. Electi novi Abbatis impetrata confirmatio a Rege, antequam ab Episcopo institueretur, anno 670. *Monachi petierunt ut liceret eis secundum privilegium, quod ex regali munificentia & Sacerdotum concessione indultum est, ex semetipsis eligere Rectorem. Et dum eorum petitio fieremitati congrua esse videretur, venerabilem virum Erembertum cum voluntate Episcopi elegerunt, &c. Præcipientes concessimus & jubemus, ut Erembertus Abbas & Rector Monasterii Corbiensis in omnibus sit constitutus.*

XII. Gregorio ipsi Magno perfacilis & consentanea visa est ea concordia, ubi eo Privilegio munitum ab eo est Xenodochium & Monasterium Augustodunense, ut ejus Abbas a Rege & a Monachis eligeretur. Nemo porro nescit, quam intrepidus & incorruptus fuerit Gregorius Canonum vindex, & Ecclesiasticarum Patronus libertatum (1). *Obeunte Abbate, non alius ibi quacunque obreptionis ajtutia ordinetur, nisi quem Rex ejusdem Provinciæ, cum consensu Monachorum, secundum timorem Dei elegerit ac providerit ordinandum.*

XIII. Plura depromemus hujus Concordiæ documenta, ubi perlustraverimus, quæ Gregorius Turonensis de Episcopalibus, sive electionibus, sive nominationibus Regis, scriptis consignavit. Post Euphrasii Episcopi Arverni obitum electus est a Populo Quintianus, qui ab inimicis Ecclesiæ & Regni Ruthenensi ejectus fuerat Episcopatu. Apollinarius muneribus expugnavit Regis benevolentiam, & Quintiani in locum intrusus est (2). *Qui abiens ad Regem, oblatis multis muneribus in Episcopatu successit.* Sed cum quarto post mense vivis abisset Apollinarius, Theodoricus Rex gnarus Quintianum Episcopali sua sede ideo ejectum fuisse, quod sibi impensius studeret, in Arvernæ Ecclesiæ sedem tum vacantem instituì illum fecit a populo & Episcopis Provinciæ (3). *Theodoricus justit Quintianum inibi constituì. Et statim directi nuntii convocatis Pontificibus & Populo, eum in Cathedram Arvernæ Ecclesiæ locaverunt.* Ex hoc exemplo eadem emicat concordia, cum & hic ita a Rege nominetur Episcopus, ut Episcoporum tamen Provinciæ assensio, & populi favor requiratur.

XIV. Clodomiri Regis jussu Ommatius ad Episcopatum Turonensem evectus est; quo non multis post annis donati sunt a Clotilde Regina Theodorus & Proculus (4). *Hic ex jussu Clodomiri Regis ordinatus est, &c. Theodorus & Proculus ordinante Clotilde Regina, tribus annis Turonicam rexerunt Ecclesiam.* Post obitum Injuriosi ejusdem urbis Episcopi, sustectus ei est Baudinus Clotarii Regis ex domo (5): *Cui Baudinus ex domestico Regis Clotarii successit.*

XV. Ad Arvernum me refero Episcopatum, qui a Rege post beati Quintiani mortem collatus fuit Gallo (6): *Gallus in ejus Cathedram Rege opitulante subsitutus.* Post excessum Galli a Clero populoque electus est Cato Presbyter: *Continuo a Clericis de Episcopatu laudes accepit.* Comprovinciales vero Episcopi cum confluxissent, ut celebrarent beati Galli exequias, Catoni polliciti sunt, se eum illico ordinaturos, si vellet eis consociari, & nominatione Regis Theobaldi supersedere, ut qui tum immaturæ esset ætatis: in se quoque recipiebant, quidquid ei ab eo immineret periculi, & multas ipias se persoluturos, si quæ illi ea de causa indicerentur. *Episcopi dixerunt Catoni Presbytero: Videmus quia te elegit pars maxima populorum, veni, consenti nobis, & benedicentes consecremus te ad Episcopatum. Rex vero parvulus est, & si qua tibi adscribitur culpa, nos suscipientes te sub defensione nostra, cum Proceribus & primis Regni Theodovaldi Regis agemus, ne tibi ulla excitetur injuria; nos quoque in tantum fideliter crede ut spondeamus pro te omnia, etiamsi damni aliquid superenerit, de nostris propriis facultatibus id redditurus.*

Non acquievit his Cato Episcoporum consiliis, & conclatione interim tua locum dedit Cautino Archidiacono, ut ad Regem Metas properaret, eoque denuntiaret incunctanter Episcopatu. Delegari iunt a Rege, qui

(1) L. 11. Ep. 10. (2) L. 3. c. 2. (3) Vitæ Patr. c. 4. (4) Hist. Fran. L. 3. c. 17.
(5) L. 4. c. 3. (6) L. 4. c. 5. 6.

qui eum in Eccleſiam eam deducerent, quod non ſine Cleri Populique aſſenſu peractum eſt. *Cautinus Theodovaldum Regem petiit, adnuntians tranſitum ſancti Galli. Quod ille audiens, vel qui cum eo erant, convocatis Sacerdotibus apud Metenſem civitatem, Cautinus Archidiaconus Epiſcopus ordinatur. Cum autem veniſſent nuntii Catonis Presbyteri, hic jam Epiſcopus erat. Tunc ex juſſu Regis, traditis ei Clericis, & omnibus quæ hi de rebus Eccleſiæ exhibuerant, ordinatiſque qui cum eo pergerent, Epiſcopis & Camerariis, Arvernos eos direxerunt. Qui a Clericis & Civibus libenter exceptus, Epiſcopus Arvernis eſt datus.*

Cum vita interim migraſſet Epiſcopus Turonenſis, Clerus ejus Eccleſiæ a Rege interpellatus Catonem ſibi Epiſcopum poſtulavit. Nec diſſimularunt qui a Clero ad Catonem delegati ſunt, mandato Regis eum a ſe electum fuiſſe: *Non enim noſtra te voluntate expetivimus, ſed Regis præceptione*. Porro Turonenſem Epiſcopatum abnuit Cato, quod a Chramno Principe expreſſiſſet eam pollicitationem, fore ut poſt mortem Clotarii Regis in Arvernum Epiſcopatum ejecto Cautino illum revocaret. *Cato amicitias cum Chramno nexuerat, promiſſionem ab eo accipiens, ut ſi contigerit Regem mori Clotarium, ſtatim ejecto Cautino ab Epiſcopatu, iſte præponeretur Eccleſiæ.*

XVI. Tædium creare potuiſſent hæ narratiunculæ, niſi ex his pluſcula emergerent, quæ operæ pretium ſit obſervari. 1. Poſt Theodorici Regis mortem enixos eſſe Epiſcopos, ut priſca ſua recuperarent jura, & pleniorem electionum libertatem, eoque ordinare voluiſſe Presbyterum Catonem, a Populo Cleroque electum, nec ad electionem, nec ad electi conſecrationem explorata Regis voluntate. 2. Clerus Populuſque percupidus & ipſe ſuæ eligendi libertatis, conſeſtim Catonem Presbyterum elegit. 3. Nec ipſe juris ſui incurioſus Theobaldus Epiſcopatu eum donavit, qui primus ipſum adiit. 4. Ea in nominatione obſecutus eſt Theobaldus Epiſcoporum Aulæ ſuæ conſiliis, quos & abiegavit, ut Cautinum in Epiſcopali ſede collocarent. 5. Clerus Populuſque Arvernæ civitatis aſſenſi ſunt Regiæ nominationi Cautini: Ita quodammodo coaleſcebat electio cum nominatione Regia. 6. Sollicitatus eſt & ab ipſo Rege Clerus Turonenſis, ut Catonem Epiſcopum eligeret. Non obruebatur ergo prorſus eligentium libertas Regiæ auctoritatis pondere. 7. Clerici ipſi ambitionis æſtu abrepti circumveniebant plerumque Reges, & ea ab illis extorquebant, quæ legitimæ & moderatæ poteſtatis fines præterirent.

XVII. Electus eſt in Epiſcopum a Turonenſibus Euphronius Presbyter, cujus a Rege confirmationem cum efflagitarent, percunctatus eſt Rex, quid cauſæ eſſet, quamobrem non obſequerentur ſuo eligendi Catonis mandato. Reſponderunt Catonem eum Epiſcopatum renuiſſe. Tum Cato in conſpectum ſe Regis dedit, & Arvernum poſtulavit Epiſcopatum; cum vero ſenſiſſet ludibrio Regi fuiſſe ſuam hanc petitionem, tum Epiſcopatui aſſenſurum ſe Turonenſi ſignificavit. At vero Rex indignum tunc pronuntiavit facinus, ut quam repudiaſſet Eccleſiam, illam jam ſponſam obtineret: ita ab eo Euphronii electio confirmata eſt (1). *Turonici audientes, regreſſum fuiſſe Regem de cæde Saxonum; facto conſenſu in Euphronium Presbyterum, ad eum pergunt, dataque ſuggeſtione, reſpondit Rex: Præceperam enim ut Cato Presbyter illic ordinaretur, & cur eſt ſpreta juſſio noſtra &c.? Rex ait Catoni: Ego primum præcepi, ut Turonis te ad Epiſcopatum conſecrarent, &c. Reſpondit Rex: Fiat voluntas Dei, & B. Martini electio compleatur: & data præceptione, Euphronius ordinatur Epiſcopus.* Celebrata fuerat electio Euphronii permittente Clotario Rege; ejus confirmatio tum flagitata ab eo eſt, cum victor domitis Saxonibus rediret; ejus quem nominarat pertæſus, hanc confirmavit.

XVIII. Miſſam facio nominationem Paſcentii Abbatis ad Epiſcopatum Caſtri Sellenſis in Pictonibus (2), de quo alibi dictum eſt a nobis. Sileo & nominationem Munderici ad Epiſcopatum Lingonenſem: *Lingonici Mundericum expetunt, qui a Rege indultus & tonſuratus, Epiſcopus ordinatur.* At cum Tetricus Epiſcopus Lingonenſis nondum efflaſſet animam, Caſtrum Ternodorenſe Rex Munderico dono dedit, ut interim ibi Archipresbyteri munere fungeretur. Incurrit interim Mundericus in offenſionem Regis, (3) carcere & exilio dedit pœnas ambitionis, & ne tum quidem reſipuit. Itaque ad Regem Sigebertum auſugiens, vici Ariſitæ Epiſcopus factus eſt. Rut-

(1) L. 4. c. 15. (2) L. 4. c. 18. (3) L. 5. c. 5.

Rurfus *Lingonici Sylvestrum expetunt*. At eo paucis post diebus vi sontici morbi oppresso, Pappolum Archidiaconum Augustodunensem iidem expetiere. *Episcopum flagitantes Pappolum accipiunt*. Ubi vides has quandoque non tam electiones fuisse, quam propositiones & petitiones civitatum Episcopis destitutarum : ac vicissim non tam nominationes Regum eas fuisse, quam consensiones in eos, quos Ecclesiæ sibi privatæ optassent donari.

XIX. Cum vita hac mortali migrasset sanctus Ferreolus Uceticensis Episcopus, Dynamius Provinciæ Præfectus substituit illi fecit Albinum prius Præfectum Cisalpinæ Regis mandatum. Tertio post mense vita excessit Albinus, atque ita subductus est abdicationi, quæ ipsi a Rege impendebat (2): *Albinus ex Præfecto per Dynamium Rectorem Provinciæ extra Regis consilium susceptit Episcopatum. Quo non amplius utens quam tribus mensibus, cum ad hoc causa restituisset ut removeretur, defunctus est*. Jovinus qui ejus Provinciæ Præfecturam gesserat, eo Episcopatu donatus est a Rege. At Marcellus Diaconus, filius Felicis Senatoris, Dynamii Præfecti consilio & favore subnixus, eligi se, & a Provinciæ Episcopis ordinari pervicit. *Jovinus iterum, qui quondam Provinciæ Rector fuerat, Regium de Episcopatu præceptum accipit. Sed prævenit eum Marcellus Diaconus, qui convocatis Provincialibus, ordinatur*. Armis certatum est inter duos æmulos ; denique qui viribus inferior, is muneribus superior fuit.

CAPUT XIV. *P. 2. l. 2. c. 34.*

Nova contexuntur argumenta ex Gregorio Turonensi, nonnulla & ex Marculpho de electionibus & nominationibus Episcoporum.

I. Aliorum contextio ex Gregorio Turonensi exemplorum, ubi electio concurrit cum Regia nominatione.

II. III. IV. Nova iterum exempla. Sanctissimi quandoque Episcopi electi, ita nominati fuere.

V. Nec Gregorius Turonensis, nec viri sanctitate conspicui, nec Concilia magnopere repugnarunt iis nominationibus Regiis, a quibus procul esset simonia, & ejusmodi pestes alia.

VI. Alia ex aliis Historicis exempla.

VII. Quid summatim observari debeat in his omnibus exemplis?

VIII. Probatur ex Formulis Marculphi ad has Episcoporum nominationes Reges usos esse consilio Episcoporum & Optimatum sucrum.

I. TAntum operæ studiique navaverat Regi Clotario Dumnolus Abbas sancti Laurentii apud Parisios, ut constituerit Rex Episcopatu eum honestare, qui primus vacasset (2). *Præsolabatur Rex locum, in quo Pontificatus honorem acciperet*. Cum viduata ergo esset Avenionensis Ecclesia, eam illi sedem Clotarius *dare deliberaverat*. At eum Episcopatum averfatus Dumnolus, Regem oravit, exoravitque, *ut non quasi coactus ab ejus elongaretur aspectu, nec permitteret simplicitatem illius in Senatores Sophisticos, ac Judices Philosophicos fatigari ; alterum hunc locum humilitatis sibi potius esse, quam honoris*. Cenomanensi ergo a Rege donatus est Episcopatu : *Ipsum Ecclesiæ illi Antistitem destinavit*. Addit Gregorius Dumnoli sanctimoniam miraculis compluribus illustratam fuisse : expleto autem altero supra vigesimum Episcopatus anno, adventante jam morte successorem sibi delegisse Theodulphum Abbatem, quod & a Rege confirmatum est, quanquam pauco post tempore electus sit Badechisilus Palatii Regii Major. *Theodulphum Abbatem in locum suum præelegit, cujus offensui Rex præbuit voluntatem : sed non multum post tempus mutata sententia, in Badechisilum domus Regiæ Majorem transfertur electio*.

II. Exemplo Dumnoli monemur, sanctissimos viros inservisse temporibus, & nominationibus Regiis accommodasse seipsos, ut aut ipsi net Episcopatu vel sic investirentur, aut alios sanctimoniæ non disparis nominari curarent. Plura id genus attingemus exempla, plura jam attigimus. Felix Episcopus Nannetensis paulo ante obitum suum viginos obtestabatur Episcopos, ut eum quem sibi successorem elegerat, Burgundionem nepotem confirmarent (3) : *Precatis ad se Episcopis qui propinqui erant, supplicat ut consensum, quem in Burgundionem nepotem suum fecerat, suis subscriptionibus roborarent. Quod cum factum fuisset, eum ad me dirigunt*. Assentiebantur Epi-

(1) L. 6. c. 7. (2) L. 6. c. 9. (3) L. 6. c. 15.

Epiſcopi, at Metropolitanus, Gregorius vi-delicet Turonenſis præcipitare noluit. Neophyti ordinationem .. Felice interim vivis erepto, ei *Nonnichius conſobrinus Rege ordinante ſucceſſit*. Infeſtiſſimi quidam Ethe-rii Lexovienſis Epiſcopi hoſtes coegerant eum ad Regem Guntramnum ſe recipere, eaque arrepta anſa, Epiſcopatum ejus a Chilperico Rege extorquere ſe poſſe ſperaverant .. Sua tamen illos ſpes delufit, nec eorum calumniis ceſſit Chilpericus (4). *At Regem Chilpericum properant pro Epiſcopatu petendo*. Innocentius Comes Gabalorum electus eſt Epiſcopus Ruthenenſis, Brunechildis Reginæ favore (2). *Eligitur ad Epiſcopatum, opitulante Brunechilde Reginæ*. Ad Bituricenſem Epiſcopatum electus eſt B. Sulpitius, connitente Guntramno Rege, & muneribus inacceſſo, cum ſanctiſſimas dignitates pretio diſtrahi conſtantiſſime ſemper prohibuerit (3). *Sulpitius ad ſacerdotium Guntramno Rege favente, præeligitur. Nam cum multi munera offerrent, hæc Rex Epiſcopatum quærentibus reſpondiſſe fertur, Non eſt Principatus noſtri conſuetudo Sacerdotium vendere pro pretio, &c.*

III. Eligebantur ergo adhuc a Populo & a Clero Epiſcopi, ſed plura in dies momenta habebat Regum poteſtas in electionibus. Quandiu non erat uſui ea poteſtas, niſi ad donandos Eccleſiæ Epiſcopos meritis clariſſimos & ſanctimonia, cujuſmodi erat hic Sulpitius: & ad retundendam ambitioſorum hominum, vel Simoniacorum audaciam: tandiu approbari utique eam æquum erat, & Reges ipſos commendari, ut divino inſtinctu incitatos, ut principem quendam locum etiam inter Eccleſiæ membra tenentes, denique ut afflatos aura quadam Sacerdotii Chriſtiani. Is erat plerumque Guntramni Regis animus, nequaquam vero Chilperici Regis cum de eo hæc ſcribat Gregorius (4): *In cujus tempore pauci quadammodo Epiſcopatum Clerici meruerunt.*

Aſſenſus eſt idem Guntramnus judicio Epiſcoporum, qui Promorum abdicaranr Epiſcopatu Caſtellodunenſi, quem nuper erexerat Sigebertus, ut illum eo decoraret (5). *Ordinante Sigeberto Rege Epiſcopus fuerat inſtitutus*. Ab Epiſcopis Aquitaniæ ordinatus eſt Faultinianus Presbyter in Epiſcopum Aquenſem, quanquam ea ſede donatus eſſet a Rege Chilperico Nicetius Comes (6). *Nicetius Comes illius loci præceptionem a Chilperico elicuerat, ut conſuratus, civitati illi Sacerdos daretur*. At Rex Guntramnus Nicetium ei reſtituit Epiſcopatui; Burdigalenſem vero Archiepiſcopum & duos Epiſcopos, qui una cum eo Faultinianum ordinaverant, præcepit annuos aureos centum illi exolvere ad ejus ſuſtentationem: quod & a Concilio Matiſconenſi confirmari curavit (7). *Nicetius ex laico, qui prius a Chilperico Rege præceptum elicuerat, in ipſa urbe Epiſcopatum adeptus eſt*.

Idem vero Burdigalenſis Archiepiſcopus graviſſimo ex morbo decumbens, ex Diaconis ſuis unum ſucceſſorem ſibi deſignavit. Is Burdigalenſium civium conſenſu munitus, & munerum ingentem copiam ſecum advehens, in Aulam Regiam properavit. Rex illum quampropere redire juſſit, dona domum referre, ejuſque loco ordinari Gondegeſilum Comitem Santonenſem (8): *Diaconus cum muneribus & conſenſu civium ad Regem properat, ſed nihil obtinuit .. Tunc Rex data præceptione juſſit Gondegeſilum Santonicum Comitem Epiſcopum ordinari, geſtumque eſt ita*. Sapaudo Epiſcopo Arelatenſi excedente, ſucceſſit Licentius Guntramni Regis Referendarius .. *Licentius Regis Referendarius adſciſcitur eſt*. Evantio Viennenſi Epiſcopo mortuo, Vitus Presbyter Rege eligente ei ſubſtitutus eſt (9). *Vitus Presbyter de Senatoribus Rege eligente ſubſtituitur*. Agerico Epiſcopo Viennenſi hinc demigrante, Baciovaldus Abbas ad Aulam iter maturavit, & ſpes tamen illum ſua fefellit, Rege nominanre Referendarium, ſeu Cancellarium ſuum, & ipſum etiam ad id civium conſenſum eblandiente (10). *Baciovaldus Abbas ejus pro Epiſcopatu cucurrit, ſed nihil obtinuit. Charinerem enim Referendarium cum conſenſu civium Regalis decrevit auctoritas fieri Sacerdotem*.

Fronimius creatus fuerat Agathenſis Epiſcopus a Rege Viſigothorum Leuvano (11): *A Leuvano in urbe Agathenſi Epiſcopus ordinatus eſt*. Leovigildus qui Leuvani in Regnum ſucceſſerat, Fronimio Epiſcopo ſicarios ſubornavit, ſuſpicatus ab eo inſtillatam eſſe Ingundi Reginæ, Sigeberti Regis Filiæ, eam invictam, tenaciſſimamque fidei Catholi-

(1) L. 6. c. 36.
(2) L. 6. c. 38.
(3) L. 6. c. 30.
(4) L. 6. c. 46.
(5) L. 7. c. 17.
(6) L. 7. c. 31.
(7) L. 8. c. 20.
(8) L. 8. c. 22.
(9) L. 8. c. 39.
(10) L. 9. c. 23.
(11) L. 9. c. 24.

tholicæ conſtantiam, quam Hiſpaniæ intulerat, cum Hermenegildo filio nuberet. Ille in Gallias ſeceſſit, ubi Childebertus Rex Vencienſem Epiſcopatum ei contulit (1). *Poteſtatem Pontificalem Rege largiente ſuſcepit.* Poſtremo denique ad calcem Hiſtoriæ ſuæ Gregorius Turonenſis ſummatim percenſens Epiſcopos omnes Turonenſes, rurſum narrat ut Dionyſius Epiſcopus Turonenſis creatus ſit eligente Rege: *Per electionem Regis ad præfatum Epiſcopatum acceſſit*: utque ſancta Clotildis Regina duos ibi prius conſtituiſſet Epiſcopos, qui ei comites adhæſerant ex Burgundia, ut conjunctim Eccleſiam & ſedem beati Martini adminiſtrarent.

IV. Eandem ſibi Duces, Comites & Præfecti Provinciarum vindicabant auctoritatem, adſciſcendi ad Epiſcopales infulas, quos ſibi aut virtus, aut gratia commendaſſet. Præter ea quæ perſtricta ſunt exempla, ex eodem Gregorio Aramus Dux, a Rege Theodorico ex Italia Arelatem Legatus, juſſit ibi Epiſcopum eligi Archidiaconum Nemauſenſem Joannem, ſanctitatis fama clariſſimum, cum primum ea Sedes vacaret (2). *Ut decedente illius urbis Sacerdote, ipſum Sacerdotem mandarit inſtitui.* Nundinatio & ſimonia non abſurde creditur multo tunc fuiſſe frequentior, cum per Duces, quam cum per Reges diſpenſarentur Epiſcopatus. Hinc tot querelæ Gregorii Magni, hinc tot correptiones. Eam labem Gregorius ipſe Turonenſis permoleſte ferebat, in vita ſancti Galli Epiſcopi Arverni (3). *Jam tunc germen illud iniquum cœperat pullulare, ut Sacerdotium aut venderetur a Regibus, aut compararetur a Clericis.* Eum Gallo ſanctiſſimo viro Rex Epiſcopatum contulerat, repudiatis Arvernorum civium muneribus, qui alium ſibi Epiſcopum aſciſcere percupiebant. Non expendit Gallus niſi minimam ſtipem qua remuneratus eſt coquum, convivii ergo quod ille inſtruxerat Regio juſſu, ad provectionis ejus lætitiam teſtificandam. Sed quod merito ſtuporem menti injiciat, illud eſt, cœlitus monitum juſſumque Gallum, ut propere ipſe accurreret, & Epiſcopatum poſtularet (4). *Gallus irruente in ſe Spiritu ſancto, ait, Quid hi muſſitant? quid ſurſitant? quid retractant? Vacuum eſt opus eorum: ego ero Epiſcopus, mihi Dominus hunc honorem largiri dignabitur. Tu cum me audieris retine de præſentia Regis, &c.* Non petiit Nicetius Epiſcopatum Lugdunenſem, ſed petiit Archiepiſcopus Lugdunenſis a Childeberto Rege, obtinuitque Nicetio nepoti ſuo. Nicetius Trevirenſis Epiſcopus a Rege etiam Theodorico nominatus eſt, ſed non ſine aſſenſione populi (5). *Cumque dato conſenſu Populi, ac decreto Regis, ad ordinandum adducebatur, &c.*

V. Illud rurſum nobis paulo penſiculatius obſervandum eſt, quanquam puriſſimo, vehementiſſimoque inflammaretur zelo Gregorius Turonenſis, nec eum a Regibus ipſis abſtineret, ſicubi tanti eſſet ad Eccleſiæ ſalutem; nuſquam tamen eum gravate ferre in Hiſtoriæ ſuæ decurſu, aut ſuis querelis exagitare has nominationes Regias, tanquam Canonibus vehementer infenſas. Laicorum ordinationes inſectatur; Reges qui diſtraherent, Clericos qui emerent ſacras dignitates, acerbius perſtringit; in ipſas perſeſe nominationes, ejuſmodi vitiorum expertes, nunquam ſtomachatur. Ei autem ſtyli temperantiæ, & Hiſtoriæ moderationi patrocinium multiplex comparari poteſt. 1. Cum ſanctitate florentiſſimi tot viri, a Regibus acceperint Epiſcopatum. 2. Cum quos Reges elegerant promoverantque, in præſtantiſſimos exinde Paſtores evaſerint. 3. Cum cœleſti non ſemel impulſione excitati ſint viri piiſſimi, ut Epiſcopatus a Regibus peterent, ad quos a Clero populiſque vocabantur. 4. Cum earum nominationum ea eſſet perſæpe ratio & modeſtia, ut nihilominus electionis libertas Populo Cleroque conſtaret. 5. Cum ne Concilia quidem ipſa ſibi cum Regibus decertandum exiſtimarent, ne ab eis expectaretur vel eligendi permiſſio, vel confirmatio electi. Immo ne certabant quidem de eo quod capitalius erat, ne mitterentur a Palatio Principis ordinandi Epiſcopi, quanquam prius illi ab Epiſcopis, a Clero, a Populo examinandi, probandique. 6. Cum ipſimet quandoque Epiſcopi, Clerici, Cives Principem ſua ſponte adirent, ut ejus poteſtate ſumma turbæ compeſcerentur, ſedarentur competitorum intemperiæ, incubatores violenti ſedium ſacrarum ejicerentur, donarentur Eccleſiæ Aulici Proceres & Palatii Optimates, ſicubi ex eis electi aliqui eſſent ad ſacras infulas. 7. Cum Principes Ca-

(1) L. 10. (2) De Mirac. S. Martini. L. 1. c. 78.
(3) Vitæ Patr. c. 6. (4) Ibid. c. 8. (5) Ibid. c. 17.

Canonum non jam cuſtodes & vindices, ſed quandoque oppugnatores eſſent: cum ipſi multa peccarent Epiſcopi, Clerici, populique, vel in eligendis præter Canones ſucceſſoribus, vel nepotibus obtrudendis, aut in Epiſcopatibus prehenſandis, aut muneribus præter fas accipiendis: Rex ſiquis juſtitiæ zelo flagrans, ſiquis Eccleſiaſticæ Diſciplinæ amantior, rerum gubernacula capeſſerent, unus ille malis his omnibus medicabatur; quod non poterat, niſi ſe paulo altius in electiones immergeret. Si vero ejus & regni & poteſtatis hæres, non idem hæres eſſet pietatis, eæ erant rerum humanarum viciſſitudines: dolendæ illæ quidem, modice tamen ferendæ: cum ea ſit noſtri generis peccato ſemel afflicti ſors, ut & bona non raro male vertant, & remedia in morbos degenerent.

VI. Nec ſoli Gregorio Turonenſi illa placuit animi ſtylique moderatio, in edifſerendis nominationibus Regiis ad Epiſcopatus. Verba faciens Fortunatus de alio antiquiori Gregorio Turonenſi Epiſcopo, poſt deſignata ſuffragia & vota populi, *Quem proſpera vota petebant*, Regis & Reginæ conſenſum prædicat, veluti cumulum auſpicatiſſimæ electionis (1). *Huic Sigebertus ovans favet, & Brunichildis honori, Judicio Regis nobile culmen adeſt.* Auctor vitæ ſanctiſſimi Ducis Pipini tradit B. Amandum mandato Papæ in Gallias profectum ad Evangelicam fidem diſſeminandam juſſu Dagoberti Regis Epiſcopum eſſe ordinatum. *Ad Aulam invitatus, juſſu Dagoberti Regis, Trajectenſis Eccleſiæ ordinatur Epiſcopus.* Narrat auctor vitæ ſancti Leodegarii Epiſcopi Auguſtodunenſis, duorum de Epiſcopatu certantium immanitate eam urbem cruentatam fuiſſe, alterum interfectum, alterum ejus cædis auctorem exulare juſſum; cum biennio vacaſſet Sedes, a Bathilde Regina, quæ Clotarii impuberis filii Regnum adminiſtrabat, eo miſſum Epiſcopum Leodegarium, cujus conſpectu & interrito vigore pax ei tandem Eccleſiæ & civitati affulſit (2): *Siquidem nuper inter duos contentio de eodem Epiſcopio exorta fuerat, & uſque ad ſanguinis effuſionem certatum. Cumque unus ibidem occubuiſſet in morte, & alter pro perpetrato ſcelere datus fuiſſet in exilii truſionem, tunc Bathildis Regina, quæ cum Clotario filio Thomaſ. Tom. V.* *Francorum regebat Palatium, divino, ut credimus, inſpirata conſilio, ad memoratam urbem hunc direxit virum, ut inibi eſſet Epiſcopus, &c. Quid multa? ita in adventu ejus territi ſunt omnes Eccleſiæ vel urbis illius adverſarii, nec non & hi, qui inter ſe odiis & homicidiis inceſſanter certabant, &c.* Nemo non intelligit iſtiuſmodi competitorum diſſidiis, præliis, cædibuſque, aut prævertendis, aut ſedandis, neceſſariam prorſus fuiſſe Regiæ poteſtatis in electionibus interventionem.

A Clero populoque Arvernæ Civitatis electus fuerat B. Projectus; Archidiaconi tam procax inſolenſque nihilominus fuit audacia, ut Epiſcopalem ſedem invaderet. Poſt ejus obitum populus ad Senatoris cujuſdam perilluſtris electionem totus propendebat. Ille virtutum quam natalium ſplendore non paulo illuſtrior, ſtudia & vota omnium rurſus in Projectum traduxit, utque ne rurſus ejus electioni quidquam obſteperet, auctoritas Regia interpellata eſt. Is erat Clodovæus II. (3) *Ipſe vir potens & ſapiens hunc gradum incaute non appetens, indignum ſe hoc officio fatetur coram cunctis. Quin potius concionatur ad cives, ut Projectum a Rege poſcerent, in ſede Paſtoris. Tunc itaque favore populi concordante, immo magis ſancto Spiritu gubernante, inito conſilio Projectum elegerunt Antiſtitem, Decreto etiam Regis petitionibus populi annuente.* S. Ansberti Archiepiſcopi Rothomagenſis vitæ Scriptor, illud primum commemorat, ut Lambertus Abbas Fontanellenſis creatus ſit Epiſcopus Lugdunenſis, unanimi conſenſu Regis, Magnatum Palatinorum & populi (4): *Pius Rex Theodoricus, & inclytus Rex Princeps Pipinus, cum Proceribus Palatii ſalubre agentes conſilium, cum unanimi populi voto eum conſtituerunt Antiſtitem.* Eius loco electus eſt Ansbertus in Abbatem Fontanellenſem, nec multo poſt tempore extincto beato Audoeno Rothomagenſi Epiſcopo, Ansbertum elegit populus ſucceſſorem, eumque a Rege Theodorico poſtulavit. Is regni ſui Comitia tum apud Clypeacum in agro Pariſienſi celebrabat, Ansbertique electione reſcita, ipſum arceſſivit, quaſi de graviſſimis negotiis ſententiam ejus ſciſcitaturus: *Nam Confeſſor illius erat.* Iterato mandato Regio tunc demum venit Ansbertus, & *tunc*

H *eli-*

(1) L. 5. c. 3. (2) Du-Cheſne. To. 1. pag. 597. 601. (3) Ibidem. pag. 672.
(4) Ibidem. pag. 682. 683.

eligentibus civibus præfatæ urbis Metropoleos, cum unanimi voto ſanctorum Sacerdotum, Regis & Principum, eligitur, trahitur, &c. Avitus Arvernus Epiſcopus appetente morte Bonitum germanum fratrem eligi fecit ſibi ſucceſſorem, qui ex Pincerna Regio Referendarius creatus fuerat Sigeberti Regis (1): *Annulo ex manu Regis accepto, Referendarii officium adeptus eſt.* Et tandem fuerat *Præfectus Maſſiliæ primæ Provinciæ.* Eam Præfecturam ita geſſerat, *ut non tam Judex quam Sacerdos eſſe videretur.* Regnum Theodorici Regis tunc Pipinus Senior adminiſtrabat. Ab eo poſtulavit Avitus confirmari electionem fratris: *Miſſa ab illo ad Regem legatio eſt, ut ipſe auctoritate Regia electioni Boniti ſuum quoque conſenſum adjiceret.* Nec multo poſt tempore ab eodem Rege obtinuit B. Bonitus abdicandi Epiſcopatus copiam, facultatemque adſciſcendi ſibi B. Nordbertum ſucceſſorem, ut in Magnilocenſe Cœnobium liber & ſolutus ſecedere poſſet: *Miſſi ſunt Legati ad Regem, &c. Inde ad Magnilocenſe profectus Cœnobium, &c.*

Poſtquam ex mortali in immortalem raptus eſt vitam Honoratus Ambianenſis Epiſcopus, miſſus eſt ab eodem Theodorico Rege Epiſcopus Noviomenſis ad Ambianenſes cives confortandos, ut Paſtorem eligerent, ei muneri gnaviter obeundo parem (2). Indixit tum Clerus tridui jejunium, quo expleto electus eſt ſanctiſſimus Anachoreta Salvius, qui & in faſtis Eccleſiæ ſacris celebratur. In Vambæ denique Regis Geſtis narrat, qui exiſtimatur ejus opuſculi auctor Julianus Archiepiſcopus Toletanus, ab Ilderico Nemauſenſi Comite ſceleſtiſſimo in vincula conjectum Nemauſenſem Epiſcopum, quem nefariis machinamentis ſuis in Regni & Eccleſiæ perniciem eruptoris irrepliçare nequiſſet, datumque ei in Epiſcopatu ſucceſſorem Abbatem Ranimirum, ejuſdem conſortem perfidiæ, nec Regis interpoſita voluntate, nec auctoritate Metropolitani: denique ad inſolentiſſimæ cumulum audaciæ a duobus Epiſcopis extraneis illum juſſum eſſe ordinari. *Dein in ſublati Pontificis locum perfidiæ ſuæ ſocium Renimirum inducit Epiſcopum. In cujus electione nullus ordo attenditur, nulla Principis vel Metropolitani definitio præſtolatur: ſed erecto quodam mentis ſuperbæ faſtigio contra interdicta Majorum, ab externa gentis duobus tantum Epiſcopis ordinatur.*

VII. Ea poſtrema verba ſtylum & mores redolent Hiſpanienſis Eccleſiæ, ubi Epiſcopalium electionum jus omne ad Reges & ad Archiepiſcopos Toletanos revocatum tandem eſt, ut ſequenti capite prolixius diſſeremus. Ex his autem Scriptoribus, quos Collectione ſua omnes complexus eſt Quercetanus, apertiſſime confirmantur argumenta eadem omnia, & Diſciplinæ ſacræ Capita, quæ ſupra ex Gregorio Turonenſi elucidata ſunt. Factionibus, tumultuationibus, cædibus adigebantur Reges partes ſuas electionibus interponere, populi quin etiam ipſi ad Patrocinium Regium convolabant. In ejuſmodi rebus conſilio Epiſcoporum in Aula tum diverſantium utebantur Reges. Nominatione Regum Epiſcopi bene multi ſanctitate ſpectatiſſimi Epiſcopales infulas aſſecuti ſunt. Regiæ nominationi plerumque aut accedebat, aut præibat populi Clericique electio. Beatus Medardus Noviodunenſis Epiſcopus a Tornacenſibus electus eſt, & utriuſque Epiſcopatus velut in unum coagmentati clavum rexit, Regis, Epiſcoporum, Magnatum, Populorumque unanimi conſenſione (3): *Unanimiter Medardum elegerunt, id populus acclamabat, in hoc Rex ipſe, Proceresque Palatii, præcipuæque Comprovinciales Epiſcopi conſentiebant.* Nec minus conſpiratum undique eſt ad Audoeni Rothomagenſis Archiepiſcopi electionem (4): *Illum ſolum ea ſede dignum tam Rex, quam Proceres, itemque Clerus & Populus una voce teſtabantur.* Ejuſdem generis fuit & B. Remacli electio, Epiſcopi Trajectenſis, quæ poſtea Epiſcopalis ſedes Leodienſem in Civitatem traducta fuit (5): *Regi vero Trajectenſes ex communi Sacerdotum electione, Magnatum multa frequentia, & omnium ordinum poſtulatione, ejuſmodi preces offerunt, Neminem ipſis niſi beatum Remaclum Pontificem præfici debere. Rex aſſentiens ſtatuit præſtare quod rogabatur.*

VIII. Poſtremo denique inter Marculphi Formulas ſuperſunt, radiantque ex, quæ exhibent tum *Præceptum de Epiſcopatu*, quem Rex dono dabat ex conſilio Epiſcoporum & Procerum, tum Populi ſupplicis preces, ut a ſe electus Regio juſſu firmaretur. Ita liquidum eſt peragi tum ſolitas Epiſcoporum creationes, provido quodam & ſua-

(1) Ibidem. pag. 684. 685.
(2) Ibidem. pag. 686. 822.
(3) Surius die 8. Junii.
(4) Die 24. Auguſti.
(5) Die 3. Sept. Die 17. Sept.

& ſuaviſſimo temperamento, tam publicæ libertatis populi Clericique qui eligebat, quam ſummæ Regum auctoritatis, qui cum Capita ſint Reipublicæ, Clericique beneficentiſſimi defenſores, non poterant non immiſceri rebus, quarum tanta erant ad Reipublicæ pacem & ad Eccleſiæ ſalutem momenta. En ipſiſſima verba Regii *de Epiſcopatu Præcepti*, ut a Gregorio quoque Turonenſi vocitatum eſt: *Cognovimus Anziſtitem illum ab hac luce migraſſe, de cujus ſucceſſore ſollicitudinem congruam una cum Pontificibus vel Proceribus noſtris plenius tractantes, decrevimus illuſtri viro illi Pontificalem in ipſa urbe committere dignitatem.* Tum ſcribebat Rex ad Epiſcopos, qui novum Antiſtitem ordinaturi erant. In alia Formula ejuſdem Marculphi ita habetur: *Cum Pontificibus vel Primatibus populi noſtri pertractantes.* Quibus ex verbis planum eſt, ita Regibus & Proceribus perſuaſum fuiſſe, ſui eſſe & juris & officii, ut tanquam populi vertices & rectores, ad electiones cum ipſo conſpirarent. Supplex vero Civium ad Regem libellus ita habebat (1): *Suppliciter poſtulamus, ut inſtituere dignemini illuſtrem virum illum, aut venerabilem illum Cathedræ illius ſucceſſorem.* Nec ab his diſſonant Formulæ, quas Sirmundus edidit in Appendice Tomi II. Conciliorum Galliæ.

CAPUT XV. *P. 2. l. 2. c. 35.*

De eadem re. Quantum ſibi ſumpſerint Reges Hiſpaniæ in electionibus Epiſcoporum, ſæculo VI. & VII.

I. Martinus Bracchareníis Epiſcopus, edita Collectione Latina Græcorum Canonum, magnopere extenuat plebis poteſtatem in electionibus.

II. Nec in Gracia tamen, nec in Hiſpania exors plane fuit populus, & ab electionibus ſummotus.

III. In Concilio demum Toletano XII. indubium fuit, nominationes Epiſcoporum Hiſpaniæ Regibus abſolutiſſime tributas eſſe, quas Archiepiſcopi Toletani examinarent, confirmarentque.

IV. Eo Concilio jus illud ipſum Regi conceſſum eſſe in alia Beneficia ejuſdem generis.

V. VI. Eligebantur ab Epiſcopis Reges Hiſpaniæ, unde & viciſſim Reges ipſi Epiſcopos eligere ambierunt. Varia ejus rei argumenta.

VII. Nec deſpicabilia prorſus vel tum erant Cleri populique vota, quorum rationem habere debebat Archiepiſcopus Toletanus, in confirmatione annuenda, vel abnuenda.

VIII. IX. X. Novis argumentis antedicta confirmantur.

I. PRopius abfuere Hiſpanicæ electiones ab Orientalibus, ex quo Martinus Bracchareníis Epiſcopus publici juris eſſe voluit ſuam Græcorum Canonum Latinam Collectionem. Tres enim famoſæ hujus compilationis Canones priores vetant ne a populo eligantur Epiſcopi, ſed ab Epiſcopis ipſis, ut qui ſoli ea ſint Canonum & Diſciplinæ totius ſacræ peritia, quæ deſideretur ad dignoſcendas virtutes, doteſque omnes tam ſanctæ dignitati utcunque conſentaneæ (2): *Non liceat populo electionem facere eorum qui ad ſacerdotium promovuntur; ſed ſit judicium Epiſcoporum, ut ipſe eum qui ordinandus eſt, probent, ſi in ſermone & fide & ſpirituali vita edoctus ſit.* Additur Epiſcopos omnes Provinciæ præſte eſſe debere, aut certe ſcripto aſſentiri novæ Epiſcopi ordinationi. *Epiſcopum oportet maxime quidem ab omni Concilio conſtitui, &c. Abſentium ſubſcriptiones teneantur, &c. Et ſic omnium facto conſenſu, ordinationem Epiſcopi fieri oportet.* Si quis Epiſcopus a Collegis diſſentiat, vincent plurium vota: *Plurimorum conſenſus obtineat.*

II. Sed illud tamen fateri cogimur, nec in Orientali Eccleſia, nec in Hiſpanica eam fuiſſe unquam Conciliorum, ex quibus decerpti ſint hi Canones, voluntatem, ut ab electionibus populum penitus ſummoverent: ſed ut ne penes eum eſſet poteſtas definiendi qui futuri eſſent Pontifices, quod ea videlicet facultas ei committenda ſit ſapientiæ abundatiori, & incorruptæ integritati, a qua procul ſunt populi, quæ Epiſcopali amplitudini coalita & concreta fere eſt. Semper ergo Populi Clericique in Hiſpania libera fuere vota, libera teſtimonia: ſed his Epiſcopi non aſtringebantur, ubi per canonicas & divinas leges id quidem nefas erat. Audiebant ergo Epiſcopi

(1) In Append. T. 2. Conc. Gall.

(2) Can. 1. 2. 3.

Clericorum deſideria, teſtimonia populorum, tum ipſi ſupernæ auſcultabant legi, & Epiſcopos eligebant.

Ex quo primum autem Reges eſſe cœperunt in Hiſpania Catholicæ fidei & Eccleſiæ alumni, jam tum etiam illi non tacuerunt, quo propenderent, quos cuperent Epiſcopos: ex quo facile colliges, quanta hinc fieret in Epiſcopis animorum inclinatio, ut Regiæ voluntati obſecundarent. Ex ipſo Barcinonenſi Concilio, ubi anno 599. Recaredus Rex ſemetipſum primo, tum Regnum univerſum Catholicæ recuperavit Eccleſiæ, manifeſte perſpicitur, electiones Epiſcoporum, Regis, Cleri, Populi & Epiſcoporum communi conſenſione finitas fuiſſe. Prohibet tamen ea Synodus, ne præſeſtina & præceps ſit ea conſpiratio, neu ſacris contumelioſa Canonibus, qui interſtitia certa & ſtata ſervari jubent in ordinationum variis gradibus (1): *Nulli liceat prætermiſſo Canonum præfixo tempore, aut per ſacra Regalia, aut per conſenſionem Cleri, vel Plebis, vel per electionem aſſenſionemque Pontificum ad ſummum Sacerdotium aſpirare, vel provehi.* Additur eo Canone, ut a Clero & Populo duo treſve eligantur, quorum Metropolitani & Epiſcoporum judicio dignioſſimus ſeligetur: ita enim ſors ea interpretanda ſorſan eſt: *Duobus aut tribus, quos ante conſenſus Cleri & Plebis elegerit, Metropolitani judicio præſentatis, quem ſors monſtraverit, &c.*

In Concilio rurſus Toletano IV. (2) anni 633. concurrunt Cleri Populique deſideria cum Epiſcopis nec Regiæ nominationis mentio fit. Non improbabiliter ergo ſuſpicamur abſtinuiſſe ſe tunc prorſus Reges Hiſpaniæ ab electionibus, & Epiſcopos ſuam rurſum pleniſſimam recepiſſe electionum teſtatem, uſque ad tempora Concilii Toletani IV. immo & uſque ad tempora Toletani XII. eo enim toto temporis interſtitio nulla prorſus exiſtunt Regiæ in electionibus interventionis veſtigia. Quin ex adverſo eo temporis intervallo Concilia omnia Hiſpanienſia Comitia quædam erant generalia Eccleſiæ & Regni, ubi primum auctoritatis gradum obtinebant Epiſcopi; ubi Reges ipſi eorum pene tuitione indigebant, ad amoliendos opprimendoſque, tum publicos regni, tum privatos hoſtes; ubi denique conſtat eligi ſolitos Reges ipſos, præfuiſſe autem Epiſcopos his electionibus. Huc pertinet Canon Concilii Toletani VIII. (3) *Ab hinc ergo & deinceps ita erunt in Regni gloriam præficiendi Rectores, ut aut in urbe Regia, aut in loco ubi Princeps deceſſerit, cum Pontificum, Majorumque Palatii omni modo eligantur aſſenſu; non forinſecus aut conſpiratione paucorum, aut ruſticarum plebium ſeditioſo tumultu.* Quæ verba apertiſſime produnt, tumultuoſis populorum factionibus, & ambitioſorum Regni Competitorum cruentis diſſidiis, compulſos fuiſſe Epiſcopos & Proceres Hiſpanos, ut Comitiis his utriuſque ordinis generalibus electiones Regum vindicarent. Si Concilio Toletano VII. jubentur Epiſcopi (4) ejus Provinciæ quotannis menſem unum Toleti degere, ad Regem in Aula, vel Archiepiſcopum in Eccleſia ſua colendum: ſi rurſus Emeritenſi Concilio copia ſit Epiſcopis (5), ut ab alio quovis ordinari poſſint Metropolitano, quam ſuo, dum ſui, Regiſque conſenſu nitantur: nulla inde ſatis certa exiſtunt argumenta, ut Epiſcopos exiſtimentur nominaſſe Reges, vel in eorum electionibus amplam quandam exercuiſſe poteſtatem.

III. At in Concilio Toletano XII. anni 681. tam certa & illuſtria extant documenta ejus facultatis Regibus additæ nominandorum ſuo nutu Epiſcoporum, ut ne in controverſiam quidem trahi poſſit, quin aliquando ante tempore illa eis indulta fuerit poteſtas. Teſtatum faciunt ejus Concilii Præſules, diutius vacaſſe Eccleſias, Sedeſque viduitati tam diuturnæ ingemuiſſe, propter earum diſtantiam urbium, unde monendi erant Reges de Epiſcopi obitu, opperiendumque dum adſcitis in conſilium Epiſcopis ſucceſſorem deſignaſſent. Ut has moras amputarent, id a ſe conſtitutum eſſe, ut unus Toleti Metropolitanus in nominatos a Rege Epiſcopos inquireret, eos examinaret confirmaretque, ea cautione, ut tertio poſt ordinationem ſuam menſe quilibet Epiſcopus proprio ſe coram exhiberet Metropolitano (6): *Unde placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ, ut ſalvo privilegio totiuſcujuſque Provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoſcunque Regalis poteſtas elegerit, & jam dicti Toletani Epiſcopi judicium dignos eſſe probaverit, in quibuslibet Provinciis, in præce-*

(1) Can. 3. (2) Can. 19. (3) Can. 10. (4) Can. 6.
(5) Can. 4. (6) Can. 6.

cedentium ſedibus præficere Præſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores. Ex hujus Concilii verbis preſſius inſpectis, *eligere* dicitur Rex, dicitur & Toleti Metropolitanus. Rex quidem quod Epiſcopos nominet: Metropolitanus Toletanus, quod eos ad examen vocet, nec admittat, niſi ſacroſanctæ dignitati haud impares.

IV. Nec eos ſibi Regive limites delineavit idem Concilium. Eodem quippe armat jure, tum Regem, tum Epiſcopum Toletanum, in Prælaturas quoque ceteras, & alia quævis Beneficia, quæ niſi ex Regis & Epiſcoporum aſſenſione conferri non poterant, & quibus cum eadem impenderent ex cunctatione pericula, eadem quoque cogebat ratio, ut eidem cum Epiſcopatibus ſtatuto ſubjicerentur. Eo mihi ſenſu donanda vitia ſunt hæc ejus Canonis verba (1): *Hanc quoque definitionis formulam, ſicut de Epiſcopis, ita & de ceteris Eccleſiarum Rectoribus placuit obſervandam.*

V. Eo certe Canone nihil novæ poteſtatis Regi accreſcere, cum primis probabile & conſentaneum eſt. Eo enim tempore, quod inter IV. & XII. Toletanam hanc Synodum interlapſum eſt, eam ſibi in electiones auctoritatem peperere Viſigothi Reges: æquum forſan rati, ut poſtquam Reges ab Epiſcopis eligi cœperant, Epiſcopi viciſſim ipſi a Regibus eligerentur. Unum id novatum in hoc Concilio XII. Toletano, quod Epiſcopos omnes a Rege nominatos permittitur Toleti ordinare Metropolitanus unus Toletanus, cum ante, cum alibi a propriis ſinguli Metropolitanis ordinarentur. Non reſervatur hic Metropolitis propriis, niſi ut eis ſe ſiſtant & reverentiam impendant Suffraganei omnes, tertio poſt inaugurationem ſuam menſe.

Porro eum eſſe germanum hujus Canonis ſenſum, ex ipſius palam fit Ervigii Regis Edicto, quo Toletanum iſtud Concilium confirmavit: cui ipſemet cum omnibus Palatinis Proceribus affuerat: *A venerandis Patribus, & clariſſimis Palatii noſtri Senioribus.* Hæc enim ejus Canonis ſumma in Edicto Regio exhibetur. *Item de conceſſa Toletano Pontifici generalis Synodi poteſtate: ut Epiſcopus alterius Provinciæ, cum conniventia Principum in urbe Regia ordinetur.*

VI. Nec eſt quod cuiquam in mentem veniat, hanc quoque Epiſcoporum a Regibus deſignatorum, ſive electionem, ſive nominationem, cum Cleri Populique liberis ſuffragiis, ut compluribus ſupra patuit exemplis, copulari potuiſſe. Contra enim totum eſt. In hoc quippe Concilio totum datur Regi, de Clero & Populo, ejuſque ad electiones jure, nulla fit littera. In Concilio Toletano XVI. ab Egica Rege proponitur, ut Epiſcopi qui idololatriæ ſuperſtites fibras non diligentiſſime perſecuti fuerint eliſerintque, ſuſpenſione & pœnitentia annua animadvertantur, quo temporis ſpatio Epiſcopatum reget, cui id muneris Rex delegarit: *Alio tamen principali electione ibidem conſtituto.* Cui petitioni Regiæ conſenſerunt Epiſcopi (2): *Eodem tempore quo ille a loci ſui propulſus fuerit officio, ſpecialiter a Principe eligatur, qui &c.*

VII. Si qua adhuc ratio habebatur votorum Cleri & Populi, unum id ad Metropolitanum vel Concilium ſpectabat, a quo nominatio Regia confirmabatur, & cui ex officio incumbebat, ne eos confirmaret, quibus ſubjici ſe Clerus Populuſque magnopere abhorreſceret.

In eodem autem Concilio Toletano XVI. depoſito Sisberto Epiſcopo Toletano ſuffecerunt Epiſcopi Felicem, Epiſcopum prius Hiſpalenſem, cui Toletani jam Epiſcopatus regimen delegaverat Rex, non dubia ſpe, ut a Concilio id ratum haberetur. Porro cum hic non de electione aut nominatione agatur mera, ſed de depoſitione Epiſcopi, & de alterius in ejus ſedem translatione, non immerito totum hic Regi non datur, datur plurimum Epiſcopis, datur aliquid Clero etiam & Populo, ut ad Toletanam ſedem Felix transferretur (3): *Secundum præelectionem atque auctoritatem Domini noſtri, per quam in præteritis juſſit, venerabilem fratrem noſtrum Felicem Hiſpalenſis Sedis Epiſcopum de prædicta Sede Toletana jure debito curam ferre, noſtro eum in poſterum reſervans ibidem decreto firmandum. Ob id nos cum conſenſu Cleri ac Populi ad ſæpedictam Sedem Toletanam pertinentis, prædictum Felicem de Hiſpalenſi Sede in Toletanam canonice tranſducimus.*

VIII. Poſtremo in Hiſpalenſem ipſam ſedem, unde Felix migrabat, traductus eſt ab hujus ipſius Concilii Patribus Fauſtinus Epiſcopus Braccharenſis, in Bracha-

(1) Ibidem. (2) Can. 2. (3) Can. 22.

charenſem denique Eccleſiam Portuenſis, vel potius Portucalenſis Epiſcopus. In his duabus poſterioribus Epiſcoporum translationibus, nec Regis nominatio, nec Clericorum & Civium vota memorantur. Sed nemo facile ambiget, hoc decretum, peræque ut alia hujus Concilii omnia, auctores & ſuffragatores habuiſſe Epiſcopos, Optimates, Regemque ipſum, qui intererant omnes, ut Comitiis Regni generalibus: *Vos honorabiles Dei Sacerdotes, cunctoſque illuſtres Aulæ Regiæ Senatores, quos in hoc Concilio noſtræ Serenitatis præceptio fecit adeſſe, &c.*

IX. Inter eas Epiſtolas quæ præmittuntur Libris Originum Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi, obvia ea eſt, quam perſcribebat Braulio Epiſcopus ad Iſidorum ipſum, & qua illum monebat, Euſebium Metropolitanum vitam cum morte commutaſſe, & ipſius jam eſſe muneris, ut Regem interpellet, quo alius ab eo præficiatur Metropolitanus, qui tanto oneri ferendo par ſit: *Quia Euſebius noſter Metropolitanus deceſſit, habeas miſericordiæ curam: & hoc filio tuo, noſtro Domino ſuggeras, ut utilem illi loco præficiat, cujus doctrina & ſanctitas ceteris ſit vitæ forma.* Reſcribit Iſidorus exploraſſe ſe Regis voluntatem, necdum certi quidquam eum ſtatuiſſe; ſed alienatum eſſe omnino ejus animum a danda Metropoli Tarraconenſi ei, cui illam Braulio dari avebat: *De conſtituendo autem Epiſcopo Tarraconenſi, non eam quam petiſti, ſenſi ſententiam Regis: ſed tamen & ipſe adhuc ubi certius convertat animum, illi manet incertum.*

X. Jam attigimus quod ſcribit Julianus Archiepiſcopus Toletanus in Hiſtoria Regis Vambæ, potuiſſe Ranimirum non videri, & eſſe intruſum & Epiſcopatus Nemauſenſis ſacrilegum incubatorem, cum nec Regis, nec Metropolitani auctoritate in eam Sedem involaſſet: *In cujus electione nullus ordo attenditur, nulla Principis, vel Metropolitani definitio præſtolatur.* Quo nihil dici poterat magis conſentaneum Canoni Concilii Toletani XII.

CAPUT XVI. *P. 2. l. 2. c. 36.*

De poteſtate Regum in electionibus Epiſcopalibus Italiæ, Africæ, Angliæ, ab anno quingenteſimo ad octingenteſimum.

I. Diſſidio ſuffragiorum in electione Symmachi factum eſt, ut ad Theodoricum Italiæ Regem confugeretur.

II. Jam cœperat Odoacer Rex interſerere ſe electioni Pontificum.

III. Sed multo intemperantius quam Theodoricus.

IV. V. Qui Reges deinceps alii & Imperatores eadem auctoritate uſi in electione Papæ.

VI. Eam Gothi Reges uſurparunt poteſtatem, ut illam Imperatoribus prariperent. Imperatores everſo poſtea Gothorum Regno eam ſibi vindicarunt.

VII. Suam electioni conſtare libertatem voluere Imperatores, etſi eam ipſi confirmarent.

VIII. Ejus rei probationes adferuntur.

IX. X. Non recedit a vero nunquam a Gregorio Magno ſolutam fuiſſe eam pecuniæ penſionem, quam ab ejus ſucceſſoribus exegere Imperatores pro jure hoc confirmationis, uſque ad tempora Conſtantini Pogonati, qui eam remiſit, immo qui & ipſum remiſit jus confirmationis.

XI. Objectio, ejuſque ſolutio. Quis auctor Commentarii Gregorio perperam tributi in Pſalmos Pœnitentiales?

XII. XIII. XIV. Ut res ſe haberent in Africa & in Anglia?

I. NEc minus poſuere curæ ſtudiique Reges Italiæ & Imperatores, ut Epiſcoporum, & ipſius ſummi Pontificis Romani electionem in poteſtate haberent. Clero Populoque Romano ſtudia in contraria ſciſſo, ut ſupra perſtrinximus (1), electoque ab iis Symmacho, ab illis Laurentio, utrimque ad Theodoricum Regem relatum eſt, qui definiit, ut is vinceret, qui prior & a plnribus eſſet electus. Vicit ergo Symmachus, teſte Anaſtaſio in ejus vita: *Ex qua cauſa ſeparatus eſt Clerus, & diviſus eſt Senatus. Alii cum Symmacho erant, alii cum Laurentio. Et facta contentione, hoc conſtru-*

(1) Supra c. 61

ſtruxerunt partes : ut ambo Ravennam pergerent ad judicium Regis Theodorici. Quarto poſt anno ea calumniarum procella impetitus eſt Symmachus, ut rediret Laurentius, ei Cleri pars ſe adglutinaret, adduceretur Theodoricus Eccleſiæ Romanæ adminiſtrationem committere Epiſcopo Altinenſi, tanquam Viſitatori : *Tunc Feſtus & Probinus Senatores miſerunt Relationem Regi, & ceperunt agere, ut viſitatorem daret Rex Sedi Apoſtolicæ. Tunc Rex dedit Fetrum Altinæ civitatis Epiſcopum : quod Canones prohibent*.

Concilium III. Romanum ab eodem Theodorico permittente Symmacho convocatum eſt, ad criminationes excutiendas, quibus inceſſabatur Symmachus (1) : *Dicernere aliquid ſine Regia notitia non præſumpſit*. Conteſtabatur viciſſim Theodoricus nihil ad ſe in rebus Eccleſiaſticis præter religionem pertinere : *Reſpondit Rex in Synodali eſſe arbitrio, in tanto negotio ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe præter reverentiam de Eccleſiaſticis negotiis pertinere*. Denique Synodi ſententiæ, quam ei Rex liberam permiſerat, reſtitutus eſt Symmachus toti Pontificalis auctoritatis amplitudini : *Secundum principalia præcepta, quæ noſtræ hoc tribuunt poteſtati, ei quidquid Eccleſiaſtici intra ſacram urbem Romam vel ſoris juris eſt reformamus*. Diſertis verbis profeſſus eſt Theodoricus, ſcripta ad Concilium Epiſtola, non potuiſſe ſe Judicis partes ſuſtinere in cauſa mere Eccleſiaſtica : *Si mihi viſum fuiſſet, aut juſtitia habuiſſet, ut ego debuiſſem audire cum Proceribus Palatii mei, potueram tractare, quomodo & Deo placuiſſet, & poſteritati ingratum non fuiſſet. Sed quia cauſa eſt Dei & Clericorum, ideoque modo ad petitionem Senatus & Cleri, ex diverſis civitatibus convenere Antiſtites, &c.*

II. Aliquanto ante Odoacer Rex Theodorici præceſſor Edicto publicato vetuerat, ne novus ſe inconſulto Pontifex eligeretur poſt mortem Simplicii Papæ ; & a Simplicio ipſo exoratum ſe affirmaverat, ut hoc Edictum promulgaret ad compeſcendas eas tumultuationes, quibus electiones plerumque fœdabantur : *Hoc nobis meminiſſis ſub obteſtatione fuiſſe mandatum, ut propter illum ſtrepitum, & venerabilis Eccleſiæ detrimentum, ſe eum de hac luce migraſſe contigerit, non ſine noſtra conſultatione cujuslibet celebretur electio*. Id decretum proſcribi fecit Symmachus cum nonnullis aliis ejuſdem Edicti clauſulis in Concilio VI. Romano, ubi luculente a Tudertino Epiſcopo declaratum eſt, ita obteri & conculcari leges omnes canonicas, cum electiones Laicorum poteſtati ſubjicerentur, ab eiſque excluderentur Clerici, quorum & ſapientia uberior & incorruptiora ſtudia ad bonos Paſtores diligendos (2) : *Perpendat Synodus, ut prætermiſſis perſonis Religioſis, quibus maxime cura eſt de ſanto Pontifice, electionem Laici in ſua redegerint poteſtatem ; quod contra Canones eſſe manifeſtum eſt*.

III. Primi hi fuere & veluti præluſorii conatus, ut in Italiæ Regum poteſtatem devolveretur Romanorum Pontificum electio. Sed ea quidem tum abrupta & diſſipata ſunt conſilia, diutinis cruentiſque Odoacrum inter & Theodoricum Regem bellis, quibus Theodorico tandem parta eſt victoria, Italia ſubjugata. Felix, Geleſius & Anaſtaſius poſt Simplicium electi fuere, liberis ſecundum Canones Cleri Populique ſuffragiis. Eo ſchiſmate quo vexata ſunt Symmachi Papæ exordia, opportuna porrigebatur anſa Theodorico Regi, vindicandæ ſibi totius in electionem Papæ poteſtatis. Sed maluit ille præſtantiſſimus & conſultiſſimus Rex, unam ſi excipias Arianæ veſaniæ contagionem ; maluit, inquam, juſtitia & pietate, quam poteſtatis incremento clarefcere : & cum Epiſcopis non aliter quam moderatione & mutua certare reverentia. Hinc eſt quod Symmachus Papa Edictum Odoacris de alienatione rerum Eccleſiæ acerbiſſime inſectatus, leviſſime perſtrinxit, quod ad electiones Pontificum pertinebat. Theodoricus non tam annis quam humanitate & obſequiis in Epiſcopos invictior, poſt Symmachi mortem Hormiſdam Papam, & poſt Hormiſdam Joannem canonica libertate eligi permiſit. Sed ubi nec vera fides, nec religio conſtat, quæ poteſt eſſe cujuſcunque virtutis conſtantia ? Poſt Joannis Papæ obitum Theodoricus bimeſtres concertationes terminavit, prætermiſſo eo cui plura aſpirabant ſuffragia, & electo Felice, cui virtutum laude in Clero Romano nemo par, nemo ſecundus erat.

Sævire & vivere deſiit tandem Theodoricus, eique Athalaricus ex filia nepos ſucceſſit a quo ſtatim congratulatoriæ ad Senatum Romanum litteræ datæ ſunt, quod nomi-

(1) Synod. III. Rom.

(2) Synod IV. Rom. ſub Symmac.

nominationi Felicis aſſenſus tandem eſſet. Nec enim fas eſſe a judicio & voluntate Principis diſſidere (1) : *Gratiſſimo profiteamur animo, quod glorioſi domini avi noſtri reſpondiſtis in Epiſcopatus electione judicio: oportebat enim arbitrio boni Principis obedire.* Eligi non potuiſſe, cui plura virtutum ineſſent ac meritorum momenta : *Qui ſapienti deliberatione pertractans, quamvis in aliena religione; talem vitus eſt elegiſſe, ut nulli merito debeat diſplicere.* Denique Principi cedere & obſequi, non pudoris materiam eſſe, ſed gloriæ cumulum. *Pudorem non habeat victi, cujus votum contigit a Principe ſuperari.*

Poſt Felicis obitum, fœdum ſchiſma rurſus erupit inter Bonifacium & Diſcorum. An ex eo id emerſerit, quod Athalaricus Pontificem obtrudere tentarit, omnino non conſtat. Poſt Bonifacii obitum Joannes & Agapetus Sedem Apoſtolicam obtinuere, conſultis Gothis Regibus, qui & ipſi variis alibi bellis diſtinebantur. At poſtquam Agapetus Conſtantinopoli mortem obiit, Sylverius Hormiſdæ Papæ filius a Theodato Gothorum Rege Pontifex creatus eſt, ne umbra quidem electionis adhibita, quin & intentata morte, ſiqui voluntati Regiæ reniterentur. *Hic levatus eſt a tyranno Theodato, ſine deliberatione decreti. Qui Theodatus corruptus pecuniæ dato, talem timorem indixit Clero, ut qui non conſentirent in ejus ordinatione, gladio punirentur.* Sylverio vero jam Apoſtolicum thronum inſidenti aſſenſus eſt tum demum Clerus Romanus, ratumque juſſit eſſe, quod irritari non dabatur. *Jam autem ordinato Sylverio ſub vi & metu, propter adunationem Eccleſiæ & Religionis, poſtmodum ſubſcripſerunt Presbyteri.* Ita Anaſtaſius Bibliothecarius in Sylverio.

IV. Vides hic fontem alium ejus audaciæ inſuitatiſſimæ, qua Reges Italiæ in electionem Romanorum Pontificum invaſerunt, ipſorum quidem avaritiam, Clericorum autem ſimoniacorum ambitionem, qui ſacroſanctam & tremendam dignitatem licitabantur. Nec a veri ſpecie illud diſtat, Theodatum occupare voluiſſe electionem Papæ, quam ſuſpicabatur Conſtantinopoli faciendam. Perhibet enim vero Liberatus Theodoram Imperatricem Vigilio Ataperi Diacono faces ſubdidiſſe deſponſo Romano Pontificatu, oblata & ingenti pecunia, ſi modo adduceretur, ubi creatus fuiſſet Pontifex, ut Concilium Chalcedonenſe damnaret, & Anthimum reſtitueret ſedi Conſtantinopolitanæ. Aſſenſus eſt tum quidem Vigilius, Romamque advolavit, diplomate munitus, quo Petri ſedi intruderetur; at Sylverium invenit jam ordinatum (2) : *Promittens ei dare præceptum ad Belifarium, ut Papa ordinaretur, & auri centenaria ſeptem.* Non paulo gravioris ſtagitii conſcius Vigilius, qui accepit, quam Sylverius qui dedit pecuniam, ut Pontifex fieret : ſed uterque ipſa mox ſedis Petri ſanctitate occupatus ſubactuſque, & in alium virum demutatus, culpam expiavit, alter martyrio, alter ea infracti animi conſtantia inter perſecutionum ſæviſſimas procellas, quæ martyrium poſſet exæquare. Juſſus ab Imperatrice Belifarius Sylverio in exilium amandato, Vigilium Sedi Apoſtolicæ intrudit, fruſtra tentato & ad electionem ejus ſollicitato Clero : *Belifarius convocatis Presbyteris & Diaconibus & Clericis omnibus, mandavit eis, ut alium ſibi Papam eligerent. Quibus dubitantibus, & nonnullis ridentibus, favore Belifarii ordinatus eſt Vigilius.* Quam fœda amborum Pontificum iſtorum primordia, tam præclara fuere incrementa; exitus ſanctitatis gloria ſplendidiſſimus. Deportato Vigilio ex occaſione Trium Capitulorum & Concilii V. Generalis, Juſtinianus Imperator optionem fecit Cleri Romani parti, quæ tunc Conſtantinopoli verſabatur, an Vigilium recuperare mallent, an Pelagium eligere Archidiaconum. Illi Vigilium reſtitui poſtularunt, eoque excedente tum demum ſe ex eius mandato in Pelagium conſenſuros. Audiendus hic Anaſtaſius Bibliothecarius in Vigilio : *Dixit Imperator : Vultis recipere Vigilium, ut fuit Papa veſter? Gratias ago. Minuſne? Hic habetis Archidiaconum veſtrum Pelagium, & manus mea erit vobiſcum. Reſponderunt omnes : Reſtitue nobis modo Vigilium, & quando eum voluerit Deus tranſire de hoc ſæculo, tunc veſtra præceptione nobis donetur Pelagius Archidiaconus noſter.* Ita Pelagius Pontificatum conſecutus eſt, uſque adeo vel exulceratis, vel certe alienatis omnium ab eo animis, ut vix duo potuerint adduci Epiſcopi, qui illum ordinarent.

V. Exhinc autem cum victricibus Belifarii armis & occaſum Gothicæ Monarchiæ, Imperatores Italiæ univerſæ, Romæque

(1) Caſſiod. l. 8. Epiſt. 15.

(2) Liberat. c. 22.

Urbis principatum recepiſſent; jam nemo jure dubitarit, quin electio Romanorum Pontificum ad eos magna ex parte ſpectarit. Eo pertinet & quod narrat Anaſtaſius in Pelagio II. ordinatum eum fuiſſe abſque mandato Imperatoris, quod tum a Longobardis circumvallata eſſet civitas Romana, & tota Italia eorundem populationibus devaſtaretur: *Hic ordinatur abſque juſſione Principis, eo quod Longobardi obſiderent civitatem Romanam, & multa vaſtatio ab eis in Italia fieret.*

VI. Tentata ergo & aliquando uſurpata fuerat a Regibus Gothis Papæ eligendi poteſtas, nunquam ſatis fixa aut firmata: ut quæ bis terve duntaxat eruperit ex occaſione tumultuoſarum electionum, & graſſantis Cleri corum quandoque ambitionis. At illam ſibi jam ſucceſſoribuſque ſuis Juſtinianus, quaſi certo & conſtantiſſimo jure vindicavit: ut nec Romæ deinceps, nec in famoſioribus aliis Italiæ urbibus Epiſcopi crearentur ulli, niſi quos Conſtantinopolitanus Imperator confirmaſſet. Perſpicue id aſtruitur ex Epiſtola Pelagii I. ab Holſtenio publicata, qua Patricio Valeriano mandat, ut manus injiciat Pſeudoepiſcopo Aquilejenſi, & ei qui eum ordinarat Metropolitano Mediolanenſi utque refrigeſcere ne ſineret eum pietatis zelum, quo olim exarderat, etiam tum cum Totila Italiam populaturet, prohibueratque ne Mediolani Epiſcopus eligeretur, niſi prius ad Imperatorem reſcripſiſſet, reſciſſetque ejus voluntatem: acciveratque Ravennam, tum Epiſcopum ordinandum, tum ordinatorem ejus futurum (1): *Non ante tamen Mediolanenſem Epiſcopum fieri permiſiſtis, niſi ad clementiſſimum Principem exinde retuliſſetis, & quid fieri debuiſſet, ejus iterum ſcriptis recognoviſſetis, & inter ubique ferventes hoſtes, Ravennam tamen, & is qui ordinaturus erat, providentia culminis veſtri deducti ſunt.* Quæ omnia repetuntur in Epiſtola III. ejuſdem Pontificis ad Narſetem Patricium & Ducem in Italia.

VII. Quam ſæpius interruptam arripuerant Reges Italiæ, confirmandi, aut etiam eligendi Romani Pontifices facultatem, eam dixi ſtabilem jam & perpetuam penes Imperatores Conſtantinopolitanos fuiſſe, & quaſi certo jure nixam, nimirum indulgentiæ & tolerantiæ. Id dilucide patet ex hac Pelagii I. Epiſtola. Patuit rurſus ex crebra diſpenſatione Cleri Romani, poſteriori ſuo conſenſu, & indulgentia tum neceſſaria ratas habentis promotiones, quæ per ſeſe invalidæ & caſſæ erant. Patet denique ex ipſius Gregorii Magni electione, quam ipſemet fruſtrare conatus eſt, intercedendo ne Mauritius Imperator aſſentiretur. Sed vel hoc poſtremo exemplo rurſum patet certam quidem ſibi ejus juris poſſeſſionem adſeruiſſe Conſtantinopoli Imperatores, ſed modeſtiæ & temperamenti plurimum in eo exerendo adhibuiſſe. Nihil enim prorſus deliberarunt de libertate ea ſuffragiorum, qua gandebant jam olim Clerus, Senatus, Populuſque Romanus, ſervato ſibi duntaxat jure confirmandi ejus, qui electus fuiſſet, antequam ordinaretur. Accipe Joannis Diaconi verba de electione Gregorii Papæ (2): *Gregorium licet totis viribus renitentem, Clerus, Senatus, Populuſque Romanus ſibi concorditer Pontificem delegerunt. Quem ille apicem evitare decernens, &c. At ubi decretum generalitatis evadere nequit, conſenſurum ſe tandem aliquando ſimulavit, & Imperatori Mauritio, cujus filium ex lavacro ſancto ſuſceperat, latenter litteras deſtinavit, adjurans & multa prece depoſcens, ne unquam aſſenſum populis præberet.* Confirmata nihilominus eſt ab Imperatore Gregorii electio: *Data præceptione ipſum ordinari præcepit.*

VIII. Hic porro ex Joannis Diaconi verbis duo quædam emicant, quæ ſedulo obſervaſſe juvet. Primum eſt, libera ſemper ſuffragia ſua ad Pontificis electionem conſuliſſe Clerum, Senatum & Populum Romanum, nec vel tantillas ab Imperatoribus moras injectas fuiſſe. Alterum eſt, non aliud quidem Imperatores, quam confirmaſſe electionem; ſed ita tamen, ut ſi electum abjeciſſent, alius fuerit eligendus. Ita manifeſte Gregorius perſuaſum habebat, cum Mauritium dehortabatur, ne aſſenſum electioni ſuæ accommodaret. Audiendus ipſe eſt in Epiſtola hujus argumenti, ubi & illud mirari libet quam modice, quam parce, quam religioſe differat de ea uſurpata ab Imperatoribus confirmandæ ſummi Pontificis electionis poteſtate (3): *Ecce Sereniſſimus Dominus Imperator fieri ſanctum leonem juſſit. Et quidem pro juſſione illius, vocavi leo poteſt, fieri autem leo non poteſt. Inde neceſſe eſt, ut omnes culpas ac negligentias meas non mihi, ſed ſuæ pietati deputet.*

(1) Collect. Roma. Holſt. p. 227. 231.

(2) L. 1. Ep. 39. 40.

(3) L. 1. Ep. 5.

qui virtutis miniſterium infirmo commiſit. Ea confirmatione Imperator, peræque ut nominatione, recipiebat in ſe quidquid peccatum fuiſſet ab indigno Paſtore, ſiquem non abjeciſſet.

IX. His vero tam Joannis Diaconi, quam Gregorii ipſius verbis non oſcitanter expenſis (1), facile colligitur imputandum Gregorio non eſſe Commentarium in ſeptem Pſalmos Pœnitentiæ, qui ejus tamen nomine circumfertur: cum evidentiſſime ab ejus ingenio abhorreant inflammata illa & aculenta dicta in Imperatores avaritiæ ſervientes, ſimoniacos, tyrannicæque poteſtatis in Romanam Eccleſiam uſurpatores. Ab ingenio & moribus Gregorii alibi ſpectatiſſimis, ne fingi quidem alienius quidquam poterat. Obſervantiſſimus ille ſemper fuit Imperatorum, verbis ſemper eos honorificentiſſimis proſecutus, & obſequii ac modeſtiæ pleniſſimis, de hoc confirmandi Pontifices jure Imperatorio conqueſtus nuſquam eſt. Ne illud quidem ſatis liquet, an ejus ævo pecuniæ aliquid & cenſus ſolveretur Imperatoribus propter illam confirmationem. Satis probabiliter alii eum Commentarium Gregorio VII. aſcribunt; alii Abbati Bonævallenſi in Caruutibus.

X. Ei quidem pecuniæ penſioni parum canonicæ obnoxii fuere Romani Pontifices, qui Gregorio ſucceſſere, uſque ad Imperium Conſtantini Pogonati, qui fœdæ ſervitutis dedecus a Romanæ Eccleſiæ cervicibus excuſſit, remiſſa penſione, ſervata confirmatione electi Pontificis. Admovendæ hic aures Anaſtaſio in vita Agathonis Papæ: *Hic accepit divalem juſſionem ſecundum ſuam poſtulationem, per quam relevata eſt quantitas, quæ ſolita erat dari, pro ordinatione Pontificis facienda. Sic tamen ut ſi contigerit poſt ejus tranſitum, electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, niſi prius decretum generale introducatur in Regiam urbem, ſecundum antiquam conſuetudinem, & cum eorum conſcientia & juſſione debeat ordinatio provenire.* Ulterius effuſa eſt Pogonati pietas ſub Pontificatu poſtea Benedicti II. ubi confirmationis quoque jure ſe poſteroſque abdicavit, ſcriptis ad Clerum, Populum & exercitum litteris, ut electus ſemel Pontifex ſtatim ordinaretur: *Conceſſit, ut electus e veſtigio abſque tarditate Pontifex ordinetur.* Ita Anaſtaſius Bibliothecarius, a quo perhibetur Joannes V. eo beneficio primum uſus: *Hic poſt multorum Pontificum tempora, juxta priſcam conſuetudinem, &c.* Succeſſor ei datus Conon, in cujus electione tumultuatus exercitus, in cauſa fuit, ut ad Exarchum recurreretur, & inde mos auctoritaſque invaluit interpellandi Exarchi. Ita enim interpretandus videtur Anaſtaſius: *Ad excellentiſſimum Theodorum Exarchum, ut mos eſt, direxerunt.* Non ait, *ut mos erat*; tunc enim tantum cœpta, vel innovata ea eſt conſuetudo.

XI. In Epiſtola quidem Athalarici Regis ad Joannem Papam apud Caſſiodorum, præfinitur certa pecuniæ ſumma, quæ ubi duo a diſſidentibus electi ſunt, in Palatio Principis in expenſas conſumenda ab iis ſit ad cauſæ definitionem. Sed ea ſunt partium neceſſariæ impenſæ in litis cujuſque ſuæ perſecutione. Non facile ergo deprehendi poſſunt initia pecuniariæ illius penſionis, quam remiſit Pogonatus. Sed facillime intelligitur Commentarium in Pſalmos Pœnitentiæ Gregorio VII. aut ejus temporibus melius, quam Magno concinere. Vere enim turpiſſimæ ſervitutis jugo gravabatur Romana ſub Gregorio VII. Eccleſia: unde illius tam crebræ querelæ, tam juſtæ molitiones ad illud excutiendum. Aggerabo & alias proximo capite Epiſtolas Gregorii Magni, quibus manifeſtius adhuc fiat, nunquam tam immodice eum doluiſſe, nunquam acerbius quidquam effudiſſe de poteſtate, quam ſibi ſumpſerant Imperatores confirmandæ electionis Pontificiæ, nunquam de exactione pecuniæ expoſtulaſſe, cum toties & tam vehementer exarſerit in ſimoniacas Ordinationes.

XII. Veniam ad Græcos, ubi de Afris aliquid curſim delibavero. Genſericus Vandalorum Rex, non tam edomita, quam obtrita; non ſubacta, ſed conculcata Africa, pulſis in exilium Epiſcopis Catholicis, nec alios ordinari ſinens, precibus tamen Valentiniani Imperatoris id donavit, ut Carthagine Deogratias Epiſcopus ordinaretur: *Factum eſt ſupplicante Valentiniano Auguſto, Carthaginenſi Eccleſiæ poſt longum ſilentium deſolationis, Epiſcopum ordinari, nomine Deogratias.* Ea ſunt verba Victoris Vitenſis in hiſtoria Vandalicæ perſecutionis (2). Triennio poſt vivere & præeſſe deſiit Carthaginenſis Epiſcopus, nec deinceps creati ſunt Epiſcopi ulli in Provincia Africa Proconſulari. Ita numerus Epi-

(1) In Pſal. 5. Pœnit.

(2) L. 1.

Epiſcoporum, qui centum ſexaginta quatuor fuerant, ad tres redactus eſt. Genſerico ſucceſſit Hunericus filius (1), & hic quoque Zenoni Imperatori illud, & Imperatrici Placidiæ indulſit, ut Epiſcopus in ſede Carthaginenſi collocaretur, quæ annos jam viginti quatuor vacua ſqualleba t. Verum eam ille cautionem adjecit, ut ſineret viciſſim Imperator Arianos, toto qua longe lateque patebat Imperio, plena Religionis libertate frui. Interceſſere Epiſcopi (2), ne tanto univerſæ Eccleſiæ detrimento Epiſcopus Carthagine crearetur. At vero tam impotenter eiſerbuit plebs, ut incunctanter ad electionem & ad ſuffragia iretur, ut ne differre quidem rem, nedum prohibere potuerint Epiſcopi.

XIII. Id certe providæ diſpenſationi adſcribendum eſt, non ignaviæ & timori, quod tanto tempore Epiſcopi Africani Eccleſias ſuas paſſi ſint viduas gemere, & mœrore confici, quandiu conjurati Chriſtianæ rei & Eccleſiæ hoſtes Epiſcopos novos vetabant ſubrogari. Sed non eadem ſemper placent Chriſti Miniſtris, quia non eadem ſemper expediunt Chriſti Eccleſiæ. Alias alia tentantur & procedunt remedia. Nihil non experitur ingenioſa & infarigata Chriſti caritas. Inde eſt quod Epiſcopi Afri ſtatuerunt tandem aliquando, cœleſti magis, quam terreno parere Regi, & omnibus Africanis Eccleſiis Epiſcopos donare; ea nimirum ſpe dúcti, ut aut iram Vandali Regis poſt emollirent, aut Martyres haberet Eccleſia, quæ non poſſet Epiſcopos. Decerpta hæc ſunt ex Ferrando Diacono, in ea quam exaravit vita B. Fulgentii Ruſpenſis Epiſcopi, qui unus ex eo fuit beato Epiſcoporum Collegio, qui electi fuere, incertum, ad Epiſcopatum, an ad martyrium (3): *Poſtquam vero ſacra turba Pontificum qui remanſerant, communicato inter ſe conſilio definierunt, adverſus præceptum Regis in omnibus locis ordinationes celebrare Pontificum: cogitantes, aut Regis iracundiam, ſi qua forſitan exiſteret, emolliendam, aut ſi perſecutionis violentia naſceretur, coronandos etiam fidei confeſſione, quos dignos inveniebant promotione.* Primate, ſeu Metropolitano concedente, ut vi Fulgentius e Monaſterio ſuo abſtraheretur: *Violentæ multitudinis manu invaditur, tenetur, ducitur, & Pontifex eſſe non rogatur, ſed cogitur.* Hildericus qui Hunerico ſucceſſerat, hos omnes Epiſcopos deportavit: ſed qui in locum poſtea ejus adſcitus eſt Trafamundus, clementia maluit regnum ſuum commendari, & electiones ordinationeſque tota & antiqua prorſus libertate celebrari permiſit (4): *Cunctiſque in locis ordinationes Pontificum fieri clementiſſima auctoritate mandavit.*

XIV. Ne prorſus obmuteſcat Anglia, unum hoc ex Beda proferam (5), a Rege Alfredo miſſum in Gallias Vilfridum, quem jam fecerat ordinari Presbyterum, ut Gallicanis ab Epiſcopis ordinaretur. Eodem ipſo tempore Ceadda creatus eſt Eboracenſis Epiſcopus, juſſu Regis Oſuvaldi: *Jubente Rege.* Lubens omitto exempla id genus alia.

CAPUT XVII. *P. 2. l. 2. c. 37.*

De poteſtate Imperatorum in electionibus Orientalibus ſæculo VI. VII. & VIII.

I. Exempla duo, ubi placide refert Gregorius, intervenire Imperatorem, & præcepta dare de Epiſcopatu.

II. Laudat Gregorius Imperatorem, quod Patriarcham ereavit Cyriacum.

III. IV. Jamdiu ante ea tempora Imperatorum eximia quædam erat poteſtas in electionibus Patriarcharum, qui eligebantur tamen.

V. VI. Novis id aſtruitur argumentis.

VII. Cum cetera Patriarchalium Eccleſiarum civitates in Saracenorum poteſtatem veniſſent, earum Patriarchæ a Principe Saraceno confirmabantur.

VIII. Rurſum probatur non ita interveniſſe Imperatores electionibus, ut eligentium libertas obrueretur.

IX. Ad Heraclium Imperatorem recurritur, ut cogatur Joannes Eleemoſynarius electioni ſuæ aſſentiri, in Patriarcham Alexandrinum.

X. Variæ nominationes Imperatorum, ubi minus quandoque indultum eſt libertati.

I. EXtremam ut manum adjiciamus hujus medii ævi electionibus, Orientales hoc capite omnes Eccleſias complectemur. Auſpicabimur vero a Gregorio Magno, qui cum iniquo ferret animo ordina-

(1) L. 2. (2) Ibidem. (3) Cap. 16. 17. (4) Ibid. c. 28. (5) L. 5. c. 20.

tionem Maximi in Metropoli Salonenſi, cui illum minus idoneum ſentiebat, monuit eum per litteras, Præceptum Imperatorium, quo fidebat, aut ſurreptitium eſſe, aut commentitium; propterea quod is eſſet Imperator, qui lubens cauſis Eccleſiaſticis abſtineret, ne alienis implicaret ſe peccatis; denique tandiu illum ſuſpendit, & Epiſcopos à quibus ordinatus fuerat, dum ſibi certa fides conſtaret ejus præcepti ſeu diplomatis Imperatorii (1): *Cognovimus quod vel ſurrepta vel ſimulata piiſſimorum Principum juſſione, dum vita dignus non fueris, te ſacerdotii Ordinem cunctis venerabilem præripuiſſe. Quod nos ideo ſine ulla hæſitatione credidimus, quia vitam ætatemque tuam non habemus incognitam. Ac deinde quia ſereniſſimi domini Imperatoris animum non ignoramus, quod ſe in cauſis Sacerdotalibus miſcere non ſoleat, ne noſtris in aliquo peccatis graveatur, &c. Præcipimus, ut uſque dum dominicis, vel Reſponſalis noſtri apicibus cognoverimus, quod non ſubreptitiæ, ſed vera fueris juſſione ordinatus, nullatenus tu, Ordinatoreſque tui quidquam præſumatis Sacerdotalis officii.*

Notoria Maximi indignitas & imperitia ſatis argumenti habebat, ut auguraretur Gregorius diploma ejuſmodi aut fictitium eſſe, aut ſurreptitium. Alias enim idem Pontifex Joannem Epiſcopum Primæ Juſtinianæ tum demum confirmavit, ubi reſcivit electum eum fuiſſe conſenſu Epiſcoporum Provinciæ, & volantate Imperatoris. Vide ut ad Epiſcopos Illyrici ea de re ſcripterit (2): *Quia in perſona Joannis fratris & Coepiſcopi noſtri conſenſum omnium veſtrum, & ſereniſſimi Principis conveniſſe cognovimus voluntatem, &c. juxta poſtulationis veſtræ deſiderium, prædictum fratrem & Coepiſcopum noſtrum noſtri aſſenſus auctoritate firmamus, &c.* Totidem pene verbis ad Joannem ipſum Archiepiſcopum ſcripſit: *Quæ ſuſcepta fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum relatio, ad locum vos ſacerdotii, totius Concilii unito conſenſu, & ſereniſſimi Principis declarat voluntate arceſſiri, gratias Deo retulimus.*

II. Nec minus ſtudioſe gratulatus eſt Gregorius Mauritio Imperatori de electione Cyriaci Epiſcopi Conſtantinopolitani, quam ſi unus ſuo ipſum ſuffragio elegiſſet. Commendat illum, quod diu librarit conſilium, quod multorum ſententiam ſcrutatus ſit, quod anxie in primis & pie ſcrutatus ſit Dei voluntatem: quod denique longa hac curarum & ſapientiæ meditatione Patriarcham ipſe quodammodo genuerit (3): *Non enim parvæ potuit eſſe mercedis, quod Joanne ſanctæ memoriæ de hac luce ſubtracto, ad ordinandum Sacerdotem pietas veſtra diu hæſitavit, tempus paulo longius diſtulit, cum metu omnipotentis Domini conſilium quæſivit, ut videlicet cauſa Dei cum magno debuiſſet timore diſponi. Unde & aptum valde exiſtere in Paſtorali regimine fratrem & conſacerdotem meum Cyriacum exiſtimo, quem ad eundem ordinem pietatis veſtræ conſilia longa genuerunt.*

III. Si ſuperiora revolvamus ſæcula, occurret nobis tempore Hormiſdæ Papæ Paulus Conſtantinopolitanus Presbyter Antiochena ſede ſublimatus, teſtimonio maxime Juſtini Imperatoris, virtutibus ei palam ſuffragantis. Dioſcorus Diaconus, qui tum Conſtantinopoli verſabatur, & tunc juſſu Papæ prohibuit, ne novus hic Antiochenus Patriarcha Conſtantinopoli ordinaretur, ea de electione in hæc verba Hormiſdæ ſcripſit (4): *Antiochena Eccleſia ordinata eſt, electus eſt Paulus Presbyter Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, quem huic honori apriſſimum Imperatoris teſtimonio comprobatum eſt.* Verum in alia ejuſdem Dioſcori & duorum Epiſcoporum relatione aperte prædicatur Imperator eum Patriarcham nominaſſe. *Poſt multas aſſiſtiones & pene intret menſes a partibus protracta certamina, piiſſimus Imperator ſua auctoritate Paulum Presbyterum de Eccleſia Conſtantinopolitana elegit Epiſcopum fieri in Eccleſia Antiochena.* Ubi vides pene neceſſario tum interveniſſe Principem, cum non aliter ambitioſorum hominum diſſidia componi aut dirimi poſſent.

IV. Vigebant ergo ſemper electiones, ſed præter Populum, Clerum & Epiſcopos, eis ſe interponebant etiam Proceres Palatini, & Imperatores ipſi. Joanne Patriarcha Conſtantinopolitano in beatæ pacis Patriam hinc avecto, poſtquam conciliandæ Eccleſiis paci multum inlaboraſſet, in ejus ſedem ſuffectus eſt Epiphanius, cum aſſenſu Imperatoris Auguſti & Auguſtæ, Optimatum & Epiſcoporum. De eo Synodus Conſtantinopolitana Hormiſdam Papam ejus rei his

(1) L. 3. Ep. 20. (2) L. 4. Ep. 78. (3) L. 6. Ep. 6.
(4) Poſt. Ep. 65. Horm.

his verbis certiorem fecit (1): *Unde ſecundum rectam Chriſtianiſſimi noſtri Principis, & piiſſimæ Reginæ, & glorioſiſſimorum communis Reipublicæ Procerum ſententiam, noſtra quoque etiam omnium in hac urbe habitantium teſtificatione, &c.* Scripſit & ipſe Epiphanius ad Hormiſdam, Clerum, Monachos Populumque aſſenſu ſuo confirmaſſe electionem, qua Imperatores & Optimates ipſum provexerant (2): *Deus qui Sedem Epiſcopalem urbis Regiæ mihi conferre dignatus eſt, ſententia & electione Chriſtianiſſimi Principis Juſtini, & piiſſimæ Reginæ, quæ ei ad omne ſtudium communicat divinum, ſequentiumque eorum, his quibus eſt bona converſatio, & qui Regiis honoribus ſunt ſublimiores, ſimul & Sacerdotum & Monachorum & fideliſſimæ plebis conſenſus acceſſit.* Reſcripſit Pontifex (3) incredibili quodam gaudio exhilaratum ſe fuiſſe reſcita ea electione.

V. In Concilio Conſtantinopolitano ſub Agapero & Mena perlectus eſt libellus ſupplex Monachorum ad Patriarcham Conſtantinopolitanum Menam, Concilii hujus Præſidem: in eo autem electio Patriarchæ Menæ ſuffragationi tribuitur Imperatorum, Cleri, Magnatum, Monachorum, Populi (4): *Veſtram vero Beatitudinem in Pontificem ordinavit ſecundum electionem & ſententiam,* κατ' ἐκλογὴν καὶ ψῆφον, *piiſſimorum Imperatorum, & venerabilis Cleri hujus ſanctiſſimæ Eccleſiæ, & Chriſto amantiſſimorum virorum in diverſis Dignitatibus & Principatibus exiſtentium, & noſtram, & pariter omnium fidelium Chriſtianorum.*

Agapetus ipſe Papa, qui exauctorato Antimo Menam ordinavit, idem teſtatum fecit (5): *Cui licet præter ceteros ſereniſſimorum Imperatorum electio arriſerit, ſimiliter tamen & totius Cleri ac populi conſenſus acceſſit, ut & a ſingulis eligi crederetur.* Poſt mortem Menæ Eutychius virtutum gloria celebrariſſimus a Juſtiniano Imperatore electus eſt, cui Clerus & Senatus lubentiſſime vota ſua accommodarunt (6): *Sancto Clero ſacroque Senatui libere conſilium ſuum expoſuit Chriſti ſtudioſiſſimus Imperator, &c. Omnes conclamarunt: Dignus eſt, dignus eſt.*

VI. Nec arctioribus ſe finibus cohibebat Imperatorum auctoritas in aliis deligendis Patriarchis. Poſtquam Antiocheno Patriarchatu exturbatus eſt Macarius in VI. Synodo Generali, Epiſcopi ejus Patriarchatus & Clerici Antiocheni expetiere ut Imperator quamprimum provideret Sedi vacuæ, neu diu viduam ſineret ſqualere. Ita enim habent Acta ejuſdem Synodi VI. (7) *Reverendiſſimi Epiſcopi ac venerabiles Clerici, qui ſub Sede ſunt Antiochiæ civitatis, accedentes ad glorioſiſſimos Judices dixerunt: Petimus veſtram gloriam ſuggerere piiſſimo Imperatori, alterum pro Macario ad Pontificalem Sedem Antiochiæ providere, ut non ſit vidua hujuſmodi Sedes.* In eodem Concilio recitatum eſt ſcriptum Patriarchæ Alexandrini Cyri, cujus ex ipſa inſcriptione enitescit par auctoritas Imperatorum (8): *Satisfactio facta a Cyro, miſericordia Dei Epiſcopo, per divinam ſanctionem benigniſſimorum & triumphatorum dominorum noſtrorum, obtinente locum Apoſtolicæ Sedis Alexandriæ.*

VII. Poſtquam hæ vero Provinciæ in ditionem venere Saracenorum, illud idem jus confirmandorum Patriarcharum integrum ſibi ſervari voluere Principes Saraceni. Narrat Theophanes ſub Imperio Conſtantini Copronymi, cum Marvam Damaſcum occupaſſet & finitimas regiones, confirmatam ab eo fuiſſe Antiocheni Patriarchæ electionem a Chriſtianis celebratam. *Hoc anno 736. Marvam, Chriſtianis poſtulantibus, Theophylactum Presbyterum Edeſſenum Antiochiæ Patriarcham, poſt Stephani obitum ordinari permiſit, eundemque publicis litteris honorifice ab Arabibus ſalutari fecit.*

VIII. Epiſcopatibus aliis in omnibus fiebant electiones, ut jam oſtenſum eſt a nobis ex Novellis Juſtiniani Conſtitutionibus. Fiebant & Conſtantinopoli, Alexandriæ & Antiochiæ, ubi paulo plura ſibi licere volebant Imperatores. Quæ de Patriarchis modo diximus, ea abunde demonſtrant, ad Patriarcharum etiam electiones aliquid fuiſſe momenti in ſuffragiis Cleri, Senatus & Populi, ſive a ſe electum peterent ab Imperatore confirmari, ſive electum ab Imperatore conſenſu ipſi ſuo & applauſu proſequerentur. Promo ejus rei exemplum & argumentum longe invictiſſimum. Anno 754. Conſtantinus Copronymus Sedi & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præfecit hominem

(1) Poſt. Epiſt. 70 Horm. (2) Poſt. E. 71. (3) Epiſt 76. (4) Act. 1.
(5) Ibidem. Baron. an. 536. n. 29. (6) Vita Eutyc. c. 19. apud Surium die 6. April.
(7) Act. 12. (8) Act. 13.

nem ſibi amicitia conjunctiſſimum, adeoque Eccleſiæ & pietatis hoſtem perinſenſum. Scriptor vitæ & geſtorum inclytiſſimi Martyris Stephani, id factum fuiſſe exclamat tyrannica vi, cum nec Epiſcoporum electioni, nec Synodi examini locus datus ſit ullus, nec ſuffragiorum libertati: *Sacri Ordinis quendam nactus, cui & nomen cum ipſo idem, & eadem fidei ſententia erat ei, proh ſceleſtum facinus! Eccleſiæ curam adminiſtrationemque committit. Non Patrum electione, non Synodi examinatione, non denique canonico ſuffragio atque decreto, ſed tyrannica potius poteſtate, Antiſtitem ipſum conſtituens.* Sed tum inſolentiſſime impudentiſſimeque Eccleſiæ libertati dignitatique illuſum eſt, cum Copronymus ipſe e ſuperiori loco Pſeudo Pontifici huic Patriarchatus inſignia & inveſtituram contulit: *Ambo in pulpitum aſcenderunt, ac deinde Imperator manibus impuris diploidem ſacram homini profano imponit, dignum Epiſcopatu eſſe clamans.*

IX. Religioſius ante Heraclius cum Patriarcha Alexandrino Joanne, cui ab eleemoſynis cognomen & decus ſempiternum. Elegerat illum Alexandrina Civitas, & Heraclii auctoritatem interpellarat, ut fugitantem cogeret acquieſcere dignitati, hinc ſacroſanctæ illi quidem, ſed & hinc formidoloſæ (1): *Cum Civitas Alexandrina eſſet orbata Patriarcha, ad hunc virum toto contendit deſiderio, & rogabat Imperatorem, ne ipſa a ſuo ſcopo excideret, &c.* Ubi rem tentavit Heraclius, deſperavit frangi a ſe poſſe Joannis ſive modeſtiam, ſive pugnacitatem; animum deſpondenti calcaria addidit Nicetas Patricius, perſuaſitque ut certamen repeteret. Paruit ille, & *majori impetu & ſpiritu urgent*, vicit tandem, nec ea victoria minus Eccleſiæ profuit, quam toties alibi debellatis hoſtibus imperii & pietatis.

X. His exemplis alia accumulari poſſent, non eodem ſemper exitu, non ſemper auſpicato. Electionibus enim nunc libertas, nunc dignitas conſtitit ſua; alias vis illata eſt; alias arcti limites circumſcripti: nunquam tamen penitus ſublatæ ſunt. Juſtinianus Imperator Paulum nominaverat Patriarcham Alexandrinum ex Theophane & Liberato: ſed pietatis inſtinctu excitus, ad Eutychianorum machinationes & diſſenſiones diſſipandas. Juſtinus II. plurimum deflexit a legibus Juſtiniani, eoque libertatem & electiones labefactavit. Auctor eſt Evagrius ſacras ab eo dignitates pretio diſtrahi ſolitas (2): *Ut ipſa etiam Sacerdotia plebeis hominibus venalia palam exponerit.* Pyrrhus Patriarcha Sergio ſubrogatus eſt in ſede Conſtantinopolitana ab Heraclio, ex Epitome hiſtoriæ Nicephori Patriarchæ. Ab eodem Heraclio memorat Anaſtaſius Bibliothecarius Patriarchæ Jacobitarum Athanaſio ſpem injectam Patriarchatus Antiocheni, ſi Concilio Chalcedonenſi ſubſcriberet. Ex eodem Anaſtaſio Juſtinianus II. & Philippicus nonnullos nominarunt ad iſtiuſmodi Sedes eminentiſſimas. Verum tunc demum everſa prorſus & oppreſſa eſt electionum libertas, cum rerum potiti ſunt Iconoclaſtæ Imperatores, inſaniæque ſuæ ſectatores Eccleſiis intrudere voluerunt. Ideo & in VII. Synodo, ubi reſtitutus eſt imaginum cultus, damnatæ ſunt & eorum machinationes adverſus antiquiſſimam electionum libertatem.

CAPUT XVIII. *P. 2. l. 2. c. 39.*

De Confirmatione Epiſcoporum per Metropolitanos, eodem ævo medio, ſæculo VI. VII. & VIII.

I. II. Electiones Epiſcoporum a Metropolitanis confirmabantur: probatur ex Conciliis Galliæ.

III. Non confirmabat tantum Metropolitanus Suffraganeos, ſed & neceſſariis inſtruebat præceptis.

IV. Percunctari quoque debebant Epiſcopi Metropolitanum in rebus dubiis.

V. Sicut & Metropolitani Papam.

VI. Iidem vigebant & in Hiſpania mores.

VII. Epiſcopi ibi ordinabantur in Civitate Metropolitana. Cur?

VIII. Concilium Toletanum XII. jus omne confirmandi Epiſcopos tranſfert ad Epiſcopum Toletanum.

IX. Id rurſus Hiſpaniæ proprium, quod Rex Metropolitis immineret cenſor, ipſi Epiſcopis.

X. De examine & de confirmatione Epiſcoporum per Metropolitanos in Italia.

XI. XII. Pulcherrima Gregorii Magni præcepta ad Suffraganeos ſuos Epiſcopos.

XIII.

(1) Leontius in vita Joann. Elecm. Baron. an. 610. n. 7.
(2) L. 5. cap. 1.

XIII. Juſtiniani Conſtitutio de Examine & Confirmatione Epiſcoporum.

I.II. PEnes Metropolitanum erat indubitatiſſime poteſtas electos confirmandi Epiſcopos, cum ille demum electioni præſideret, cum primas in ea auctoritatis partes obtineret, cum majori ſuffragiorum numero victoriam ipſe, majoribuſque addiceret meritis, ubi votorum facta erat diſceſſio: cum poſtremo etiam abſens, per litteras omnia quæ geſta fuerant firmaret & rata haberet. Ejuſmodi eſt definitio Concilii Arelatenſis II. (1) *Epiſcopum ſine Metropolitano, vel Epiſtola Metropolitani, vel tribus Comprovincialibus non liceat ordinare. Quod ſi inter partes aliqua nata fuerit dubitatio, majori numero Metropolitanus in electione conſentiat.* Cui ſuccinit Arvernum Concilium (2): *Epiſcopatum deſiderans electione Clericorum vel Civium, conſenſu etiam Metropolitani ejuſdem Provinciæ Pontifex ordinetur.* Jubet Aurelianenſe IV. Concilium, ut electus Epiſcopus propria in Civitate & Eccleſia ordinetur: ſi id quidem non liceat per temporis importunitatem, ut in Provincia ſaltem, & ab Epiſcopis ordinetur Provinciæ, præſente, vel auctoritatem ſaltem ſuam accommodante Metropolitano (3): *Licet melius eſſet in ſua Eccleſia fieri, tamen aut ſub præſentia Metropolitani, aut certe cum ejus auctoritate intra Provinciam omnino a Comprovincialibus ordinetur.* In Concilio Pariſienſi V. caſſa & irrita decernitur Epiſcopi ordinatio, ſi citra Metropolitani electionem, ſeu confirmationem fiat (4): *Si abſque electione Metropolitani, Cleri conſenſu, vel Civium, fuerit in Eccleſia intromiſſus, ordinatio ipſius ſecundum ſtatuta Patrum, irrita habeatur.* In Concilio denique Agathenſi (5) innodantur munori excommunicatione Epiſcopi, ſi non pareant Metropolitano, illos devocanti ad Collegarum ordinationem.

III. Nec confirmabat tantum electos Epiſcopos Metropolitanus, ſed & ſanctiſſimis inſtruebat præceptionibus ad Eccleſias ſuas pie adminiſtrandas. Quin & deinceps imminebat eis, ut animos adderet, ut excitaret, ut ſolaretur, ut levaret laborantes, ut in cauſis dubiis facem præferret (6): *Decrevimus ut Metropolitanus ſortetur cetteros, & admoneat, & inveſtiget, quis ſit inter eos curioſus de ſalute populi, quiſve negligens ſervus Dei. Statuimus quod proprium ſit Metropolitano juxta Canonum ſtatuta, ſubjectorum ſibi Epiſcoporum inveſtigare mores, & ſollicitudinem circa populos, quales ſint.* Summa ea eſt Synodicarum Conſtitutionum ſancti Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini; quibus ea tandem memoranda ſubnectebatur clauſula, in cauſis perplexis & ſpinoſioribus percontandum eſſe ab Epiſcopis Metropolitanum, a Metropolitanis Papam. *Omnes Epiſcopi debent Metropolitano, & ipſe Romano Pontifici, ſi quid de corrigendis populis apud eos impoſſibile eſt, notum facere, & ſic alieni fiant a ſanguine animarum perditarum.*

IV. Splender & in Aviti Viennenſis Metropolitani Epiſtolis perneceſſaria hæc Epiſcoporum cum Metropolitano ſuo conjunctio & conſenſio. Certabant hinc & illinc obſervantia & modeſtia, obſequio & caritate. Metropolitanum ſuum Victurius Epiſcopus conſulebat, ut præſtiturum ſibi cœlitus Oraculum, ejuſque reſponſa, ut divina quædam edicta excipiebat (7): *Qui vobis conſtituit tenere loci principis principatum, nos voluit exequi quod præceperitis in opere; quod autem operandum eſt, vos jubare.* Ex adverſo, immo convenienter ei moderationi reſponſabat Metropolitanus, ut qui ſententiam ſuam promeret, non legem conderet; ut qui humanitate & caritate magis interrogari ſe conſuluque ſentiret, quam neceſſitate: *Probatæ ſummæque pietatis eſt, ut de cauſis ad Pontificium veſtrum pertinentibus, meum quoque conſilium conſulendum eſſe ducatis. Quod facere vos, non, ut dixiſtis, ambiguitatis animo, ſed dilectionis oſtenditis, &c. Ego certe ſinceritati veſtræ, quod rationabiliter credidi, quia tanti habuiſtis jubere, ſuggeſſi.*

V. Ad eum modum ex Avito edibant Epiſcopi, & conſultabant Metropolitanum. Vide jam ex eodem, ut Metropolitani, ſi qua ſe rerum offunderet ambiguitas, Romanum Pontificem convenirent Epiſtolis ſuis & precibus, ut eam diſcuteret, & Apoſtolicæ Sedis radio caligantibus præluceret (8): *Quia ſcitis Synodalium legum eſſe, ut in rebus, quæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinent, ſi quid fuerit dubitationis exortum, ad Romanæ Eccleſiæ maximum Sacerdotem, quaſi ad Caput noſtrum membra ſequentia recurramus.*

Occu-

(1) Can. 5. (2) Can. 2. (3) Can. 5. (4) Can. 1. (5) Can. 35.
(6) Epiſt. 105. (7) Ep. 14. 15. (8) Ep. 36.

Occupabat quandoque Pontifex, & ſui muneris Epiſcopos admonebat. Confitetur Avitus ipſe mordacibus ſe Papæ litteris exſtimulatum fuiſſe, quod Provincialia Concilia ſua cogere pigritaretur (1). *Nam & venerabilis Papæ urbis, nobis hanc negligentiam ſuccenſentis, mordacia nonnunquam mihi ſcripta perlata ſunt.*

VI. Nec ſegniores Metropolitani Hiſpani erant ad examinandos confirmandoſque Suffraganeos, divinis denique legibus, & canonicis inſtituris imbuendos. Statutum eſt in Concilio Tarraconenſi, ut ſi ordinatus fuiſſet Epiſcopus, non in Metropoli, ut mos ferebat, ſed alia quapiam Civitate ex conſenſu Metropolitani: altero poſt ordinationem ſuam menſe Metropolitano ſe ſiſteret, cœleſtibus ab eo mandatis informandus, ad omne Epiſcopatus ſui regimen ſtrenue obeundum (2). *Si quis in Metropolitana civitate non fuerit Epiſcopus ordinatus, poſteaquam ſuſcepta benedictione, per Metropolitani literas, honorem fuerit Epiſcopi adeptus; id optimum eſſe decrevimus, ut poſtmodum ſtatuto tempore, id eſt, impletis duobus menſibus, ſe Metropolitani ſui repræſentet aſpectibus, ut ab illo monitis Eccleſiaſticis inſtructus, plenius, quid obſervare debeat, recognoſcat.*

VII. Dilucidum eſt ex eo Canone in Hiſpania quidem ordinationes Epiſcoporum in Eccleſia Metropolitana celebrari ſolitas fuiſſe; cum illud in Galliæ Conciliis præciperetur, ut in ſuis maxime Civitatibus & Eccleſiis ſinguli ordinarentur Epiſcopi. Antiquis moribus Conciliiſque magis concinebat Gallicana ea conſuetudo, ut quibus placuerit, extincto Epiſcopo cujuſcunque Civitatis, in ea convolare Comprovinciales Epiſcopos, ut ſucceſſor eligeretur, electus incunctanter ordinaretur a Metropolitano, qui electionem confirmaſſet, & ab Epiſcopis Provinciæ, qui ei duces & arbitri præfuiſſent. Mira vero conſenſio erat morum Canonumque Hiſpaniæ & Galliæ, in ſancienda Epiſcoporum obſervantia erga Metropolitanos, tum ut ab eis confirmarentur, tum ut regendi Epiſcopatus imbuerentur neceſſariis præceptionibus.

VIII. Vetuſtiſſima ea Hiſpaniarum diſciplina a Concilio Toletano XII. alio deflexa eſt, translata in unum Toletanæ Eccleſiæ Metropolitanum tota poteſtate confirmandi Epiſcopales electiones, ſeu Regias nominationes: adeo ut jam tunc poſſent ita confirmati, ſolemni pompa inaugurari, ea tantum ut jam diximus cautione, ut trium ſpatio menſium Metropolitanum adirent, qui eos ſacræ diſciplinæ legibus informaret (3). *Licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoſcunque poteſtas Regalis elegerit, & jam dicti Toletani Epiſcopi judicium dignos eſſe probaverit, in quibuslibet Provinciis eligere Epiſcopis decedentibus ſucceſſores. Ita tamen ut quiſquis fuerit ille ordinatus, poſt ordinationis ſuæ tempus, infra trium menſium ſpatium, proprii Metropolitani præſentiam viſurus accedat, qualiter ejus auctoritate, vel diſciplina inſtructus, condigne ſuſceptæ ſedis gubernacula teneat.* Ubi plenum eſt, electiones, ſive nominationes, confirmationes, & conſecrationes Epiſcoporum Hiſpaniæ Toleti celebratas fuiſſe, proprio Metropolitano ab iis poſtea religioſe inviſendo & venerando. Concilium Emeritenſe Epiſcopos, qui ad Concilium non adproperaſſent, quo eos Metropolitanus invitaſſet, Pœnitentiæ ſubjiciebat, mandata interim Metropolitano provincia Eccleſiæ eorum adminiſtrandæ (4). *Cella vero & res ad eum pertinentes, quouſque ille ſub pœnitentia fuerit, inſtantia & ſollicitudine regantur Metropolitani.*

IX. In Concilio denique Toletano IX. peculiaris hæc memoratur Hiſpanicarum Eccleſiarum lex & conſuetudo; ut Eccleſiarum fundatores & eorum hæredes Metropolitanum moneant, an Epiſcopi ſuffraganei Eccleſiarum ſui patrocinii res & bona expilari & dilapidari ſinant: ſi ejuſmodi facinore ſe Metropolitanus ipſe contaminet, Regem faciant certiorem (5). *Quod ſi talia Epiſcopus agere tentet, Metropolitano ejus hæc inſinuare procurent: ſi autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auditibus intimari non differant.*

X. Adeunda nunc nobis Italia, ubi Gregorius Magnus, cum Ariminenſis Epiſcopus graviſſimo dolore capitis afflictatus, in manus ejus reſignaſſet Epiſcopatum, cujus munia gerere jam non poſſet, Clero, populoque ejus urbis conceſſit, ut alium ſibi eligerent Epiſcopum; *Datis ex more præceptis, Clerum, plebemque ejuſdem Eccleſiæ non deſtitimus admonere, &c.* Moxque ad Metropolitanum Ravennatem litteras dedit, quibus commendabat, ut electum ad ſe evocaret, excuteret, examinaret, & ubi nullo capi-

(1) Ep. 80. (2) Can. 5. (3) Can. 6. (4) Can. 4. (5) Can. 1.

capitalium flagitiorum contaminatum comperiſſet, tum Romam illum mitteret, ubi ordinandus erat, cum decreto electionis & confirmationis epiſtola (1). *Hortamur, ut fraternitas veſtra eum, quem uno conſenſu omnes elegerint, ad ſe faciat evocari, quem cauta ex omnibus examinatione diſcutite. Et ſi ea in eo, quæ in textu heptatici morte mulctata ſunt, minime Domino ſuerint opitulante reperta, atque fidelium perſonarum relatione, ejus vobis quidem vita placuerit, ad nos eum cum Decreti pagina, veſtræ quoque addita teſtificationis Epiſtola deſtinate, quatenus ejuſdem a nobis Eccleſiæ diſponente Domino, conſecretur Antiſtes.* Ubi perſpicis alibi electum, alibi a Metropolitano ſuo confirmatum Epiſcopum, Romæ ordinari a Papa, ſeu Patriarcha debuiſſe, quod ex Canone Nicæno ea eſſet Patriarcharum prærogativa, ea Romani Præſulis, ut in Suburbicariis Regionibus ſingulos etiam Epiſcopos, & aliis obnoxios Metropolitanis ordinarent.

Perſpicis hic rurſus ecquod examen de electo Epiſcopo inſtituendum eſſet. Primum an eorum capitalium ſcelerum, quæ lex morte plectebat, contagio aliquo inquinatus ſuiſſet. Rurſus in omnem ejus vitam & in priſtinos mores inquirendum erat, & proborum virorum teſtimonia venanda. Ex inquiſitiones in cujuſque patria fiebant, in domicilii loco, etſi ordinatio fieret Romæ (2). *Cujus vita vel actus, quia melius poſſunt illic ubi diu eſt converſatus, agnoſci, curæ tuæ ſit eum fratre & coepiſcopo noſtro Fortunato de eo diligenter inquirere.* Id præſcribebat ad ſuum in Campania Nuntium idem Gregorius, adjuncto ei Epiſcopo, quocum illis inquiſitionibus incumberet. Ad ſuum vero in Inſula Corſica Defenſorem idem ſcribebat, ut electiones in Eccleſiis Paſtore orbatis acceleraret: ſi in plures autem ſcinderentur ſuffragia, ambos electos Romam mitteret, ut utroque ad accuratiſſimum examen expenſo, dignior confirmaretur (3). *Si in duorum ſe electione diviſerint, ſimiliter decretis ad nos de more factis adveniant, ut requirentes de vita, actu & moribus eorum, is qui utilior viſus fuerit, ordinetur.*

Cum Panormitani in Abbatem ſanctiſſimum vota ſua contuliſſent, noluit Pontifex eam electionem confirmare, ne inter inexpertas mundi illecebras & tentationes Abbatis pietas ipſius frangeretur aut inrepeſceret, & aliorum ſaluti invigilans, ſuæ ipſius jacturam faceret (4). *Sed quia ceteris ſic eſt aliquis præponendus, ut dum ipſe exterius proficit, interius non decreſcat, quietem ipſius turbare non poſſumus; ne cum eum ad altiora producimus, minorem illum ſe ipſo fieri miſſum in fluctibus compellamus.* Sed nec Diaconi electionem firmam ratamque eſſe paſſus eſt, ubi reſcivit in adminiſtrando prius Xenodochio non ea illum fuiſſe vel vigilantia, vel certe prudentia, vel etiam integritate, quæ deſideraretur (5): *Ut ex minimis, qualis eſſe poſſet, in maximo noſceremus.* Non de ſolis ergo criminibus capitalibus ex lege morte mulctandis ſollicitus erat Gregorius, ut nullius eorum affines eſſent, quos confirmaret: ſed & de minuſculis etiam nævis laborabat.

XI. Quibus vero ſubjectos ſibi Epiſcopos inſtrueret præceptionibus Gregorius, quibus correptionibus objurgaret, quibus animaret hortamentis, perinde ut rerum temporumque vices flagitabant, longiuſculus ſim, ſi hic enarrare ſigillatim adgrediar. Ex his paucis reliqua omnia facile erit conjectura aſſequi. Audi quid ille ad Sipontinum ſcripſerit Epiſcopum (6): *Si cuſtos Religioſi habitus, aut eſſe noſſes Epiſcopus, &c. Sed quia nimia deſidia ac torpore deprimeris, in tuo dedecore res ad præſens illicita impune commiſſa eſt, &c. Quia tantum hebes, tantumque es negligens, ut niſi canonicam in te fueris coercitionem expertus, in aliis diſtrictionem & diſciplinam neſcias cuſtodire, qualiter debeas eſſe ſollicitus, congruo tibi, ſi Domino placuerit, tempore demonſtrabimus. Præſentia igitur ſcripta ſuſcipiens, evigila, & excitatus ſaltem exequere, quod preſſus uſque nunc ignavia diſtuliſti.*

Nemini non jam exploratiſſimum eſt, qui Annales ſacros primoribus ſaltem labris delibarit, inter ſummos ſanctiſſimoſque Pontifices Gregorium, mira quadam præcelluiſſe in Epiſcopos obſervantia, caritate, amoriſque teneritudine. Aculeatiſſima tamen non immerito videri poteſt hæc Epiſtola. Nimirum ſuaviſſima per ſeſe eſt caritas; ſed res cogit quandoque ut aculeos exerat, ut pungat, ut ſæviat: ut columbæ, inquam, ira, ut apis mellitiſſimæ aculeus exeratur.

(1) L. 7. c. 50. (2) L. 2 Ep. 18. (3) L. 9. Ep. 74.
(4) L. 11. Ep. 14. (5) Ibidem. (6) L. 7. Ep. 9.

Vide ut & in Calatitanum Metropolitanum ſæviret caritas ejuſdem Pontificis (1): *Tanta nequitia ad aures meas de tua ſenectute pervenit, &c.* Nec mora, ſtatim ei ſignificat eam eſſe veriſſimæ caritatis in loco inclementiam. *Quod objurgo, quod increpo, non ex aſperitate, ſed ex fraterna ſcito dilectione deſcendere: Nam dum unum in Redemptoris noſtri corpore membrum ſumus, ſicut in culpa tua dilaceror, ita quoque & in bona actione lætificor.*

Cum unus ſit omnium Antiſtitum Epiſcopatus, ſinguli univerſorum Coepiſcoporum nævis maculantur, ſauciantur vulneribus. At ſacri hujus Collegii Caput tanto acerbius his pungitur & cruentatur, quo arctius ſingulis, quam ipſi ſibi mutuo conglutinatur.

Manabat hæc corripiendi ſollicitudo a Gregorio in proximiores ei Epiſcopos; ut puta in Epiſcopum Arelatenſem Virgilium, Pontificias vices in Gallia gerentem, cui Sereni Epiſcopi Maſſilienſis caſtigationem delegavit (2). *Curæ vobis ſit, noſtra hoc fic vice corrigere, &c.* Pari vigilantia uſus eſt ad excitandum Archiepiſcopum Primæ Juſtinianæ, qui per Illyricum ejus fungebatur legatione. Verum Italiæ maxime Epiſcopis, qui plerique Romanæ Metropoli parebant, imminebat indefeſſa Gregorii ſollicitudo (3). Nuntios ſuos, ſeu Apocriſiarios quoquo verſum ſpargebat, ut Epiſcoporum torporem excuteret. Vide quid ad Campaniæ Nuntium reſcripſerit (4), *Nuntiatum eſt nobis Campaniæ Epiſcopos ita negligentes exiſtere, &c. Præcipimus ut eis a te convocatis ex noſtro illos mandato diſtricte commoneas, quatenus deſides ulterius eſſe non debeant; ſed ſacerdotalem ſe habere zelum & ſollicitudinem opere doceant, utque ita vigilantes exiſtant, ut nullum nos de eis denuo murmur exaſperet.*

XII. Gregorius II. Primi premens veſtigia, & Vicarios Apoſtolicos in Bavariam ablegans, ut novos ibi conderent Epiſcopatus, illud in primis inculcabat, ut Metropolitanum eis præficerent, qui Caput, Magiſtrum, Lumen & Ducem ſe illis exhiberet. *Si talem reperire potueritis virum, qui poſſit doctrinis ſalutiferis, & operum exemplis, inſtruere ſibi ſubditos Sacerdotes.*

XIII. Quæ toto hoc Capite executus ſum, una complexus eſt Conſtitutione luculentiſſima Juſtinianus Imperator, qua docet Epiſcopum ſemel electum perlegere ſtatim debere, & nocturna diurnaque verſare manu Fidei regulas & leges Eccleſiaſticæ Diſciplinæ: interrogari eum debere a Metropolitano, an velit, an poſſit eas ſanctiſſimas regulas accuratiſſime obſervare: ſi abnuat, ordinari non debere: ſi aſſentiatur, & in ſe recipiat, tum renuntiandum ei eſſe, niſi promiſſis ſtet, tum divinæ indignationi, & canonicæ vindictæ obnoxium fore; quinimmo fore ut nec civilium legum pœnis ſubduci poſſit, propterea quod Imperatores eodem quo leges civiles vigore, Eccleſiaſticas etiam regulas donavere (5): *Sic conſtitutum, & ad Epiſcopatum præparatum, competens eſt venerabiles & undique probatas legere regulas ante ordinationem, quas recta & inviolata noſtra ſuſcipit fides, & Catholica Dei Apoſtolicaque diſpoſuit & tradidit Eccleſia. Et dum ex frequenti earum lectione tranſierit, qui ad ordinationem deducitur, tunc is qui ordinationem impoſiturus eſt, interroget eum, ſi ſufficiens eſt cuſtodire & agere quæ ſacræ regulæ ſanciverunt. Et ſiquidem ille declaraverit, non ſe valere ſervare, nullo modo ordinationem imponi. Si vero ſuſceperit, & dixerit, quia quantum homini poſſibile eſt, complebit hæc quæ his continentur: tunc monere eum, & dicere, quia niſi hæc obſervaverit, & a Deo alienus erit, & cadet a jam dato honore, & neque civiles leges delictum inultum relinquent; eo quod a præcedentibus nos Imperatoribus, & a nobis ipſis recte dictum eſt, oportere ſacras regulas pro legibus valere. Et ſi etiam ſic permanſerit, cauſam amplectens; tunc ſuperbis profeſſionibus, unumquenque ſacrum ſuſcipere Epiſcopatus ordinationem.* Ea nimirum erant de quibus interrogabantur Epiſcopi ab examinatore Metropolitano, Fidei Catholicæ placita, & decreta morum. Ea ſe ſervaturos ubi ſolemniter profeſſi erant, tum a Metropolitano confirmabantur, & manus impoſitione conſecrabantur. Ad hanc profeſſionem recurret oratio, ubi confirmatio etiam illa diſceptata fuerit, quæ a Primatibus, a Patriarchis, & ab ipſo Papa expectabatur.

CA-

(1) L. 7. Ind. 2. Ep. 2.
(2) L. 9. Ep. 49.
(3) L. 10. c. 33.
(4) L. 11. Ep. 35.
(5) Novel. 6.

CAPUT XIX. *P. 2. l. 2. c. 40.*

Confirmatio Epiſcoporum a Primatibus, a Patriarchis, a Papa, ab anno quingenteſimo ad octingenteſimum.

I. Officioſæ tantum humanitatis & caritatis teſtificatrices erant ea Epiſtolæ, quas Patriarchæ ad ſe mutuo & ad Papam miſſitabant initio Epiſcopatus ſui.

II. Quando cœperit his addi profeſſio, vel promiſſio retinendæ ſemper communionis Eccleſiæ Romanæ, & obſervantiæ Canonum?

III. Metropolitani, quibus proprius præerat Primas, ſive Exarchus, ab eo confirmari debebant.

IV. V. Complures Metropolitani, quibus nulli erant Exarchi, a Pontifice Romano confirmandi erant.

VI. VII. VIII. Italiæ maximæ Metropolitani, Ravennas, Mediolanenſis, Aquilejenſis.

IX. Metropolitani Galliarum, cum Primatem ſeu Exarchum non haberent, non tamen a Papa, ſed a Concilio Provinciali confirmabantur. Probationes.

X. Probationes alia. Nec diſſimilis erat Angliæ conſuetudo.

XI. Cur Eccleſiarum conditores hoc confirmandi jus non ſemper Eccleſiis reſervarint?

XII. Nec a Vicariis Apoſtolicis confirmabantur Metropolitani Galliæ.

XIII. XIV. Par diſciplina retinebatur in Hiſpania, Africaque.

XV. Quid in his differret diſciplina Eccleſiarum & Monaſteriorum?

XVI. XVII. An jus aliquando dixerint, egerintque priſci Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati in iis etiam quæ ordinariæ eſſent juriſdictionis?

I. DAtis ad Romanum Pontificem Epiſtolis omnes Patriarchæ primitias ordinationis ſuæ dedicabant. Conqueſtus eſt Hormiſda datis ad Epiphanium Conſtantinopolitanum Patriarcham litteris, quod ab antiquiſſima ea conſuetudine ceſſaret (1). *Deceverat ſiquidem, frater cariſſime, te Legatos ad Apoſtolicam Sedem inter ipſa tui Pontificatus initia deſtinaſſe, ut & quem tibi debeamus affectum bene cognoſceres, & vetuſtæ conſuetudinis formam rite compleres.*

Nihil hoc attinebat ad electionis vel ordinationis confirmationem. Officioſa ea erat omnino humanitas, & religioſæ veneration nis teſtificatio, vel mutuo ſibi inter Collegas, vel muno reverentius exhibita Vertici ſacro hujus Collegii, atque profeſſio fidiſſimæ & conſtantiſſimæ perſeverantiæ ſuæ in unione & communione primæ Sedis, atque in Decretorum Sedis Apoſtolicæ, Canonumque obſervatione. Id docet nos Epiphanius ipſe in Epiſtola protinus ad Hormiſdam exarata: *Neceſſarium duxi hoc primum judicium inſerere litteris meis, ut oſtendam quam circa veſtram Apoſtolicam Sedem habeo voluntatem. Eſt mihi oratio magnopere, uniri me vobis, & divina amplecti dogmata, quæ ex beatis & ſanctis Diſcipulis & Apoſtolis Dei, præcipue ſummæ Petri Apoſtolorum Sedi ſanctæ veſtræ ſunt tradita, & nihil ei pretioſius exiſtimare.*

Ea eſt certiſſime profeſſio retinendæ conſtanter fidei Catholicæ & Romanæ. Jam ſequitur ibidem promiſſio indivulſe ſemper inhærendi vertici unitatis Catholicæ Cathedræ Petri: *Sub me Eccleſiis hæc prædico, feſtinans per omnia eas mihi veſtræ Beatitudini vinculo caritatis adunari, quas omnino oportet eſſe unitas & inviolabiles, & corpus unum communis Apoſtolicæ Eccleſiæ perpetuo cuſtodiri.*

II. Ingenue tamen fateri cogimur, geminæ hujus profeſſionis exordia non ante Hormiſdæ Pontificatum cœpiſſe, cui non alia viſa ſunt opportuniora adhiberi poſſe medicamenta Acaciani furoris ſchiſmati. Antea enim initio Pontificatus ſui Romanus Pontifex ceterique Patriarchæ ultro citroque litteras miſſitabant cum Catholicæ fidei & caritatis mutuæ ſignificatione: quod vix ant nec vix fieri poterat, quin aliqua exprimerentur Primatus Petri ſupra alios vertices omnes eminentiſſimi documenta. At ea profeſſio retinendæ ſemper conſtantiſſime fidei, unionis & communionis Catholicæ atque Romanæ, necdum expreſſius uſurpabatur: ejus quippe conſuetudinis initium fecit Joannes Epiphanii in Patriarchatu Conſtantinopolitano præceſſor, cum ſeſe Eccleſiaſque omnes Orientales Romanæ Catholicæque Eccleſiæ unitari reſtituit, ejuratis Eutychianæ communionis, & Acaciani ſchiſmatis reliquiis.

(1) Ep. 71.

III. Qui Primati vel Exarcho parebant enicunque Metropolitani, dignitatis ſuæ confirmationem ab eo flagitabant. Poſtquam Acacianum ſchiſma ejuravit Metropolitanus Nicopolitanæ civitatis, eo officio obſequioque fungi non potuit in Exarchum Theſſalonicenſem, qui iiſdem necdum ſe laqueis exuerat, & Romanæ Sedis communioni necdum fuerat redintegratus. In ea contentione Hormiſda Pontifex ſecundum Metropolitanum pronuntiavit, qui non antiquo derogare mori, ſed contagio ſe adulterinæ communionis abſtinere ſtuduerat; eique detrectarat ſubeſſe Primati, qui ipſe totius non pareret Primi Eccleſiæ Catholicæ (1): *Potuiſſet neglectus eſſe culpabilis, ſi unum eſſet inter omnes myſterium caritatis. At cum multi ſe a Petræ illius, quæ Chriſtus eſt, ſoliditate diviſerint, quis non velit ab errantium conjunctione diſcerni; ut mereatur cum his qui in veritate conſiſtunt, conjungi? Non igitur eſt conſuetudo neglecta, ſed vitiata contagio.*

IV. Si quibus vero Metropolitanis nullus Primas, nullus emineret Exarchus, ii a ſummo Pontifice confirmandi erant, ut cui immediate ſubeſſent. Veritus Gregorius Magnus ne Epiſcopi Dalmatiæ Metropolitanum ſibi Maximum Salonæ ordinarent, datis ad eos litteris prohibuit, ne illum ſed ejus loco alium quemvis ordinarent, quem unanimi modo conſenſu elegiſſent (2). *Ex B. Petri Principis Apoſtolorum auctoritate præcipimus, ut nulli penitus extra conſenſum permiſſionemque noſtram, quantum ad Epiſcopatus ordinationem pertinet, in Salonitana civitate manus præſumatis imponere, &c. Si in qualibet perſona omnium voluntarius conſenſus acceſſerit, hanc a vobis ex præſentis Epiſtolæ noſtræ conceſſa licentia volumus conſecrari, excepta duntaxat perſona Maximi.*

Illa erat autem repudiandi Maximi cauſa juſtiſſima, quod ſemet ipſe in eam ſedem intruſiſſet, ſubreptitio nixus Reſcripto Imperatoris. Ubi vero reſcivit Gregorius, ſpreta prohibitione ſua ordinatum fuiſſe Maximum, protinus illum Sacrorum celebratione interdixit, donec certior factus eſſet, an vere expreſſe illum ordinari Imperator præcepiſſet (3). *Salonitanæ civitatis Epiſcopus, me ac reſponſali meo neſciente, ordinatus eſt, & facta res eſt, quæ ſub nullis antecedentibus Principibus evenit.* Cum Nobiles Clericique pene omnes nihilominus Maximi ſe communioni ſociaſſent, blandius quidem, ſed objurgavit tamen illos ea de cauſa Gregorius. *Debuiſtis penſare Ordines veſtros, & quem Sedes Apoſtolica repellebat, repulſum cognoſcere: ut prius, ſi poſſet, ab illatis criminibus mundaretur, & tunc ei veſtra Dilectio communicaret, ne parviteps obligationis ejus exiſteret.* Sed ubi Maximus inauditæ quadam & inſolentiſſima temeritate publice proſcindi fecit chartam, qua illum ſacris Myſteriis celebrandis arcebat Gregorius; tum vero juſtiſſima ſanctiſſimaque indignatione inflammatus Pontifex, ne Majeſtas Apoſtolicæ Sedis vileſceret & dedecoraretur remiſſione & indulgentia ſua, impium & nefandum facinus ulciſci ſtatuit, & ſepoſita pauliſper patientia & lenitate, tota ſe juſtitiæ & zeli intrepidaque armavit fortitudine (3): *Quæ ſcripta mea publice relecta, vel in civitate poſita, publice ſcindi feci, atque in contemptum Sedis Apoſtolicæ aperitus exiliit. Quod ego qualiter patiar, ſcis, qui ante paratior ſum mori, quam beati Petri Apoſtoli Eccleſiam meis diebus degenerare. Mores etiam meos bene cognitos habes, quia diu porto; ſed ſi ſemel deliberaſſero non portare, contra omnia pericula latus vado.* Denique ut invicta ſemper, ut nunquam non victrix tandem aliquando juſtitia eſt, fatigatus Maximus ſeptenni contumacia & rebellione, Ravennam receſſit, publicaque ibi pœnitentia exhauſta, enormitatem facinorum pene ſuperavit pœnitendi conſtantia. Gregorius quam contumacibus infractum, tam reſipiſcentibus mitem ſe & humanum præſtans, Pallio illum honeſtavit tum demum, idque ad eum miſit confirmationis ſuæ ſpecimen (5): *Motus ad miſericordiam, direxit Pallium: ad confirmationem ejuſdem Epiſcopi.*

V. Illis ipſis honoris indignibus confirmatus eſt ab eo Joannes Archiepiſcopus, ſeu Primas & Exarchus Juſtinianæ Primæ electus. En ejus ad Synodum Illyricanam Epiſtolæ verba (6): *juxta poſtulationis veſtræ deſiderium, prædictum fratrem & coepiſcopum noſtrum, in eo in quo eſt Sacerdotii ordine conſtitutus, noſtri aſſenſus auctoritate firmamus: ratamque nos ejus conſecrationem habere, dirigentes Pallium indicamus.*

VI. Si tam longinquas in regiones ſummoti

(1) Epiſt. 22. (2) L. 3. Ep. 15. (3) Epiſt. 20. Ep. 4 Ep. 34. L. 5. Ep. 26.
(4) L. 7. Ep. 1. (5) L. 7. Reg. in Præfat. (6) L. 4. Ep. 7. 8.

moti Metropolitani & Archiepiſcopi, Imperioque ſubjecti Orientali, confirmandi tamen erant a Papa, quid de Italis auguran-dum? Cum Clerus Mediolanenſis poſt Laurentii obitum Conſtantium Diaconum Epiſcopum elegiſſet, Joannem Subdiaconum delegavit Gregorius, qui a Mediolanenſibus quibuſdam Civibus, qui Genuam ſe recepe-rant, an ei electioni aſſenſi eſſent, reſci-ret, & an qui Conſtantium elegerant, a ſententia priore non receſſiſſent: *Siquidem in Conſtantio omnium voluntates atque conſenſum perdurare cognoſcis*: & ſiquidem ea conſtarent omnia, tum vero illum ordinari faceret ab Epiſcopis Provinciæ, convenienter vetuſtiſſimo ejus Eccleſiæ privilegio, ut ne is Metropolitanus jubueretur Romam commeare, ibique ordinari (1). *Tunc eum a propriis Epiſcopis, ſicut antiquitatis mos exigit, cum noſtræ auctoritatis aſſenſu, ſacias conſecrari. Quatenus hujuſmodi ſervata conſuetudine, & Apoſtolicæ Sedes proprium vigorem retineat, & a ſe conceſſa aliis jura non minuat.* Contendit his extremis verbis Pontifex, eo Sedis Apoſtolicæ beneficio & privilegio munitam fuiſſe Eccleſiam & Provinciam Mediolanenſem, ut Metropolitanus ibidem a Comprovincialibus Epiſcopis inauguraretur, accepta prius Romani Pontificis confirmatione. Eximius ille Conſtantii virtutum ſplendor, ejus mox fato ſuo abrepti deſiderium vehementer accendit, & luctum. Diaconus ejuſdem Eccleſiæ Deusdedit a Mediolanenſibus electus eſt, eumque ut pro more is ordinaretur, miſſus eſt a Gregorio Pantaleon Notarius (2): *Qui eum ut moris eſt, annuente conſenſus noſtri auctoritate, faciat conſecrari*: expendendum tamen ante illi erat, an unanimi omnium aſſenſu electus eſſet, an anteacta vita criminis pura eſſet, an ex ejus eſſent vires, opeſque animi, & virtutum, quibus tuto regenda tanta crederetur Eccleſia: *Si nihil eſt quod ei ex anteacta vita criminis per ſacros poſſit Canones obviare, aut ſi ad tenendam diſciplinam, vel exhibendum regimen idoneus reperitur: atque cunctorum in ejus, ſicut ſcribitis, electione concordet aſſenſus.*

VII. Cum propior eſſet Ravenna Civitas, electus ibi Metropolitanus Romam ordinandus ex lege & more properare cogebatur. Excuſſerunt aliquando tandem jugum Ravennates Epiſcopi: at priſtina ſua jura Reſcripto Imperatorio recuperavit Leo II. ut in ejus vita perhibet Anaſtaſius Bibliothecarius. *Hujus temporibus divali juſſione clementiſſimi Principis reſtituta eſt Eccleſia Ravennas ſub ordinatione Sedis Apoſtolicæ, ut defuncto Archiepiſcopo, qui electus fuit, juxta antiquam conſuetudinem in civitatem Romanam veniat ordinandus.* Joanne Epiſcopo Ravennate hinc excedente, memorat Joannes Diaconus commendatum interim fuiſſe ejus Eccleſiæ regimen a beato Gregorio juxta antiquum morem Epiſcopo Severo (3), conſecratum poſtea Marinianum, cui denique miſſum ſit Pallium.

VIII. Decreto ſuo illigavit Gratianus (4) Epiſtolam Pelagii I. qua ſignificat, ex ingenti locorum diſtantia factum eſſe, ut Mediolani & Aquilejæ Metropolitanis ea facultas annueretur, ſibi ut mutuo conſecrationis munus impertirent, a Papa prius confirmati; ita ut neuter ſubeſſet alteri, & conſecratio in ipſa conſecrandi Eccleſia celebraretur, quo facilius dignoſcere & ſcrutari poſſet Ordinator, num qua labes Canonicis regulis inimica, vel electionem deturparet, vel electum. *Nempe is mos antiquus fuit, ut quia pro longinquitate, vel difficultate itineris ad Apoſtolico onero ſum illis fuerat ordinari, ipſe ſe invicem Mediolanenſis & Aquilejenſis ordinari Epiſcopi debuiſſent; ita tamen ut in ea civitate in qua erat ordinandus Epiſcopus, alterius civitatis Pontifex occurrere debuiſſet. Ut & ordinandi electio a præſenti Ordinatore, ex conſenſu univerſali Eccleſiæ, cui præficiendus erat, melius ac facilius potuiſſet agnoſci.* Conſentiunt iſta Gregorio, ſupra ajenti, hoc a Sede Apoſtolica dotatam eſſe privilegio Eccleſiam Mediolanenſem, ut ejus Metropolitanus ordinaretur a Comprovincialibus Epiſcopis. Aliis viſum eſt, ex eo quod Mediolanenſis Civitas Caput ſit Diœceſeos Italicæ, in duas Provincias ſectæ, penes Mediolanenſem jus fuiſſe ordinandi Aquilejenſis Metropolitani: ſi viciſſim retentum ab eo ipſe ordinaretur, id ex eo proficiſci, quod Aquilejenſis primus ſit Epiſcoporum Mediolanenſi obnoxiorum.

Ei conjecturæ non eſt quod repugnemus, ſi modo ea concilietur cum Decretis Pelagii & Gregorii ſupra relatis. Potuere enim priſci Pontifices, cum ſuum illud ordinandi jus remiſerunt, ejus civilis diſpoſitionis ra-

(1) L. 2. Ep. 29. 30. 31. (2) L. 8. E. ult. (3) L. 4. c. 5. (4) 24. q. 1. C. Pudenda.

rationem habere, eique convenienter annuere, ut duo illi Metropolitani mutuo alter ab altero ordinarentur. Quod vero obiicitur inconſulto Romano Præſule ordinatum fuiſſe B. Ambroſium, nec expectata ejus confirmatione: id facilius objicitur, quam probatur. Simplicianus Romanus Presbyter a Damaſo miſſus eſt ad Ambroſium, ut inter novi & inexperti Officii ambages illi præiret ac præluceret: unde de eo Auguſtinus (1): *Patrem in accipienda gratia tua tunc Epiſcopi Ambroſii*. Hinc vero proniſſima conjectura eſt, cum Damaſus Neophyti electionem confirmaret, Patrem illi & Magiſtrum addere debuiſſe, ut regendæ Eccleſiæ Chriſti legibus illum informaret.

Non ſaltem Petrum, Petrique ſucceſſores priores ea fraudabis gloria, ut primos Satores fidei Chriſtianæ, primoſque parentes & Epiſcopos immiſerint fundandæ excolendæque ei Eccleſiæ. Porro hinc partum jus Epiſcopos ibi ordinandi. Ea Pontificum Romanorum auctoritas in Italiæ & circumpoſitas ei Provincias, trecentis aut ducentis annis anteceſſit diſtributionem & Notitiam Provinciarum Romani Imperii, ac Dioeceſeon, quæ ab Exarchis, ſeu civilibus, ſeu ſacris regebantur. In confeſſo eſt eam accuratam Dioeceſeon Majorum deſcriptionem quarto demum ſæculo increbuiſſe: at jam inde ab altero & tertio ſæculo fatæ propagatæque fuerant pene omnes Italiæ Eccleſiæ.

IX. Diu peregrinati noſtram nunc in Galliam nos tandem referamus. Jubet Aurelianenſe II. Concilium anno 533. ordinari Metropolitanos ab omnibus Provinciæ Epiſcopis, quod ea perveruſta ſit Eccleſiæ conſuetudo (2): *In ordinandis Metropolitanis antiquam inſtitutionis formulam renovamus. Itaque Metropolitanus congregatis in unum omnibus Comprovincialibus Epiſcopis ordinetur*. Satius viſum eſt Aurelianenſi III. anno 538. a Metropolitanis aliis ordinari Metropolitanos, aſtantibus omnibus Provinciæ Epiſcopis (3): *Placuit, ut Metropolitani a Metropolitanis, omnibus ſi fieri poteſt, præſentibus Comprovincialibus, ordinentur: ita ut ipſi Metropolitano ordinandi privilegium maneat, quem ordinationis conſuetudo requirer*. Poſtremis his verbis duplex ſenſus affingi poteſt, aut ut novus Metropolitanus ordinetur ab eo, qui inter Metropolitanos ſenior eſt; aut ut conſecrator ſit is, qui præeſt Metropoli omnium earum principi, quæ cognomines ſunt, & eidem Dioeceſi Majori, ſeu Exarchatui accenſentur.

X. In his porro ne veſtigium quidem ullum exiſtit, ex quo ſuſpicari poſſis, Galliæ Metropolitanos a Papa confirmandos fuiſſe. Conſtat quidem ex Gregorio Turonenſi (4), Bricium Turonenſem Epiſcopum, Salonium & Sacrittarium Epiſcopos, Vapincenſem & Ebrodunenſem, provocaſſe ad Papam, & ab eo Sedibus ſuis reddítos fuiſſe: ſed nihil inde extundi poteſt ad confirmationem Epiſcoporum a Papa. Probabilius depromerentur Epiſcopi ii, quos idem Gregorius Turonenſis auctor eſt (5) primos ab Apoſtolica Sede in Gallias deſtinatos fuiſſe. Conceptis enim verbis docet Gratianum primum Turonenſis civitatis Epiſcopum ſub Decio Imperatore eo miſſum fuiſſe. *Primus Gratianus Epiſcopus, anno Imperii Decii primo, a Romanæ Sedis Papa tranſmiſſus eſt*. Alibi vero refert (6) non Gratianum tantum ſub Decio miſſum eſſe ad Turonenſem, ſed & Trophimum ad Arelatenſem Civitatem, Paulum ad Narbonenſem, Saturninum ad Toloſanam, ad Pariſienſem Dionyſium, ad Arvernam Auſtremonium, Martialem ad Lemovicenſem. Et quanquam non exprimat æque reliquos a Romanis Præſulibus miſſos eſſe, atque Gratianum: ſimillimum tamen veri eſt hanc eſſe mentem ejus. Ebulliere ex his Gregorii Turonenſis verbis infinitæ quædam inter doctos lites, & a noſtro nunc quidem inſtituto prorſus alienæ diſſenſiones.

Unum quippe nobis ſufficit, quanquam omnes Gallicanæ Eccleſiæ primigeniam originem ſuam Apoſtolicæ Romanæ Sedi acceptam referrent, quod de pleriſque earum omnes, ut opinor, aſſentiuntur: nihil inde tamen argumenti derivari poſſe, ut affirmetur Metropolitanorum ordinationem eidem Sedi fuiſſe reſervatam. Miſſus eſt enim indubitatiſſime Auguſtinus a Gregorio Magno in Angliam, juſſuſque ea gente ad Chriſti fidem adgregata, tum vero duos ibi creare Metropolitanos, quorum alter alterum viciſſim confirmaret, ordinaretque, non expectata Romanæ Sedis confirmatione. Si Gregorius ita ſtatuit eo ævo, quo

(1) Confeſſ. l. 8. c. 2.
(2) Can. 7.
(3) Can. 3.
(4) Hiſt. l. 2. c. 10. l. 5. c. 20.
(5) Hiſt. l. 10.
(6) L. 1. c. 30.

quo receptiſſimum jam erat, ut a Primate aliquo Metropolitani confirmarentur: quid? omnandum nobis eſt de Pontificibus primorum ſæculorum, cum locorum diſtantia, cum perſecutorum furor liberam inter Epiſcopos ſocietatem & communionem conſiliorum plerumque intercipiebat? Præceptionem eam Gregorii de duobus Angliæ Metropolitanis novo robore firmavit Honorius Papa: illud præ ſe ferens & profeſſus, æquum non eſſe, ut tantum terrarum & marium tranarent, quo Romæ ordinarentur. *Et qui ſupereſt conſore ejuſdem gradus, habeat poteſtatem alterum ordinandi, in locum ejus qui tranſierat, Sacerdotem: ne ſit neceſſe pro ordinando Epiſcopo ad Romanam uſque civitatem fatigari, per tam prolixa terrarum & maris ſpatia.* Ubi non obſcure innuere videtur Pontifex, cum duas illas Metropoles Sedes Romana condidiſſet, conſentaneum fuiſſe, ut Metropolitani ab ea confirmarentur: ſed itinerum longinquitati & difficultati datum id eſſe, ut jure ſuo Pontifices decederent.

Non aliter mihi quidem videtur ſentiendum de Eccleſia Gallicana & Hiſpanienſi. Non aliter ſentire ſinuit Agapetus Papa de Byſantina ipſa, in ea videlicet Epiſtola, quæ legitur in Concilio Conſtantinopolitano ſub Menna. Cum ab Agapeto enim Papa ordinatus fuiſſet Menas ejus Eccleſiæ Patriarchalis Epiſcopus, bene inde ominatur Pontifex, quod is primus & ſolus eſſet ibi ordinatus a Succeſſoribus Petri, poſt eum, quem ibi primum Petrus ipſe ordinarat (1): *Et hoc dignitati ſuæ addere credimus, quod a temporibus Petri Apoſtoli nullum alium unquam Orientalis Eccleſia ſuſcepit Epiſcopum, manibus noſtræ Sedis ordinatum, &c. Ut illis ipſe ſimilis videatur, quos in his quandoque partibus ipſius Apoſtolorum primi electio ordinavit.*

XI. Eæ fuere conditarum primum Eccleſiarum leges, ii primorum fundamentorum mores. Non dominandi libidine, ſed contulendi caritate urgebantur Apoſtolici illi Pontifices, ut pluſculum ſibi juriſdictionis retinerent in Eccleſias eas quæ proximiores eſſent, quam in remotiores: quod id ipſa flagitaret Eccleſiarum caritas, utilitaſque: Paſtorum vero univerſalium gaudium afflueret longe maximum, & gloria ſplendidior ex utilitate Eccleſiarum particularium.

XII. Non ſuperſunt niſi Vicariatus Apoſtolici, a quibus repeti poſſet confirmatio, atque ordinatio Metropolitanorum. Conſtat quippe a Leone Magno definiente ac delineante jura Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, Apoſtolicæ Sedis vices circumgeſtantis in Illyrico, declarari 1. Metropolitanos ejus ditioni obnoxios ab Epiſcopis ſuæ Provinciæ ordinari non poſſe, niſi ab eo examinentur prius, & confirmetur: *De cujus nomine ad ſuam notitiam Provinciales referant Sacerdotes impleturi vota poſcentium, ſi quod ipſis placuit, tibi quoque placuiſſe cognoverint* (2). 2. Ne a Metropolitano quidem ordinari poſſe ſuæ Provinciæ Epiſcopos, niſi ratum id habeute Epiſcopo Theſſalonicenſi: *Ut ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet auctoritas.*

Sed quam indubium eſt, ea poteſtatis amplitudine uſos eſſe Primates Theſſalonicenſes, tam certum eſt Vicarios Apoſtolicos in Eccleſiis Gallicanis eo jure abſtinuiſſe. Quinque devenerunt in manus noſtras Epiſtolæ Vigilii Papæ de Vicariatu Apoſtolico, quo decorati ſunt Auxanius, & Aurelianus Arelatenſes Epiſcopi, & vel ad ipſos datæ, vel ad Epiſcopos Galliæ eis ſubjectos. His Epiſtolis quinque præclariſſime explicantur jura omnia Apoſtolicæ hujus delegationis. Atqui ne vocula quidem ulla exculpi ex iis poteſt, quæ huic ſuffragetur Metropolitanorum confirmationi per Epiſcopos Arelatenſes. Nec aliter res ſe habet in Epiſtolis Pelagii ad Sapaudum, & Gregorii tum ad Virgilium Arelatenſem, tum ad Epiſcopos Galliarum (3): necnon & Zachariæ Papæ ad Bonifacium, quando perpetuam ei Apoſtolicæ Sedis Legationem contulit in Gallias, & in Bavariam. Enimvero qui potuiſſent eam Romani Pontifices ſors ſeu Legatis, ſeu Vicariis conferre in Metropolitanos Gallos poteſtatem, quam ne ipſi quidem unquam exercuiſſent?

XIII. Quæ de Galliis diximus, ea non minus valent in Hiſpania. Ut quæ longius etiam Roma diſſet. Inde eſt quod nec monumentum, adeoque nec veſtigium ullum exiſtat hujus a Papa Metropolitanorum confirmationis, vel in Concilis, vel uſquam alibi. Diximus jam ne ad translationes quidem Epiſcoporum, vel Metropolitanorum ex una Eccleſia in aliam recurſum olim fuiſſe ex Hiſpania ad Romanum Pontificem:

(1) Conc. Conſt. ſub Agapet. & Menn. Act. 1.
(2) Gregor. L. 4. Ep. 30. 32. Zachar. Ep. 5.
(3) E. 84. c. 6.

cem: & Concilii Toletani XVI. Patribus viſum eſſe (1), ſatis ſibi juris & præſidii eſſe in ſeipſis, ut transferrent Felicem Epiſcopum Hiſpalenſem ad Toletanam Eccleſiam, Fauſtinum Braccharenſem ad Hiſpalenſem, Portucalenſem denique Felicem ad Sedem Braccharenſem. Habes ibi tres Epiſcopos, & in illis duos Metropolitanos in alias traductos Sedes, non interpellato Romano Præſule. Multo minus, ut apparet, neceſſe erat eam intervenire ad confirmationem Metropolitanorum, quam ad translationem.

Jubet Toletanum Concilium IV. propria in Eccleſia ordinari Metropolitanum, convocatis omnibus Provinciæ Epiſcopis (2). *Metropolitanus nonniſi in civitate Metropoli, Comprovincialibus ibidem convenientibus.* Divinet neceſſe eſt, qui plura affirmat. Adde quod Hormiſda in Epiſtola ad Joannem & Salluſtium Metropolitanos Hiſpaniæ (3), quibus delegat vices Apoſtolicæ ſuæ Sedis, omnino non meminerit juris hujus Metropolitanos confirmandi, quinimmo declaret eo Primatiæ jure novo nihil decerpi de priſco jure Metropolitanorum. In Concilio Emeritenſi profeſſionem edidit Metropolitanus obſervandorum religioſe Canonum, in Concilio Epiſcoporum Provinciæ. Eam potius edidiſſet in confirmatione ipſa ſui, ſicubi extra Concilium Provinciæ confirmatus fuiſſet.

XIV. Quoad Primates Africæ, qui & Metropolitani erant earum Eccleſiarum (4), cum ii demum eo ganderent honore, qui ordinationis tempore ſeniores eſſent inter Epiſcopos, perſpicuum eſt nulla in eam rem opus fuiſſe confirmatione Apoſtolicæ Sedis. Ætas ipſa & antiquitas eam afferebat & confirmabat ſeniori Epiſcopo dignitatem, cum primum Primas aliquis animam exegerat.

XV. In Monaſteriis vero eam ætati & ſenio honoris ac poteſtatis prærogativam deferri, minus probavit Juſtinianus Imperator. Abbatum & Abbatiſſarum electionem liberis utriuſque Conventus ſuffragiis conceſſit, in quibus non annos numerari voluit, ſed merita ponderari. Electionem examini ſuo ſubjiciebat Epiſcopus, & in Sedis ſuæ poſſeſſionem mittebat eos, quibus ſuæ eam dignitatem peperiſſent virtutes. Sed inter Cœnobii Monachos, & Provinciæ Epiſcopos, magna eſt rerum morumque diſtantia. Nec enim neceſſe eſt ut ea ſint Monachi omnes pietate, experientia, peritia, qua Abbates. At Epiſcopis illa ſupereſſe debet ſapientia, qua Chriſti gregem & Eccleſiam regant; & quam illis ætas attulit experientiam, illos ea aptat, roboratque ad Metropolitani provinciam ſuſtinendam.

XVI. Perſtringam hic obiter eam quæſtionem, quæ ultro ſeſe ingerit, & quæ a propoſito nobis ſcopo non diſcrepat. An hoc ævo olim quandoque Epiſcopi in iis quæ propriæ & ordinariæ ſuæ juriſdictionis erant, Delegatione aliqua vel Vicariatu Apoſtolicæ Sedis induti fuerint. Affirmanti ſententiæ ſuffragari primo videretur Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, ubi Epheſinæ primæ Synodo præfuit, tanquam vices gerens Cœleſtini Romani Pontificis, quanquam per Cœleſtini & Legatorum ejus abſentiam ea poteſtas ordinario jure ad Cyrillum Alexandrinæ, ceu ſecundæ Sedis Antiſtitem revolveretur. Apocriſiarii Patriarcharum, qui ſub Anaſtaſio II. Papa Conſtantinopoli verſabantur, Anaſtaſii ad Imperatorem Legatis libellum ſupplicem obtulerunt, ubi affirmabant eum eſſe receptum morem (5): *Ita ut ſi quando contigerit in rebus ambiguis quædam Epiſcoporum Concilia celebrari, ſanctiſſimus is qui Romanæ præſideret Eccleſiæ, Reverendiſſimum Alexandriæ civitatis Archiepiſcopum deligeret, ut ſui curam loci ſuſciperet.* Verum non ſatis concinere videri poſſit illud Cyrilli exemplum: propterea quod potuiſſet a Pontifice ea delegatio non Cyrillo, ſed Legatis aliis commendari, quibus Apoſtolicis Legatis præſentibus expunctum fuiſſet Cyrilli præſidendi jus. Patriarcham ipſum Conſtantinopolitanum delegavit Hormiſda Pontifex ad Monachorum Scytharum cauſam dirimendam (6): *Quomodo viſum fuerit Apoſtolatui veſtro Epiſcopo Conſtantinopolitano cauſam delegare, ut ipſe inter eos, & qui ab eis impetuntur, audiret.* Sed ii Monachi forſan non ſuberant Epiſcopo Conſtantinopolitano, aut ad Papam confugerant, vel appellaverant. Delegavit Hormiſda Epiphanium, Conſtantinopolitanum Patriarcham, ut in unitatem Catholicæ communionis eos recolligeret, qui ab ea ſeceſſionem fecerant (7): *Perſonam meam in hoc te oportet ſubintrare.*

XVII. Scripſit Gregorius Papa ad Virgilium Arelatenſem Epiſcopum, ut inquireret

(1) Can. 17. (2) Can. 4. (3) Ep. 24. 25. 26. (4) L. 2 Cod. Epiſc. & Cler. Leg. 46.
(5) Inter Ep. Anaſt. Pap. (6) Poſt Ep. 67. Horm. (7) Conc. CP. ſub Mena. Act. 5.

teret in mores Sereni Epiſcopi Maſſilienſis, Epiſcopali ſanctitudini minus conſonantes: utque conveniret illum ſuis verbis, & increpareret (1): *Quod a vobis ſubtiliter requirendum eſt. Et ſi ita conſtiterit, noſtra hoc vice corrige, ut, &c.* Suvibertus vir ſanctiſſimus Apoſtolico zelo ſuccenſus jam Friſones Chriſti fidei conjunxerat, jam eorum Epiſcopus fuerat ordinatus; cum Villebrordus a Sergio Papa Friſonum Archiepiſcopus ordinatus, eo profectus eſt, & poteſtate ſua fungi cœpit. Ei ſe adjunxit, ſubjecitque Suvibertus, nec Ultrajectis Epiſcopus dictus eſt, ſed Coepiſcopus Sancti Villebrordi Archiepiſcopi Ultrajectenſis (2). *Et ideo Sanctus Suvibertus non Epiſcopus Trajectenſis appellatur, ſed Coepiſcopus Sancti Villebrordi.* Ea ſunt quæ non prorſus diſſentiant a re propoſita.

De electionibus ab anno octingenteſimo ad milleſimum.

CAPUT XX. *P. 3. l. 2. c. 24.*

De electione ſub Imperio Caroli Magni.

I. Libertas conſtabat ſua electionibus ſub Carolo Magno.

II. Monuit illum Hadrianus, ne electionibus interveniret unquam, in quod & ipſe ei ſuo exemplo præibat.

III. Liberæ erant & Abbatum electiones, quanquam in eis Reges pluſculum ſibi licere vellent, quam in Epiſcoporum.

IV. Capitulari edito ſancit Carolus Magnus libras fere electiones.

V. Credulis hominibus impoſuit Sigebertus, cum ſcripſit, ab Hadriano I. Carolo Magno conceſſam fuiſſe nominationem & inveſtituram Epiſcoporum. Argumenta in contrarium.

VI. Cum Carolus Calvus Epiſcopum nominaſſet, patrocinium ſibi accivit non ab Hadriani conceſſione in Carolum Magnum, ſed a Zacharia in Pipinum.

VII. Conceſſio Zachariæ in gratiam Pipini non aliud quam diſpenſationem continebat nominationis ſemel factæ, cogente maxima neceſſitate.

VIII. Reſpondetur ad exempla nominationum Caroli Magni.

IX. Variæ in eam rem obſervationes.

I. ILla fere opinione occupati ſunt complurium animi, qua non facile exui ſe ſint paſſuri, ſub Imperio Caroli Magni & ſtirpis ejus, locum canonicis electionibus fuiſſe nullum. Dabimus autem nos hic primum operam, ut ne ulli ſerviamus ejuſmodi præſumptæ, animoque præceptæ opinationi. Idque ut facilius feliciuſque procedat, exempla primum omnia depromemus electionum canonicarum, & ſi qua conducunt ei rei argumenta. Accedemus poſtea ad fundamenta & exempla Regiarum nominationum. Poſtremo denique ex hac Legum Canonumque & exemplorum farragine eliciemus, qua fas erit, regulas quaſdam univerſales, & conſtantes, ad quas tota illa varietas expendi & referri poſſit.

II. Quoad canonicas electiones, præclariſſime ſanctiſſimeque illud conſilii impertiit Carolo Magno Hadrianus I. ut ne ſe ullis unquam Epiſcopalibus interponeret electionibus; ad quod & ſuo illi prælucebat exemplo, in nullas prorſus auctoritatem ſuam inferens, ne quid deterreret de libertate ſuffragiorum Cleri & populi (3). *Quia nunquam nos in qualibet electione invenimus, nec invenire habemus, ſed neque veſtram Excellentiam optamus talem rem incumbere. Sed qualis a Clero & Plebe, cunctoque populo electus fuerit canonice, ordinamus.*

Alibi fidem facit Carolo idem Pontifex, Epiſcopos Ravennates electos ſemper fuiſſe liberis Cleri Populique ſuffragiis, nec vel Pontificis Romani, vel Regum Legatos eis unquam electionum Comitiis affuiſſe. *Nos nullo modo meminimus, neque a prædeceſſoribus noſtris ſanctis Pontificibus, neque a genitore veſtro Pipino, neque a veſtra in triumphis regali victoria, Miſſum ad electionem Ravennæ directum eſſe. Sed olitana traditione Clerus & Plebs, Apoſtolicam ſuſcipientes admonitionem, eligebant Paſtorem, &c.*

III. In Concilio Francofordienſi ratum illud certumque habetur, eligi Abbates a Monachis cum conſenſu Epiſcoporum. Eſt autem in confeſſo, ab Epiſcoporum, quam ab Abbatum electionibus multo religioſius ſibi Reges temperaviſſe. Hinc illud efficitur,

(1) L. 7. Ep. 40. (2) Surius die 1. Martii, c. 13. In vita S. Suviber.
(3) Con. Gall. To. 2. p. 96. 120.

tur, ſi liberis Abbatum electionibus vehementer aſſentiebatur Carolus Magnus, non paulo impenſius favere ſolitum illum electionibus Epiſcoporum (1). *Ut Abbas in Congregatione non eligatur, ubi juſſio Regis fuerit, niſi per conſenſum Epiſcopi loci.* Video trahi poſſe hunc Canonem non ad omnia, ſed ad ea tantum Cœnobia, quæ Regio ad eligendos Abbates privilegio gaudebant. At vero num facile quis ſibi perſuaſerit, Carolum diſciplinæ & religionis amantiſſimum, privilegia aliis conceſſiſſe Cœnobiis, aliis ea ſuſtuliſſe, quæ jure communi ubique terrarum jam tot ſæculis confirmata, in eligendis Paſtoribus ſuis obtinerent? Ergo ſatius eſt hunc Canonem ita interpretari, ut *juſſio Regis* ibi dicatur ea permiſſio, ſeu licentia ejus, quam non negamus deſideratam fuiſſe, etiam ubi ſumma electionum vigebat libertas. Ac ſi ſanciretur, non ſine Regis licentia eligi Abbates, & electos Epiſcopali aſſenſu confirmari debere.

IV. Profitetur ipſe Carolus Magnus in Capitularibus (2), conceſſam a ſe eſſe Clero Gallicano electionum Epiſcopalium libertatem, non tanquam novæ aliquid gratiæ & largitatis ſuæ, ſed tanquam jus antiquum quod ſanxiſſent Canones, tanquam libertatem, quæ Eccleſiæ agnata, unaque adulta eſſet, cujus cuſtodes ſunt Reges, & defenſores (3). *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine ſancta Eccleſia ſuo liberius potiretur honore, aſſenſum ordini Eccleſiaſtico præbuimus, ut ſcilicet Epiſcopi per electionem Cleri & Populi ſecundum ſtatuta Canonum de propria Diœceſi eligantur.* Decerptum eſt hoc Decretum ex Capitularium libro primo, quem Anſegiſus Abbas ejus conſarcinator teſtatum facit ex ſolis Caroli Magni ſtatutis conflatum eſſe.

V. Ex his facile explodes, ut ne umbra quidem probabilitatis veſtitum, quod ait Sigebertus in Chronico, conceſſam eſſe ab Hadriano I. in Synodo Romana Carolo Magno facultatem eligendi Pontificis Romani, & Epiſcopos atque Archiepiſcopos inveſtiendi. Primus eam fabulam publicavit Sigebertus, trecentis & triginta admodum annis ævo Hadriani poſterior. Enimvero an tot Hiſtorici, tot Scriptores alii, an Eginardus, qui Carolo Magno a Secretis erat, & individuus illi adhærebat comes, rem aut neſciſſent, aut ſiluiſſent, quæ tanti eſſet momenti? De inveſtituris tempore Caroli Magni altum erat ubique terrarum ſilentium; iiſdem tempore Sigeberti totus perſtrepebat Orbis, cum Henricus Imperator tanto ſibi eas fragore vindicatum ibat. Non diſtat igitur a vero, aut a veri certe ſimilitudine, tum primum erupiſſe commentitiam illam Hadriani I. conceſſionem, qua color & patrocinium accederet inveſtituris.

Quæ circumferuntur Hadriani ejuſdem ad Carolum Magnum Epiſtolæ duæ, manifeſtiſſime huic commentitio diplomati adverſantur. Eas contulit Sirmundus in annos 784. & 788. Itaque poſteriores ſunt fabuloſo Sigeberti Concilio Romano, quod ab illo refertur in annum 774. Denique quod modo Caroli Magni Capitulare protulimus, ex eo apertiſſimum fit, uſque adeo pertinatum illi fuiſſe electiones canonicas neceſſario retinendas eſſe, ut non potuerit deinceps ita ſibi pugnare ſecumque conflictari ipſe, ut vel ultro peteret a Pontifice, vel oblatam acciperet Epiſcopatuum nominationem. Nec excipi poteſt ea Capitulari renuntiaſſe Carolum ei facultati & gratiæ, qua a Pontifice donatus fuiſſet. Nec enim id ſilentio oppreſſum fuiſſet, quo tantum potuiſſet iniri gratiæ ab univerſo Clero Gallicano. Sed qua tandem ratione Hadrianus Carolo nominationes indulſiſſet Epiſcopales, quem dehortatus eſſet, ne ſe unquam implicaret electionibus, quem certiorem feciſſet ſeſe ab eis ſemper conſtantiſſime abſtinuiſſe, nec aliud quidquam tentaſſe, quam ut canonice a Clero & populo electos confirmaret?

VI. Adde quod cum Carolus Calvus Epiſcopum nominaſſet Auguſtodunenſem, vereturque ne Amulus Archiepiſcopus Lugdunenſis manus illi imponere detrectaret, vicario calamo Lupi Ferrarienſis Abbatis uſus, litteras ad eum perſcribi fecit nomine Ganelonis Epiſcopi, & Comitis Gerardi, hortantium, ut quem nominaſſet Rex, ipſe confirmaret. Ea potiſſimum ratione invaleſcebat Lupus, quod Pipino Regi a Zacharia Papa conceſſa eſſet nominatio ad Epiſcopales ſedes, quod tumultuoſiſſimis illis temporibus difficillime expedirentur Epiſcoporum promotiones (4). *Nam Pipinus, a quo per maximum Carolum & religioſiſſimum*

(1) Can. 17.
(2) Capitular. Car. Mag. anno 803.
(3) L. 1. Capit. c. 84.
(4) Lupus Epiſt. 81.

ſimum Ludovicum Imperatores ducit Rex noſter originem, expoſita neceſſitate hujus Regni Zachariæ Romano Papæ in Synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit conſenſum, ut acerbitati temporis induſtria ſibi probatiſſimorum decedentibus Epiſcopis mederetur. An tacuiſſet loco tam opportuno Lupus, indultas Carolo Magno ab Hadriano nominationes, ſi quid explo-ratum de iis habuiſſet? Nec enim Pipino conceſſum unquam fuit a Zacharia, niſi diſpenſatio, quam calamitoſiſſimi temporis neceſſitas extorqueret. *Expoſita neceſſitate hujus Regni, &c. acerbitati temporum mederetur, &c.* Et ne tum quidem diſpenſabatur, niſi ut ſemel provideretur Eccleſiis longo jam interregno languentibus, & inter eas temporum locorumque calamitates ac perturbationes, ut niſi Regiæ poteſtatis interventione, ne ſpes quidem reliqua eſſet ulla reſtituendæ priſtinæ in Eccleſia pacis & diſciplinæ. Denique ne vel tum quidem Epiſcopos nominavit Pipinus; niſi conjunctim cum Synodo Epiſcoporum, ut Synodus ipſa vociferatur, a nobis alibi laudata.

VII. Qui vero eo Lupi contextu nixi (1), argumentati ſunt Epiſcopales nominationes non aliter Pipino a Zacharia indultas fuiſſe, quam nuper Franciſco Primo & Poſteris a Leone X. ii certe hæſiſſe in cortice, ne in ipſam rei medullam videntur intro-ſpexiſſe. Nec enim vel ipſa Lupi verba illam exprimunt facultatem conſtantem & perpetuam, & ad ſucceſſores trajiciendam. Quin ex adverſo diſcrete ibi ſignificatur, ad tempus duntaxat, & cogente tum inexorabili quadam neceſſitate id concedi. Canones Concilii quos allegant, non paulo plus habent perſpicuitatis; nec ſignificant niſi ſemel factam nominationem, immo electionem a Rege pariter & a Concilio factam. Qui vero Carolo Hadrianus conſuluiſſet, nunquam ut ſe interſereret electionibus, ſi prædeceſſor ejus Zacharias Pipinum Caroli patrem jure nominandi, poſteroſque donaſſet? Qui Carolus ipſe ejuraſſet jus & privilegium parenti ſuo conceſſum? Qui dum electiones reſtauraret, non uno ſaltem verbulo innuiſſet, & Zachariæ & Hadriani privilegiis ſe ſponte in Cleri gratiam abſtenturum?

VIII. Nec diſſimulabo a San-Galleníi Monacho memorari nonnullas Epiſcoporum nominationes a Carolo factas: nos ſileri ambitioſorum certamina, Auliconum artes, Reginarum etiam conatus, ut ſuæ familiæ Clerici Epiſcopatibus ornarentur: Caroli contra ut ne Paſtores niſi digni crearentur, conſtantiam indedexam. Sed præterquam quod hujus Scriptoris fides & auctoritas apud doctos vacillat: potuere incidere ea temporum moleſtiæ, rerumque diſcrimina, quæ Carolum cogerent, ne vacare diutius ſineret Eccleſias, ne diſſenſiones protrahi, ne viri cujuſpiam præpotentis, & gerendæ Epiſcopatus farcinæ minime idoneifactionem graſſari & dominari pateretur. Denique dicta ea ſunt, non jura: exempla ſunt, eaque non multa, nequaquam decreta: nec ex iis in poſterum condi jura poſſunt, cum Carolus homo eſſet, nec humani quidquam a ſe alienum eſſe duceret. Exemplis aliquot contrariis non præſcribitur adverſum ſeu Leges, ſeu Canones.

IX. Scripſit Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus Ludovico III. Ludovici Balbi filio (2), ut electiones liberas celebrari permitteret, propoſito ei exemplo Caroli Magni, & hoc ipſo, quod hic deprompſimus, Capitularium ejus Decreto. Abſonum infuſumque fuiſſet, auctoritatem & exemplum Caroli Magni oſtentare, ſi nominationes ille Epiſcopales uſurpaſſet, nec iis abſtinere in animum unquam induxiſſet. Monebantur quidem Reges de Epiſcoporum obitu, nec niſi de eorum licentia confluebat ſive Clerus ſive Populus ad eorum electiones: at longe aliud eſt, ut Reges eligendi licentiam impertiant, atque ut occupent ipſi, & Epiſcopos nominent. Longe aliud etiam eſt, ut permittant congregari Clerum Populumque ad eligendum Epiſcopum, atque ut eligendi privilegium ipſi donent. Non indigetur eligendi privilegium, niſi iis qui eo jure alias carerent: at permiſſio conveniendi & eligendi, argumento eſt jam eo jure donatos eſſe eos, qui uti eo nolint, non poſſint etiam, ſi lubet, niſi eo erga ſummos Principes honoris & obſervantiæ temperamento. Mirum eſt, quod doctos homines præterierit tam perſpicuum diſcrimen.

(1) Du Cheſne T. 2. pag. 108. 109. 110.

(2) Ep. 12. c. 3.

virtus ſpectatiſſima aſſenſum ſtatim Cleri populique impetraret.

VIII. Ebbonem ab eodem Ludovico Pio Remenſi ſede donatum fuiſſe auctor eſt Theganus, qui ingrati illum animi ideo crimine inceſſit, quod eum abdicarit Imperio, a quo e mancipio in Epiſcopum, in Eccleſiæ Principem eſſet provectus. *O qualem remunerationem reddidiſti ei! Fecit te liberum, non nobilem, quod impoſſibile eſt poſt ſervitutem.* Ubi obiter adverte Libertos liberos fuiſſe, non nobiles. Qui enim ſervus fuerat, in libertatem poterat vindicari, non in nobilitatem, quæ proinde videri poteſt non aliud tum magis fuiſſe, quam diuturna & avita libertas (1). *Veſtivit te purpura & pallio, & tu eum induiſti cilicio. Ille pertraxit te immeritum ad culmen Pontificale, &c.* Atqui fuit Ebbo electus unanimi conſenſione Cleri & Populi Remenſis. Ludovico ergo tribuitur ejus promotio, quod eligendi canonicam libertatem conceſſerit; quod Ebbonem propoſuerit, poſtquam electus alius ab Epiſcopis examinatoribus repudiatus fuerat; quod denique Clericis Civibuſque conciliaverit eum, quem ipſe elegerat, ipſiuſmet maxime virtutibus & experientia rerum ſacrarum ſibi commendatum. Id perſpicue colligitur ex Epiſtola Caroli Calvi poſtea ad Nicolaum Papam data (2). *Ab Imperatore ſecundum ſacrorum Canonum inſtitutionem plebi electione conceſſa, contigit eos Gislenarum elegiſſe. Qui dum ante Epiſcopos diſcutiendus adſediſſet, &c. reprobatus eſt. Tunc domno Imperatori viſum eſt, ut Ebbo pro ſcientiæ capacitate, meritorumque reverentia ad jam dictum promoveretur Epiſcopatum. Quod cum plebi atque omnibus ſane ſapientibus reletum eſſet, placere ſibi omnes unanimiter affirmavere: ac ſic ſecundum canonicam inſtitutionem eſt Archiepiſcopus ordinatus.* Quo nihil accomodatius conſtitutæ a nobis ſupra doctrinæ.

IX. Si muneribus aut pecunia ineſcatum vulgus laicorum, Clericorumve, ſimoniace quempiam eligeret, Epiſcopus Viſitator, qui imminebat electioni, Regem monebat, ad quem tum jus eligendi, ſeu nominandi devolvebatur. Ita manifeſte evincitur ex ſermone Epiſcopi Viſitatoris, qui a Ludovico Pio miſſus fuerat, ut electioni Epiſcopali præeſſet. Eum autem ſermonem legere eſt inter Antiquas Formulas electionum Epiſcopalium (3). *Si forte aliquis veſtrum per præmium, aut per aliquam malitioſam artem hanc ſedem ſubripere conatus fuerit, & hoc vobis melum conſentientibus, ut in illum electio veniat: hoc nequaquam conſentiemus vobis, ſed domno Imperatori annuntiabimus, & ille ſine ullo periculo, & cum licentia Canonum, undecunque & cuicunque Clerico voluerit, dare poterit.*

Quid ergo cauſæ fuit, quamobrem eo jure non uteretur Ludovicus Pius, nec coram nominaret Ebbonem, cum reſciſſa ab Epiſcopis fuiſſet prior electio hominis, ei ſarcinæ prorſus imparis? An quod ea devolutio juris eligendi ad Principem locum non haberet, niſi in Simoniacis electionibus? Qui enim tam propudioſe jure ſuo abutebantur, eo certiſſime exuendi erant; nec eadem inclementia in eos exerenda erat, quibus bona fide agentibus & eligentibus, obreptum fuiſſet.

Ea porro hic obſervanda regula, quod qui data poteſtate abutuntur, ea ſpoliantur, ſed ea tantum vice, non ut ſemper ea careant. In Capitularibus Caroli Magni (4) eadem Epiſcopis indicitur pœna, qui indignos ordinarint. Hinc manarunt Regulæ Juris Canonici hodierni, his conſentaneæ.

X. Erant ergo jam tum devolutiones, vel ad Regem, vel ad Metropolitanum, ut Capite ſequenti patebit, in crimine maximæ ſimoniæ. At nondum hic ultro erumpebant, vel Clerici, vel Laici, quos ambitio magis, quam zelus inflammaret, ut extruſo indigno, ipſi Beneficiis ſe donari flagitarent. Quin ex adverſo primus hic occupat Epiſcopus Viſitator Regem monere, qui mox Beneficium confert, *cuicunque Clerico voluerit.*

CAPUT XXII. *P. 3. l. 2. c. 26.*

De Electione ad Prælaturas ſub Imperio Caroli Calvi.

I. Mira ſub hoc Rege ſocietas publicæ libertatis electionum, cum interventione Principis.

II. Permiſſio eligendi non dabat, ſed confirmabat, quod jam prius adeſſet jus eligendi. An Regis eſſet Viſitatorem Epiſcopum nominare? III.

(1) Theganus. c. 44.
(2) Conc. Gall. Tom. 2. p. 646.
(3) Conc. Gall. Tom. 3. p. 359.
(4) L. 7. c. 14.

III. Abbatiæ, Parochiæ, Nobiles concurrebant ad electiones.

IV. V. Æneæ Epiſcopi Pariſienſis electio, aliaque illuſtriora exempla.

VI. Confirmat Romanus Pontifex Principis interventionem in electionibus.

VII. Quam lubentes ſe Regibus accommodarent Præſules, eiſque obſequerentur, cum quos e Palatio mittebant Epiſcopos, non impares ei faſtigio erant; ubi vero impares & indigni erant, quam fortiter iidem & invicto pectore obluctarentur.

VIII. Cur interceſſerit Hincmarus Concilio, a quo profectum eſt hoc Decretum?

IX. Regum jura & Metropolitanorum, quando in plures dividebantur vota eligentium, aut indigni eligebantur.

X. Miſſi Dominici aderant quandoque electionibus, ut tumultus cohiberent.

XI. Carolus ipſe Calvus jura Epiſcoporum confirmat.

I. NOn minus provide ac temperate Principum poteſtas cum electionum libertate ſociari viſa eſt ſub Carolo Calvo. Inter Formulas Promotionum Epiſcopalium radiat Epiſtola Hincmari Archiepiſcopi Remenſis ad Carolum Calvum, ut Canonicam ab eo impetraret eligendi libertatem in Eccleſia Sylvanectenſi, quæ tum vacabat, poſtquam ejus urbis Clerus Populuſque tres Clericos & duos delegaſſent Laicos ad Metropolitanum, ut datis ad Regem litteris eam ipſis licentiam obtineret (1). *Ut apud ſolitam miſericordiam veſtram, liberam illis & regularem electionem obtinere ſatagerem.* Id quoque petebat a Rege Hincmarus eadem Epiſtola, ut ſibi Epiſcopum indicaret, quem mox ipſe deſignaret Viſitatorem Eccleſiæ vacantis, ut electioni immineret; ea peracta Metropolitanum certiorem faceret, vel per Epiſtolas, vel ad eum ipſe profectus; ut Rex a Metropolitano reſciſcat, quis electus ſit; tumque electus a Metropolitano ordinetur, ſi Cleri Populique unanimi electioni acceſſerit Regis aſſenſio. *Dignetur mihi dominatio veſtra litteris ſuis ſignificare, quem vultis ex Coepiſcopis noſtris, ut ei ex more litteras Canonicas dirigam, & Viſitatoris Officio fungens in eadem Eccleſia electionem Canonicam faciat; & aut per ſe, aut per litteras ſuas, Vicario ſuo deferente, eandem electionem, cum decreto canonico ſingulorum ma-nibus roborato, ad me referat: ut per me ipſa electio ad dominationis veſtræ diſcretionem perveniat. Et cum vota concordia Cleri ac plebis in electione regulari, vel veſtræ dominationis conſenſum cognoverimus, &c.*

II. Itaque quanquam eligendi jus ipſi quodammodo eſſet Eccleſiæ coævum concretumque, ad ſingulas tamen electiones innovandum quodammodo & confirmandum a Principe erat. Erat tamen ejuſmodi confirmatio iis contexta verbis, quæ jus eligendi aſtruerent ex canonicis regulis derivatum, & inconcuſſa poſſeſſione jam inde a cunabulis Eccleſiæ munitum. 1. Itaque Princeps hic ſe agebat, non ut novæ gratiæ collatorem, ſed ut cuſtodem & defenſorem primarium Eccleſiæ libertatum. 2. Quantumlibet unanimis fuiſſet electio, Principis conſenſu cumulanda & firmanda erat. 3. A Rege indicari voluit Hincmarus, quis ſibi conſtituendus eſſet Eccleſiæ vacantis Viſitator. Poſſet in controverſiam duci, ſpontanea ea eſſet & officioſa humanitas, an neceſſaria.

Etenim vacantis Eccleſiæ Cameracenſis idem Hincmarus Viſitatorem nominavit Hedenulphum Epiſcopum Laudunenſem, nec expreſſit ea charta, quod ſane non ſiluiſſet, Regia id voluntate factum. Alibi id expreſſit, ita expetiiſſe Regem. Denique extincto Hincmaro Clerus ipſe Remenſis conſtanter negavit eligendum a ſe Epiſcopum (2), niſi ante Rex Viſitatorem nominaſſet, quamvis diverſi ea de re rumores in vulgus manaſſent.

III. Illud quoque indidem enitеſcit, non leviter præmonendum, non Civitatum duntaxat Cleri, ſed & Monaſteriorum totius Diœceſis, & Parochiarum ruris, & Laicorum denique civium ſuffragia ad electionem corrogata fuiſſe. Ab omnibus quippe eligendus erat, qui & omnibus erat præfuturus. *Quæ electio non tantum a Civitatis Clericis agenda, verum & de omnibus Monaſteriis ipſius Parochiæ, & de ruſticanarum Parochiarum Presbyteris, occurrant Vicarii, commorantium ſecum concordia vota ferentes. Sed & laici Nobiles ac Cives adeſſe debebunt, quoniam ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri.* Per Procuratores ergo, ſeu per *Vicarios* Monaſteria & Parochi electioni intererant; atque adeo nonniſi per præſentes ſuffragia conferebantur, quæ Juris Canonici hodiernæ regula eſt. Sed Pro-

(1) Con. Gal. To. 2. p.

(2) Ib. p. 639. 640. 643.

Procuratores hi Decretum proferebant uniformis ſuffragationis eorum omnium, a quibus mittebantur, quod & hodierno rurſus Juri Canonico contentaneum eſt. Denique in partem aliquam veniebant electionis Monaſteria omnia, *de omnibus Monaſteriis*, quod & omnia Epiſcopo ſubeſſent, *Ab omnibus obediri*.

IV. Cum Paſtore ſuo viduata eſſet Pariſienſis Eccleſia, Carolus Calvus Rex Æneam Epiſcopum nominavit. Et nihilo tamen minus Clerus Eccleſiæ Pariſienſis, Monachi Sancti Dionyſii, ſancti Germani, ſanctæ Genovefæ, ſancti Mauri Foſſatenſis, aliique complures Archiepiſcopum Senonenſem, alioſque Provinciæ Epiſcopos & eorum Cletum per litteras certiores fecere, electum a ſe unanimi conſenſione Æneam: & quanquam judicio Regis & teſtimonio plurimum tribui ſane debuiſſet, tamen electum illum a ſe quoque fuiſſe, vitæ ejus morumque accuratiſſimo examine præmiſſo (1): *Ipſe in cujus manu cor Regis eſt, Domini Caroli menti infudit, ut ejus nos regimini committeret, quem in divinis & humanis rebus ſibi fidiſſimum multis experimentis probaſſet. Igitur Dei pronam in nos amplectentes miſericordiam, & Regis noſtri ſuſcipientes providentiam, Æneam concorditer omnes eligimus. Quamvis enim tanta providentia, & probitate Rex noſter polleat, ut ſolum ejus judicium de viro memorato poſſet ſufficere: tamen conditionis humanæ non neſcii, futurarumque curioſi rerum, nos ipſius propoſitum & mores longe prius inſpeximus, & inter graves probabileſque perſonas & ſanctitate ſerventes, hunc quem Antiſtitem habere cupimus, abſque errore annumeravimus.*

Vix fingi quidquam poſſit accommodatius ad eam quam hic inculcamus concordiam libertatis electionum cum auctoritate intervenientium iis Principum, qui vel nominabant, vel indicabant, vel inſinuabant tantummodo ejuſmodi viros, quorum ſingularis prorſus & exploratiſſima religio, virtus, eruditio ad aſſenſum eos cogeret, quos Principis humanitas invitaret.

Hoc autem rurſus exemplo liquet omnia Epiſcopatus Monaſteria conſpiraſſe ad electiones cum Clero Cathedralis & Matricis Eccleſiæ. Vide rurſus ut ibidem oppida omnia Diœceſis Senonenſis conſpirent cum Clero Senonenſi ad electionem Metropolitani (2). *Senonum Eccleſiæ Clerus cum totius ejuſdem Parochiæ plebibus ſibi conjunctis*. Aſſegiſus tum electus Presbyter Remenſis. Quæ autem hic *Parochia* dicitur, non ea eſt quæ Parocho ſubeſt, non ea etiam Provincia quæ Metropolitano, ſed quæ cuique Epiſcopo paret propria Diœceſis. Ea tunc uſitatiſſime Parochia dicebatur, more antiquiſſimo, & a vetuſtiſſimis hauſto Conciliis, Antiocheno, aliiſque tertii & quarti ſæculi.

V. Concilium Verum II. preces ſuas interpoſuit ad eundem Carolum Regem (3), ut ne diutius interceſſione ſua ſuſpenderet electionem Aurelianenſis Epiſcopi, a Genelone Metropolitano factam, ab Epiſcopis Provinciæ, a Clero denique, Laiciſque. Cum decennio jam toto vidua mœreret Eccleſia Remenſis, eundem Regem ejuſdem Concilii Patres exorarunt, ut ſineret canonicam tandem ibi celebrari electionem (4): *Juxta venerabilium Canonum Conſtitutionem dignus ei celeriter quæratur Epiſcopus*. Ceſſit tam æquis & tam neceſſariis precibus Rex, quæ & in Concilio Bellovacenſi iteratæ fuere. Hincmarus ergo Monachus ſancti Dionyſii a Clero populoque Remenſi electus eſt, accedente aſſenſione Archiepiſcopi Senonenſis, Epiſcopi Pariſienſis, Abbatis & Monachorum ſancti Dionyſii. Nec enim niſi his conſentientibus, quibus arctiori jam nexu obligatus erat Hincmarus, potuiſſet ille demigrare ex Provincia Senonenſi, ex Epiſcopatu Pariſienſi, & ex ſancti Dionyſii Monaſterio. Hæc in eam rem Flodoardus (5): *Igitur a Clero & plebe ipſius Metropolis, necnon ab Epiſcopis ejuſdem Provinciæ, Archiepiſcopo Senonenſis Eccleſiæ Venilone, atque Ercanrado Pariſiorum Epiſcopo annuente, cum conſenſu Abbatis ſui & Fratrum Monaſterii ſancti Dionyſii, in quo degebat, favente quoque Carola Rege Hincmarus electus eſt*. Ubi vides necdum tunc omnino percrebuiſſe eam diſtinctionem, quæ poſtulationi & electioni poſtea interjecta eſt. Porro hæc Flodoardi verba mutuata videntur ex Epiſtola Concilii Tricaſſini anni 867. ad Pontificem Nicolaum. Eadem habet & Hincmarus (6).

Qui vero hic memoratus eſt Escanradus Pariſienſis Epiſcopus, is ipſe fuit cui ſucceſſit Æneas, de quo nos ſupra. At Genelo

---

[1] Ib. p. 648.
[2] Ib. p. 649.
[3] Can. 16.
[4] Can. 9.
[5] L. 3. c. 5.
[6] Hincmar. To. 2. p. 272.

Senonenſis Archiepiſcopus is nimirum fuit, quem diris acculationibus in Concilio Tullenſi *ad Saponarias* ann. 859. inceſſivit Rex Carolus Calvus, a quo conſentientibus Provinciæ Epiſcopis in eam Metropolitanam ſedem provectus fuerat. En ipſiſſima Caroli Regis verba in eo Concilio: *Vacabat Metropolis Senonum, quam juxta conſuetudinem prædeceſſorum meorum Regum, Wenilonis tunc Clerico meo, conſenſu ſacrorum Epiſcoporum ipſius Metropolis ad gubernandum commiſi, & apud Epiſcopos, quantum ex me fuit, ut eum ibidem Archiepiſcopum ordinarent, obtinui.*

VI. Denique ut indubitatiſſime conſtet quam ſibi tum Reges in electionibus auctoritatem ſumſerint, eam facile conjungi potuiſſe cum canonica electionum libertate, refricanda tantum memoria eſt expoſtulationis Joannis VIII. Papæ, de Metropolitano Ebrodunenſi, qui alium Vencienſium ordinarat Epiſcopum, quam quem Clerici Laicique ejus Eccleſiæ elegerant, & Imperator Carolus Calvus confirmarat (1). *Nunc quia mortuo Vencienſi Epiſcopo, non præfatum Sacerdotem quem Clerus & populus civitatis elegerat, pieque memoriæ Carolus Imperator ſuo conſenſu firmarat, conſecraſti, &c.*

VII. Nec inficiamur tamen miſſos eſſe quandoque e Palatio Calvi eos, quibus ipſe Epiſcopatus dari percuperet. At integram tum ſibi intactamque Epiſcopi poteſtatem ſervaverant, eorum ſcrupuloſiſſime examinandi & vitam, & mores, & experientiam, doctrinamque, & abnuendæ ordinationis, ubi ea non reſpondoret dignitati & ſanctimoniæ Epiſcopali; preces autem monitioneſque Cleri & populi ingeminandi apud Principem, & quidvis potius, quam ſinendi ut ſceleroſus indignuſque incubator ſanctiſſimum Eccleſiæ Thronum profanaret. Ita fidenter decrevere Patres Concilii III. Valentini, cujus luculentiſſimum Canonem jam ſemel iterumque protulimus (2). *Si quando Epiſcopus deceſſerit, a Principe poſtuletur, ut canonicam electionem Clero & populo ipſius civitatis permittere dignetur. Sed eſſe a furoribus pii Principis noſtri aliquis Clericorum vereatur, ut alicui civitati præponatur Epiſcopus, timore caſto follicite examinetur, primum cujus vitæ ſit, deinde cujus ſcientiæ: & vigore Eccleſiaſtico agat Metropolitanus, Epiſcopis ſicut Dei miniſtris adjutorium ferentibus, ne maculatæ vitæ, & pompis ſæculi turbidus, & ſimoniaca hæreſi pollutus, Eccleſiæ ſuperponatur Epiſcopus. Si neceſſarium idem Metropolitanus viderit, ne tantum malum cogatur agere, ut indebito honorem bonis tantum debitum tradat, inſtruat populum, informet Clerum potius adire clementiam Imperialem, & ipſe cum Coepiſcopis, quibus valuerit modis adeat, ut Eccleſiam Dei gloriosus Imperator digno honoret Miniſtro.*

Sicubi circumventi fuerant Reges, nominaverantque eos Epiſcopos, quos Epiſcoporum Provinciæ, Clericorum & Civium conſenſio deteſtaretur; non facile poterant illi tantæ obſervantiæ, vel conſtantiæ reluctari Metropolitani, Epiſcoporum, Cleri & populi. Quo ita conſtituto, jam nemo non pronius aſſentietur electionem eam legitimam haberi potuiſſe, ubi ei quem Rex vel nominaſſet, vel innuiſſet prior, Metropolitanus, Epiſcopi, Clerici, Civeſque acquieſcebant, qui reniti potuiſſent, niſi eum comperiſſent tanto dignum faſtigio.

VIII. Hunc Canonem moleſte tulit & exagitavit Hincmarus (3), at non iis ille offendebatur, quæ hic nos amplexi ſumus. Quæſtio erat tunc magna animorum contentione partiumque diſſidiis inter Epiſcopos Gallicanos de Gratiæ divinæ auxiliis vexata. Secta erat tunc Gallia in plures Reges, & diverſorum Regnorum Præſules in diverſas abiiſſe ſententias videbantur, quibus & auctoritatem parabant a diverſis aliarum aliarumque Provinciarum Conciliis. Compulit eos ea diſſenſio ad Nicolaum I. Papam referre. Suffragabatur Prudentius Epiſcopus Tricaſſinus Gorteſcalco Monacho, harum concertationum incentori, cui non minus animoſe Hincmarus refragabatur. Inde eſt quod & Epiſtolæ quam ſcripſit, ut ratam haberet ordinationem Æneæ Pariſienſis Epiſcopi, cui adeſſe non poterat, hanc addiderit clauſulam, ut ſubſcriberet Æneas quatuor Propoſitionibus, quæ in controverſiam vocatæ fuerant (4). *Si conſentendo ſubſcribere, & ſubſcribendo conſtieri voluerit, ejus me ordinationi conſentaneum eſſe profiteor. Sin aliter, proſus neque aſſentior, neque fidelibus aſſentiendum ſuadeo.*

IX. Ab eodem porro Hincmaro alia devolutionis ſpecies refertur, ab ea diverſa

(1) Epiſt. 70. (2) Can. 7. (3) To. 1. p. 318.
(4) Con. Gall. To. 2. pag. 657.

quam ſupra attigimus. Metropolitani enim in Suffraganeos prærogativas cum explicaret, exhiberetque nepoti ſuo Epiſcopo Laudunenſi: Metropolitano id juris adſcribit, ut unum aliquem ex Epiſcopis Provinciæ deſigner, qui Viſitatoris munia obeat in viduata Eccleſia: ut jubeat electioni incumbi juxta Canones, ut digniorem eligat, ſi in plura ſciſſa ſunt ſtudia, ut denique ſcrupuloſo examine electum excutiat (1). *In Provincia ſi fuerit defunctus Epiſcopus, ego & non tu, Viſitatorem viduatæ deſignabo Eccleſiæ, electionem cum decreto canonico præcipiam fieri; & ſi in partes ſe eligentium vota diviſerint, meum & non tuum erit eligere, qui majoribus ad ordinandum ſtudiis juvetur & meritis, & meum eſt Ordinandum examinare, non tuum.* Hoc jus devolutionis non erat ejuſmodi, ut arbitrio ſuo eligeret quem vellet Metropolitanus, ſed ut ponderaret numeraretque merita & ſuffragia eorum, in quos Cleri plebiſque ſeceſſio facta erat: ei autem Epiſcopalem addiceret ſedem, qui juvaretur *majoribus ſtudiis & meritis.*

At ubi notorie indignus electus fuerat, Epiſcopi quandoque ipſi integrum Regi reſervarunt eligendi ſeu nominandi arbitrium, ut quod ad eum tum quidem eſſet devolutum. Mira quadam obſervantia & humanitate coluit Carolus Calvus Rex Epiſcopos Cariſiacenſis Concilii, cum ad eos rejecit electionem Epiſcopi Lingonenſis, etſi ab illis ante interpellatus fuiſſet, quo providerer ipſe ei ſedi, quam occuparet indignus. Audiendus hic eſt Flodoardus (2): *Suggeſſerat eadem Synodus Regi, ut alterum ad regendam Eccleſiam Lingonicam conſtitueret, quam Vulfadus Eccleſiæ Remenſis alumnus contra canonica occupaverat decreta. Et Rex juſſerat, ut Epiſcopi quærerent talem, qui poſſet in Epiſcopali miniſterio eidem Eccleſiæ proficere; eorumque vota in Iſaac Hilduini diſcipulum convenerant.*

X. Supereſt porro & hæc, intacta hactenus prærogativa Regum & Imperatorum in electionibus Epiſcopalibus. Reſcribens ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem Joannes VIII. Papa pro electione Epiſcopi Laudunenſis facienda, jubet ut Caroli Calvi tum Imperatoris Miſſus ſeu Legatus ei interſit, ut turbas factioneſque prævertat, ut Leges omnes, Canoneſque curet ſervari (3): *In quem omnium vota conſentiant, eidem Eccleſiæ præfice prorſus Epiſcopum. Cui electioni volumus etiam Miſſum piiſſimi Imperatoris intereſſe, ut ſine ſæcularium ſtrepitu omni lætere talis eligatur, qui aptus ſacris Canonibus modis omnibus approbetur.*

Prolixius infra verba faciemus de hujus Decreti obſervatione. Impræſentiarum ſufficit id animadvertiſſe, canonicæ libertatis in electionibus non adverſarios, ſed cuſtodes & vindices fuiſſe Regum Miſſos & Delegatos, qui turbas compeſcerent & tumultuoſas diſſenſiones. Concilium ad Theodoniſvillam anno 844. confugit ad Reges, quo Eccleſiis vacantibus Paſtores providerentur (4): *Aut Epiſcopos a Deo datos, & a vobis regulariter deſignatos.* Eo autem id tum fiebat, quod Regum inter ſe diſſenſionibus & bellis electiones retardarentur.

Cum Rex Lotharius canonica irregularitate maculatum Clericum Cameracenſi donaſſet Epiſcopatu, ſcripſit Nicolaus Papa ad omnes Regni ejus Epiſcopos, non ſine interminatione excommunicationis, niſi Regem impellerent ad canonicam indicendam Clero & plebi electionem (5): *Clero & plebi licentiam tribuat eligendi.* Tanto vehementius rem eam urgebat Pontifex, quod jam decem amplius menſes præter Canonum normam vacaret ea Sedes: *Ultra decimum menſem contra ſacrarum regularum definitionem Eccleſiam viduatam permanere permiſeritis.* Hinc dubitare cogimur, an ea fuerit, quæ Franciæ noſtræ Regum, moderatio & temperantia ceterorum quoque Carolinorum Regum. Hic ipſe Rex Lotharius a fratre ſuo Ludovico II. Imperatore poſtulavit Epiſcopatum Gratianopolitanum, Bernario Clerico ſuo conferendum. Aſſenſus eſt Ludovicus, & Adoni Archiepiſcopo Viennenſi mandavit, ut Bernarium in Epiſcopum ordinaret (6): *Rogavit, ut Bernario Epiſcopatum Gratianopolitanum concederemus, quod & fecimus. Idcirco monemus, ut voluntati fratris obedias, certus de noſtra conceſſione, ut in Gratianopolitana Eccleſia ordinetur Epiſcopus.* In eandem ſententiam ſcripſit & Lotharius Adoni. Nulla ibi mentio Cleri & plebis conſenſus.

XI. At multo modi ſui, & obſervantiæ avitæ in Canones retinentior fuit Carolus Cal-

(1) Tom. 2. p. 408.
(2) Flodoard. L. 3. c. 4.
(3) Colvenerii Scholia in Flodoard. L. 3. c. 22.
(4) Can. 2.
(5) Epiſt. 63.
(6) Conc. Gall. t. 3. p. 377.

Calvus. Scripſit enim ad Adonem Archiepiſcopum Viennenſem, eum a ſe Bernario tributum eſſe Epiſcopatum ea cautione, ut ſumma auctoritate diiudicaret Metropolitanus, an nominatio, an nominatus canonicis inſtitutionibus conſentirent (1): *Ita conceſſimus Gratianopolitanum Epiſcopatum, ut veſtro judicio, ſi canonice probaveritis, ibi a veſtra ſanctitate ordinetur Epiſcopus.* Addebat Carolus, qua erat animi prudentia in his, Archiepiſcopi partes fuiſſe, ut Epiſcopum eligeret, ſi Imperator Ludovicus ceſſaret; Epiſcopis enim commendatam eſſe a Chriſto Eccleſiam: *Vobis enim, & omnibus Epiſcopis ſuis omnem Eccleſiam ſuam Chriſtus Deus noſter concluſit.* Unde vere Chriſtianiſſimus Rex argumentatur in negotiis Eccleſiaſticis Reges ipſos Epiſcopis ſubdi: *Cui & nos in omnibus venerabiliter ſubdi oportet.*

CAPUT XXIII. *P. 3. l. 2. c. 27.*

De electionibus ad Prælaturas ſub Regibus & Imperatoribus Carolinis poſterioribus.

I. Hincmari magnanimitas ad tuendam electionum libertatem.

II. Alia ejuſdem magnanimitatis documenta & libertatis.

III. Alia rurſus utriuſque documenta. Progreſſiones variæ in electionibus.

IV. Præpollebant Epiſcopi, & Principum deſideriis, & petitionibus populorum.

V. VI. Privilegia eligendi, quæ a Regibus concedebantur, eo pertinebant, ut Epiſcopi e gremio eligerentur Eccleſiæ, non a Palatio mitterentur. Reliquis privilegiis jus tantum commune confirmabatur.

VII. Concordia liberæ electionis & Regum poteſtatis. Nova exempla.

VIII. IX. Quales quandoque Epiſcopi e Palatio mitterentur?

X. Vis illata Remenſi Eccleſiæ.

XI. Jus Regum in electionibus honori habitum, inter bellicos etiam tumultus.

XII. Cum Reges cuſtodes eſſent temporalium rerum Epiſcopatus, non facile quiſquam eo poterat contingere, niſi eorum aſſenſione.

XIII. Quid ſenſerit Florus de Regum conſenſu ad electiones?

I. CUm adeo conſtans & intaminata viguerit conſenſio, atque concordia Regiæ in electionibus auctoritatis cum earundem canonica libertate, regnantibus Pipino, Carolo Magno, Ludovico Pio & Carolo Calvo; nemo non jam facile ſibi perſuadebit eadem ſub eorum ſucceſſoribus retentam eſſe pacem, cum & hi, ut Regni, ita & regiæ in Eccleſiam venerationis atque obſervantiæ hæredes ſe profeſſi ſint.

Animi magnitudine vere Epiſcopali ſcripſit Hincmarus ad Reges Ludovicum & Carolomannum, *pro electione canonica obtinenda*, in Eccleſia Tornacenſi, ſive ut tunc res erant, Noviomenſi. Peracta autem ſecundum Canones electione, cum minus probarent Reges, quod tantum in ea potuiſſet Hincmarus, purgavit ſe apud eos ipſe, præfatus quam prono & propenſo fuiſſet animo in eorum promotionem & conſecrationem: nec diſſimulavit interim, qui eſſent limites Regiæ & Pontificiæ auctoritatis, qui demum & quibus dotati virtutibus ad Epiſcopales ſedes eſſent arceſſendi, quantum ſtudii Reges, operæque ponere deberent in Eccleſiaſticis Regulis ediſcendis; denique quanto ſe obligent piaculo, qui orbitatem protrahunt Eccleſiarum, vel retardatis electionibus, vel ubi factæ fuerint, objectis difficultatum molibus, ne convaleſcant. Audiamus Flodoardum (2): *Item pro ipſa electione jam facta, quam indigne tulerant, ab ipſo Archiepiſcopo fuiſſe diſpoſitam. Item pro eadem re, oſtendens qualiter in electione eorum conſenſerit, quando electi ſunt ad regni Principatum, & quæ ab eis pro hac electione mandata perceperit: & quale ſit miniſterium regale, & quale Pontificale, & qualis eligendus, vel ordinandus ſit Epiſcopus, & qualis vel qualiter non debeat ordinari, & ut divinas auctoritates addiſcere curent. Item pro eadem re ſacris demonſtrant auctoritatibus, quam graviter in Deum peccarent, qui ordinationem illam tamdiu differre facerent.*

II. Sub impuberibus his duobus Regibus ſedebat ad Regni gubernacula Hugo Abbas. Dedit & ad illum Hincmarus Epiſtolas, ut animaret alumnos Reges (3): *Quatenus voluntatem Dei & Anteceſſorum ſuorum conſuetudinem in hac cauſa conſervarent:* ſanctiſſime affirmans in electione Tornacenſi

(1) Ibid. (2) Flodoard. L. 3. c. 25. (3) Ibid. c. 24.

eaſdem prorſus ſe leges, regulaſque tenuiſſe, quas ab annis jam triginta quinque ſecutus eſſet: non diutius ergo Regiam conſenſionem ei electioni abnuendam, aut ſuſpendendam eſſe; ſanciri Canonicis inſtitutis, liberæ ut ſint electiones; ut eligantur Epiſcopi non ex Palatinis Clericis, ſed ex Eccleſiæ cujuſque proprio Collegio; non Regum, non Aulicorum, non Regiorum Miniſtrorum teſtimonia canonicis Regulis requiri, ut Eccleſiæ Paſtor ordinetur; ſed Cleri populique eſſe, ut eligant, Metropolitani ut judicet de electione, Principis ut aſſentiatur; & tum demum celebrandam ordinationem: *Et quia ipſe nihil inde aliud egerit, niſi quod per triginta & quinque annos in hujuſmodi negotio ſolitus erat, &c. Adjungens ſacrorum Canonum promulgatas ſuper electione canonica auctoritates, & oſtendens, quod non Epiſcopi de Palatio præcipiantur eligi, ſed de propria qualibet Eccleſia: & quod de ordinando Epiſcopo, non Regis, vel Palatinorum debet eſſe commendatio, ſed Cleri & plebis electio, & Metropolitani in electione dijudicatio, deinde terreni Principis conſenſio, & ſic fieri Epiſcoporum manus impoſitio.*

III. Niſi temporum viciſſitudine vel edacitate interceptæ nobis fuiſſet hæ Hincmari litteræ, ſuppeteret ex iis mira quædam opulentia antiquæ & mediæ purioris Eccleſiarum diſciplinæ; Decretorumque & Conciliorum, quibus Eccleſiarum libertas validiſſime muniretur. Vel ex hoc ſtrultulo rem conjectabis. Epiſtola ſcilicet ea eſt ex ipſis Hincmari Opuſculis decerpta, quæ ab illo data eſt ad Ludovicum Balbi filium. Exordium autem ducit ab alia Epiſtola, quæ ab omnibus Concilii cujuſdam Epiſcopis exarata fuerat ad eundem Regem, ut eum hortarentur, quo Archiepiſcopis Epiſcopiſque pleniorem juxta Canones libertatem annueret eligendi Paſtores Eccleſiarum, & ubi eos Cleri populique aſſenſione communiſſent, tum eos ipſi ſiſtendi, ut temporalis Eccleſiæ bona eis conferat, quorum Cuſtos & Defenſor eſt, contenſuque & diplomate ſuo eos confirmet, ut mox a Metropolitano & Comprovincialibus ordinari poſſint (1): *Litteras direximus, in quibus hæc continentur: Ut ſicut ſacræ leges & regulæ præcipiunt, Archiepiſcopis & Epiſcopis conlimitanearum diœceſeon electionem concedere dignemini, undesunque ſecundum formam regularem electionis, Epiſcopi talem eligant, qui & ſanctæ Eccleſiæ utilis, & regno proficuus, & vobis fidelis ac devotus cooperator exiſtat: & conſentientibus Clero & plebe, eum vobis adducant, ut ſecundum miniſterium veſtrum, res & facultates Eccleſiæ, quas ad defendendum & tuendum vobis Dominus commendavit, ſuæ diſpoſitioni committatis; & cum conſenſu ac litteris eum ad Metropolitanum Epiſcopum & Coepiſcopos Diœceſeos, qui eum ordinare debent, tranſmittatis.*

Ea erant Concilii verba, cujus os & ingenium erat Hincmarus. Quocirca & ejus adgreſſus eſt defenſionem, ubi graviſſimis ab eo verberantur opprobriis, meritiſque convitiis Aulici adulatores, qui Regias aures peſtiferis his imbuebant ſuſurris: Cum licentia eligendi a Regibus poſtulatur, eum quaſi deſponderi eligendum, quem ipſi deſignarint: *Nam ſi quod a quibuſdam dicitur, ut audivi, quando petitam apud vos electionem conceditis, illum debent Epiſcopi, & Clerus ac plebs eligere, quem vos vultis, & quem juberis: quæ non eſt divinæ legis electio, ſed humanæ poteſtatis extorſio: ſi ita eſt, ut dici a quibuſdam audivi: ille malignus ſpiritus, qui per ſerpentem primos parentes noſtros in paradiſo decepit, & inde illos ejecit, per tales adulatores in aures veſtras hæc ſibilat.*

IV. Subdit infernis ex antris eructatam eſſe tam exitialem doctrinam, Scripturis, Canoniciſque & Imperatoriis legibus prorſus inimicam: *Nec in Scripturis, neque in Catholicorum dictis, vel in ſacris Canonibus, vel etiam in legibus a Chriſtianis Imperatoribus vel Regibus promulgatis, hoc ſcriptum vel decretum invenitur, ſed talia dicta infernus evomuit.* Id vero quod ad Leges Imperatorum ſpectat, confirmat ex Lege, ſeu Capitulari Caroli Magni ſupra jam ſæpius commendato, & quod in Capitularium libris legitur: *Sacrorum Canonum non ignari, &c.* (2) Ex quibus id denique infert, non Regis eſſe eligere, ſed aſſentiri electioni per Epiſcopos factæ, qui dignoſcere poſſunt, qui ſint ſacræ dignitati ſuſtinendæ & muniis ejus obeundis idonei, qui abſurdi: *Sicut & leges & regulæ dicunt: in electione Epiſcopi aſſenſio Regis ſit, non electio; in Epiſcoporum vero executione ſit electio, ſicut & ordinatio.*

Regem ibidem obteſtatur Hincmarus, Pro-

(1) Hincmar. t. 2. p. 189.

(2) L. 1. c. 84.

Profeſſionis ut meminerit, cui ſe obſtrinxerit, ſubſcripſeritque inter ipſa inaugurationis Regiæ ſolemnia, utque eam frequenter ſibi perlegi jubeat: ut ne quid moliatur ultra eos limites, quos ſibi ſumtni Reges, ſanctiſſimique Imperatores, avi atavique circumſcripterunt: *Talia veſtro tempore in ſanctam Eccleſiam introducere non tentetis, qualia magni Imperatores & anteceſſores veſtri ſuis temporibus introducere non præſumpſerunt.*

Certabatur de electione Epiſcopi Bellovacenſis. Contendebat Rex eum confirmandum, in quem *vota omnium concordarent*. Epiſcopi ex adverſo pertendebant, electum ei gerendæ ſarcinæ prorſus imparem eſſe, ejus rei judicium ad ſe ſpectare: quinimmo & devolutam ad ſe eſſe electionem, quod cum Bellovacenſes binas ternaſve continuaſſent electiones Canonibus infeſtas, ex canonicis ſanctionibus exciditſent jure eligendi: *Perdiderant electionem, ſicut oſtenſum eſt illis in Synodo, & per ſacras regulas, non ulterius illorum, ſed Epiſcoporum eſſe electionem, quam non præire, ſed ſubſequi, &c.* Cum denique conniteretur Rex, ut ea ſaltem vice ſuis votis ſe inflecteret & accommodaret Hincmarus, conſtantiſſime ille reſpondit: Si quid præter ſuam & præter Regiam profeſſionem, ſi adverſus divinas humanaſque leges committeret, fore ut æternum & ipſi ſibi exitium arceſſeret, & eodem Regem implicaret (1): *Eiſi vobis conſenſero, ut contra divinas & humanas leges, & contra veſtram & meam, coram pluribus in Synodo Epiſcopis cohibentibus, profeſſionem faciatis, me perdam, & vos non ſalvabo.*

V. Humanius Carolomannus Rex in Aurelianenſem Epiſcopum conſuluit, cui ejuſdem Hugonis Abbatis, aliorumque Conſiliariorum ſuorum, tum ex Clero, tum ex Proceribus ſuaſione conceſſit, ut omnia ejus Eccleſiæ privilegia innovarentur, quæ Normannis omnia populantibus exuſta fuerant: utque integra & incolumis ibi ſervaretur electionum libertas, Pontificum hactenus, & Regum tuitione defenſa (2): *Una cum conſultu venerabilis Hugonis Abbatis, totiuſque Regni noſtri utriuſque ordinis Procerum, &c. Privilegia ſive præcepta in eligendis ſibi Pontificibus, tam auctoritate Apoſtolica, quamque Patrum noſtrorum confirmatione habuiſſe firmata, &c. Exoravit, ut noſtræ auctoritatis præceptum ſuper hoc ſuæ denuo confirmaſſemus Eccleſiæ, atque liberam a noſtra parte licentiam eidem conceſſiſſemus, antiquam auctoritatem more canonico a Sede Apoſtolica impetrandi.*

Duo hic autem obiter notanda. Primum eſt, ita ſibi perſuaſiſſe hunc Epiſcopum, nec conceſſionem, nec confirmationem Eccleſiæ ſuæ privilegiorum a Papa poſtulandam ſibi eſſe, niſi Rex aſſentiretur peti. Alterum eſt, quod hic privilegium dicitur, non eſſe tamen niſi juris communis beneficium. Sed cum Procerum frequentes eſſent in Eccleſiaſticas libertates contumeliæ & incurſiones; his novorum Reſcriptorum præſidiis, quibus plerumque plus tribuitur, quam antiquis, eas vallare & munire optimi quique laborabant Epiſcopi.

VI. Non ſinebat eo ipſo tempore Carolus Craſſus Italiæ Rex, Hieronymum Epiſcopum Lauſanenſem Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem inire. Monuit illum per litteras Joannes VIII. Papa, ejus Epiſcopi & electionem fuiſſe canonicam, & ordinationem, utpote ab Epiſcopis Provinciæ celebratam, quibus eam curam delegarat Metropolitanus, tum gravi ex morbo decumbens (3): *Jam dictum Epiſcopatum Lauſanenſem ſibi divinitus conceſſum, noſtraque Apoſtolica etiam auctoritate commiſſum, ſub omni integritate recipere, habereque ſecuriter permutatis: ne amplius eadem Eccleſia contra ſtatuta Patrum ſine proprio Rectore conſiſtat. Nam regulariter illum electum & proprio Archiepiſcopo cauſa infirmitatis præbente conſenſum, & Epiſcopo conſecratore illius, litteris quas nobis oſtendit, rogante, conſecratum fuiſſe agnoſcimus.*

Cum Optandus electus fuiſſet de licentia Caroli Craſſi Imperatoris Epiſcopus Genevenſis, hortatorias ad Genevenſes idem Pontifex ſcripſit Epiſtolas eidem ut morigeros ſe præberent: *Præcognita veſtrum omnium in eodem Optando electione, & qualiter idem ſereniſſimus Imperator eidem Eccleſiæ electionem perenniter de proprio Clero donaverat, &c.* Adverte hic porro ut ex Pontificia Epiſtola hac Carolus Craſſus Imperator Eccleſiam Genevenſem eo exornaſſet privilegio, ut Epiſcopum ſemper ſuum e proprio eligeret gremio: *Electionem perenniter de proprio Clero donaverat.* Non ergo ex privilegio annuebant Eccleſiis Principes eligendi libertatem, ſed eligendi ex *proprio Clero,*

(1) Ib. p. 194. (2) Spicil. t. 2. p. 194. (3) Conc. Gall. t. 3. p. 500. 518.

rationem habere, eique convenienter annuere, ut duo illi Metropolitani mutuo alter ab altero ordinarentur. Quod vero objicitur inconſulto Romano Præſule ordinatum fuiſſe B. Ambroſium, nec expectata ejus confirmatione: id facilius objicitur, quam probatur. Simplicianus Romanus Presbyter a Damaſo miſſus eſt ad Ambroſium, ut inter novi & inexperti Officii ambages illi præiret ac præluceret: unde de eo Auguſtinus (1): *Patrem in accipienda gratia tua tunc Epiſcopi Ambroſii*. Hinc vero proniſſima conjectura eſt, cum Damaſus Neophyti electionem confirmaret, Patrem illi & Magiſtrum addere debuiſſe, ut regendæ Eccleſiæ Chriſti legibus illum informaret.

Non ſaltem Petrum, Petrique ſucceſſores priores ea fraudabis gloria, ut primos Satores fidei Chriſtianæ, primoſque parentes & Epiſcopos immiſerint fundandæ excolendæque ei Eccleſiæ. Porro hinc partum jus Epiſcopos ibi ordinandi. Ea Pontificum Romanorum auctoritas in Italiæ & circumpoſitas ei Provincias, trecentis aut ducentis annis anteceſſit diſtributionem & Notitiam Provinciarum Romani Imperii, ac Diœceſeon, quæ ab Exarchis, ſeu civilibus, ſeu ſacris regebantur. In confeſſo eſt eam accuratam Diœceſeon Majorum deſcriptionem quarto demum ſæculo increbuiſſe: at jam inde ab altero & tertio ſæculo ſatæ propagataque fuerant pene omnes Italiæ Eccleſiæ.

IX. Diu peregrinari noſtram nunc in Galliam nos tandem referamus. Jubet Aurelianenſe II. Concilium anno 533. ordinari Metropolitanos ab omnibus Provinciæ Epiſcopis, quod ea pervetuſta ſit Eccleſiæ conſuetudo (2): *In ordinandis Metropolitanis antiquam inſtitutionis formulam renovamus. Itaque Metropolitanus congregatis in unum omnibus Comprovincialibus Epiſcopis ordinetur*. Satius viſum eſt Aurelianenſi III. anno 538. a Metropolitanis aliis ordinari Metropolitanos, aſtantibus omnibus Provinciæ Epiſcopis (3): *Placuit, ut Metropolitani a Metropolitanis, omnibus ſi fieri poteſt, præſentibus Comprovincialibus, ordinentur: ita ut ipſi Metropolitano ordinandi privilegium maneat, quem ordinationis conſuetudo requiret*. Poſtremis his verbis duplex ſenſus affingi poteſt, aut ut novus Metropolitanus ordinetur ab eo, qui inter Metropolitanos ſenior eſt; aut ut conſecrator ſit is, qui præeſt Metropoli omnium earum principi, quæ cognomines ſunt, & eidem Diœceſi Majori, ſeu Exarchatui accenſentur.

X. In his porro ne veſtigium quidem ullum exiſtit, ex quo ſuſpicari poſſis, Galliæ Metropolitanos a Papa confirmandos fuiſſe. Conſtat quidem ex Gregorio Turonenſi (4), Bricium Turonenſem Epiſcopum, Salonium & Sagittarium Epiſcopos, Vapincenſem & Ebrodunenſem, provocaſſe ad Papam, & ab eo Sedibus ſuis reddítos fuiſſe: ſed nihil inde eximudi poteſt ad confirmationem Epiſcoporum a Papa. Probabilius depromerentur Epiſcopi ii, quos idem Gregorius Turonenſis auctor eſt (5) primos ab Apoſtolica Sede in Gallias deſtinatos fuiſſe. Conceptis enim verbis docet Gratianum primum Turonenſis civitatis Epiſcopum ſub Decio Imperatore eo miſſum fuiſſe. *Primus Gratianus Epiſcopus, anno Imperii Decii primo, a Romana Sedis Papa tranſmiſſus eſt*. Alibi vero refert (6) non Gratianum tantum ſub Decio miſſum eſſe ad Turonenſem, ſed & Trophimum ad Arelatenſem Civitatem, Panlum ad Narbonenſem, Saturninum ad Toloſanam, ad Pariſienſem Dionyſium, ad Arvernam Auſtremonium, Martialem ad Lemovicenſem. Et quanquam non exprimat æque reliquos a Romanis Præſulibus miſſos eſſe, atque Gratianum: ſimillimum tamen veri eſt hanc eſſe mentem ejus. Ebulliere ex his Gregorii Turonenſis verbis infinitæ quædam inter doctos lites, & a noſtro nunc quidem inſtituto prorſus alienæ diſſenſiones.

Unum quippe nobis ſufficit, quanquam omnes Gallicanæ Eccleſiæ primigeniam originem ſuam Apoſtolicæ Romanæ Sedi acceptam referrent, quod de pleriſque earum omnes, ut opinor, aſſentiantur: nihil inde tamen argumenti derivari poſſe, ut affirmetur Metropolitanorum ordinationem eidem Sedi fuiſſe reſervatam. Miſſus eſt enim indubitatiſſime Auguſtinus a Gregorio Magno in Angliam, juſſuſque ea gente ad Chriſti fidem adgregata, tum vero duos ibi creare Metropolitanos, quorum alter alterum viciſſim confirmaret, ordinaretque, non expectata Romanæ Sedis confirmatione. Si Gregorius ita ſtatuit eo ævo, quo

(1) Confeſſ. l. 8. c. 2.
(2) Can. 7.
(3) Can. 5.
(4) Hiſt. l. 2. c. 10. l. 5. c. 20.
(5) Hiſt. l. 10.
(6) L. 1. c. 30.

quo receptiſſimum jam erat, ut a Primate aliquo Metropolitani confirmarentur: quid dominandum nobis eſt de Pontificibus primorum ſæculorum, cum locorum diſtantia, cum perſecutorum furor liberam inter Epiſcopos ſocietatem & communionem conſiliorum plerumque intercipiebat? Præceptionem eam Gregorii de duobus Angliæ Metropolitanis novo robore firmavit Honorius Papa: illud præ ſe ferens & profeſſus, æquum non eſſe, ut tantum terrarum & marium tranarent, quo Romæ ordinarentur. *Is qui ſupereſt conſors ejuſdem gradus, habeat poteſtatem alterum ordinandi, in locum ejus qui tranſierat, Sacerdotem: ne ſit neceſſe pro ordinando Epiſcopo ad Romanam uſque civitatem fatigari, per tam prolixa terrarum & maris ſpatia.* Ubi non obſcure innuere videtur Pontifex, cum duas illas Metropoles Sedes Romana condidiſſet, conſentaneum fuiſſe, ut Metropolitani ab ea confirmarentur: ſed itinerum longinquitati & difficultati datum id eſſe, ut jure ſuo Pontifices decederent.

Non aliter mihi quidem videtur ſentiendum de Eccleſia Gallicana & Hiſpanienſi. Non aliter ſentire ſinuit Agapetus Papa de Byſantina ipſa, in ea videlicet Epiſtola, quæ legitur in Concilio Conſtantinopolitano ſub Mena. Cum ab Agapeto enim Papa ordinatus fuiſſet Menas ejus Eccleſiæ Patriarchalis Epiſcopus, bene inde ominatur Pontifex, quod is primus & ſolus eſſet ibi ordinatus a Succeſſoribus Petri, poſt eum, quem ibi primum Petrus ipſe ordinarat (1): *Et hoc dignitati ſuæ addere credimus, quod a temporibus Petri Apoſtoli nullum alium unquam Orientalis Eccleſia ſuſcepit Epiſcopum, manibus noſtræ Sedis ordinatum, &c. Ut illis ipſe ſimilis videatur, quos in his quandoque partibus ipſius Apoſtolorum primi electio ordinavit.*

XI. Eæ fuere conditarum primum Eccleſiarum leges, ii primorum fundamentorum mores. Non dominandi libidine, ſed conſulendi caritate urgebantur Apoſtolici illi Pontifices, ut pluſculum ſibi juriſdictionis retinerent in Eccleſias eas quæ proximiores eſſent, quam in remotiores: quod id ipſa flagiraret Eccleſiarum caritas, utilitaſque: Paſtorum vero univerſalium gaudium affluaret longe maximum, & gloria ſplendidior ex utilitate Eccleſiarum particularium.

XII. Non ſuperſunt niſi Vicariatus Apoſtolici, a quibus repeti poſſet confirmatio, atque ordinatio Metropolitanorum. Conſtat quippe a Leone Magno definiente ac delineante jura Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, Apoſtolicæ Sedis vices circumgeſtantis in Illyrico, declarari 1. Metropolitanos ejus ditioni obnoxios ab Epiſcopis ſuæ Provinciæ ordinari non poſſe, niſi ab eo examinentur prius, & confirmetur: *De cujus nomine ad tuam notitiam Provinciales referant Sacerdotes impieturi vota poſcentium, ſi quod ipſis placuit, tibi quoque placuiſſe cognoverint* (2). 2. Ne a Metropolitano quidem ordinari poſſe ſuæ Provinciæ Epiſcopos, niſi ratum id habente Epiſcopo Theſſalonicenſi: *Ut ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet auctoritas.*

Sed quam indubium eſt, ea poteſtatis amplitudine uſos eſſe Primates Theſſalonicenſes, tam certum eſt Vicarios Apoſtolicos in Eccleſiis Gallicanis eo jure abſtinuiſſe. Quinque devenerunt in manus noſtras Epiſtolæ Vigilii Papæ de Vicariatu Apoſtolico, quo decorati ſunt Auxanius, & Aurelianus Arelatenſes Epiſcopi, & vel ad ipſos datæ, vel ad Epiſcopos Galliæ eis ſubjectos. His Epiſtolis quinque præclariſſime explicantur jura omnia Apoſtolicæ hujus delegationis. Atqui ne vocula quidem ullæ exculpi ex iis poteſt, quæ huic ſuffragetur Metropolitanos rum confirmationi per Epiſcopos Arelatenſes. Nec aliter res ſe habet in Epiſtolis Pelagii ad Sapaudum, & Gregorii tum ad Virgilium Arelatenſem, tum ad Epiſcopos Galliarum (3): necnon & Zachariæ Papæ ad Bonifacium, quando perpetuam ei Apoſtolicæ Sedis Legationem contulit in Gallias, & in Bavariam. Enimvero qui potuiſſent eam Romani Pontifices ſuis ſeu Legatis, ſeu Vicariis conferre in Metropolitanos Gallos poteſtatem, quam ne ipſi quidem unquam exercuiſſent?

XIII. Quæ de Galliis diximus, ea non minus valent in Hiſpania. Ut quæ longius etiam Roma diſtet. Inde eſt quod nec monumentum, adeoque nec veſtigium ullum exiſtat hujus a Papa Metropolitanorum confirmationis, vel in Conciliis, vel uſquam alibi. Diximus jam ne ad translationes quidem Epiſcoporum, vel Metropolitanorum ex una Eccleſia in aliam recurſum olim fuiſſe ex Hiſpania ad Romanum Pontificem:

(1) Conc. Conſt. ſub Agape. & Menæ. Act. 1.
(2) Gregor. L. 4. Ep. 30. 32. Zachar. Ep. 5.
(3) E. 84. c. 6.

cem: & Concilii Toletani XVI. Patribus viſum eſſe (1), ſatis ſibi juris & præſidii eſſe in ſeipſis, ut transferrent Felicem Epiſcopum Hiſpalenſem ad Toletanam Eccleſiam, Fauſtinum Braccharenſem ad Hiſpalenſem, Portucalenſem denique Felicem ad Sedem Braccharenſem. Habes ibi tres Epiſcopos, & in illis duos Metropolitanos in alias traductos Sedes, non interpellato Romano Præſule. Multo minus, ut apparet, neceſſe erat eam intervenire ad confirmationem Metropolitanorum, quam ad translationem.

Jubet Toletanum Concilium IV. propria in Eccleſia ordinari Metropolitanum, convocatis omnibus Provinciæ Epiſcopis (2). *Metropolitanus nonniſi in civitate Metropoli, Comprovincialibus ibidem convenientibus.* Divinet neceſſe eſt, qui plura affirmat. Adde quod Hormiſda in Epiſtola ad Joannem & Salluſtium Metropolitanos Hiſpaniæ (3), quibus delegat vices Apoſtolicæ ſuæ Sedis, omnino non meminerit juris hujus Metropolitanos confirmandi, quinimmo declaret eo Primatiæ jure novo nihil decerpi de priſco jure Metropolitanorum. In Concilio Emeritenſi profeſſionem edidit Metropolitanus obſervandorum religioſe Canonum, in Concilio Epiſcoporum Provinciæ. Eam potius edidiſſet in confirmatione ipſa ſui, ſicubi extra Concilium Provinciæ confirmatus ſuiſſet.

XIV. Quoad Primates Africæ, qui & Metropolitani erant earum Eccleſiarum (4), cum ii demum eo gauderent honore, qui ordinationis tempore ſeniores eſſent inter Epiſcopos, perſpicuum eſt nulla in eam rem opus fuiſſe confirmatione Apoſtolicæ Sedis. Ætas ipſa & antiquitas eam afferebat & confirmabat ſeniori Epiſcopo dignitatem, cum primum Primas aliquis animam exegerat.

XV. In Monaſteriis vero eam ætati & ſenio honoris ac poteſtatis prærogativam deferri, minus probavit Juſtinianus Imperator. Abbatum & Abbatiſſarum electionem liberis utriuſque Conventus ſuffragiis conceſſit, in quibus non annos numerari voluit, ſed merita ponderari. Electionem examini ſuo ſubjiciebat Epiſcopus, & in Sedis ſuæ poſſeſſionem mittebat eos, quibus ſuæ eam dignitatem peperiſſent virtutes. Sed inter Cœnobii Monachos, & Provinciæ Epiſcopos, magna eſt rerum morumque diſtantia. Nec enim neceſſe eſt ut ea ſint Monachi omnes pietate, experientia, peritia, qua Abbates. At Epiſcopis illa ſupereſſe debet ſapientia, qua Chriſti gregem & Eccleſiam regant; & quam illis ætas attulit experientiam, illos ea aptat, roboratque ad Metropolitani provinciam ſuſtinendam.

XVI. Perſtringam hic obiter eam quæſtionem, quæ ultro ſeſe ingerit, & quæ a propoſito nobis ſcopo non diſcrepat. An hoc ævo olim quandoque Epiſcopi in iis quæ propriæ & ordinariæ ſuæ juriſdictionis erant, Delegatione aliqua vel Vicariatu Apoſtolicæ Sedis induti fuerint. Affirmanti ſententiæ ſuffragari primo videretur Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, ubi Epheſinæ primæ Synodo præfuit, tanquam vices gerens Cœleſtini Romani Pontificis, quanquam per Cœleſtini & Legatorum ejus abſentiam ea poteſtas ordinario jure ad Cyrillum Alexandrinæ, ceu ſecundæ Sedis Antiſtitem revolveretur. Apocriſiarii Patriarcharum, qui ſub Anaſtaſio II. Papa Conſtantinopoli verſabantur, Anaſtaſii ad Imperatorem Legatis libellum ſupplicem obtulerunt, ubi affirmabant eum eſſe receptum morem (5): *Ita ut ſi quando contigerit in rebus ambiguis quædam Epiſcoporum Concilia celebrari, ſanctiſſimus is qui Romanæ præſideret Eccleſiæ, Reverendiſſimum Alexandriæ civitatis Archiepiſcopum deligeret, ut ſui curam loci ſuſciperet.* Verum non ſatis concinere videri poſſit illud Cyrilli exemplum: propterea quod potuiſſet a Pontifice ea delegatio non Cyrillo, ſed Legatis aliis commendari, quibus Apoſtolicis Legatis præſentibus expunctum fuiſſet Cyrilli præſidendi jus. Patriarcham ipſum Conſtantinopolitanum delegavit Hormiſda Pontifex ad Monachorum Scytharum cauſam dirimendam (6): *Quomodo viſum fuerit Apoſtolatui veſtro Epiſcopo Conſtantinopolitano cauſam delegare, ut ipſe inter eos, & qui ab eis impetuntur, audiret.* Sed it Monachi forſan non ſuberant Epiſcopo Conſtantinopolitano, aut ad Papam confugerant, vel appellaverant. Delegavit Hormiſda Epiphanium, Conſtantinopolitanum Patriarcham, ut in unitatem Catholicæ communionis eos recolligeret, qui ab ea ſeceſſionem fecerant (7): *Perſonam meam in hoc te oportet ſubintrare.*

XVII. Scripſit Gregorius Papa ad Virgilium Arelatenſem Epiſcopum, ut inquireret

(1) Can. 17. (2) Can. 4. (3) Ep. 24. 25. 26. (4) L. 2 Cod. Epiſc. & Cler. Leg. 46.
(5) Inter Ep. Anaſt. Pap. (6) Poſt Ep. 67. Horm. (7) Conc. CP. ſub Mena. Act. 5.

teret in mores Sereni Epiſcopi Maſſilienſis, Epiſcopali ſanctirudini minus conſonantes: utque conveniret illum ſuis verbis, & increpareț (1): *Quod a vobis ſubtiliter requirendum eſt. Et ſi ita conſtiterit, noſtra hoc vice corrige, ut, &c.* Suvibertus vir ſanctiſſimus Apoſtolico zelo ſuccensus jam Friſones Chriſti fidei conjunxerat, jam eorum Epiſcopus fuerat ordinatus; cum Villebrordus a Sergio Papa Frisonum Archiepiſcopus ordinatus, eo prolectus eſt, & poteſtate ſua fungi cœpit. Ei ſe adjunxit, ſubjecitque Suvibertus, nec Ultrajectis Epiſcopus dictus eſt, ſed Coepiſcopus Sancti Villedrordi Archiepiſcopi Ultrajectenſis (2). *Et ideo Sanctus Suvibertus non Epiſcopus Trajectenſis appellatur, ſed Coepiſcopus Sancti Villebrordi.* Ea ſunt quæ non prorſus diſſentiant a re propoſita.

De electionibus ab anno octingenteſimo ad milleſimum.

CAPUT XX. *P. 3. l. 2. c. 24.*

De electione ſub Imperio Caroli Magni.

I. Libertas conſtabat ſua electionibus ſub Carolo Magno.

II. Monuit illum Hadrianus, ne electionibus interveniret unquam, in quod & ipſe ex ſuo exemplo præibat.

III. Liberæ erant & Abbatum electiones, quanquam in eis Reges pluſculum ſibi licere vellent, quam in Epiſcoporum.

IV. Capitulari edito ſancit Carolus Magnus liberas fere electiones.

V. Credulis hominibus impoſuit Sigebertus, cum ſcripſit, ab Hadriano I. Carolo Magno conceſſam fuiſſe nominationem & inveſtituram Epiſcoporum. Argumenta in contrarium.

VI. Cum Carolus Calvus Epiſcopum nominaſſet, patrocinium ſibi accivit non ab Hadriani conceſſione in Carolum Magnum, ſed a Zacharia in Pipinum.

VII. Conceſſio Zachariæ in gratiam Pipini non aliud quam diſpenſationem continebat nominationis ſemel factæ, cogente maxima neceſſitate.

VIII. Reſpondetur ad exempla nominationum Caroli Magni.

IX. Variæ in eam rem obſervationes.

I. ILla fere opinione occupati ſunt complurium animi, qua non facile exui ſe ſint paſſuri, ſub Imperio Caroli Magni & ſtirpis ejus, locum canonicis electionibus fuiſſe nullum. Dabimus autem nos hic primum operam, ut ne ulli ſerviamus ejuſmodi præſumptæ, animoque præceptæ opinationi. Idque ut facilius felicinſque procedat, exempla primum omnia depromemus electionum canonicarum, & ſi qua conducunt ei rei argumenta. Accedemus poſtea ad fundamenta & exempla Regiarum nominationum. Poſtremo denique ex hac Legum Canonumque & exemplorum ſarragine eliciemus, qua fas erit, regulas quaſdam univerſales, & conſtantes, ad quas tota illa varietas expendi & referri poſſit.

II. Quoad canonicas electiones, præclariſſime ſanctiſſimeque illud conſilii impertiit Carolo Magno Hadrianus I. ut ne ſe ullis unquam Epiſcopalibus interponeret electionibus; ad quod & ſuo illi præluebat exemplo, in nullas prorſus auctoritatem ſuam inſerens, ne quid deterreret de libertate ſuffragiorum Cleri & populi (3). *Quia nunquam nos in qualibet electione invenimus, nec invenire habemus, ſed neque veſtram Excellentiam optamus talem rem incumbere. Sed qualis a Clero & Plebe, eunctoque populo electus fuerit canonice, ordinamus.*

Alibi fidem facit Carolo idem Pontifex, Epiſcopos Ravennates electos ſemper fuiſſe liberis Cleri Populique ſuffragiis, nec vel Pontificis Romani, vel Regum Legatos eis unquam electionum Comitiis affuiſſe. *Nos nullo modo meminimus, neque a prædeceſſoribus noſtris ſanctis Pontificibus, neque a genitore veſtro Pipino, neque a veſtra in triumphis regali victoria, Miſſum ad electionem Ravennæ directum eſſe. Sed olitana traditione Clerus & Plebs, Apoſtolicam ſuſcipientes admonitionem, eligebant Paſtorem, &c.*

III. In Concilio Francofordienſi ratum illud ceriumque habetur, eligi Abbates a Monachis cum conſenſu Epiſcoporum. Eſt autem in confeſſo, ab Epiſcoporum, quam ab Abbatum electionibus multo religioſius ſibi Reges temperaviſſe. Hinc illud efficitur,

(1) L. 7. Ep. 49. (2) Surius die 1. Martii, c. 13. In vita S. Suviber.
(3) Con. Gall. To. 2. p. 96. 120.

tur, ſi liberis Abbatum electionibus vehementer aſſentiebatur Carolus Magnus, non paulo impenſius favere ſolitum illum electionibus Epiſcoporum (1). *Ut Abbas in Congregatione non eligatur, ubi juſſio Regis fuerit, niſi per conſenſum Epiſcopi loci.* Video trahi poſſe hunc Canonem non ad omnia, ſed ad ea tantum Cœnobia, quæ Regio ad eligendos Abbates privilegio gaudebant. At vero num facile quis ſibi perſuaſerit, Carolum diſciplinæ & religionis amantiſſimum, privilegia aliis conceſſiſſe Cœnobiis, aliis ea ſuſtoliſſe, quæ jure communi ubique terrarum jam tot ſæculis confirmata, in eligendis Paſtoribus ſuis obtinerent? Ergo ſatius eſt hunc Canonem ita interpretari, ut *juſſio Regis* ibi dicatur ea permiſſio, ſeu licentia ejus, quam non negamus deſideratam fuiſſe, etiam ubi ſumma electionum vigebat libertas. Ac ſi ſanciretur, non ſine Regis licentia eligi Abbates, & electos Epiſcopali aſſenſu confirmari debere.

IV. Profitetur ipſe Carolus Magnus in Capitularibus (2), conceſſam a ſe eſſe Clero Gallicano electionum Epiſcopalium libertatem, non tanquam novæ alicujus gratiæ & largitatis ſuæ, ſed tanquam jus antiquum quod ſanxiſſent Canones, tanquam libertatem, quæ Eccleſiæ agnata, unaque adulta eſſet, cujus cuſtodes ſunt Reges, & defenſores (3). *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine ſancta Eccleſia ſuo liberius potiretur honore, aſſenſum ordini Eccleſiaſtico præbuimus, ut ſcilicet Epiſcopi per electionem Cleri & Populi ſecundum ſtatuta Canonum de propria Diœceſi eligantur.* Decerptum eſt hoc Decretum ex Capitularium libro primo, quem Anſegiſus Abbas ejus conſarcinator teſtatum facit ex ſolis Caroli Magni ſtatutis conflatum eſſe.

V. Ex his facile explodes, ut ne umbra quidem probabilitatis veſtitum, quod ait Sigebertus in Chronico, conceſſam eſſe ab Hadriano I. in Synodo Romana Carolo Magno facultatem eligendi Pontificis Romani, & Epiſcopos atque Archiepiſcopos inveſtiendi. Primus eam fabulam publicavit Sigebertus, trecentis & triginta admodum annis ævo Hadriani poſterior. Enimvero an tot Hiſtorici, tot Scriptores alii, an Eginardus, qui Carolo Magno a Secretis erat, & individuus illi adhærebat comes, rem aut neſciſſent, aut ſiluiſſent, quæ tanti eſſet momenti? De inveſtituris tempore Caroli Magni altum erat ubique terrarum ſilentium; iiſdem tempore Sigeberti totus perſtrepebat Orbis, cum Henricus Imperator tanto ſibi eas fragore vindicatum ibat. Non diſtat igitur a vero, aut a veri certe ſimilitudine, tum primum erupiſſe commentitiam illam Hadriani I. conceſſionem, qua color & patrocinium accederet inveſtituris.

Quæ circumferuntur Hadriani ejuſdem ad Carolum Magnum Epiſtolæ duæ, manifeſtiſſime huic commentitio diplomati adverſantur. Eas contulit Simmundus in annos 784. & 788. Itaque poſteriores ſunt fabuloſo Sigeberti Concilio Romano, quod ab illo refertur in annum 774. Denique quod modo Caroli Magni Capitulare protulimus, ex eo apertiſſimum fit, uſque adeo perſuaſum illi fuiſſe electiones canonicas neceſſario retinendas eſſe, ut non potuerit deinceps ita ſibi pugnare ſecumque conflictari ipſe, ut vel ultro peteret a Pontifice, vel oblatam acciperet Epiſcopatuum nominationem. Nec excipi poteſt eo Capitulari renuntiaſſe Carolum ei facultati & gratiæ, qua a Pontifice donatus fuiſſet. Nec enim id ſilentio oppreſſum fuiſſet, quo tantum potuiſſet iniri gratiæ ab univerſo Clero Gallicano. Sed qua tandem ratione Hadrianus Carolo nominationes indulſiſſet Epiſcopales, quem dehortatus eſſet, ne ſe unquam implicaret electionibus, quem certiorem feciſſet ſeſe ab eis ſemper conſtantiſſime abſtinuiſſe, nec aliud quidquam tentaſſe, quam ut canonice a Clero & populo electos confirmaret?

VI. Adde quod cum Carolus Calvus Epiſcopum nominaſſet Auguſtodunenſem, vereretur que ne Amulus Archiepiſcopus Lugdunenſis manus illi imponere detrectaret, vicario calamo Lupi Ferrarienſis Abbatis uſus, litteras ad eum perſcribi fecit nomine Ganelonis Epiſcopi, & Comitis Getardi, hortantium, ut quem nominaſſet Rex, ipſe confirmaret. Ea potiſſimum ratione invaleſcebat Lupus, quod Pipino Regi a Zacharia Papa conceſſa eſſet nominatio ad Epiſcopales ſedes, quod tumultuoſiſſimis illis temporibus difficillime expedirentur Epiſcoporum promotiones (4). *Nam Pipinus, a quo per maximum Carolum & religioſiſſimum*

(1) Can. 17.
(2) Capitular. Car. Mag. anno 803.
(3) L. 1. Capit. c. 84.
(4) Lupus Epiſt. 82.

ſimum Ludovicum Imperatores ducit Rex noſter originem, expoſita neceſſitate hujus Regni Zachariæ Romano Papæ in Synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit conſenſum, ut acerbitati temporis induſtria ſibi probatiſſimorum decedentibus Epiſcopis mederetur. An tacuiſſet loco tam opportuno Lupus, indultas Carolo Magno ab Hadriano nominationes, ſi quid exploratum de iis habuiſſet? Nec enim Pipino conceſſum unquam fuit a Zacharia, niſi diſpenſatio, quam calamitoſiſſimi temporis neceſſitas extorqueret. *Expoſita neceſſitate hujus Regni, &c. acerbitati temporum mederetur, &c.* Et ne tum quidem diſpenſabatur, niſi ut ſemel provideretur Eccleſiis longo jam interregno languentibus, & inter eas temporum locorumque calamitates ac perturbationes, ut niſi Regiæ poteſtatis interventione, ne ſpes quidem reliqua eſſet ulla reſtituendæ priſtinæ in Eccleſia pacis & diſciplinæ. Denique ne vel tum quidem Epiſcopos nominavit Pipinus; niſi conjunctim cum Synodo Epiſcoporum, ut Synodus ipſa vociferatur, a nobis alibi laudata.

VII. Qui vero eo Lupi contextu nixi (1), argumentati ſunt Epiſcopales nominationes non aliter Pipino a Zacharia indultas fuiſſe, quam nuper Franciſco Primo & Poſteris a Leone X. ii certe hæſiſſe in cortice, ne in ipſam rei medullam videntur intraſpexiſſe. Nec enim vel ipſa Lupi verba illam exprimunt facultatem conſtantem & perpetuam, & ad ſucceſſores trajiciendam. Quin ex adverſo diferie ibi ſignificatur, ad tempus duntaxat, & cogente tum inexorabili quadam neceſſitate id concedi. Canones Concilii quos allegant, non paulo plus habent perſpicuitatis; nec ſignificant niſi ſemel factam nominationem, immo electionem a Rege pariter & a Concilio factam. Qui vero Carolo Hadrianus conſuluiſſet, nunquam ut ſe interſereret electionibus, ſi prædeceſſor ejus Zacharias Pipinum Caroli patrem jure nominandi, poſteroſque donaſſet? Qui Carolus ipſe ejuraſſet jus & privilegium parenti ſuo conceſſum? Qui dum electiones reſtauraret, non uno ſaltem verbulo innuiſſet, & Zachariæ & Hadriani privilegiis ſe ſponte in Cleri gratiam abſtenturum?

VIII. Nec diſſimulabo a San Gallenſi Monacho memorari nonnullas Epiſcoporum nominationes a Carolo factas: non ſileri ambitioſorum certamina, Aulicorum artes, Reginarum etiam conatus, ut ſuæ familiæ Clerici Epiſcopatibus ornarentur: Caroli contra ut ne Paſtores niſi digni crearentur, conſtantiam indefexam. Sed præterquam quod hujus Scriptoris fides & auctoritas apud doctos vacillat: potuere incidere ea temporum moleſtiæ, rerumque diſcrimina, quæ Carolum cogerent, ne vacare diutius ſineret Eccleſias, ne diſſenſiones protrahi, ne viri cujuſpiam præpotentis, & gerendæ Epiſcopatus ſarcinæ minime idonei factionem graſſari & dominari pateretur. Denique facta ea ſunt, non jura: exempla ſunt, eaque non multa, nequaquam decreta: nec ex iis in poſterum condi jura poſſunt, cum Carolus homo eſſet, nec humani quidquam a ſe alienum eſſe duceret. Exemplis aliquot contrariis non præſcribitur adverſum ſeu Leges, ſeu Canones.

IX. Scripſit Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus Ludovico III. Ludovici Balbi filio (2), ut electiones liberas celebrari permitteret, propoſito ei exemplo Caroli Magni, & hoc ipſo, quod hic deprompſimus, Capitularium ejus Decreto. Abſonum inſuſumque fuiſſet, auctoritatem & exemplum Caroli Magni oſtentare, ſi nominationes ille Epiſcopales uſurpaſſet, nec iis abſtinere in animum unquam induxiſſet. Monebantur quidem Reges de Epiſcoporum obitu, nec niſi de eorum licentia confluebat ſive Clerus ſive Populus ad eorum electiones: at longe aliud eſt, ut Reges eligendi licentiam impertiant, atque ut occupent ipſi, & Epiſcopos nominent. Longe aliud etiam eſt, ut permittant congregari Clerum Populumque ad eligendum Epiſcopum, atque ut eligendi privilegium ipſi donent. Non indulgetur eligendi privilegium, niſi iis qui eo jure alias carerent: at permiſſio conveniendi & eligendi, argumento eſt jam eo jure dotatos eſſe eos, qui uti eo nolint, non poſſint etiam, ſi jubet, niſi eo erga ſummos Principes honoris & obſervantiæ temperamento. Mirum eſt, quod doctos homines præterierit tam perſpicuum diſcrimen.

(1) Du Cheſne T. 2. pag. 108. 109. 110.

(2) Ep. 12. c. 3.

CAPUT XXI. *P. 3. l. 2. c. 25.*

De Electione ad Prælaturas ſub Imperio Ludovici Pii.

I. Liberas Epiſcoporum & Abbatum electiones ſtatim confirmavit Pius.

II. Quam differant duæ illæ conceſsiones.

III. Electio Drogonis ad Epiſcopatum Metenſem. Erat is Pii frater.

IV. Ut illæſa & incolumi electionum libertate eis ſe Pius implicuerit?

V. Diſcrepantia libertatis electionum, ejus quæ prioribus & mediis ſæculis uſitata fuit, & ejus quæ etiam nunc in uſu eſt, extrema hac ætate.

VI. Novæ probationes electionum libertatis.

VII. Ut electionum tam laus quam culpa in principem redundaret?

VIII. Ut Imperator, Magnates, Clerus, Populus conſpirarint ad electionem Ebbonis Archiepiſcopi Remenſis?

IX. Si ſimoniacæ electioni plebs aſſentiretur, Principis erat nominare.

X. De Devolutionibus.

I. IMperii ſui primitias dedicavit Ludovicus Pius publicato Decreto, quo non Epiſcopalium tantum electionum libertatem confirmaret, convenienter Capitulari Caroli Magni, ſed electionum quoque ad Abbatias, quibus & ipſis voluit canonicam libertatem ſartam tectamque ſervari. Non referam hic prius id Decretum, cujus ipſiſſima ſunt & eadem quæ ante verba Edicti Caroli Magni ſuperius relata. En ſecundi quod ad Abbates pertinet, qui ſit tenor (1): *Monachorum ſiquidem cauſam qualiter Deo opitulante ex parte diſpoſuerimus, & quomodo ex ſeipſis ſibi eligendi Abbates licentiam dederimus, in alia ſchedula diligenter adnotari fecimus, & ut apud ſucceſſores noſtros ratum foret, & inviolabiliter conſervaretur, confirmavimus.*

Nec nos fallit hoc quoque Statutum contineri libro primo (2) Capitularium Caroli Magni, quod teſtatur Anſegiſus Caroli tantum ex Statutis compactum eſſe. Sed vel Anſegiſo compilatori obrepſit aliquando error; aut id Decretum meditatus quidem fuerat Carolus Magnus, ſed illud & publicavit primus & executioni mandavit Ludovicus Pius. Doctiſſimus Hincmarus & Carolo & Ludovico illud adſcribit (3), ut quod ab utroque manarit. Ei ſententiæ favet quod dictum eſt a nobis capite ſuperiori, numero 3. dum Canonem Francofordienſem illuſtraremus.

II. Sed non oſcitanter prætereunda eſt utriuſque Decreti diſtantia, uno ad Epiſcopos, altero ad Abbates ſpectante. Diſerte enim profitetur Princeps Monachis a ſe dari ſibi libertatem eligendi Abbatis. *Quomodo ex ſeipſis ſibi eligendi Abbates licentiam dederimus.* At electiones Epiſcoporum jubet eſſe liberas juxta Canonicas ſanctiones, quæ eam illis libertatem ſemper adſeruerunt. *Sacrorum Canonum non ignari, &c. Secundum ſtatuta Canonum, &c.*

III. Commemoratum eſt ab Eginardo in Annalibus ad annum 823. ut Drogo ex Canonico factus fuerit Epiſcopus Metenſis, electione libera, cui conſenſus Ludovici Pii accedebat (4). *Drogonem fratrem ejus ſub canonica vita degentem, Metenſi Eccleſiæ, Clero ejuſdem urbis conſentiente, atque eligente, Rectorem conſtituit, eumque ad Pontificatus gradum cenſuit promovendum.* At ex auctore vitæ Ludovici Pii, non Imperator tantum & Clerus, ſed & Optimates Aulæ Populique ſuffragati ſunt electioni Drogonis. *Clerus omnis populuſque ejuſdem Eccleſiæ, veluti uno ſpiritu animati, Drogonem Imperatoris fratrem ſub canonico habitu nobiliſſime viventem, ſibi poſcunt dari Sacerdotem: mirumque in modum tam Imperatoris, quam Procerum ejus, ſed & totius populi conſenſus, id quaſi quodam coagulo in unum conjuravit, ut omnes id velle, nullus nolle reperiretur.*

Nec abſimilem nobis repræſentant electionem, quæ nuper prodierunt luculentiſſime ſcripta Aldrici Senonenſis Epiſcopi Acta; ubi Epiſcoporum, Cleri, Magnatum, Populique ſuffragia concurrebant, una conſpirante & ipſo Imperatore (5). *Epiſcopatum Cenomanis eligente Archiepiſcopo Landramno, atque Comite ejuſdem Parochiæ Roricone, ſive omnibus prædictæ Parochiæ nobilibus hominibus, atque cunctis Palatinis, & Clero & populo, per baculum Landramni Metropolitani, jam dictum Epiſcopatum in ſua præſentia, & inſtigante Ludovico glorioſiſſimo*

(1) Cap. ann. 816. c. 14. Con. Gall. T. 2. p. 429. (2) L. 1. c. 86.
(3) Hincmar. T. 2. p. 190. 191. (4) Du-Cheſ. T. 2. p. 302. (5) Baluzius, Miſcellan. T. 3. p. 1

no Imperatore, orantibus cunctis, curæ Paſtorali eſt commiſſum. Epiſcopum inveſtiebat Metropolitanus dato in manus pedo; quod dedit tunc Imperator, orante Metropolitano, cujus & pedo uſus eſt. Non immorabor in ea hic verſanda quæſtione, an ab his liberis & humanioribus officiis cœperint Inveſtituræ, quæ tantis poſtea & tam diutinis concertationibus inter Pontifices & Imperatores agitatæ ſunt.

IV. Hic autem dilucidum eſt, ut tunc librarentur electiones, providentiſſima omnium, quorum intererat, ſuffragatione, & ſpontanea conſenſione Regum & Cleri Optimatum & Plebis. Eam rationem tenuit Carolus Magnus, eam retinuit Ludovicus Pius. Sua electionibus libertas conſtabat, quanquam eis ſe interponerent ſummi Principes: ſive quod id ſibi ſumerent tantum, ut probarent, quos Clerus & Populus elegiſſent: ſive quod Clerus Populuſque præceptis Principum & votis, aut præirent, aut obſequerentur, quari, expertique ea ad ſpectatæ peritiæ & pietatis Clericos ſemper propendere. In ea mirabili ſane conſpiratione, qui unam ſpectarunt incredibilem Regum poteſtatem, caſſas & inani ſono caducas electiones augurati ſunt fuiſſe. Impoſuit autem illis rerum ſpecies, & præjudicium noſtri hujus ævi electionum, quas non ſatis diſcrevere a primævæ, adeoque & mediæ Eccleſiarum ætatis electionibus.

V. Illud enim omnino intercedit diſcrimen electionibus illis antiquiſſimis & hodiernis. Iis nunc arcentur Principes, arcentur Laici omnes. At olim nemo neſcit quantum in iis tribueretur Populis, quantum proinde & Principibus, ut Populi Capitibus, quandoque licere poſſet. Non ergo electiones antiquæ ad noſtras nunc metiendæ ſunt.

Sicut tunc temporis præcurrebat quandoque populus Clero, præcurrebat viciſſim alias Clerus: ut in ſua ſæpiſſime vota Clerus populum pertrahebat, etiam ſubinvitum, quandoque & populus Clerum: integra autem & ſoſpes conſtabat ſemper electionis canonica libertas, quod alii aliis tandem concederent & concordarent, expunctis animo diſſenſiunculis, quæ inciderant. Ita & cum Reges Clero Populoque eligenti ſeſe adjungebant, juſta poterat libertas electioni conſtare, ſeu Reges acquieſcerent ei, quem vox publica deligebat; ſeu approbarent ipſi Clero Populoque eos, quos ſuffragii ſui prærogativa cohoneſtarent. Id genus fuit electio Drogonis Metenſis.

VI. Nec obſcurius eſt quod ſubjicio argumentum ex Concilio Pariſienſi VI. Quanquam enim multis tandem poſt annis habitum ſit, quam Ludovicus Pius Canonicam electionum libertatem iteratis ſanciverat edictis: interpellatus eſt tamen ab eo Concilio Imperator, ut curam, induſtriam, vimque omnem conferret, ad præſtantiſſimis Epiſcopis ac Paſtoribus inſtruendam Eccleſiam Chriſti (1). *Monendo ſuppliciter ſuggerimus, ut deinceps in bonis Paſtoribus Rectoribuſque in Eccleſiis Dei conſtituendis magnum ſtudium atque ſolertiſſimam adhibeatis curam*. Non poterat tum Princeps partes cum laude obire ſuas, niſi diſſenſu ſuo eos rejiceret, quos immerentes Clerus & Populus elegiſſent: aut alios majoris peritiæ & probitatis approbando, extollendoque, quibus tum & Cleri Populique favor accederet. Denique quantacunque eſſet Canonica electionum libertas, permagna nihilominus in iis erat Regum auctoritas, cum palam pronuntiet Concilium, pro earum ſucceſſu periculum ſalutis eos incurrere. *Animæ veſtræ, quod non optamus, periculum generabitur*.

VII. Non parum his præſidii accedet ex Thegano, qui ait, exitio cum primis id fuiſſe, quod ex ſervis Epiſcopi aſciſcerentur, quodque tam ingenti Eccleſiæ calamitati Ludovicus Pius non mederetur (2). *Jam dudum illa peſſima conſuetudo erat, ut ex vilioſſimis ſervis ſummi Pontifices fierent, & hoc non prohibuit, quod tamen maximum eſt malum in populo Chriſtiano*. Addit in poteſtate Regum eſſe, ut ea corruptela expungatur. Diſerte alibi ſcribit a Ludovico Pio datos fratribus ejus Epiſcopatus, daras & Abbatias (3). *Drogoni Epiſcopatum dedit, & Hugoni Cœnobialia Monaſteria*. Vidimus ſupra canonice a Clero & Populo electum fuiſſe Drogonem Metenſem Epiſcopum. Hic Theganus docet datum ei a Pio Epiſcopatum. Non ergo ea erat Canonicæ electionis libertas, quæ eam Principis poteſtatem excluderet tum quidem. Uſque adeo vel ad aſſentiendum Principibus proni erant Clerici, laicique: vel Principibus ipſis curæ erat, ut non alios Epiſcopalibus infulis ornatos cuperent, quam quorum ſapientia & vir-

(1) Ann. 829. Can. 22. (2) Cap. 20. (3) Cap. 24.

virtus ſpectatiſſima aſſenſum ſtatim Cleri populique impetraret.

VIII. Ebbonem ab eodem Ludovico Pio Remenſi ſede donatum fuiſſe auctor eſt Theganus, qui ingrati illum animi ideo crimine inceſſit, quod eum abdicarit Imperio, a quo e mancipio in Epiſcopum, in Eccleſiæ Principem eſſet provectus. *O qualem remunerationem reddidiſti ei! Fecit te liberum, non nobilem, quod impoſſibile eſt poſt ſervitutem.* Ubi obiter adverte Libertos liberos fuiſſe, non nobiles. Qui enim ſervus fuerat, in libertatem poterat vindicari, non in nobilitatem, quæ proinde videri poteſt non aliud tum magis fuiſſe, quam diuturna & avita libertas (1). *Veſtivit te purpura & pallio, & tu eum induiſti cilicio. Ille pertraxit te immeritum ad culmen Pontificale, &c.* Atqui fuit Ebbo electus unanimi conſenſione Cleri & Populi Remenſis. Ludovico ergo tribuitur ejus promotio, quod eligendi canonicam libertatem conceſſerit; quod Ebbonem propoſuerit, poſtquam electus alius ab Epiſcopis examinatoribus repudiatus fuerat; quod denique Clericis Civibuſque conciliaverit eum, quem ipſe elegerat, ipſiuſmet maxime virtutibus & experientia rerum ſacrarum ſibi commendatum. Id perſpicue colligitur ex Epiſtola Caroli Calvi poſtea ad Nicolaum Papam data (2). *Ab Imperatore ſecundum ſacrorum Canonum inſtitutionem plebi electione conceſſa, contigit eos Gisleharum elegiſſe. Qui dum ante Epiſcopos diſcutiendus adſediſſet, &c. reprobatus eſt. Tunc domno Imperatori viſum eſt, ut Ebbo pro ſcientiæ capacitate, meritorumque reverentia ad jam dictum promoveretur Epiſcopatum. Quod cum plebi atque omnibus ſane ſapientibus relatum eſſet, placere ſibi omnes unanimiter affirmavere: ac ſic ſecundum canonicam inſtitutionem eſt Archiepiſcopus ordinatus.* Quo nihil accomodatius conſtitutæ a nobis ſupra doctrinæ.

IX. Si muneribus aut pecunia ineſcatum vulgus laicorum, Clericorumve, ſimoniace quempiam eligeret, Epiſcopus Viſitator, qui imminebat electioni, Regem monebat, ad quem tum jus eligendi, ſeu nominandi devolvebatur. Ita manifeſte evincitur ex ſermone Epiſcopi Viſitatoris, qui a Ludovico Pio miſſus fuerat, ut electioni Epiſcopali præeſſet. Eum autem ſermonem legere eſt inter Antiquas Formulas electionum Epiſcopalium (3). *Si forte aliquis veſtrum per præmium, aut per aliquam malitioſam artem hanc ſedem ſubripere conatus fuerit, & hoc vobis malum conſentientibus, ut in illum electio veniat: hoc nequaquam conſentiemus vobis, ſed domno Imperatori annuntiabimus, & ille ſine ullo periculo, & cum licentia Canonum, undecunque & cuicunque Clerico voluerit, dare poterit.*

Quid ergo cauſæ fuit, quamobrem eo jure non uteretur Ludovicus Pius, nec coram nominaret Ebbonem, cum reſciſſa ab Epiſcopis fuiſſet prior electio hominis, ei ſarcinæ prorſus imparis? An quod ea devolutio juris eligendi ad Principem locum non haberet, niſi in Simoniacis electionibus? Qui enim tam propudioſe jure ſuo abutebantur, eo certiſſime exuendi erant; nec eadem inclementia in eos exerenda erat, quibus bona fide agentibus & eligentibus, obreptum fuiſſet.

Ea porro hic obſervanda regula, quod qui data poteſtate abutuntur, ea ſpoliantur, ſed ea tantum vice, non ut ſemper ea careant. In Capitularibus Caroli Magni (4) eadem Epiſcopis indicitur pœna, qui indignos ordinarint. Hinc manarunt Regulæ Juris Canonici hodierni, his conſentaneæ.

X. Erant ergo jam tum devolutiones, vel ad Regem, vel ad Metropolitanum, ut Capite ſequenti patebit, in crimine maxime ſimoniæ. At nondum hic ultro erumpebant, vel Clerici, vel Laici, quos ambitio magis, quam zelus inflammaret, ut extruſo indigno, ipſi Beneficiis ſe donari flagitarent. Quin ex adverſo primus hic occupat Epiſcopus Viſitator Regem monere, qui mox Beneficium confert, *cuicunque Clerico voluerit.*

CAPUT XXII. *P. 3. l. 2. c. 26.*

De Electione ad Prælaturas ſub Imperio Caroli Calvi.

I. Mira ſub hoc Rege ſocietas publicæ libertatis electionum, cum interventione Principis.

II. Permiſſio eligendi non dabat, ſed confirmabat, quod jam prius aderat jus eligendi. An Regis eſſet Viſitatorem Epiſcopum nominare? III.

(1) Theganus. c. 44.
(2) Conc. Gall. Tom. 3. p. 359.
(3) Conc. Gall. Tom. 2. p. 646.
(4) L. 7. c. 14.

III. Abbatiæ, Parochiæ, Nobiles concurrebant ad electiones.

IV. V. Æneæ Epiſcopi Pariſienſis electio, aliaque illuſtriora exempla.

VI. Confirmat Romanus Pontifex Principis interventionem in electionibus.

VII. Quam lubentes ſe Regibus accommodarent Præſules, eiſque obſequerentur, cum quos e Palatio mittebant Epiſcopos, non imparcs ei faſtigio erant; ubi vero impares & indigni erant, quam fortiter iidem & invicto pectore obluctarentur.

VIII. Cur interceſſerit Hincmarus Concilio, a quo profectum eſt hoc Decretum?

IX. Regum jura & Metropolitanorum, quando in plures dividebantur vota eligentium, aut indigni eligebantur.

X. Miſſi Dominici aderant quandoque electionibus, ut tumultus cohiberent.

XI. Carolus ipſe Calvus jura Epiſcoporum confirmat.

I. NOn minus provide ac temperate Principum poteſtas cum electionum libertate ſociari viſa eſt ſub Carolo Calvo. Inter Formulas Promotionum Epiſcopalium radiat Epiſtola Hincmari Archiepiſcopi Remenſis ad Carolum Calvum, ut Canoniam ab eo impetraret eligendi libertatem in Eccleſia Sylvanectenſi, quæ tum vacabat, poſtquam ejus urbis Clerus Populuſque tres Clericos & duos delegaſſent Laicos ad Metropolitanum, ut datis ad Regem litteris eam ipſis licentiam obtineret (1). *Ut apud ſolitam miſericordiam veſtram, liberam illis & regularem electionem obtinere ſatagerem.* Id quoque petebat a Rege Hincmarus eadem Epiſtola, ut ſibi Epiſcopum indicaret, quem mox ipſe deſignaret Viſitatorem Eccleſiæ vacantis, ut electioni imminereet; ea peracta Metropolitanum certiorem faceret, vel per Epiſtolas, vel ad eum ipſe profectus; ut Rex a Metropolitano reſciſcat, quis electus ſit; tumque electus a Metropolitano ordinetur, ſi Cleri Populique unanimi electioni acceſſerit Regis aſſenſio. *Dignetur mihi dominatio veſtra litteris ſuis ſignificare, quem vultis ex Coepiſcopis noſtris, ut ei ex more litteras Canonicas dirigam, & Viſitatoris Officio fungens in eadem Eccleſia electionem Canonicam facias; & aut per ſe, aut per litteras ſuas, Vicario ſuo deferente, eandem electionem, cum decreto canonico ſingulorum ma-nibus roborato, ad me referat: ut per me ipſa electio ad dominationis veſtræ diſcretionem perveniat. Et cum vota concordia Cleri ac plebis in electione regulari, vel veſtra dominationis conſenſum cognoverimus, &c.*

II. Itaque quanquam eligendi jus ipſi quodammodo eſſet Eccleſiæ coævum concretumque, ad ſingulas tamen electiones innovandum quodammodo & confirmandum a Principe erat. Erat tamen ejuſmodi confirmatio iis contexta verbis, quæ jus eligendi aſtruerent ex canonicis regulis derivatum, & inconcuſſa poſſeſſione jam inde a cunabulis Eccleſiæ munitum. 1. Itaque Princeps hic ſe agebat, non ut novæ gratiæ collatorem, ſed ut cuſtodem & defenſorem primarium Eccleſiæ libertatum. 2. Quantumlibet unanimis fuiſſet electio, Principis conſenſu cumulanda & firmanda erat. 3. A Rege indicari voluit Hincmarus, quis ſibi conſtituendus eſſet Eccleſiæ vacantis Viſitator. Poſſet in controverſiam duci, ſpontanea ea eſſet & officiola humanitas, an neceſſaria.

Etenim vacantis Eccleſiæ Cameracenſis idem Hincmarus Viſitatorem nominavit Hedenulphum Epiſcopum Laudunenſem, nec expreſſit ea charta, quod ſane non ſilniſſet, Regia id voluntate factum. Alibi id expreſſit, ita expetiiſſe Regem. Denique extincto Hincmaro Clerus ipſe Remenſis conſtanter negavit eligendum a ſe Epiſcopum (2), nili ante Rex Viſitatorem nominaſſet, quamvis diverſi ea de re rumores in vulgus manaſſent.

III. Illud quoque indidem eniteſcit, non leviter prætereundum, non Civitatum duntaxat Cleri, ſed & Monaſteriorum totius Diœceſis, & Parochiarum ruris, & Laicorum denique civium ſuffragia ad electionem corrogata fuiſſe. Ab omnibus quippe eligendus erat, qui & omnibus erat præfuturus. *Quæ electio non tantum a Civitatis Clericis agenda, verum & de omnibus Monaſteriis ipſius Parochiæ, & de ruſticanarum Parochiarum Presbyteris, occurrant Vicarii, comnorantium ſecum concordia vota ferentes. Sed & laici Nobiles ac Cives adeſſe debebunt, quoniam ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri.* Per Procuratores ergo, ſeu per *Vicarios* Monaſteria & Parochi electioni intererant; atque adeo nonniſi per præſentes ſuffragia conferebantur, quæ Juris Canonici hodiernæ regula eſt. Sed Pro-

(1) Com Gal. To. 2. p.

(2) Ib. p. 639. 640. 645.

Procuratores hi Decretum proferebant uniformis ſuffragationis eorum omnium, a quibus mittebantur, quod & hodierno rurſus Juri Canonico conſentaneum eſt. Denique in partem aliquam veniebant electionis Monaſteria omnia, *de omnibus Monaſteriis*, quod & omnia Epiſcopo ſubeſſent, *Ab omnibus obedtri*.

IV. Cum Paſtore ſuo viduata eſſet Pariſienſis Eccleſia, Carolus Calvus Rex Æneam Epiſcopum nominavit. Er nihilo tamen minus Clerus Eccleſiæ Pariſienſis, Monachi Sancti Dionyſii, ſancti Germani, ſanctæ Genovefæ, ſancti Mauri Foſſatenſis, aliique complures Archiepiſcopum Senonenſem, alioſque Provinciæ Epiſcopos & eorum Clerum per litteras certiores fecere, electum a ſe unanimi conſenſione Æneam: & quanquam judicio Regis & teſtimonio plurimum tribui ſane debuiſſet, tamen electum illum a ſe quoque fuiſſe, vitæ ejus morumque accuratiſſimo examine præmiſſo (1): *Ipſe in cujus manu cor Regis eſt, Domini Caroli menti infudit, ut ejus nos regimini committeret, quem in divinis & humanis rebus ſibi fidiſſimum multis experimentis probaſſet. Igitur Dei pronam in nos amplectentes miſericordiam, & Regis noſtri ſuſcipientes providentiam, Æneam concorditer omnes eligimus. Quamvis enim tanta providentia, & probitate Rex noſter polleat, ut ſolum ejus judicium de viro memorato poſſet ſufficere: tamen conditionis humanæ non neſcii, futurarumque curioſi rerum, noſ ipſius propoſitum & mores longe prius inſpeximus, & inter graves probabileſque perſonas & ſanctitate ſerventes, hunc quem Antiſtitem habere cupimus, abſque errore annumeravimus.*

Vix fingi quidquam poſſit accommodatius ad eam quam hic inculcamus concordiam libertatis electionum cum auctoritate intervenientium iis Principum, qui vel nominabant, vel indicabant, vel inſinuabant tantummodo ejuſmodi viros, quorum ſingularis prorſus & exploratiſſima religio, virtus, eruditio ad aſſenſum eos cogeret, quos Principis humanitas invitaret.

Hoc autem rurſus exemplo liquet omnia Epiſcoparus Monaſteria conſpiraſſe ad electiones cum Clero Cathedralis & Matricis Eccleſiæ. Vide rurſus ut ibidem oppida omnia Diœceſis Senonenſis conſpirent cum Clero Senonenſi ad electionem Metropolitani (2). *Senonum Eccleſiæ Clerus cum totius ejuſdem Parochiæ plebibus ſibi conjunctis*. Aſſegiſus tam electus Presbyter Remenſis. Quæ autem hic *Parochia* dicitur, non ea eſt quæ Parocho ſubeſt, non ea etiam Provincia quæ Metropolitano, ſed quæ cuique Epiſcopo paret propria Diœceſis. Ea tunc uſitatiſſime Parochia dicebatur, more antiquiſſimo, & a veteriſſimis hauſto Conciliis, Antiocheno, aliiſque tertii & quarti ſæculi.

V. Concilium Vernum II. preces ſuas interpoſuit ad eundem Carolum Regem (3), ut ne diutius interceſſione ſua ſuſpenderet electionem Aurelianenſis Epiſcopi, a Ganelone Metropolitano factam, ab Epiſcopis Provinciæ, a Clero denique, Laicisque. Cum decennio jam toto vidua mœreret Eccleſia Remenſis, eundem Regem ejuldem Concilii Patres exorarunt, ut ſineret canonicam tandem ibi celebrari electionem (4): *Juxta venerabilium Canonum Conſtitutionem dignus ei celeriter quæratur Epiſcopus*. Ceſſit tam æquis & tam neceſſariis precibus Rex, quæ & in Concilio Bellovacenſi iteratæ fuere. Hincmarus ergo Monachus ſancti Dionyſii a Clero populoque Remenſi electus eſt, accedente aſſenſione Archiepiſcopi Senonenſis, Epiſcopi Pariſienſis, Abbatis & Monachorum ſancti Dionyſii. Nec enim niſi his conſentientibus, quibus arctiori jam nexu obligatus erat Hincmarus, potuiſſet ille demigrare ex Provincia Senonenſi, ex Epiſcopatu Pariſienſi, & ex ſancti Dionyſii Monaſterio. Hæc in eam rem Flodoardus (5): *Igitur a Clero & plebe ipſius Metropolis, necnon ab Epiſcopis ejuſdem Provinciæ, Archiepiſcopo Senonenſis Eccleſiæ Wenilone, atque Ercanrado Pariſiorum Epiſcopo annuente, cum conſenſu Abbatis ſui & Fratrum Monaſterii ſancti Dionyſii, in quo degebat, favente quoque Carolo Rege Hincmarus electus eſt*. Ubi vides necdum tunc omnino percrebuiſſe eam diſtinctionem, quæ poſtulationi & electioni poſtea interjecta eſt. Porro hæc Flodoardi verba mutuata videntur ex Epiſtola Concilii Tricaſſini anni 867. ad Pontificem Nicolaum. Eadem habet & Hincmarus (6).

Qui vero hic memoratus eſt Ercanradus Pariſienſis Epiſcopus, is ipſe fuit cui ſucceſſit Æneas, de quo nos ſupra. At Ganelo

---

[1] lb. p. 648.
[2] lb. p. 849.
[3] Can. 16.
[4] Can. 9.
[5] L. 3. c. 5.
[6] Hincmar. To. 2. p. 272.

to Senonenſis Archiepiſcopus is nimirum fuit, quem diris acculationibus in Concilio Tullenſi *ad Saponarias* ann. 859. inceſſivit Rex Carolus Calvus, a quo conſentientibus Provinciæ Epiſcopis in eam Metropolitanam ſedem provectus fuerat. En ipſiſſima Caroli Regis verba in eo Concilio: *Vacabat Metropolis Senonum, quam juxta conſuetudinem prædeceſſorum meorum Regum, Wenilone tunc Clerico meo, conſenſu ſacrorum Epiſcoporum ipſius Metropolis ad gubernandum commiſi, & apud Epiſcopos, quantum ex me fuit, ut eum ibidem Archiepiſcopum ordinarent, obtinui.*

VI. Denique ut indubitatiſſime conſtet quam ſibi tum Reges in electionibus auctoritatem ſumebant, eam facile conjungi potuiſſe cum canonica electionum libertate, refricanda tantum memoria eſt expoſtulationis Joannis VIII. Papæ, de Metropolitano Ebrodunenſi, qui alium Vencienſium ordinarat Epiſcopum, quam quem Clerici Laicique ejus Eccleſiæ elegerant, & Imperator Carolus Calvus confirmarat (1). *Nunc quia mortuo Vencienſi Epiſcopo, non præfatum Sacerdotem quem Clerus & populus civitatis elegerat, piæque memoriæ Carolus Imperator ſuo conſenſu firmarat, conſecraſti, &c.*

VII. Nec inficiamur tamen miſſos eſſe quandoque e Palatio Calvi eos, quibus ipſe Epiſcopatus dari percuperet. At integram tum ſibi intactamque Epiſcopi poteſtatem ſervaverant, eorum ſcrupuloſiſſime examinandi & vitam, & mores, & experientiam, doctrinamque, & abnuendæ ordinationis, ubi ea non reſponderet dignitati & ſanctimoniæ Epiſcopali; preces autem monitioneſque Cleri & populi ingeminandi apud Principem, & quidvis potius, quam ſinendi ut ſceleroſus indignuſque incubator ſanctiſſimum Eccleſiæ Thronum profanaret. Ita fidenter decrevere Patres Concilii III. Valentini, cujus luculentiſſimum Canonem jam ſemel iterumque protulimus (2). *Si quando Epiſcopus deceſſerit, a Principe poſtuletur, ut canonicam electionem Clero & populo ipſius civitatis permittere dignetur. Sed ecſi a ſervitio pii Principis noſtri aliquis Clericorum venerit, ut alicui civitati præponatur Epiſcopus, timore caſto ſolliciteque examinetur, primum cujus vitæ ſit, deinde cujus ſcientiæ: & vigore Eccleſiaſtico agat Metropolitanus, Epiſcopis ſicut Dei miniſtris adjutorium ferentibus, ne maculatæ vitæ, & pompis ſæculi turbidus, & ſimoniaca hæreſi polluxus, Eccleſiæ ſuperponatur Epiſcopus. Si neceſſarium idem Metropolitanus viderit, ne tantum malum cogatur agere, ut indebito honorem bonis tantum debitum tradat, inſtruat populum, informet Clerum potius adire clementiam Imperialem, & ipſe cum Coepiſcopis, quibus valuerit modis adeat, ut Eccleſiam Dei glorioſus Imperator digno honoret Miniſtro.*

Sicubi circumventi fuerant Reges, nominaverantque eos Epiſcopos, quos Epiſcoporum Provinciæ, Clericorum & Civium conſenſio deteſtaretur; non facile poterant illi tantæ obſervantiæ, vel conſtantiæ reluctari Metropolitani, Epiſcoporum, Cleri & populi. Quo ita conſtituto, jam nemo non pronius aſſentietur electionem eam legitimam haberi potuiſſe, ubi ei quem Rex vel nominaſſet, vel innuiſſet prior, Metropolitanus, Epiſcopi, Clerici, Civeſque acquieſcebant, qui reniti potuiſſent, niſi eum comperiſſent tanto dignum faſtigio.

VIII. Hunc Canonem moleſte tulit & exagitavit Hincmarus (3), at non iis ille offendebatur, quæ hic nos amplexi ſumus. Quæſtio erat tunc magna animorum contentione partiumque diſſidiis inter Epiſcopos Gallicanos de Gratiæ divinæ auxiliis vexata. Secta erat tunc Gallia in plures Reges, & diverſorum Regnorum Prælules in diverſas abiiſſe ſententias videbantur, quibus & auctoritatem parabant a diverſis aliarum aliarumque Provinciarum Conciliis. Compulit eos ea diſſenſio ad Nicolaum I. Papam referre. Suffragabatur Prudentius Epiſcopus Tricaſſinus Gotteſcalco Monacho, harum concertationum incentori, cui non minus animoſe Hincmarus refragabatur. Inde eſt quod & Epiſtolæ quam ſcripſit, ut ratam haberet ordinationem Æneæ Pariſienſis Epiſcopi, cui adeſſe non poterat, hanc addiderit clauſulam, ut ſubſcriberet Æneas quatuor Propoſitionibus, quæ in controverſiam vocatæ fuerant (4). *Si conſitendo ſubſcribere, & ſubſcribendo confiteri voluerit, ejus me ordinationi conſentaneum eſſe profiteor. Sin alias, prorſus neque aſſentior, neque fidelibus aſſentiendum ſuadeo.*

IX. Ab eodem porro Hincmaro alia devolutionis ſpecies refertur, ab ea diverſa

(1) Epiſt. 70. (2) Can. 7. (3) To. 2. p. 318.
(4) Con. Gall. To. 2. pag. 657.

quam ſupra attigimus. Metropolitani enim in Suffraganeos prærogativas cum explicaret, exhiberetque nepoti ſuo Epiſcopo Laudunenſi: Metropolitano id juris adſcribit, ut unum aliquem ex Epiſcopis Provinciæ deſignet, qui Viſitatoris munia obeat in viduata Eccleſia: ut jubeat electioni incumbi juxta Canones, ut digniorem eligat, ſi in plura ſciſſa ſunt ſtudia, ut denique ſcrupuloſo examine electum excutiat (1). *In Provincia ſi fuerit defunctus Epiſcopus, ego & non tu, Viſitatorem viduatæ deſignabo Eccleſiæ, electionem eum decreto canonico præcipiam fieri; & ſi in partes ſe eligentium vota diviſerint, meum & non tuum erit eligere, qui majoribus ad ordinandum ſtudiis juvetur & meritis, & meum eſt Ordinandum examinare, non tuum.* Hoc jus devolutionis non erat ejuſmodi, ut arbitrio ſuo eligeret quem vellet Metropolitanus, ſed ut ponderaret numeraretque merita & ſuffragia eorum, in quos Cleri plebiſque ſeceſſio facta erat: ei autem Epiſcopalem addiceret ſedem, qui juvaretur *majoribus ſtudiis & meritis*.

At ubi notorie indignus electus fuerat, Epiſcopi quandoque ipſi integrum Regi reſervarunt eligendi ſeu nominandi arbitrium, ut quod ad eum tum quidem eſſet devolutum. Mira quadam obſervantia & humanitate coluit Carolus Calvus Rex Epiſcopos Cariſiacenſis Concilii, cum ad eos rejecit electionem Epiſcopi Lingonenſis, etſi ab illis ante interpellatus fuiſſet, quo provideret ipſe ei ſedi, quam occuparet indignus. Audiendus hic eſt Flodoardus (2): *Suggeſſerat eadem Synodus Regi, ut alterum ad regendam Eccleſiam Lingonicam conſtitueret, quam Vulfadus Eccleſiæ Remenſis alumnus contra canonica occupaverat decreta. Et Rex juſſerat, ut Epiſcopi quærerent talem, qui poſſet in Epiſcopali miniſterio eidem Eccleſiæ proficere; eorumque vota in Iſaac Hilduini diſcipulum convenerant.*

X. Supereſt porro & hæc, intacta hactenus prærogativa Regum & Imperatorum in electionibus Epiſcopalibus. Reſcribens ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem Joannes VIII. Papa pro electione Epiſcopi Laudunenſis facienda, jubet ut Caroli Calvi tum Imperatoris Miſſus ſeu Legatus ei interſit, ut turbas factioneſque prævertat, ut Leges omnes, Canoneſque curet ſervari (3): *In quem omnium vota conſentiant, eidem Eccleſiæ præfice prorſus Epiſcopum. Cui electioni volumus etiam Miſſum piiſſimi Imperatoris intereſſe, ut ſine ſæcularium ſtrepitu omni lætere talis eligatur, qui aptus ſacris Canonibus modis omnibus approbetur.*

Prolixius infra verba facturi ſumus de hujus Decreti obſervatione. Impræſentiarum ſufficit id animadvertiſſe, canonicæ libertatis in electionibus non adverſarios, ſed cuſtodes & vindices fuiſſe Regum Miſſos & Delegatos, qui turbas compeſcerent & tumultuoſas diſſenſiones. Concilium ad Theodonisvillam anno 844. confugit ad Reges, quo Eccleſiis vacantibus Paſtores providerentur (4): *Aut Epiſcopos a Deo datos, & a vobis regulariter deſignatos.* Eo autem id tum fiebat, quod Regum inter ſe diſſenſionibus & bellis electiones retardarentur.

Cum Rex Lotharius canonica irregularitate maculatum Clericum Cameracenſi donaſſet Epiſcopatu, ſcripſit Nicolaus Papa ad omnes Regni ejus Epiſcopos, non ſine interminatione excommunicationis, niſi Regem impellerent ad canonicam indicendam Clero & plebi electionem (5): *Clero & plebi licentiam tribuat eligendi.* Tanto vehementius rem eam urgebat Pontifex, quod jam decem amplius menſes præter Canonum normam vacaret ea Sedes: *Ultra decimum menſem contra ſacrarum regularum definitionem Eccleſiam viduatam permanere permiſeritis.* Hinc dubitare cogimur, an ea fuerit, quæ Franciæ noſtræ Regum, moderatio & temperantia ceterorum quoque Carolinorum Regum. Hic ipſe Rex Lotharius a fratre ſuo Ludovico II. Imperatore poſtulavit Epiſcopatum Gratianopolitanum, Bernario Clerico ſuo conferendum. Aſſenſus eſt Ludovicus, & Adoni Archiepiſcopo Viennenſi mandavit, ut Bernarium in Epiſcopum ordinaret (6): *Rogavit, ut Bernario Epiſcopatum Gratianopolitanum concederemus, quod & fecimus. Ideirco monemus, ut voluntati fratris obedias, certus de noſtra conceſſione, ut in Gratianopolitana Eccleſia ordinetur Epiſcopus.* In eandem ſententiam ſcripſit & Lotharius Adoni. Nulla ibi mentio Cleri & plebis conſenſus.

XI. At multo modi ſui, & obſervantiæ aviæ in Canones reverentior fuit Carolus Cal-

(1) Tom. 2. p. 408.
(2) Flodoard. L. 3. c. 4.
(3) Colvenerii Scholia in Flodoard. L. 3. c. 22.
(4) Can. 2.
(5) Epiſt. 63.
(6) Conc. Gall. t. 3. p. 377.

Calvus. Scripſit enim ad Adonem Archiepiſcopum Viennenſem, eum a ſe Bernario tributum eſſe Epiſcopatum ea cautione, ut ſumma auctoritate diiudicaret Metropolitanus, an nominatio, an nominatus canonicis inſtitutionibus conſentirent (1): *Ita conceſſimus Gratianopolitanum Epiſcopatum, ut veſtro judicio, ſi canonice probaveritis, ibi a veſtra ſanctitate ordinetur Epiſcopus.* Addebat Carolus, qua erat animi prudentia in his, Archiepiſcopi partes fuiſſe, ut Epiſcopum eligeret, ſi Imperator Ludovicus ceſſaret; Epiſcopis enim commendatam eſſe a Chriſto Eccleſiam: *Vobis enim, & omnibus Epiſcopis ſuis omnem Eccleſiam ſuam Chriſtus Deus noſter concluſit.* Unde vere Chriſtianiſſimus Rex argumentatur in negotiis Eccleſiaſticis Reges ipſos Epiſcopis ſubdi: *Cui & nos in omnibus venerabiliter ſubdi oportet.*

CAPUT XXIII. *P. 3. l. 2. c. 27.*

De electionibus ad Prælaturas ſub Regibus & Imperatoribus Carolinis poſterioribus.

I. Hincmari magnanimitas ad tuendam electionum libertatem.

II. Alia ejuſdem magnanimitatis documenta & libertatis.

III. Alia rurſus utriuſque documenta. Progreſſiones variæ in electionibus.

IV. Præpollebant Epiſcopi, & Principum deſideriis, & petitionibus populorum.

V. VI. Privilegia eligendi, quæ a Regibus concedebantur, eo pertinebant, ut Epiſcopi e gremio eligerentur Eccleſiæ, non e Palatio mitterentur. Reliquis privilegiis jus tantum commune confirmabatur.

VII. Concordia liberæ electionis & Regum poteſtatis. Nova exempla.

VIII. IX. Quales quandoque Epiſcopi e Palatio mitterentur?

X. Vis illata Remenſi Eccleſiæ.

XI. Jus Regum in electionibus honori habitum, inter bellicos etiam tumultus.

XII. Cum Reges cuſtodes eſſent temporalium rerum Epiſcopatus, non facile quiſquam eo poterat contingere, niſi eorum aſſenſione.

XIII. Quid ſenſerit Florus de Regum conſenſu ad electiones?

I. CUm adeo conſtans & intaminata viguerit conſenſio, atque concordia Regiæ in electionibus auctoritatis cum earundem canonica libertate, regnantibus Pipino, Carolo Magno, Ludovico Pio & Carolo Calvo; nemo non jam facile ſibi perſuadebit eadem ſub eorum ſucceſſoribus retentam eſſe pacem, cum & hi, ut Regni, ita & regiæ in Eccleſiam veneration is atque obſervantiæ hæredes ſe profeſſi ſint.

Animi magnitudine vere Epiſcopali ſcripſit Hincmarus ad Reges Ludovicum & Carolomannum, *pro electione canonica obtinenda*, in Eccleſia Tornacenſi, ſive ut tunc res erant, Noviomenſi. Peracta autem ſecundum Canones electione, cum minus probarent Reges, quod tantum in ea potuiſſet Hincmarus, purgavit ſe apud eos ipſe, præſatus quam prono & propenſo fuiſſet animo in eorum promotionem & conſecrationem: nec diſſimulavit interim, qui eſſent limites Regiæ & Pontificiæ auctoritatis, qui demum & quibus dotati virtutibus ad Epiſcopales ſedes eſſent arceſſendi, quantum ſtudii Reges, operæque ponere deberent in Eccleſiaſticis Regulis ediſcendis; denique quanto ſe obligent piaculo, qui orbitatem protrahunt Eccleſiarum, vel retardatis electionibus, vel ubi factæ fuerint, objectis difficultatum molibus, ne convaleſcant. Audiamus Flodoardum (2): *Idem pro ipſa electione jam facta, quam indigne tulerant, ab ipſo Archiepiſcopo fuiſſe diſpoſitam. Item pro eadem re, oſtendens qualiter in electione eorum conſenſerit, quando electi ſunt ad regni Principatum, & quæ ab eis pro hac electione mandata perceperit: & quale ſit miniſterium regale, & quale Pontificale, & qualis eligendus, vel ordinandus ſit Epiſcopus, & qualis vel qualiter non debeat ordinari, & ut divinas auctoritates addiſcere curent. Item pro eadem re ſacris demonſtrant auctoritatibus, quam graviter in Deum peccarent, qui ordinationem illam tamdiu differre facerent.*

II. Sub impuberibus his duobus Regibus ſedebat ad Regni gubernacula Hugo Abbas. Dedit & ad illum Hincmarus Epiſtolas, ut animaret alumnos Reges (3): *Quatenus voluntatem Dei & Anteceſſorum ſuorum conſuetudinem in hac cauſa conſervarent:* ſanctiſſime affirmans in electione Tornacenſi

(1) Ibid. (2) Flodoard. L. 3. c. 25. (3) Ibid. c. 24.

eaſdem prorſus ſe leges, regulaſque tenuiſſe, quas ab annis jam trigintaquinque ſecutus eſſet: non diutius ergo Regiam conſenſionem ei electioni abnuendam, aut ſuſpendendam eſſe; ſanciri Canonicis inſtitutis, liberæ ut ſint electiones; ut eligantur Epiſcopi non ex Palatinis Clericis, ſed ex Eccleſiæ cujuſque proprio Collegio; non Regum, non Aulicorum, non Regiorum Miniſtrorum teſtimonia canonicis Regulis requiri, ut Eccleſiæ Paſtor ordinetur; ſed Cleri populique eſſe, ut eligant, Metropolitani ut judicet de electione, Principis ut aſſentiatur; & tum demum celebrandam ordinationem: *Et quia ipſe nihil inde aliud egerit, niſi quod per triginta & quinque annos in hujuſmodi negotio ſolitus erat, &c. Adjungens ſacrorum Canonum promulgatas ſuper electione canonica auctoritates, & oſtendens, quod non Epiſcopi de Palatio præcipiantur eligi, ſed de propria qualibet Eccleſia: & quod de ordinando Epiſcopo, non Regis, vel Palatinorum debet eſſe commendatio, ſed Cleri & plebis electio, & Metropolitani in electione dijudicatio, deinde terreni Principis conſenſio, & ſic fieri Epiſcoporum manus impoſitio.*

III. Niſi temporum viciſſitudine vel edacitate interceptæ nobis fuiſſet hæ Hincmari litteræ, ſuppeteret ex iis mira quædam opulentia antiquæ & mediæ purioris Eccleſiarum diſciplinæ; Decretorumque & Conciliorum, quibus Eccleſiarum libertas validiſſime muniretur. Vel ex hoc fruſtulo rem conjectabis. Epiſtola ſcilicet ea eſt ex ipſis Hincmari Opuſculis decerpta, quæ ab illo data eſt ad Ludovicum Balbi filium. Exordium autem ducit ab alia Epiſtola, quæ ab omnibus Concilii cujuſdam Epiſcopis exarata fuerat ad eundem Regem, ut eum hortarentur, quo Archiepiſcopis Epiſcopiſque pleniorem juxta Canones libertatem annueret eligendi Paſtores Eccleſiarum, & ubi eos Cleri populique aſſenſione communiſſent, tum eos ipſi ſiſtendi, ut temporalis Eccleſiæ bona eis conferat, quorum Cuſtos & Defenſor eſt, conſenſuque & diplomate ſuo eos confirmet, ut mox a Metropolitano & Comprovincialibus ordinari poſſint (1): *Litteras direximus, in quibus hæc continentur: Ut ſicut ſacræ leges & regulæ præcipiunt, Archiepiſcopis & Epiſcopis conlimitanearum diœceſeon electionem concedere dignemini, undecunque ſecundum formam regularem electionis, Epiſcopi talem eligant, qui & ſanctæ Eccleſiæ utilis, & regno proficuus, & vobis fidelis ac devotus cooperator exiſtat: & conſentientibus Clero & plebe, eum vobis adducant, ut ſecundum miniſterium veſtrum, res & facultates Eccleſiæ, quas ad defendendum & tuendum vobis Dominus commendavit, ſuæ diſpoſitioni committatis; & cum conſenſu ac litteris eum ad Metropolitanum Epiſcopum & Coepiſcopos Diœceſeos, qui eum ordinare debent, tranſmittatis.*

Ea erant Concilii verba, cujus os & ingenium erat Hincmarus. Quocirca & ejus adgreſſus eſt defenſionem, ubi graviſſimis ab eo verberantur opprobriis, meritiſque convitiis Aulici adulatores, qui Regias aures peſtiferis his imbuebant ſuſurris: Cum licentia eligendi a Regibus poſtulatur, eum quaſi deſponderi eligendum, quem ipſi deſignarint: *Nam ſi quod a quibuſdam dicitur, ut audivi, quando petitam apud vos electionem conceditis, illum debent Epiſcopi, & Clerus ac plebs eligere, quem vos vultis, & quem jubetis: quæ non eſt divinæ legis electio, ſed humanæ poteſtatis extorſio: ſi ita eſt, ut dici a quibuſdam audivi: ille malignus ſpiritus, qui per ſerpentem primos parentes noſtros in paradiſo decepit, & inde illos ejecit, per tales adulatores in aures veſtras hæc ſibilat.*

IV. Subdit infernis ex antris eructatam eſſe tam exitialem doctrinam, Scripturis, Canonicisque & Imperatoriis legibus prorſus inimicam: *Nec in Scripturis, neque in Catholicorum dictis, vel in ſacris Canonibus, vel etiam in legibus a Chriſtianis Imperatoribus vel Regibus promulgatis, hoc ſcriptum vel decretum invenitur, ſed talia dicta infernus evomuit.* Id vero quod ad Leges Imperatorum ſpectat, confirmat ex Lege, ſeu Capitulari Caroli Magni ſupra jam ſæpius commendato, & quod in Capitularium libris legitur: *Sacrorum Canonum non ignari, &c.* (2) Ex quibus id denique infert, non Regis eſſe eligere, ſed aſſentiri electioni per Epiſcopos factæ, qui dignoſcere poſſunt, qui ſint ſacræ dignitati ſuſtinendæ & muniis ejus obeundis idonei, qui abſurdi: *Sicut & leges & regulæ dicunt: in electione Epiſcopi aſſenſio Regis ſit, non electio; in Epiſcoporum vero executione ſit electio, ſicut & ordinatio.*

Regem ibidem obteſtatur Hincmarus, Pro-

(1) Hincmar. t. 2. p. 189.

(2) L. 1. c. 84.

Profeſſionis ut meminerit, cui ſe obſtrinxerit, ſubſcripſeritque inter ipſa inaugurationis Regiæ ſolemnia, utque eam frequenter ſibi perlegi jubeat: ut ne quid moliatur ultra eos limites, quos ſibi ſumſni Reges, ſanctiſſimique Imperatores, avi atavique circumſcripſerunt: *Talia veſtro tempore in ſanctam Eccleſiam introducere non tentetis, qualia magni Imperatores & anteceſſores veſtri ſuis temporibus introducere non præſumpſerunt.*

Certabatur de electione Epiſcopi Bellovacenſis. Contendebat Rex eum confirmandum, in quem *vota omnium concordarent*. Epiſcopi ex adverſo pertendebant, electum ei gerendæ ſarcinæ prorſus imparem eſſe, ejus rei judicium ad ſe ſpectare: quinimmo & devolutam ad ſe eſſe electionem, quod cum Bellovacenſes binas ternaſve continuaſſent electiones Canonibus infeſtas, ex canonicis ſanctionibus excidiſſent jure eligendi: *Perdiderant electionem, ſicut oſtenſum eſt illis in Synodo, & per ſacras regulas, non ulterius illorum, ſed Epiſcoporum eſſe electionem, quam non præire, ſed ſubſequi, &c.* Cum denique conniteretur Rex, ut ea ſaltem vice ſuis votis ſe inflecteret & accommodaret Hincmarus, conſtantiſſime ille reſpondit: Si quid præter ſuam & præter Regiam profeſſionem, ſi adverſus divinas humanaſque leges committeret, fore ut æternum & ipſi ſibi exitium arceſſeret, & eodem Regem implicaret (1): *Etſi vobis conſenſero, ut contra divinas & humanas leges, & contra veſtram & meam, coram pluribus in Synodo Epiſcopis cohibentibus, profeſſionem faciatis, me perdam, & vos non ſalvabo.*

V. Humanius Carolomannus Rex in Aurelianenſem Epiſcopum conſuluit, cui ejuſdem Hugonis Abbatis, aliorumque Conſiliariorum ſuorum, tum ex Clero, tum ex Proceribus ſuaſione conceſſit, ut omnia ejus Eccleſiæ privilegia innovarentur, quæ Normannis omnia populantibus exuſta fuerant: utque integra & incolumis ibi ſervaretur electionum libertas, Pontificum hactenus, & Regum tuitione defenſa (2): *Una cum conſultu venerabilis Hugonis Abbatis, totiuſque Regni noſtri utriuſque ordinis Procerum, &c. Privilegia ſive præcepta in eligendis ſibi Pontificibus, tam auctoritate Apoſtolica, quamque Patrum noſtrorum confirmatione habuiſſe firmata, &c. Exoravit, ut noſtræ auctoritatis præceptum ſuper hoc ſuæ denuo confirmaſſemus Eccleſiæ, atque liberam a noſtra parte licentiam eidem conceſſiſſemus, antiquam auctoritatem more canonico a Sede Apoſtolica impetrandi.*

Duo hic autem obiter notanda. Primum eſt, ita ſibi perſuaſiſſe hunc Epiſcopum, nec conceſſionem, nec confirmationem Eccleſiæ ſuæ privilegiorum a Papa poſtulandam ſibi eſſe, niſi Rex aſſentiretur peti. Alterum eſt, quod hic privilegium dicitur, non eſſe tamen niſi juris communis beneficium. Sed cum Procerum frequentes eſſent in Eccleſiaſticas libertates contumeliæ & incurſiones; his novorum Reſcriptorum præſidiis, quibus plerumque plus tribuitur, quam antiquis, eas vallare & munire optimi quique laborabant Epiſcopi.

VI. Non ſinebat eo ipſo tempore Carolus Craſſus Italiæ Rex, Hieronymum Epiſcopum Lauſanenſem Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem inire. Monuit illum per litteras Joannes VIII. Papa, ejus Epiſcopi & electionem fuiſſe canonicam, & ordinationem, utpote ab Epiſcopis Provinciæ celebratam, quibus eam curam delegarat Metropolitanus, tum gravi ex morbo decumbens (3): *Jam dictum Epiſcopatum Lauſanenſem ſibi divinitus conceſſum, noſtraque Apoſtolica etiam auctoritate commiſſum, ſub omni integritate recipere, habereque ſecuriter permittatis: ne amplius eadem Eccleſia contra ſtatuta Patrum ſine proprio Rectore conſiſtat. Nam regulariter illum electum & proprio Archiepiſcopo cauſa infirmitatis præbente conſenſum, & Epiſcopo conſecratore illius, litteris quas nobis oſtendit, rogante, conſecratum fuiſſe agnoſcimus.*

Cum Optandus electus fuiſſet de licentia Caroli Craſſi Imperatoris Epiſcopus Genevenſis, hortatorias ad Genevenſes idem Pontifex ſcripſit Epiſtolas eidem ut morigeros ſe præberent: *Præcognito veſtrum omnium in eodem Optando electione, & qualiter idem ſereniſſimus Imperator eidem Eccleſiæ electionem perenniter de proprio Clero donaverat, &c.* Advertе hic porro ut ex Pontificia Epiſtola hac Carolus Craſſus Imperator Eccleſiam Genevenſem eo exornaſſet privilegio, ut Epiſcopum ſemper ſuum e proprio eligeret gremio: *Electionem perenniter de proprio Clero donaverat.* Non ergo ex privilegio annuebant Eccleſiis Principes eligendi libertatem, ſed eligendi ex *proprio Clero,*

(1) Ib. p. 294. (2) Spicil. t. 2. p. 294. (3) Conc. Gall. t. 3. p. 500. 518.

ro, non expectatis, non suscipiendis unquam, qui e Palatio ordinandi mitterentur: quanquam id sibi quasi ex jure arrogarent Principes, etsi & ex indulgentia quandoque Episcopi eis obsequerentur, & servirent tempori, quo ampliora inde in Ecclesiam ornamenta aliquando rediret.

Id quoque præcipiebant Canones, ut ex cujusque Ecclesiæ Clero Episcopus deligeretur. Sed non ea erat horum Canonum antiquitas, nec tam religiosa eorum observatio, ut non & illis sæpissime ipsæ sua sponte Ecclesiæ derogarent, & Episcopos sibi alunde accirent. Itaque multo minus Reges iis Canonibus se obligatos existimabant, quibus & ipsæ minus parerent Ecclesiæ. Inde erat quod & Episcopi citra assentationem in his Regibus pleramque assentirentur, si modo ab iis illi e Palatio mitterentur ordinandi Episcopi, quorum virtutes & insignes dotes & Regiæ responderent benevolentiæ, & amplitudinem Episcopalem non dedecorarent, ad quam non sine Cleri populique assensione promovebantur. Nec illa Capitularium lex, qua Carolus Magnus & Ludovicus Pius libertatem restitutam voluerunt electionum, aliud concedebat, quam ut Episcopus ubique e Clero Ecclesiæ, & e propria Diœcesi eligeretur (1): *Assensum ordini Ecclesiastico præbemus, ut scilicet Episcopi per electionem Cleri & populi secundum statuta Canonum de propria Diœcesi eligantur.*

Nec dubitandum, quin ubi Reges *electionem canonicam* in perpetuum alicui concedebant Ecclesiæ; eam facultatem ejurarent, exuerentque, mittendi quos vellent Episcopos e Palatio suo. Id genus fuit privilegium, quo idem Carolus Crassus Ecclesiam Cabilonensem donavit: *Ut obeunte Pastore proprio, omni deinceps tempore canonicam habeat electionem.* His munitæ privilegiis Ecclesiæ nihilominus *receptæ* morem gerebant consuetudini, mouendi Regis de obitu sui Pastoris, & impetrandæ licentiæ novi deligendi. Adversus eos tantum qui e Palatio immitterentur Episcopos septæ & armatæ erant ab ipsis Regibus.

VII. Carolum Simplicem Regem interpellarunt Tungrenses, ut Richerium sibi daret Episcopum, quem elegissent in locum Hilduini usurpatoris (2): *Omnes tam Clerici, quam Laici, addentes in precibus, ut illis ad ordinandum daremus Pontificem Richerium, quem concorditer elegerunt.* Castigavit acerbissime Herimannum Colonien-sem Archiepiscopum Joannes X. quod Hilduinum ordinasset, qui electus non fuerat, nec a Rege donatus Episcopatu, a quo solo potuerat eo donari: *Cum Hilduinus canonicis sibi obviantibus regulis, absque Clericorum electione & Laicorum acclamatione, Episcopali insula decorare non denegasti, cum prisca consuetudo vigeat, qualiter nullus alicui Clerico Episcopatum conferre debeat nisi Rex, cui dominatui sceptra collata sunt.* Culpæ autem vertitur quod renuerit Richerium ordinare, quem Clerus populusque elegerat, quod ipsius etiam Caroli Regis & Berengarii Imperatoris testimonio confirmabatur: *Quia Richerius, ut Caroli Regis testimonium perhibet, & Berengarii Imperatoris litteræ testantur, primitus a Clero electus, & a populo expetitus est.* Ex quo id efficitur, ubi Rex Episcopatus dabat, eo confirmatam, non explosam fuisse electionem. Unde subjicit mox Pontifex, velle se, ut Carolus Rex Majorum suorum augustissimorum jura & privilegia retineat omnia in confirmandis electionibus: *Et sicut priores tuos Antecessores, nostrorum Antecessorum auctoritatem, Episcopum per unamquanque Parochiam ordinare probabiliter statutum est, ita ut Rex Carolus faciat confirmando jubemus.* Quod confirmat datis ad ipsum etiam Regem literis: *Eo quod prisca consuetudo & Regni nobilitas censuit, ut nullus Episcopum ordinare debuisset, absque Regis jussione.*

VIII. Fulconi Archiepiscopo Remensi crimini vertit Formosus Papa, quod Presbyterum Bertharium Catalaunensem Episcopum non ordinasset, cum a Clero & plebe electus fuisset, & electionem Rex Odo assensu suo confirmasset (3): *Scribit Archiepiscopo pro Berthario, quem Clerus & plebs Ecclesiæ Catalaunensis consensu Regis Odonis ad Episcopatum dicebatur elegisse, succensens quod hunc vocatum Canonicum noluerit consecrare.* Simile veri est Fulconem eas criminationes diluisse apud Stephanum Formosi successorem cui & exposuit totam anteactæ vitæ suæ rationem, & ipsa Episcopatus sui primordia: Se enimvero sacris Literis a pueritia innutritum, & in Aula Caroli Calvi, Ludovici Balbi, & Carolomanni

(1) L. 1. c. 84.
(2) Conc. Gall. t. 5. p. 575. 576. 577.
(3) Flodoard. L. 4. c. 3. 4.

Digitized by Google

ri inſtitutum : ſub Carolomanno tandem a Clero & plebe Remenſi expetitum ſe ad Metropolitanam eam Sedem fuiſſe : *Adnectens ſimpliciter, ut ab ipſis pene cunabulis educatus canonicis fuerit diſciplinis, donec a gloriosa Rege Carolo Imperatoris Ludovici filio, in Palatinis ac domeſticis ejus ſit aſſumptus obſequiis. Sicque in aula Palatii perſeverans uſque ad tempora Carolomanni Regis, Ludovici Junioris filii, nepotis ejuſdem Caroli; quando a ſanctis Remenſis Provinciæ Epiſcopis, necnon a Clero & plebe hujus electus ſit, & Epiſcopus ordinatus.* Quo exemplo perſpicis, qui in Aula & Palatio Regum ætatem agerent etiam ab infantia, eos ſacris nihilominus & canonicis diſciplinis operam dediſſe : & qui e Palatio Regum prodibant, canonica tamen electione ſacras non raro infulas conſecutos eſſe.

IX. Idque luculente declaratur alia ejuſdem Fulconis Archiepiſcopi ad Odonem Regem Epiſtola, qua obteſtatur ut Eccleſiæ Laudunenſi liberam permittat electionem, nec populis invitis & renitentibus Paſtorem obtrudat (1) : *Odoni Regi litteras dirigens rogat, pro concedenda Eccleſiæ Laudunenſi, poſt deceſſum Didonis Epiſcopi electione libera ; oſtendens non oportere violenter eos, ad eum quem nolint ſuſcipiendum, compelli.*

Liquidum eſt ergo, ſi quos e Palatio ſuo Clericos Rex averet Epiſcopos deligi, non tamen vim adferre Eccleſiæ debuiſſe, cui ea erat poteſtas, id officium, ut eos examinaret, abnueretque quos indignos comperiſſet. Denique ubi idoneus erat, quem Princeps innuerat immiſeratque, tum ei Clerum & plebem acquieſcere, hoc ipſum jam eligere erat, cum diſſentire & abjicere potuiſſent.

X. At tyrannica prorſus ea vis fuit, cum Herebertus Comes Clerum, populum, Epiſcopos, Regem, Papam eo adegit, ut eligerent confirmarentque in Archiepiſcopum Remenſem Hugonem filium ſuum, annos vix quinque natum : *Tractans ſuper electione, tam Clericos, quam Laicos ad voluntatem ſuam intendere facit.* Nimirum reformidatum eſt tunc ne a prædonibus aliis compluribus expilaretur Eccleſia Remenſis : itaque conſultius viſum eſt uni acquieſcere deprædatori, qui ceteros compeſceret omnes (2) : *Sequentes igitur conſilium ejus, ne forte per exteneas perſonas Epiſcopatus divideretur, eligunt filium ipſius, qui nec adhuc quinquennii tempus expleſſet.* Quamprimum autem repreſſa eſt Hereberti Comitis tyrannica vis & inſania. Rodolphus Rex, qui non potuerat non vel ſimulate Hugonis electioni aſſentiri, canonice Artholdum eligi fecit : *Rodolphus Rex litteras Remis mittit ad Clerum & populum pro electione Præſulis celebranda, &c.* Quod & Artholdus ipſe in Concilio Ingelheimenſi anno 948. teſtatum fecit : *Admonet Rex Clerum & populum de Paſtoris electione, dans eis id agendi facultatem, ad Dei honorem, & ſui fidelitatem. Sic concordantibus cunctis, tam Clericis, quam Laicis, eligitur humilitatis noſtræ perſona.*

XI. Quanquam ergo tunc ingruerent undique & ſæviret bella, Canonum tamen vox & auctoritas in honore erat : cumque majeſtas Gallicanorum Regum ab inſolentiſſimis undique Tyrannis inceſſeretur, colebatur tamen illa religioſiſſime ab Eccleſia, quæ præter eorum voluntatem nullos ſibi Epiſcopos præfici patiebatur. In Concilio Remenſi anni 975. excommunicatione innodatus eſt Theobaldus Epiſcopus, quod ſe tyrannice in Sedem Ambianenſem injuſſu Regis intruſiſſet : *Convenerunt medici, qui morbos tuos optime noverint, tyrannicam ſcilicet vim quæ inſulatus es contra regium velle.* Præerat ei Concilium Stephanus Benedicti VII. Papæ Legatus, cum Adalberone Remenſi Archiepiſcopo. Hic ille eſt Adalbero, qui in alia quadam Epiſtola id laudi ſibi ducebat, id vendicabat, quod a Deo & a Rege Epiſcopatu eſſet donatus : *Quondam mihi Epiſcopio gratia Dei & benignitate Regia contradito.*

XII. Ingenue fatemur, cum cuſtodiam & tuitionem profiterentur Reges penes ſe eſſe omnium Eccleſiæ bonorum temporalium ; non potuiſſe electos Epiſcopos non aſſenſu & beneficio eorum Epiſcopatus ipſos adire, & poſſeſſionem eorum capeſſere. Id forſan ſonant illa Adalberonis verba : *Epiſcopio mihi benignitate Regia contradito.* Id apertius ſignificant illa Hincmari verba (3) : *Quia Princeps terræ res Eccleſiaſticas divino judicio tuendas & defenſandas ſuſcepit, conſenſu ejus, electione Cleri ac plebis, & approbatione Epiſcoporum Provinciæ, quiſque ad Eccleſiaſticum regimen provehi debet.* Sed neceſſaria illa Regis contenſio, & Epiſcopatus donum, ſeu collatio temporalium, nihil officiebat electioni liberæ prius peta-

(1) lb. l. 4. c. 5. (2) lb. c. 20. 24. 35. (3) Du-Cheſne t. 2. p. 489.

peractæ : ſiquid autem præterea auderent Miniſtri Regii, injuria ea erat Canonum, quæ deteſtationi deinceps eſſet, non imitationi. Ejuſmodi fuit nominatio ejus qui Rabano ſuffectus eſt Archiepiſcopo Moguntino, ubi Annales Fuldenſes ajunt plus momenti fuiſſe in Rege & Conſiliariis ejus, quam in Cleri & plebis ſuffragiis (1): *Cui ſucceſſit Karlus, magis ex voluntate Regis & Conſiliariorum ejus, quam ex conſenſu & electione Cleri & populi.* Nec vero ea res animadverſa eſſet ab horum compilatore Annalium, niſi præter uſum receptiſſimum uſurpata tunc fuiſſet.

XIII. Finem faciet huic Capiti Florus Diaconus & Doctor Eccleſiæ Lugdunenſis, qui hæc obſervavit circa neceſſitatem Regii conſenſus ad electiones Epiſcopales. In his certe nec ſobriam audaciam deſideres, nec prudentiam ſingulari fiducia & fortitudine muniam. Docet ergo ille ex Apoſtolica traditione in ſolius Cleri populique ſuffragatione poſitas primo fuiſſe electiones : *Quem communis Cleri & plebis conſenſus elegerit.* Prioribus ſæculis conſenſum Principis ne potuiſſe quidem expeti : *Præfuiſſe Antiſtites abſque ullo conſultu mundanæ poteſtatis, a temporibus Apoſtolorum, & poſtea per annos fere quadringentos.*

Ubi Chriſtianis Myſteriis initiati fuere Imperatores, Eccleſiæ primævam illam electionum libertatem ſoſpitem conſtitiſſe in pleriſque ſaltem Provinciis : cum ne fieri quidem poſſet, ut admoneretur Imperator, utque aſſenſus ejus expectaretur, quoties obiſſet Epiſcopus, eique ſublegendus eſſet ſucceſſor, per Europæ, Aſiæ, Africæ Provincias omnes Chriſtianas, etiam remotiſſimas (2) : *Ex quo Chriſtiani Principes eſſe cœperunt, eandem in Epiſcoporum ordinationibus Eccleſiaſticam libertatem ex parte maxima permanſiſſe, manifeſta ratio declarat. Neque enim fieri potuit, cum unus Imperator orbis terræ Monarchiam obtineret, ut ex omnibus latiſſimis mundi partibus, Aſiæ videlicet, Europæ & Africæ, omnes qui ordinandi erant Epiſcopi, ad ejus cognitionem deducerentur.*

Peculiaria geſta B. Martini Turonenſis, Eucherii Lugdunenſis, aliorumque, palam id prodere, injuſſu Principum terrenorum celebratas tum fuiſſe electiones ; eo adhuc ævo Romanos Præſules eligi ſolere, nullo interveniente Principe ſæculari : quin & Provincias omnes Romani Præſulis temporali mancipatas ditioni, eadem immunitate gaudere : *Sed & in Romana Eccleſia uſque in præſentem diem, cernimus abſque interrogatione Principis, ſolo diſpoſitionis judicio, & fidelium ſuffragio, legitime Præſules conſecrari : qui etiam omnium regionum & civitatum quæ illis ſubjectæ ſunt juxta antiquum morem, eadem libertate ordinant, atque conſtituunt Sacerdotes :* Non illaudata tamen conſuetudine in quibuſdam Provinciis ad alendam individuam Sacerdotii & Regni pacem atque concordiam inoleviſſe, & conſtanter retineri, ut conſenſus Principum requiratur : *Quod vero in quibuſdam Regnis poſtea conſuetudo obtinuit, ut conſultu Principis fieret ordinatio Epiſcopalis, valet utique ad cumulum fraternitatis, propter pacem & concordiam mundanæ poteſtatis, non tamen ad complendam veritatem vel auctoritatem ſacræ ordinationis.* Ex quo & illud emergit, ſequi, non præire debere Principis conſenſum.

CAPUT XXIV. *P. 3. l. 2. c. 28.*

De libertate electionum in Germania, Anglia, Italia, temporibus Caroli Magni, ejuſque in Imperio & Regno ſucceſſorum.

I. Eadem viguit in Germania ſuffragiorum Cleri, plebis & Epiſcoporum concordia cum auctoritate Principum in electionibus.

II. Potiſſimum vero imperantibus Ottonibus. De electionibus in Anglia.

III. In Italia libertati electionum Romani ſuffragabantur Pontifices, quanquam in illis & Pontificum & Imperatorum conſenſus requireretur.

IV. Nova argumenta neceſſarii hujus conſenſus Pontificum, Imperatorum vel Regum Italiæ.

V. Temporalia hi quoque Reges occuparant Epiſcopatuum vacantium bona : ex quo neceſſitas illa exiſtebat eorum conſenſionis.

VI. Unde neceſſitas conſenſus Romanorum Pontificum.

I. PErluſtrandæ nobis ſuperſunt electiones Germaniæ, Italiæ, Romæ, Græciæque, ut in his explorata fiat eadem libe-

(1) Ib. p. 559. (2) Opuſculum Flor. poſt oper. Agobard.

libertatis canonicæ concordia cum interventione Principum, qui iis ſe quadam ex parte inſerebant. Et Germania quidem cum pareret tunc Gallis Regibus & Imperatoribus, non poterat non illa Gallicanæ obſequi & ſervire Eccleſiarum diſciplinæ. Itaque cum Tricaſſina Synodus anno 867. ad Nicolaum Papam ſcripſit, Ebbonem Epiſcopatu Remenſi in Gallia ſpoliatum, a Ludovico Germaniæ Rege Hildesheimenſi donatum fuiſſe in Provincia Moguntina (1): *Largitione Ludovici Regis Epiſcopium vacans obtinuit*; rem ita capies, ut Rex approbata electione, tum Epiſcopatum conceſſerit. Et ſane in Concilio Colonienſi anni 887. perhibetur a Clero Mindenſi electus in Epiſcopum fuiſſe Drogo Presbyter, & a Concilii Epiſcopis inauguratus. Scriptor quoque vitæ ſancti Hereberti Archiepiſcopi Colonienſis (2), narrat ut Cancellarium ille prius egerit Otthonis III. Imperatoris, a quo invitatus ſit, ut Presbyteratu initiaretur; cumque non multo poſt vacante Colonienſi Eccleſia, non poſſet Clerus in ſuam ſententiam Plebem adducere, ut Præpoſito ejuſdem Eccleſiæ ſuffragaretur, ipſemet tandem Præpoſitus eligendum oſtendit Herebertum, cui confeſtim acceſſit Cleri populique *una omnium vox, una voluntas*. In Italia tunc verſabatur Imperator, qui mox ut ejus electionis certior factus eſt, impenſas egit Deo gratias, quod tacitis animi ſui votis obſecundaſſent Cleri populique ſuffragia, anno 998. *Ubi Colonienſium adfuit Legatio, viri complures honorati, tam de Clero, quam de populo, cum quibuſdam de Principibus terræ maximis, electionem coram deprompſerunt perſona talis. Tunc vehementer exhilaratus Imperator prudenti conſilio civitatis grates non minimas egit, quia quod ipſe optabat, quodque optimum ſibi videbatur, hoc ipſi quoque ſentirent, & eligerent uno eodemque ſecum ſpiritu*. Ambitioſos omnes Epiſcopatus Ratiſponenſis candidatos prius ablegarat, & ſpe fruſtraverat Ottho II. ut ſanctiſſimum virum Volfangum promoveret, cui incunctanter Cleri populique ſtudia aſpirarunt (3): *Cum Legatis Imperatoris profecti ſunt Ratiſponam, ubi Clerus & Populus, ut Imperator petebat, more Eccleſiaſtico ſanctum Volfangum unanimiter elegerunt, electumque cum Imperatoriis nuntiis ad ejus Aulam dimiſerunt*.

II. Germani ergo imitatores Caroli Magni pietatis fuere Otthones Imperatores, ideoque & incorrupti Eccleſiaſticæ in electionibus libertatis vindices. Id novo hoc firmabitur exemplo. Erat Meinvercus Regio ſanguine nobilis, eumque Ottho III. Capellanorum ſuorum collegio inſcripſit: *Regia ſtirpe genitus evocatur ad Palatium, & Regius Capellanus efficitur*. Regebat tunc Paterbornenſem Eccleſiam ſanctiſſimus Pontifex Rethardus, qui ab Otthonibus II. & III. confirmari pervicit privilegium Eccleſiæ ſuæ olim indultum a Carolo Calvo, & a Pontifice Romano, ut electiones a Clericis urbis fierent, & de ipſo urbis Clero Epiſcopi deligerentur (4): *Electionem quoque Epiſcoporum, inter ejuſdem & ab ejus Eccleſiæ filiis faciendam quam eis diverſi Reges diverſis temporibus liberaliter conceſſerunt, &c.* Poſt ejus Epiſcopi obitum Henricus Rex conſilio Epiſcoporum & Procerum Curiæ nominavit Meinvercum, quem ſtatim commoneſecit, ea de cauſa illum a ſe eligi, quod cum opibus affluaret, ſponſam tenuem inopemque ducere ex officio caritatis deberet. Ejus unius paupertatis contemplatione aſſenſus eſt Meinvercus, ut qui virtutibus etiam quam terrenis opibus inſtructior & locupletior eſſet, & Epiſcopatum ne ſpe quidem unquam, vel cogitatione præſumpſiſſet: *Adſcitis Epiſcopis & Principibus qui aderant, de ſucceſſore tali loco & tempore idoneo conſilium habuit, & diu ſcrutatis perſpectiſque plurimis, Meinvercum, &c.* Mirum illud hic accidit, qua tandem ratione prius confirmato libertatis electionum jure & privilegio, Meinvercus a Rege nominatus ſit, accituſque ad ſacras inſulas, Clero & plebe inconſultis. Verum pluribus iam exemplis proditum eſt, Cleri & plebis ſuffragia præſtiſſe ſæpiſſime, etſi ſilentio premantur. Nec vero ſinit nos Henrici hujus Regis pietas ſingularis, qua & ad Imperium mox adſcitus eſt, dubitare, quin tenaciſſimus fuerit, obſervandarum Eccleſiaſticæ diſciplinæ regularum, in rebus iis, quæ tantum haberent momenti ad Eccleſiæ & Reipublicæ ſalutem.

Nec aliter, ut reor, res ſe habebant in

(1) Conc. Gall t. 3. p. 356. Flodoard. l. 2. c. ult.
(2) Surius die 19. Mart. c. 5.
(3) Surius die 31. Oct. c. 11.
(4) Surius die 5. Jun. c. 7.

Anglia. Memorat enim VVillelmus Malmesburienſis, tum demum Cantuarienſis Eccleſiæ ſarcinam ſubiiſſe Odonem, ubi ſenſit Epiſcopos cum Rege in eam rem conſpirare; aſſenſum tunc extorquente voce populi, & confeſſionem, quod ea vox quoque ſit Dei (1): *Sed cum Regiæ voluntati Epiſcoporum omnium aſſenſus accederet, tandem vix Præpoſiti ſui rigore edomito, in communem perrexit ſententiam, recogitans illud proverbium: Vox populi, vox Dei.* Non potuiſſet conſenſionem Regis & Epiſcoporum Odo vocem populi interpretari, niſi Regis & Epiſcoporum ſuffragiis vota Cleri plebiſque præluſiſſent.

Nec ab eo more abhorret electio ſancti Dunſtani in eandem Sedem. Non ceſſit ille importunis Edgari Regis precibus, niſi ubi illis invicta quædam vis addita eſt Epiſcoporum conſenſione: *Regis Edgari ambitur precibus, ut Sedem primariam dignaretur ſanctitatis ſuæ induſtria. Sed ipſe non ſemel ſurdis auribus rogantem differens, tandem concordi omnium Epiſcoporum aſſenſu preſſus manus dedit.* Non quidem his vocibus excluduntur Cleri & plebis ſuffragia, aut vota; ſed longe plurimum momenti ponitur in Epiſcopis & Regibus ad electiones Epiſcopales. Attingemus & infra aliquid rurſus de Angliæ electionibus capite XXVII. n. XIII.

III. Venio ad electiones Italiæ Epiſcoporum, quibus illibatæ præ ceteris libertatis gloria ex eo vindicatur, quod Apoſtolicæ eſſent Sedi propiores, cui potiſſima incumbit cura & ſollicitudo libertatum Eccleſiæ. Jam ſemel iterumque diximus, Hadrianum I. id Carolo Magno profeſſum eſſe, nunquam interveniſſe ſe electionibus Canonicis; conſecrari a ſe, quem Clerus populuſque delegiſſet, præmiſſo examine ſcrupuloſo; denique auctorem fuiſſe Carolo, ut idem ipſe ſequeretur (2): *Qualis a Clero & Plebe cunctoque populo electus canonice fuerit, illum ordinamus.* Confirmavit eidem Carolo Hadrianus, nec a ſe, nec a Pipino Rege delegatos unquam fuiſſe Apocriſiarios, ſeu Miſſos, qui intereſſent electioni Epiſcopi Ravennatis, ut quæ liberis ſemper fuiſſet permiſſa Clericorum & laicorum ſuffragiis ejus Eccleſiæ (3): *Nos neque a prædeceſſoribus noſtris, neque a genitore noſtro Pipino Rege, neque a veſtra in triumphis regali victoria, Miſſum ad electionem Ravennæ directum eſſe meminimus. Sed Clerus & populus, &c. talem ſibi eligerent Paſtorem, &c.*

In Concilio Romano ſub Stephano IV. poſtquam abdicatus & ejectus fuit Conſtantinus Antipapa; poſtquam gradu dejecti ſunt Epiſcopi omnes, quos ordinaverat: conſtitutum eſt, ut ſi Clerus rurſum & populus eos eligeret, Epiſcopalibus eos ſedibus Pontifex redintegraret (4): *Et ſi placabiles fuiſſent coram populo civitatis ſuæ, denuo facto decreto electionis more ſolito cum Clero & plebe, ad Apoſtolicam adveniſſent Sedem, benedictionis ſuſciperent conſecrationem.* Et mox: *Electi denuo a Clero & plebe, facto-que decreto, ab eodem Papa conſecrati ſunt.* In Concilio autem Romano Nicolaus I. Archiepiſcopo Ravennati præcepit, ne quos poſthac ordinaret Epiſcopos, niſi a Duce, Clero & populo electos: *Item ſancimus, ut in Epiſcopos per Æmiliam non conſecres niſi poſt electionem Ducis, Cleri, & populi, per Epiſtolam Apoſtolicæ Sedis Præſulis acceperis eos conſecrandi poteſtatem.*

IV. Neceſſarius erat ipſius Papæ conſenſus, ut Provinciæ ſuæ Epiſcopum canonice electum ordinare poſſet Archiepiſcopus Ravennæ. Liquet id quidem ex hoc Nicolai I. Decreto & Synodi Romanæ. Eadem lex vigebat & in Epiſcopis Provinciæ Mediolanenſis: poſt electionem Cleri & populi, deſiderabatur adhuc confirmatio Papæ & Regis, ut tum demum poſſent a Metropolitano Mediolanenſi ordinari. Id nos edocet Epiſtola Joannis VIII. ad Archiepiſcopum Mediolanenſem ſuper ordinatione Epiſcopi Aſtenſis (5): *Actidit ut Aſtenſis Eccleſiæ Paſtore proprio obeunte, permiſſu Caroli glorioſi Regis, idem Joſeph poſt electionem Cleri & populi expectationem, in eadem Eccleſia deberet ordinari Epiſcopus. Tua fraternitas tam noſtræ abſolutione, quam etiam ipſius Regis exhortata monitionibus, hoc libenter admiſit, & canonica jura complere conata eſt.* Scripſit idem Papa ad Clerum, Senatum, populumque Ravennatem (6), quo eos excitaret ad canonicam Epiſcopi electionem: *Sacerdotibus & Senatui, populoque Ravennati fidelibus noſtris.* Cum vacaret Vercellenſis Eccleſia, & deſperata jam eſſet populi ſecum conflictantis concordia, Epiſcopum nominavit ipſe Pontifex (7), juxta

(1) De geſt. Pon. Angl. L. 1. p. 200. 201. (2) Conc. Gal. t. 2. p. 96. (3) Ib. p. 110.
(4) Anaſt. Biblioth. in Steph. IV. (5) Ep. 260. (6) Ep. 305. (7) Ep. 272.

juxta Canonicas inter hæc impacata diſſidia ſanctiones, Regemque Carolomannum oravit, ut in poſſeſſionem illum mitteret Epiſcopatus. Diaconus is erat, cum Papæ, tum Regi fidei vinculo obligatus: *Rogamus ut Epiſcopatum huic Diacono, communi fideli noſtro ac veſtro tribuatis.*

Cum abdicatus depoſituſque fuiſſet Anſpertus Mediolanenſis Archiepiſcopus in Concilio Romano, ſcripſit Pontifex ad Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos & omnem Clerum Mediolanenſem, ut convocarent populum, Præſulemque ſibi eligerent, delegatis eodem tempore Epiſcopis Papienſi & Ariminenſi, qui vice Sedis Apoſtolicæ præeſſent electioni (1): *Omnibus Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & omni Clero S. Eccleſ. Mediol. &c. Jubemus, ut convocantes populum civitatis, de electione alterius, qui de Cardinalibus Presbyteris aut Diaconibus dignior fuerit repertus, ad Archiepiſcopatus honorem promoveatis, &c. Sane fratres & Coepiſcopos Ticinenſem & Ariminenſem illuc vice noſtra dirigimus, qui vobiſcum pariter eandem electionem faciant.* Prope abeſt a vero Carolomanni Regis tum Italiæ aſſenſum quoque præſtitutum eſſe, etſi non expreſſum ſit. Idem enim ipſe Pontifex ut Vercellenſes cives cogeret Conſperto aſſentiri, quem ipſe nominaverat, ſignificavit eis Carolomannum Regem ex Majorum ſuorum more, Regum & Imperatorum, dono ei hunc Epiſcopatum dediſſe (2): *Carolomannus glorioſus Rex iſtius Italici regni Vercellenſem Epiſcopatum, more prædeceſſorum ſuorum Regum & Imperatorum, conceſſit huic Conſperto, præſentibus Miſſis noſtris.* Dictum eſt jam a nobis, non ante vel Pontificem, vel Regem eum Epiſcopatum donaſſe, quam inexpiabiles diſſenſiones electionis ſpem excuſſiſſent.

V. Elucet autem ſplendidiſſime Pontificum & Regum Italiæ poteſtas circa Epiſcoporum electiones, in provectione Ratherii ad Epiſcopatum Veronenſem. Tam enixe a Pontifice rogatus & interpellatus eſt Rex, ut non potuerit ille non acquieſcere, quamvis longe diverſum aliquid ipſe moliretur (3): *Allatæ ſunt litteræ Papæ Joannis, quibus continebantur preces ejuſdem totiuſque Romanæ Eccleſiæ, uti ego Veronenſibus darer Epiſcopus. Diſplicuit hoc non parum Regi, contraria molienti: ſed obtinuit deprecatio Apoſtolica, inſtante cum primoribus regni domino meo.*

Ut vero in Gallia tanto certius donabantur a Regibus Epiſcopatus, quod ipſimet vacantis cujuſque Eccleſiæ bonorum temporalium cuſtodiam ſibi & tuitionem ſumpſiſſent; ſimillimus vigebat & in Italia uſus. Affirmat enim Ratherius, etſi jam admiſſus eſſet ad Epiſcopatum Veronenſem, res tamen ejus temporales a Rege ſibi non niſi minima ex parte reſtitutas eſſe; quin & voluiſſe eum, ut ſacramento ſeſe aſtringeret, nec ab ipſo, nec a filio ejus amplius quidquam expeticurum. Conſtantiſſime quidem Ratherius ſeu ſacramentum, ſeu promiſſum deteſtabile abnuit: ſed ira exæſtuans Rex in carcerem illum detruſit: *Miſit ergo in pitaciolo certam quantitatem ſtipendii, quod tenerem de rebus Eccleſiæ, de ceteris exigens juſjurandum, ut diebus illius filiique ſui amplius non requirerem. Ego intelligens, quanta abſurditas hoc conſequeretur, non conſenſi, &c. Nactus eſt, cepit me, retruſit in cuſtodiam, &c.* Uſque adeo perturbatæ tum erant res Italiæ, ut oreberrimæ undique ſtreperent hæ graſſationes. Ex iis autem quæ tam perverſe machinabantur Canonum & pietatis adverſarii, nihil exprimi poteſt, quod ad canonicam valeat diſciplinam illuſtrandam.

VI. Sed inde manifeſte patet, exulaſſe tum ab Italia priſcam illam & eximiam canonicarum electionum libertatem, cui ſupra Hadrianus Papa, cui Florus Magiſter ſuo ævo gratulabatur. Jam enim etiam in Italia neceſſarius erat Regum aſſenſus, interveniebat & conſenſus Pontificum: quamquam ſuffragia Cleri, Nobilium & Plebis adhuc rogarentur. Conſenſio certe Pontificum multo antiquior erat quam Regum in Italia: cum ſupra Hadrianus I. Nicolaus I. Joannes VIII. ut alios ipſos faciam, illud commendarint, non potuiſſe injuſſu Romani Præſulis conſecrari a Metropolitanis Ravennæ & Mediolani ſuæ cujuſque Provinciæ Epiſcopos. Prope abeſt a vero ea fuiſſe velut reſidua quædam veſtigia veteris diſciplinæ; cum a Papa plerique Italiæ Epiſcopi ordinarentur, ut ex Canone VI. Nicæno ſupra declaratum eſt. Aut certe Primatum & Exarchorum quorundam ea erat prærogativa, ut Metropolitanos ſuæ

(1) Ep. 221. (2) Ep. 223. (3) Spicil. t. 2. p. 274.

ditionis omnes ordinarent, ſuffraganeos eorum ab ipſis ordinari ſinerent, non ſine ſuo conſenſu. Sed de ea re ſupra uberius.

CAPUT XXV. *P. 3. l. 2. c. 29.*

Variæ viciſſitudines libertatis electionum Romæ ſub Imperio Caroli Magni & ejus ſtirpis.

I. Electiones contexuntur Romanorum Pontificum, collatis ſuffragiis Cleri, Senatus, Populi, nullis adhuc ſe Principibus interponentibus.

II. Variis argumentis efficitur, nec Carolum Magnum, nec Ludovicum Pium id arrogaſſe ſibi, ut electi Pontifices Romani ab ipſis ante confirmarentur, quam ordinari poſſent.

III. Dubia contrarii uſus exordia.

IV. Multa in id tentata, nec in præteritis quidquam reliquere Pontifices, ut ejus ſervitutis nodos effugerent.

V. Negari non poteſt, quin Ludovici Pii ſucceſſores id aliquando juris arripuerint.

VI. Præſentia Miſſorum Dominicorum, ſeu Legatorum Imperatorum in electione Pontificis paci & concordiæ plurimum conducebat.

VII. Eam conſuetudinem redintegrarunt Ottones, atque una pacem electionibus invexere.

VIII. Variæ vices hujus conſuetudinis.

IX. Imperatores hi electionem Pontificum nullo ſoluto cenſu confirmarunt.

I. UT unitatis, ita & libertatis ab Eccleſia Romana fons ſemper manavit. Summa ergo ibi libertas electionum. Poſt Zachariæ obitum Stephanus II. a populo electus eſt: *Stephanum Presbyterum ad Pontificatus ordinem cunctus populus ſibi elegit:* ut habet liber Pontificalis Anaſtaſio Bibliothecario tributus. Poſt Stephani exceſſum Paulum quoque populus elegit: *Populi Congregatio eum in Pontificatus culmen elegerunt.* Idem ipſum per litteras Pipino Regi Paulus ſignificavit, & interea Miſſos ejus Romam appuliſſe, non tamen electioni interfuiſſe memorat (1): *In Apoſtolatus ordinem a cunctis populorum caterva mea infelicitas electa eſt. Et dum hæc agerentur, convenit Romam Chriſtianiſſimæ Excellentiæ tuæ Miſſus.* Poſt exceſſum Pauli Toto Nepeſinus Dux in Romanam civitatem irrupit, (2) & germanum ſuum Conſtantinum eligi extorſit. Sed ſpectatiſſimi quique Romæ Optimates, Antipapæ tandem pertæſi, Deſiderium Longobardorum Regem interpellarunt, acceptoque ab eo exercitu Romam occuparunt, eaque potiti, Clerum, Exercitum, Populum convocarunt, atque electione libera & Canonica Stephanum IV. Throno Pontificio invexere (3): *Chriſtophorus Primicerius aggregans Sacerdotes ac Primates Cleri & Optimates militiæ, atque univerſum exercitum & cives honeſtos, omniſque populi Romani cœtum, a magno uſque ad parvum, pertractantes pariter concordaverunt una voce, &c.* Stephano ſucceſſit Hadrianus I. ſucceſſoremque habuit Leonem III. qui conſonantibus & ipſe votis electus eſt, Cleri, Nobilium, & Populi Romani: *Una concordia, eademque voluntate a cunctis Sacerdotibus, ſeu Proceribus, & omni Clero, necnon & Optimatibus, vel cuncto Populo Romano electus eſt.*

II. Antequam ultra progrediar, duo quædam adnotare juvat. Alterum eſt, a ſchiſmate Antipapæ Conſtantini, hiſtoriam hanc Pontificalem, vitas Pontificum complexam, accuratius commemorare unanimem ſuffragationem Cardinalium, qui *Proceres & Primates Cleri* vocantur, reliqui item Cleri, Senatus & Magnatum urbis, denique totius populi. Simillimum eſt veri, ne in eoſdem ſchiſmatum ſcopulos rurſum Eccleſia illideretur, cautiones quaſdam adhibitas eſſe diligentiores.

Alterum vero eſt, cum hæc Leonis III. electio ſimillima prorſus ſit earum quæ hactenus celebratæ fuerant, in eo argumenti ſatis eſſe ad refellendam commentitiam illam Hadriani Papæ conceſſionem, qua Carolum Magnum donarit jure eligendi Romani Pontificis, & Præſules Eccleſiæ ceteros inveſtiendi. Eam jam exploſimus fabellam in diſceptandis electionibus ſub Carolo Magno. Sed & apertiſſime ea confutatur ab ipſa Romanarum Papæ electionum narratione hiſtorica. Poſtquam vita migravit Leo III. Stephanus V. *a populo Romano eſt electus*, ut habet Pontificalis hiſtoria. Addit Theganus Stephanum, ſtatim atque electus eſt, expreſſiſſe Sacramentum fidelitatis ab omni Populo Romano, nomine Ludovici Pii Imperatoris. Imperato-

res

(1) Conc. Gall. t. 2. p. 401. (2) Pag. 767. (3) Anaſt. Bibl. in vita Steph. IV.

res enim, iidemque tum Galliæ Reges, Romanæ Civitatis principatum & dominium integrum ſibi ſervaverant : *Juſſit omnem Populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico*. Ita ille, nec plura. Itaque non immerito vacillat eorum fides, quæ adduntur ab Auctore vitæ Ludovici, quem Ademarum Monachum ſuſpicantur fuiſſe : nimirum quod is Pontifex ante ſuum in Galliam adventum, *præmiſit Legationem, quæ ſuper ordinatione ejus Imperatori ſatisfaceret*. Niſi eo tantum ſpectaret ea Legatio, ut Imperatorem certiorem faceret ſuæ electionis, ſicut a priſcis Pontificibus Romanis factitatum ſemper fuerat erga Imperatores, Reges, Patriarchas.

III. Stephano V. ſucceſſit Paſchalis I. libera & unanimi electione : *Una voluntate a cunctis Sacerdotibus, ſeu Proceribus, ſeu omni Clero, necnon & Optimatibus, vel cuncto Populo Romano in Sedem Apoſtolicam Pontifex elevatus eſt*. Quo uno fictitium evincitur Decretum Stephani V. a Gratiano relatum (1), quo ſtatuerit ne ordinari poſſet electus Papa, niſi aſtantibus Imperatoriis Legatis. Refellitur denuo id commentum Conſtitutione ipſius Ludovici Pii, promulgata eodem ipſo anno Pontificatus Stephani (2) & promotionis Paſchalis. Ea porro ſancit Imperator, ut electio Romani Præſulis, ſimiliter & conſecratio gaudeat pleniſſima libertate ; at conſecratus novus Pontifex ad Reges noſtros eoſdemque Imperatores Legatos mittat, qui antiquiſſimam innovent confirmentque pacem Gallicani Imperii cum Eccleſia Romana, illibatam hactenus & inconcuſſam a temporibus Caroli Martelli, Pipini, & Caroli Magni (3): *Quem omnes Romani uno conſilio atque concordia in Pontificatus ordinem elegerint, more canonico conſecrari. Et cum conſecratus fuerit, Legati ad nos, vel ad ſucceſſores noſtros Reges Francorum dirigantur, qui inter nos & illum caritatem & pacem ſocient, ſicut temporibus Caroli atavi noſtri, ſive Pipini avi, vel Caroli Imperatoris conſuetudo erat faciendi*.

Vita migrante Paſchali electus eſt Eugenius II. *a Romanis cunctis*. Eugenio ſucceſſit Valentinus, cujus in electione Cardinales, Epiſcopi, Senatus, Populuſque ſpecialiter memorantur : *Collectis in unum Epiſcopis, & glorioſis Romanorum Proceribus, & cuncto populo*. (4) Gregorius IV. ſucceſſit Valentino, perhibetque Eginardus dilatam fuiſſe ejus ordinationem, donec Romam perveniſſet Legatus Ludovici Imperatoris, & electionem a Populo factam examinaſſet (5) : *Gregorius electus, ſed non prius ordinatus eſt, quam Legatus Imperatoris Romam veniret, & electionem populi examinaret*. Idem habet Auctor vitæ ejuſdem Imperatoris : *Gregorius electus eſt, dilata conſecratione ejus uſque ad conſulium Imperatoris ; quo annuente, & electionem Cleri & populi probante, ordinatus eſt*.

Gregorio ſucceſſit Sergius, cujus reſcita ordinatione Lotharius Imperator filius Ludovici Pii Ludovicum filium Romam ablegavit cum Drogone Metenſi Epiſcopo, ut ne poſthac electi Pontifices ordinarentur, niſi ante perrexiſſent Romam Legati Imperatorii, & electionem approbaſſent. Sic enim ferunt Annales Bertiniani (6) : *Sergius ſubſtituitur, quo in Sede Apoſtolica ordinato, Lotharius filium ſuum Ludovicum Romam cum Drogone Mediomatricorum Epiſcopo dirigit, acturos ne deincept decedente Apoſtolico, quiſquam illic, præter ſui juſſionem, Miſſorumque ſuorum præſentiam ordinetur Antiſtes. Qui Romam venientes honorifice ſuſcepti ſunt, peractoque negotio, &c.*

IV. Eſt omnino quod ſuſpicamur, cum Ludovico Pio prius & Apoſtolicæ Sedi ita convenitſet, ut nonniſi poſt conſecrationem Pontificis mitterentur Roma, qui in Galliis firmarent ſempiterna concordiæ Sacerdotii & Imperii fœdera : eundem poſtea Pium, Lothariumque Imperatorem ejus filium conſecrationem Pontificis electi retardaſſe, dum miſſis Legatis electionem ejus excuſſiſſent probaſſentque. Ea quidem poteſtate utebantur Galliæ Reges in electionibus Epiſcoporum Regni, & eo ævo Romana ipſa civitas eorum dominationi ſubjiciebatur. Verum præterquam quod ei juri renuntiaſſe videbatur Ludovicus Pius, cum ea poteſtate non uterentur Galli Reges in Epiſcopatus Italiæ, qua in Gallicanos, indubium eſt multo majori obſervantia eos coluiſſe Romanam Eccleſiam. Unde nec Anaſtaſius Bibliothecarius in eorum vitis Pontificum quidquam eorum commemorat, quæ apud Ademarum & Annales Ber-

(1) D. 63. c. 29. (2) Ann. 817.
(3) Conc. Gall. t. 2. p. 449. Grat. d. 63. C. Ego Ludovicus. (4) Ann. 827.
(5) Du Cheſne t. 2. p. 305. (6) Du Cheſne t. 3. p. 209

Bertinianos leguntur ; nec Ado Viennenſis in Chronico . Et Anaſtaſius enim & Ado conſentiunt, eo tantum pertinuiſſe iter Romanum Ludovici Lotharii filii, ut Imperatoria corona cingeretur . Non temere ergo conjicimus ex eadem errorum ſcatebra , Chronico nempe Sigeberti , commentum hoc totum derivatum eſſe in Bertinianos , & in Eginardi Annales , & in vitam Ludovici Pii. Et ſane vir doctiſſimus Florus, & cui plus habendum ſit fidei , quam his omnibus , in eo Fragmento , quod Operibus Agobardi inſertum eſt , conceptis verbis pronuntiat ſuo etiam tum ævo Pontifices Romanos & eligi & ordinari , nullo Principum terrenorum interveniente. Atqui ſub Carolo Calvo ætatem agebat Florus . Quæ ergo de Gregorio IV. & de Sergio II. commenti ſunt , vere commentitia ea ſunt omnia. Audiendus omnino Florus : *Sed & in Romana Eccleſia uſque in præſentem diem cernimus abſque interrogatione Principis Pontifices conſecrari.*

Nec abhorret a veriſimilitudine, tentata eſſe multa, ut eidem neceſſitati ſubjicerentur Romani Pontifices, cui ſerviebant Eccleſiæ Galliarum. Confitetur Anaſtaſius ipſemet Bibliothecarius in vita Leonis IV. eo electo Romanos auſos aliquando non fuiſſe illum ordinare ſine Imperatorum conſenſu; nec ordinaſſe eo nondum impetrato , niſi extremæ neceſſitatis ineluctabili telo adactos , ut ſeſe adverſus Saracenos munirent, aliosque hoſtes undique imminentes: *Romani novi electione Pontificis gaudentes , cœperunt iterum non mediocriter contriſtari, eo quod ſine Imperiali non audebant auctoritate futurum conſecrare Pontificem ; periculum Romanæ urbis maxime metuebant , ne iterum ut olim aliis ab hoſtibus fuiſſet obſeſſa . Hoc timore & futuro caſu perterriti , eum ſine permiſſu Principis Præſulem conſecraverunt , &c.*

Fateri ſane cogimur permagna eſſe in hoc uno teſtimonio Anaſtaſii momenta ; eoque pene uno, ſi vel maxime ei accedant Annales Eginardi , elevari poſſe quæ in contrarium diſputata ſunt omnia . Sed & regeri illud poteſt ex adverſo, prætentata magis tunc hæc fuiſſe, & viciſſim alternata , quam ut certa dici poſſint fuiſſe decreta, & in uſum perpetuum recepta. Cum vel maxime ipſemet Leo IV. Papa de re tota hac cum Imperatoribus tandem pepigerit, & hanc totam ſervitutem ab eis relaxari atque aboleri pervicerit . Ea porro Leonis IV. & Imperatorum fœdera apud Gratianum referuntur his expreſſa verbis (1) : *Item Leo IV. Lothario & Ludovico Auguſtis : Inter nos & vos pacti ſerie ſtatutum eſt & confirmatum , quod electio & conſecratio futuri Pontificis Romani nonniſi juſte & canonice fieri debeat* . Nec multum diſſimilis fuit is conatus, quo tentavit Lotharius Romanos legibus ſubjicere Capitularium, (1) ut in Legibus Longobardicis perhibetur. Aſſenſus erat & ipſe Leo IV. ut liquet ex ejus Decreto apud Gratianum . Sed hujus ipſius tandem Pontificis interpellatione eam Conſtitutionem revocavit Lotharius, quod revocationis diploma intexuit etiam Decreto ſuo Gratianus (3) . Eo reſtituitur Romanis uſus & libertas Romanarum Legum.

V. Ceterum concordia illa Leonis IV. Papæ cum Imperatoribus Lothario & Ludovico, non uſque adeo conſtat : aut non ita ſaltem fixa certaque eſt ejus interpretatio a nobis prolata paulo ante, ut non poſſit etiam jure in controverſiam trahi. Etenim Anaſtaſius Bibliothecarius narrans (4) electionem Benedicti III. in locum Leonis IV. cui ipſemet interfuit , affirmat priſtinam conſuetudinem eſſe ſervatam , ut differetur ordinatio , donec ad Imperatores mitteretur decretum electionis : *Clerus & cuncti proceres Decretum componentes , propriis manibus roboraverunt , & conſuetudo priſca ut poſcit , invictiſſimis Lothario & Ludovico deſtinaverunt Auguſtis* . Qui ad deferendum id decretum delegati fuerant , ſubornati cum fuiſſent, ſubornaſſentque tum ipſi Miſſos Imperatorios , Romam reduces Presbyterum Cardinalem Anaſtaſium curarunt eligi Pontificem, Benedicto in carcerem truſo. Verum Epiſcopi, Clerus & Populus univerſus Romanus facto agmine ſchiſmaticos hos omnes exturbarunt, & Imperatorios adegerunt Legatos , ut ſuæ Benedictum reſtituerent ſedi.

Nicolaus I. *præſente Cæſare coronatus eſt*, anno 850. Poſt Nicolaum Hadrianus II. electus eſt, *collectis omnibus tam Epiſcopis cum univerſo Clero , quam Primoribus Urbis, cum obſecundantibus ſibi populis* , &c. In Urbe tunc degebant Legati Ludovici Impera-

(1) D. 63. c. 31.
(2) Leg. Longob. L. 3. Tom. 35.
(3) D. 10. c. 9. 13.
(4. Ann. 855.

peratoris, eiſque vehementer doluit, quod ad electionem nec invitati fuiſſent. Sed cum ingenue fatererentur Romani, non juſtæ quidquam Imperatorum obſervantiæ decerptum ſe voluiſſe; ſed reformidaſſe, ne novæ januæ panderetur conſuetudini, Legatorum Regiorum in electiones inducendorum: acquievere Legati, & novum Pontificem ſolemni more venerati ſunt, cujus electionis decreto accepto, Imperator adgratulatus eſt, eamque Imperatoria Epiſtola confirmavit (1): *Miſſi Principir accepta ratione, quod non Auguſti cauſa contemptus, ſed futuri temporis hoc omiſſum fuerit omnino proſpectu, ne videlicet Legatos Principum in electione Romanorum Præſulum mos expectandi per hujuſmodi fomitem inoleſceret, omnem mentis ſuæ indignationem medullitus ſedavere, & ad ſalutandum electum etiam ipſi humiliter acceſſere, &c. Ludovicus Imperator cognoſcens qualiter decretum fuit ſubſcriptionibus roboraverant, valde gaviſus eſt, &c. Imperialem ſcribens Epiſtolam, &c.* Hactenus ex hiſtoria Pontificali.

VI. Quæ deinceps celebratæ ſunt electiones & ordinationes Pontificum Romanorum, eæ tum Legatis Imperatoriis, tum Imperatoribus ipſis inconſultis peractæ ſunt. In iis vero ita perſæpe turbatum, ita tumultuatum eſt, ut compulſus ſit Joannes IX. in Concilio Romano, anno 904. decernere, ut ne poſthac fieret Romani electio Antiſtitis, niſi publice ab Epiſcopis & Clero, Senatu & Populo, & ne conſecraretur electus, niſi aſſantibus Legatis Imperatorum. Promenda ſunt ipſa Decreti verba, quo apertiſſimum eſt, neceſſaria tum & ſalubri diſpenſatione ſanciari ſinendam fuiſſe graviori illo vulnere canonicam electionum libertatem, ne locus eſſet tumultuoſis illis & eruentis factionibus, quæ Eccleſiam deturpabant, & quæ electiones tandem ipſas extinxiſſent: *Quia ſancta Romana Eccleſia plurimas patitur violentias, Pontifice obeunte: qua ob hoc inferuntur, quia abſque Imperatoris notitia, & ſuorum Legatorum præſentia, Pontificis fit conſecratio; nec canonico ritu & conſuetudine ab Imperatore directi interſunt Nuntii, qui violentiam & ſcandala in ejus conſecratione non permittant fieri. Volumus, ut id deinceps abdicetur, & conſtituendus Pontifex convenientibus Epiſcopis & univerſo Clero eligatur, expetente Senatu & populo: qui ordinandus eſt, ſic in conſpectu omnium celeberrime electus ab omnibus, præſentibus Legatis Imperialibus conſecretur.*

Hoc porro ex Decreto patet, 1. Non ad electionem, ſed ad ordinationem tantum admiſſos fuiſſe Imperatorios Oratores. 2. Nec admiſſos fuiſſe, niſi prævertendis diſſenſionibus & graſſationibus: *Qui violentiam & ſcandala in ejus conſecratione non permittant fieri.* 3. Morem advocandi Imperatoris Legatos ad Pontificis ordinationem jam tum habitum fuiſſe pro *canonico ritu & conſuetudine.* 4. Permitum eſſe, quod is uſus, quem tandiu Pontifices exhorruerant, & tam anxie amoliri enixi fuerant, ut ſupra narravimus, longo annorum lapſu, rerumque ſtupenda viciſſitudine, tantæ utilitatis, tantæ neceſſitatis evaſerit, ut in Legem canonicam cooptatus ſit. Uſque adeo certum eſt, leges, moreſque, quibus ex diſpenſatione auctoritas accedit, tam cupide amplexari Eccleſiam, ubi neceſſitas incubuit, quam anxie prius averſabatur.

VII. Et eo quidem ævo optatiſſimum fuiſſet, ut ei Decreto religioſius obtemperatum eſſet. Eo enim excuſſa eſſet ab Eccleſiæ Romanæ cervicibus fœdiſſima & exitialis quædam vis complurium Tyrannorum, graſſatorumque, qui compeſci conterique non ante potuere, quam Otto I. Imperator Romæ rerum potiretur, anno 962. vel 963. Commemorat Luitprandus, ut in urbem admiſſus ille ſit tandem, eique præſtito ſacramento, receperint in ſe Romani, nec electionem, nec ordinationem Papæ poſthac celebratum iri, niſi ex ejus, filiique ejus Ottonis II. conſenſu (2): *Cives ſanctum Imperatorem cum ſuis omnibus in urbem ſuſcipiunt, fidelitatem repromittunt, hæc addentes, & firmiter jurantes, nunquam ſe Papam electuros, aut ordinaturos, præter conſenſum atque electionem domni Imperatoris, Ottonis Cæſaris Auguſti, filiique ipſius Regis Ottonis.*

Cum primum Otto Romam prius venerat, facileſque in eam aditus nactus, Imperatorio diademate redimitus fuerat: eo, ut ferunt, excitatus fuerat, ut novo Edicto confirmaret antiquiſſimas Imperatorum donationes Eccleſiæ Romanæ factas, idque inſuper addetet, ut eligerentur poſthac & ordinarentur Pontifices Romani, non expectato Imperatorum aſſenſu, vel adventu Legatorum. Hæc Baronius in Annalibus, qui-

(1) Grat. d. 63. c. 29.

(2) L. 6. c. 6.

quibus & ipſam inſerit Otthonis donationem, ubi ea clauſula attexitur. Verum ea tum donatio, tum maxime clauſula ei intexta, tot vexatur difficultatibus, ut vehementer diffidam tam dubio fundamento committi quidquam poſſe, quod fixum ac ratum ſit. Silet enimvero de ea re Luitprandus, ſilent Regino & Flodoardus, ejus ævi Scriptores. Ecquid erat autem, quo adduceretur Imperator id jus, eum morem relaxare, ex quo tantum ornamenti in Imperium, tantum compendii in Eccleſiam redundaret: immo tantæ tunc neceſſitatis, ut ſubduceretur Eccleſia Romana jugo pudendo tot latrunculorum, a quibus jamdudum laucinabatur? Poſtremo quid cauſæ fuit, cur nullas exprimeret rationes revocandi retractandique hujus beneficii, cum poſtea, ut jam diximus, in Concilio Romano priſcum innovavit privilegium Imperatorum in electionibus Pontificum?

Expeditiſſimum ergo fuerit amplecti narrationem Luitprandi, & ei nos committere. Subditur vero ab eodem, cum Imperator Romæ Leonem VIII. eligi feciſſet, eo inde profecto Romanos Benedictum V. ſibi Pontificem delegiſſe. Tum rediſſe Otthonem, reſtitutum ab eo Leonem, exauctoratum Benedictum, a quo expreſſa ea confeſſio eſt, depoſitioni Joannis XII. & Leonis VIII. creationi ſuffragatum ſe eſſe: juraſſe quin etiam cum Romanis ceteris omnibus, nec electioni cujuſquam Pontificis, nec conſecrationi ſe unquam aſſenſurum, niſi Otthone, filioque ejus prius aſſenſo: *Num inficiari potes, præſenti domno Imperatori juramento promiſiſſe, nunquam te cum ceteris Romanis Papam electurum, aut ordinaturum, abſque illius filiique ſui Regis Otthonis conſenſu?*

Nec diſſimulabo meminiſſe Gratianum ejus Otthonis I. conceſſionis, quam modo exploſimus: immo & parenti etiam ejus Henrico I. eam tribui. Sed nemo neſcius eſt, quam frequenter vacillet fides Gratiani. Eodem porro loco proferi Gratianus (1) Conſtitutionem Leonis VIII. & Concilii ſub eo Romani anno 964. quam eodem anno ſuppoſititiam contendit Baronius. Baronio valide reſiſtitur ab illuſtriſſimo Petro De Marca, qui eam bonæ notæ eſſe declarat, evincitque non aliud complecti, quam quod Luitprandus ait conceſſum juratumque fuiſſe Otthoni I. a Romanis.

Reponi autem contra poſſet ea Leonis Conſtitutione concedi Otthonis ſucceſſoribus omnibus, quod Romani non annuerant, auctore Luitprando, niſi Otthoni I. & filio ejus; concedi jus prorſus idem in alios Epiſcopatus, eorumque adeo inveſtitura, de quo Luitprandus & Romani verbum fecerant nullum. Itaque tam periclitatur fides hujus Conceſſionis Leonis, quam Hadriani, cui inſtitit.

VIII. Ex antedictis vero illud exiſtit, tota ex Caroli Magni proſapia Imperatoria ſolos Lotharium & Ludovicum ejus filium eam extorſiſſe teſtificationem ſubjectæ Imperio ſuo Romanæ Civitatis: ut ne citra eorum aſſenſum fierent Romanorum Præſulum ordinationes, quanquam de electionum libertate nihil prorſus deliberetur. De eo uſu confirmandæ ante ordinationem electionis altum deinceps ſilentium uſque ad Joannem IX. quando eum reſtitui curarunt ipſimet jam purioris diſciplinæ amatores. Ea interruptio autem non improbabiliter ex eo orta conjectatur, quod Carolus Calvus, ut Imperatoriam coronam præriperet iis qui Ludovico nupero Imperatori propiores erant carnis cognatione, Joanni VIII. pactus ſit dominium urbis Romæ in Romanam Eccleſiam transferre. Hoc ergo ille dominio Urbis ceſſit Pontifici, & quod inde naſcebatur, hoc ejuravit jus confirmandæ electionis Pontificiæ. In eum ſenſum interpretandus eſt Eutropius Presbyter (2): *Removit etiam ab eis regias Legationes, aſſiduitatem vel præſentiam Apoſtolicæ electionis.*

Sed quantumcunque connixus eſſet Joannes IX. ut vim & graſſationes ab electionibus arceret, interpoſita auctoritate Imperatorum: fractum adeo & debilitatum fuit Imperium ipſum, uſque ad auſpicatiſſima exordia Otthonis I. & Pontifices ipſi in retinendo Romæ dominio uſque adeo laborarunt, ut nuſquam major colluvies & rerum omnium perturbatio fuerit, in principe omnium ſanctiſſimaque Eccleſia Romana. Lucem & libertatem non minus Eccleſiæ, quam Reipublicæ Romanæ & Imperio retulit Otthonum exortus. Audivimus a Luitprando, quid Otthoni I. quid II. juratum ſit. Quidquid autem tunc conceſſum fuit poteſtatis, non is fuit Ottho III. qui elabi ſibi pateretur; quandoquidem ubi Romam venit, Brunonem cognatum ſuum

(1) Grat. d. 65. c. 32. D. 63. n. 22. 23. 32.

(2) Baluz. Notæ in Grat. p. 467.

Digitized by Google

ſnum in Sede Apoſtolica ſedentem invenit, aut ejectum reſtituit, obtruncato Creſcentio, qui eum ſpoliaverat.

IX. Ceterum ea laude nec Otthones frandandi ſunt, nec poſteri Caroli Magni, qui integrum ſibi ſervari voluere jus confirmandæ electionis Papæ, quod ea poteſtate gratis ſuncti ſint, nullo pecuniæ cenſu perſoluto. Quo videri potuere, illo potiſſimum conſilio & fructu eam ſibi poteſtatem ſervaſſe, ut ſimoniæ peſtem ab electione & conſecratione Pontificum propulſarent. Qua quidem in re longo poſt ſe intervallo reliquerunt, non dicam Reges Italiæ, ſed Juſtinianum, Mauritium, & tot Imperatores alios, qui non tam liberaliter, non tam humane Romanam Eccleſiam tractaverant. Accipe verba Epiſtolæ Ludovici II. Imperatoris ad conſecrationem Hadriani II. *Per Epiſtolam innotuit, nulli quidquam præmii fore, pro conſecratione Romani Pontificis, quoquo modo pollicendum, &c. Maxime cum reddi, quæ ablata fuerant, non auferri a Romana Eccleſia, vel deperire quidquam ſe diceret anhelare.* Vide quod refert Baronius ad annum 867. num 145.

CAPUT XXVI. *P. 3. l. 2. c. 30.*

Libertas Electionum in Oriente per eadem ſæcula Imperii Caroli Magni.

I. In Oriente interveniebant Imperatores electioni Patriarcharum Conſtantinopolis, ubi Epiſcopi, Clerus, populus gaudebant ſuffragiorum libertate. Exponitur Canon Concilii VII. Oecumenici.

II. Canones Concilii VIII. de electionibus elucidantur.

III. IV. Non eſſe labefactatam in hoc Concilio poteſtatem quam hactenus explicuerant Imperatores in electionibus. Varia exempla earum electionum.

V. Primus omnium impius Nicephorus Imperator dominari ſe voluit in electionibus omnium Epiſcoporum. Diploma ejus revocatur.

VI. Vel illæ, quæ Saracenorum oppreſſæ jugo gemebant Eccleſia, hujus electionum libertatis imaginem retinebant.

VII. Tempore Balſamonis, Epiſcopi ternos eligebant, e quibus unum deligebat Metropolitanus.

VIII. Non tam antiqua ab origine is uſus derivabatur, quam exiſtimavit Balſamon.

I. EXcutiendæ ſuperſunt nobis Orientis electiones, & illa in eis pulcherrima primum exploranda concordia eſt Imperatorum & Epiſcoporum, Cleri & Populi ad Epiſcopos Eccleſiis vacantibus donandos. Perlecta eſt in Concilio VII. Generali Epiſtola, qua Taraſius Conſtantinopolitanus Patriarcha pro more Majorum in exordio ſui Pontificatus Patriarchas omnes ſalutavit. Non diſſimulabat ex laicorum ſe grege ad Pontificalem ſedem protruſum eſſe ea vi, quam ſibi attulerunt Imperatores, Epiſcopi & Clerici (1): *In Cathedram Pontificalem hortatu valido ab orthodoxis Imperatoribus, atque ſanctiſſimis Epiſcopis, ſeu Clericis, in me violenter effecto evexit me Dominus.* In eodem tamen Concilio (2) damnatæ ſunt electiones, quæ temporalium Principum auctoritate fiunt, innovato etiam Canone Apoſtolico adverſus eos, qui terrenorum Principum favore graſſantur ad Epiſcopales ſedes; ſtatutumque ibidem eſt, ut electiones fierent ab Epiſcopis, conſentanee Nicæno Canoni, qui omnes prorſus Provinciæ Epiſcopos concurrere jubet ad electiones & ordinationem novorum Paſtorum: *Omnis electio a Principibus facta Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi, irrita maneat, ſecundum regulam quæ dicit: Si quis Epiſcopus ſecularibus poteſtatibus uſus, Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur. Oportet enim, ut qui promovendus eſt in Epiſcopum, ab Epiſcopis eligatur; quemadmodum a ſanctis Patribus, qui apud Nicæam convenerunt, definitum eſt, &c.*

Ut ergo Nicæni I. Concilii Canone ita Epiſcopis adſignabatur ſumma electionum poteſtas, ut Cleri populique nihilominus momenti aliquid haberent ſuffragia, quorum tamen omnium arbitri & judices eſſent Epiſcopi. Non aliter Nicænæ II. Synodi Canone ſupra laudato, ita conſtitutur Epiſcoporum quidam auctoritatis apex, ut nec Clero tamen & populo ſua excutiantur ſuffragia, nec Principibus temporalibus quidquid modeſtæ & legitimæ hactenus uſurpaverant poteſtatis. Summa ergo tantum hic auctoritas Epiſcopis vindicatur, ut electionibus dominentur, non conterendo, ſed moderando, regendoque libero ſuffragiorum jure conſenſuque Cleri, Populi, Principumque.

(1) Act. 3. Synodi VII.

(2) Can. 3.

que. Non ergo hic proſcribuntur, niſi electiones ex, ubi Principum auctoritas Epiſcopali præpolleret, quam utique præeſſe par eſt. Alioqui inureretur hoc Canone Patronatus Laicus, qui longe antiquiſſimus tamen eſt, & altiſſimas in utraque Eccleſia radices egit. Ut ergo eo Canone non veratur, quin Presbyteri Diaconique promoveantur a Principibus in Eccleſiis ſui Patronatus, propterea quod Epiſcopi ſemper ſii examinare præſentatos, & pro meritis eos vel inſtituere, vel procul amandare: ita nec prohibetur, ne Epiſcoporum electionibus, quos ipſi maxime elegerunt Epiſcopi, Principes ſuo certe conſenſu interveniant.

II. Permagna his fiet luminis acceſſio ex Seſſione VI. Concilii VIII. Generalis, ubi probatur non potuiſſe Photium in numero Epiſcoporum haberi, cum una eademque tyrannica vis & Ignatium Patriarchali throno excuſſerit, & Photium eo intruſerit, nulla interpoſita Epiſcoporum auctoritate, niſi ſi qui fuerint, in quos eadem vis ſævierit. Cum ex adverſo Ambroſius, Nectarius, Taraſius, Nicephorus, ad Epiſcoparum acciri ſint, nulla vi allata per Imperatoriam poteſtatem: *Beatum Nectarium Synodus univerſalis & ſancti Patriarchæ diverſi, & elegerunt, & promoverunt Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum, nullo modo Imperatore cogente illos, ſed neque quempiam viventem ab hujuſmodi Cathedra manus Imperialis tyrannice pepulit, & tunc provectus eſt Nectarius. Pari modo Taraſius a Paulo, qui propter orthodoxam fidem ſequeſtratus eſt a throno Conſtantinopoleos, & teſtimonio approbatus eſt & promotus, eo illum dignum eſſe tali throno aſſeverante, & omnibus propugnatoribus pietatis. Poſt dormitationem Taraſii Nicephorus Patriarcha ſynodice electus & conſecratus eſt, ſponte ac voluntarie collectis Epiſcopis, &c.* Ea eſt germana Canonis Concilii II. Nicæni interpretatio: ex ſunt electiones vere canonicæ, ex violentæ ex Principum impotentia, atque adeo irritæ.

Nec minus perſpicui in eandem rem ſunt Canones ipſius Concilii VIII. Oecumenici. Neophyti ſacris ſummoventur dignitatibus, maxime ſi qua vis a Principe fiat (1). *Magis autem coercemus hujuſmodi, ſi ab Imperatoria dignitate ad hoc compellantur*, Promotiones omnes, ubi Epiſcopis vis illata fuerit ab Imperatoria poteſtate, caſſæ & irritæ pronuntiantur (2): *Apoſtolicis & Synodicis Canonibus, promotiones & conſecrationes Epiſcoporum, potentia, & præceptione Principum factas, penitus interdicentibus, concordantes definimus, & ſententiam nos quoque proferimus, ut ſi quis Epiſcopus, per verſutiam, vel tyrannidem Principum, hujuſmodi dignitatis conſecrationem ſuſceperit, deponatur omnimodis, &c.* Denique prohibet hæc Synodus electionibus Epiſcoporum Imperatores palam intereſſe, ne eorum præſentia paci officiat, vel Epiſcoporum libertati, qui electionibus moderari debeant (3). *Promotiones, atque conſecrationes Epiſcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione ac decreto Epiſcoporum Collegii fieri, ſancta hæc & univerſalis Synodus definit, ac ſtatuit, atque jure promulgat neminem laicorum Principum, vel potentum ſemet inferere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitani, aut cujuslibet Epiſcopi, ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confuſio, vel contentio.* Atqui in exemplorum hactenus prolatorum tanta farragine, nuſquam ipſi electionibus affuere Principes: eorum aſſenſu, ut fierent, opus fuit: eorum confirmatione, ut ſemel factæ convaleſcerent, factum eſt; nuſquam adhibita eorum præſentia. Si interfuerint eorum Delegati, id plerumque ipſi flagitarunt Epiſcopi, quo pax & tranquillitas confirmaretur: quod ne in hoc quidem Concilio improbatum eſt. Quinimmo ab illo copia fit laicis, ut præſto ſint electionibus, ſi ad eas ab Epiſcopis invitentur, quo una collaborent ad idoneos Paſtores deligendos (4): *Si vero quis laicorum ad concertandum & cooperandum ab Eccleſia invitatur, licet hujuſmodi cum reverentia, ſi forte voluerit, obtemperare ſe aſciſcentibus. Talitet enim ſibi dignum Paſtorem regulariter ad Eccleſiæ ſuæ ſalutem promoveat.*

III. Hujus Concilii Patribus media quædam terenda erat orbita, & æquabilis temperamenti mediocritas retinenda, Imperatori in electionibus ne totum darent, ne totum auferrent; cum incumberet eis approbanda Ignatii in Patriarcham electio, Photii detelſtanda. Quanquam enim non eadem adhibita vi Ignatii electionem Imperatores extorſiſſent, qua Photii, eam tamen interpoſuerant auctoritatem, ex qua ad-

(1) Can. 5. (2) Can. 12. (3) Can. 22. (4) Ibidem.

adverſarii Ignatii, ejus calumniis ſuis exagitandæ anſam arripuerant. Nicetas vitæ Ignatii ſcriptor, Imperatricem ipſam ait ſollicitari voluiſſe Joannicium Monachum tunc ſanctiſſimum, antequam Epiſcoporum Collegium & populus Ignatii electionem molirentur: *Antiſtitum auctoritate & ſententia honore ſacro dignissimus judicatus &c. Cum ante omnium Epiſcoporum & populi ſententias Imperatrix ad Joannicium Anachoretam conſultum miſiſſet, &c.* Nec multo poſt idem ipſe agens de criminationibus, quibus exagitatus eſt Ignatius: *Triceſimum Canonem Apoſtolorum ſubjiciunt: Si quis Epiſcopus ſæcularibus uſus, per ipſos Eccleſiam obtineat, deponatur, &c.* Et mox rurſus: *Quis ignorat, Ignatium Epiſcoporum omnium calculis & totius populi applauſu legitime canoniceque creatum fuiſſe?* Presbyter & Syncellus Michael, qui Encomium Ignatii exaravit, inter Synodi VIII. Præliminares Tractatus conjectum, affirmat Imperatricem coacto Epiſcoporum Concilio, Senatu & Clero, Ignatium Patriarcham declaraſſe: *Beatiſſimo Methodio ſolium vitamque relinquente, Theodora pia Auguſta celebrato Patrum Concilio, præſente quoque Senatu, & univerſo Clero, Ignatium Patriarcham dicit.* Certum eſt ergo conſpiraſſe Imperatoriam poteſtatem cum Epiſcopis, Senatu & Clero, ad creationem Ignatii Patriarchæ, ac proinde eum uſum proſcribi & damnari non potuiſſe a Concilio VIII. ubi de obtrectatoribus ſuis clariſſimum egit Ignatius triumphum. Ignatii prædeceſſor Methodius propoſitus fuerat ab Imperatrice, & tum ab Epiſcopis, Monachis Laicisque approbatus, auctore Cedreno (1): *Imperatrix Methodium introducit, omnibus piis Sacerdotibus, Laicis, Monachis ejus deſignationem approbantibus.*

Quando migrante terris Taraſio, novus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præſtituendus fuit Patriarcha (2), miſit Imperator, qui percontarentur Abbates quoſque ſanctitatis fama celeberrimos, in primis vero Platonem, illum Theodoro Studita diſcipulo nobilem: *Quæſitum eſt & Patris noſtri ſuffragium, non ſolum ab his qui Sacerdotio inſignes erant, ſed ab ipſo Imperatore.* Cum Plato autem, tum Theodorus vehementer refragati ſunt ei, quæ tum facta eſt electioni Nicephori, quod is inter laicos tunc degeret adhuc: ſed Imperatoris, populi & Epiſcoporum conſenſio pervicit: *Creatur Patriarcha totius Populi, Imperatoris & Sacerdotum ſuffragiis*: ut habet Cedrenus. Electionis ſuæ vitium purgavit, & ſanctorum ſuorum excuſavit incogitantiam Nicephori pietas, & religioſiſſima Eccleſiæ adminiſtratio. Nec ulla ratione electus fuit Antonius cognomento Cauleos ſuffragiis Monachorum, Epiſcoporum & Senatus, quibus acceſſit & Imperatoris confirmatio: *Suffragia univerſi cœtus Pontificum & Sacerdotum, & eorum qui vitam agebant Monaſticam, & ipſius quoque Senatus ad dignum Eccleſiæ ſponſum ferebantur. Hoc videns Imperator, confirmavit electionem.*

IV. Non ſatis comperi, an Leo Imperator deportato Photio Stephanum Syncellum fratrem ſuum Patriarchali donans Regiæ ejuſdem urbis ſede, eidem ſe moderationi ſummæ poteſtatis accommodaverit, Clerique & Populi ſuffragiis rem totam commiſerit. Huic Stephano ſucceſſor datus Antonius ille Cauleos, de quo paulo ante dixi, & cujus in locum ſuocedens Nicolaus in ipſum Imperatorem Leonem dirum contorſit anathema, quod quartam duxiſſet uxorem, præter Eccleſiæ Græcæ vetuſtiſſimam conſuetudinem, & præter ſuas ipſius leges. Cum Nicolai frangere aut emollire conſtantiam fruſtra tentaſſet Leo, eo ejecto Euthymium Syncellum in ſedem ejus ſubrogavit, ea quidem amplitudine dignum, ſed ſanctiori dignandum electione. Ideo forſan & cœleſtibus monitis impulſus eſt, ut vocanti non tam Principi quam Deo obſequeretur, teſte Cedreno (3): *Quem ferunt cum id munus detrectaret, divina pateſactione ad id ſuſcipiendum impulſum fuiſſe.* Et ubi tamen poſtea Leoni fratri in Imperium ſucceſſit Alexander, revocato in priſtinam ſedem Nicolao, Euthymium exauctorari fecit in Silentio, hoc eſt in Concilio; atque ita ejectus Euthymius nullo non contumeliarum genere divexatus eſt.

V. Ne veri quidem ſpeciem habet, ut in ejuſmodi Patriarchatum ſubrogationibus Canonum Regulis accurate ſervierint Imperatores, nec ultra eos limites quidquam auſi ſint. Sed vigebant tamen ſemper leges Canoneſque in Eccleſiæ & religioſo-

(1) Cedrenus pag. 535.
(2) Surius die 16. Dec. c. 38. Cedrenus p 477. Surius die 11. Febr. c. 16.
(3) Cedrenus p. 593. 601. 607.

rum quorumcunque Pastorum pectore. Derogabatur indubitatissime quandoque institutis Canonicis, sed rarius cule forsan. Primus enim omnium Nicephorus Imperator, ille impietatis signifer, legem promulgavit, qua prohiberet eligi quenquam, vel ordinari Episcopum, citra assensum Imperatoris, Episcopi quidam aulico infecti contagio ei legi subscripsere, ut refert Cedrenus (1): *Id omnium gravissimum quod legem tulit, cui & Episcopi quidam leves adulatores subscripserunt, ne absque Imperatoris sententia ac permissu Episcopus vel eligeretur, vel ordinaretur.* μὴ ἄνευ τῆς αὐτοῦ γνώμης, τὸ προτρωπὴς ἀνήκουστον ἢ ψηφίζεσθαι ἢ προχειρίζεσθαι.

Quæ hactenus certe coacervata sunt exempla, non spectant ea nisi ad Regiæ urbis Patriarchas, ut inde etiam conjectare possis, nec ad electionem ceterorum per orbem Episcoporum, nec ad eorum confirmationem interveniſſe Imperatores. Hac etiam Nicephori lege idem astruitur, quam idem ipse Scriptor, a quo refertur, omnium fatetur, quæ a Nicephoro adversus Ecclesiæ libertates promulgatæ sunt, maxime insandam & execrabilem fuisse. Ideo & Joannem Zemisces Nicephori interfectorem & successorem, adduci non ante potuit, ut Imperatoriis ornamentis insigniret Polyeuctus Patriarcha, quam revocata ab eo esset lex, libertatibus Ecclesiæ usque adeo contumeliosa (2): *Patriarcha jubet conscindi libellum editi, quod ad confundendas res Ecclesiasticas Nicephorus Phocas ediderat.* Itaque cum mox subjicitur ab Imperatore Theodorum Monachum donatum esse Patriarchatu Antiocheno, nefas est dubitare, quin solemnes electionum leges observatæ sint. Nisi si forsan in mentem veniat Ecclesiam Antiochenam tum temporis in Saracenorum ditione positam, canonicas electiones non potuisse rite celebrare; adeoque Patriarchas ei ab Imperatoribus fuisse designandos.

Usque adeo denique certum erat, quantacunque sui in quenquam studii & favoris indicia proderet Imperator: liberam tamen electionem populi, Cleri & Episcoporum perneceſſariam fuisse, ut non alia magis ratione exanctoratus sit Alexius Patriarcha, quam quod eam sedem invasisset, non Episcoporum suffragiis, sed una Basilii Imperatoris auctoritate. Nec magnopere nostra refert, ex vero, an nefarie ea accusatio confingeretur, ut in eam sedem proveheretur Joannes Michaelis Paphlagonis Imperatoris frater: peræque enim quod volumus inde perficitur, cum procedere non possit mendacium & fraus, nisi veritatis quadam se specie induat. Inde omnino emicat, usu tunc etiam vulgatissimo abdicandos fuisse sacris dignitatibus, qui nullis Episcoporum suffragiis fulti, solo Imperatorum favore ad Episcopales Cathedras properent. Audi quid tunc ab Alexio pronuntiatum sit, ut declararet, si eo crimine sibi intentato dejiceretur, dejiciendos pariter ex eodem Canone eos omnes esse, qui a se ordinati fuissent (3): *Quando, ut vos dicitis, non suffragiis Pontificum, sed jussu Basilii Imperatoris, ego hoc solium contra Canones conscendi, agendum, quos ego constitui Metropolitas, jam per annos undecim Ecclesiam gubernans, deponantur.* Narrat denique in historia sua Curopalates, ut post mortem Patriarchæ Michaelis Cerularii, ad sedem illam Constantinopolitanæ Ecclesiæ provectus sit Constantinus Lichudes, suffragiis Metropolitanorum, Cleri & populi, nulla Imperatoris suffragantis habita ratione. Quin ubi Presbyteratu initiatus fuit Constantinus, prohibuit Imperator, ne reliqua perageretur inauguratio, nisi ante diluta ab eo & absterſa essent ea crimina, quæ illi affingebantur. Non dissidet ergo a verisimilitudine, in ejus prius electionem nullas suas Imperatorem partes interposuisse (4): *Constantinus Metropolitanorum, & Cleri, totiusque populi suffragiis electus fuerat.*

VI. Si tam intemerata autem constaret libertas Patriarchæ Constantinopolitani electioni, etsi ea inter Imperii Orientalis dignitates principatum teneret, etsi sub ipsius Imperatoris oculis celebraretur: ne trahi quidem in dubium potest, quin multo liberiores fuerint ceterorum per imperium Episcoporum electiones. Nova ejus rei aggerabo argumenta, postquam duo quædam hic attexuero, eum primis memoranda. Idem enim ipse, sive Cedrenus, sive Curopalates, Ecclesiam Antiochenam perhibet totos quadraginta annos Pastore & sponso viduatam jacuisse, quod electionis copiam non facerent Saraceni, quorum jugo su-

(1) Cedrenus p. 658.
(2) Anno 969. Cedrenus p. 664. 665.
(3) Idem ann. 1036. p. 740.
(4) Idem p. 809. anno 1059.

ſuberat : at Monachi cujuſdam Stephani amore incenſus Arabum ſeu Saracenorum Imperator, poteſtatem tunc conceſſit Antiochenis deligendi ſibi Patriarchæ, ſi modo in hunc Stephanum vota ſua conferrent (1). Eo non barbari Principis, ſed ſummi & providentiſſimi Numinis favore excitati Antiocheni, Stephanum protinus elegerunt, cujus ſingularem ſanctimoniam mira quædam & amabilis ruſticitas commendabat ; *Cum haberet carum ſibi Syrum quendam Monachum, nomine Stephanum, pium hominem, ſed ruſticum : Antiochenſibus ſignificavit, ſiquidem cupiant ſibi Patriarcham concedi, ut id muneris huic Stephano committant. Illi divinitus hoc fieri rati, Stephanum Theopolis throni Patriarcham elegerunt.*

Cum ejuſdem Arabici Imperii habenas moderaretur Marvanus, Chriſtiani Orientales non ægre illi perſuaſere, ut Theophylactum Presbyterum Edeſſenum ſuffici permitteret poſt Stephani obitum in Sedem Antiochenam. Eam electionem confirmavit Arabs, eo Edicto promulgato, quo jubebantur vel Arabes ipſi uſitatis honoribus in eum Patriarcham defungi : *Eumque publico edicto juſſit ab Arabibus in honore haberi.*

Ab his exemplis multa ſunt, quæ exprimi poſſint. 1. Poſſe aliquando patronatus & nominationis ad Beneficia jus devolvi ad Ethnicos & Hæreticos, ab eiſque exerceri, inter hos inexplicabiles neceſſitatis nodos accommodante ſe Eccleſia ad ſempiternas quaſdam ſapientiæ & caritatis leges; nec temporibus ſerviente, ſed temporum moderatori Chriſto. 2. Nonnihil loci fuiſſe electionibus, in media etiam barbarie, & Infidelium colluvione. 3. Quæ fiebant ab his Principibus nominationes, non ex erant, quæ electionum libertatem prorſus perimerent ; quanquam eam ad arctiores quandoque anguſtias adducerent. Ubi aliquanto minus erat loci libertati, pluſculum perſæpe erat ſapientiæ. 4. Si eam Eccleſia humanitatem indulgentiamque in Principes barbaros explicuit, quid in Chriſtianos, ſi & ipſi quandoque poteſtatem ſuam non eo prorſus gyro circumſcribant, quem Canones, quem leges delinearunt?

VII. Audiendus eſt jam nobis Balſamon de Græcorum & Orientalium moribus ſæculo XI. & XII. quo ſeneſcente ipſe degebat. Teſtatur hic autem Canonum interpres longe peritiſſimus, quanquam Novella Conſtitutio Juſtiniani (2) Baſilicis inſuta fuiſſet, pleraque tamen ejus capita jam in deſuetudinem abiiſſe : at non illud tamen ejus caput. Ut ab Epiſcopis tres deſignarentur, quorum digniſſimum ſeligeret Metropolitanus (3) : *Ut autem in tribus perſonis fiant hodie ab Epiſcopis electiones, ut exiſtimo, ex præſenti Novella neceſſe eſt.*

VIII. Optarim equidem, ut tam in hiſtoria verſatus fuiſſet Balſamon, quam in Canonibus Legibuſque ; cum nomen famamque ægre ſuſtinere poſſit peritiſſimi Canonum Commentatoris, qui non æque in hiſtoria Eccleſiaſtica verſatus tritusque ſit. Cum jamdiu obſervaret Balſamon, electiones Epiſcoporum a ſolis frequentari Epiſcopis, & nec Clerum, nec plebem ad eas vocari, hinc auguratus eſt a temporibus Nicæni Concilii I. ita res comparatas fuiſſe, jam tum ſuffragii jure Clerum & Populum excidiſſe, & eam poteſtatem penes ſolos reſediſſe Epiſcopos. Eo ille etiam torquet Canonem IV. Concilii Nicæni, ubi agitur de confirmatione electionis, & de ordinatione, quæ fieri deber ab omnibus Provinciæ Epiſcopis, aut a tribus ſaltem, cum ceterorum ſcriptis exarata conſenſione. Ex hoc Canone contendit Balſamon (4), accommodate ad mores ſui temporis, per eos tres Epiſcopos ſolos peragi ſolitam electionem, ψῆφον : peræque ut ordinationem, χειροτονίαν ; & ubi ex eadem Provincia tres Epiſcopi coire non poſſunt, ex vicinis Provinciis alios acciri. Sugillantur autem ab eo jure meritiſſimo Metropolitani, qui cum Conſtantinopoli agerent, certioreſque fierent de interitu alicujus ſuffraganeorum ſuorum, arceſſebant adgregabantque ſibi tres Epiſcopos alios, ſive ſua, ſive cujuſcunque alienæ Provinciæ & in eo Conventu mortuo Epiſcopo ſucceſſorem ſubrogabant.

Ex his porro illud exiſtit, quanquam ex ſupra congeſtis teſtimoniis & exemplis, ad electiones Epiſcopales Græcorum Clerus Populuſque ſuffragiis ſuis concurreret ; ævo tamen ipſo Balſamonis totam eam facultatem ad ſolos Epiſcopos revocatam fuiſſe, extruſo Clero & Populo. Quin & eum uſum jam inveteratum tunc fuiſſe neceſſe eſt, cum ejus originem a Concilio Nicæno repeteret Balſamon.

Sed cum illud maxime interſit mandari ani-

(1) Pag. 460. 461. (2) Nov. 137. (3) In Nomocan. tit. 1. c. 23. (4) In Can. 4. Nicæn.

animo, penitiſſimeque infigi, quantumcunque & Populo & Clero in electionibus tribueretur, palmariam earum vim & auctoritatem ſuo ſibi jure Epiſcopos vindicaſſe; in Caput ſequens ea conjiciemus, quæ eam in rem dicenda nobis ſupererant. In eo ergo hic deſinamus, unde rurſus differendi ſumatur initium.

CAPUT XXVII. *P. 3. l. 2. c. 32.*

In electionibus Epiſcopalibus dominabatur ſemper Epiſcoporum poteſtas, ſub Imperio Caroli Magni, & Carolinæ proſapiæ.

I. Electionum Epiſcopalium poteſtatem univerſam gradatim arripuerunt Epiſcopi, excluſis tandem Cleri populique ſuffragiis.

II. Ut Epiſcopi ternos eligebant, quorum unum Metropolitanus Epiſcopali præponeret Eccleſiæ: ita Metropolitani ternos Patriarchæ præſentabant, quorum unum ille deligeret, & vacanti præficeret Metropoli.

III. Zonaras & Balſamon ea diſciplina occupati, quæ eorum temporibus vigebat, in eum ſenſum antiquos Canones deflexerunt.

IV. V. VI. Conſtantinopoli plerumque celebrabantur electiones Epiſcoporum, quod ibi bene multi ſemper Epiſcopi verſarentur. Epiſcoporum electioni adeſſe non debebat Metropolitanus.

VII. Ad has electiones convocabantur Epiſcopi omnes, qui tum forte agebant Conſtantinopoli.

VIII. IX. In Eccleſia quoque Gallicana arcem auctoritatis invaſerant etiam Epiſcopi, etſi ab electionibus, nec Clerus excluderetur, nec populus. Variæ in id probationes.

X. Variæ devolutionum ſpecies, quæ Epiſcopis ſolis nominandi jus reſervabant.

XI. XII. XIII. Nec minus eminebat principatus Epiſcopalis auctoritatis in electionibus Italiæ, Hiſpaniæ, Angliæ.

I. NOn uno impulſu, nec uno temporis puncto in Eccleſia Græca reſciſſis Cleri populique ſuffragiis, totâ illa Epiſcopalium electionum poteſtas ad ſolos Epiſcopos revocata eſt. Jam Capite ſuperiori ex illis ipſis, quæ ibi deprompta ſunt, exemplis abunde patuit, longe plus momenti ſemper fuiſſe in voluntate Epiſcoporum; & quo illi cunque vergerent, eo inclinatas fuiſſe electiones. Canone III. Synodi VII. apertiſſime ſancitur, eligi Epiſcopos ab Epiſcopis, juxta Nicænum Canonem: *Oportet ut qui provehendus eſt in Epiſcopum, ab Epiſcopis eligatur; quemadmodum a ſanctis Patribus qui apud Nicæam convenerunt, definitum eſt.* At Canon Nicænus Epiſcopos faciebat moderatores magis & arbitros electionum, quam electores; ſed ex eo quoque ſumma illis permittebatur auctoritas, ex quo gradatim quidem factum eſt, ut excluſis aliis, tota deferretur. Nec minus dilucide Capite ſuperiori comprobavimus ex Concilii VIII. verbis Taraſium, Nectarium, Nicephorum ab Epiſcopis electos fuiſſe: *Nectarium Synodus univerſalis, & Patriarcha elegerunt. Taraſius a Paulo promotus, & Nicephorus ſynodice electus.* Denique ejuſdem Concilii XXII. Canone electiones committuntur arbitrio Epiſcoporum: *Promotiones Epiſcoporum decreto & electione Epiſcoporum fieri ſtatuit univerſalis Synodus.* Et eam oſtenditur fuiſſe diſciplinam Eccleſiæ, prioribus Conciliis confirmatam: *Concordans prioribus Conciliis.* Poſſunt ex hoc Canone & ad electiones Laici invitari: *Si quis Laicorum invitatur, &c.* Sed eorum præſentia minime neceſſaria cenſetur. Cetera miſſa facio, quæ Capite ſuperiori in hanc rem dicta ſunt.

II. III. Sunt & alia ex eodem Balſamone, quæ juvet hoc loco obſervaſſe. Jam dixi electionem Metropolitanorum ab eo aliis reſervari Metropolitanis, qui ternos eligant, ex quibus unum deligat Patriarcha. Eas electiones Conſtantinopoli celebrari ſolitas res ipſa clamat, nempe ubi aderat Patriarcha, quo confluebant plerumque plures etiam Metropolitani, quam arctæ reſidentiæ leges forſan permitterent. Inde eſt quod VIII. Synodus præcepit illa quidem ut promotiones Epiſcoporum fierent ab Epiſcopis; non autem ut Conſtantinopoli fierent ex vel electiones vel ordinationes, ſeu Epiſcoporum, ſeu Metropolitanorum, ab Epiſcopis & Metropolitanis, qui in Regia tunc urbe verſarentur. En ipſa verba Balſamonis (1): *Metropolitanorum electiones a Metropolitanis de more fieri, & quod factum eſt, ad eorum Patriarcham referri, ut ejus examinatione ex tribus electis unus ordinetur.*

IV.

(1) In Can. 28. Chalced.

IV. Fatetur & ipſe Balſamon improbatum fuiſſe quod Conſtantinopoli eligerentur Epiſcopi, in locum eorum qui per Provincias fato fungebantur. Non ſane ex eo capite, quod Conſtantinopoli fieret ea electio, cum Canones nullum certum determinent locum (1): *Locus non conſtituit Epiſcopum, ſed ſuffragium & Antiſtitum electio*; ſed propterea quod ad eam alienæ Provinciæ Epiſcopos adhiberent electionem. Impingit & hic Balſamon in antiquorum Canonum conſpirationem quandam, qui uſitatiſſime electionem Epiſcoporum iudicebant ipſa in Eccleſia viduata, vel in civitate Metropolitana. Epiſcopos autem alienæ Provinciæ adhiberi nihil prohibebat, ſi modo in urbe propria cum Epiſcopis Provinciæ coiſſent. Iſtæ ergo tunc erant recentiorum Græcorum corruptelæ.

V. Multo autem magis ſtupendum, quod ait Balſamon, Metropolitanum electioni Epiſcoporum intereſſe non debere (2): *Nota ergo quod Primas, ſeu Metropolitanus non debet intereſſe electioni, ſed ſoli Epiſcopi*. Contra enim non adeſſe tantum, ſed præeſſe electioni Epiſcoporum Metropolitanum edicunt Canones. Quomodo ergo illum nunc ejicit Balſamon? Facile ſolvitur is quidem nodus. Nam ubi Populus, Clerus, Epiſcopi Provinciæ ad electiones convolabant, his Metropolitanus neceſſario præerat. At ubi circa XII. ſæculum deſiit Clerus Populuſque convocari, & ſoli Epiſcopi ternos elegerunt, quos Metropolitano præſentarent, unum ex iis deſignaturo: tum æquum non erat, ut ei Epiſcoporum Conventui intereſſet Metropolitanus. Hinc autem facile intelliges, quam abhorreret ab antiquis Canonum inſtitutis hæc ratio trium ab Epiſcopis eligendorum in abſentia Metropolitani, qui unum ſolus poſt ex iis arceſſeret. Non temere ergo ſupra dictum eſt a nobis, eum ulum ab antiquæ & mediæ ætatis diſciplina fere abhorruiſſe.

VI. Addit denique Balſamon ad electiones, quæ Conſtantinopoli fere omnes celebrabantur, advocatos fuiſſe Epiſcopos omnes, qui in urbe eſſent (3): *Propterea arceſſuntur omnes, qui in hac urbium regina diverſantur ἐπιδημοῦντες, Epiſcopi, quando debet alicujus Eccleſiæ fieri electio, & eam unius abſentia impedit*. Quod hic ait Balſamon unius abſentia electionem impediri, non video qui conſtare poſſit cum priſcis Canonibus, qui omnes vocari jubebant, at tres tamen tantum neceſſario requirebant. Quorſum vero unius abſentia impediretur electio, cum plerique horum Epiſcoporum alienæ eſſent Provinciæ? quos adeo ne vocari quidem neceſſe fuerat. Hæc rurſus erant degeneris Græcorum Eccleſiæ vitia, & diſciplinæ ſacræ laxationes.

VII. In Leunclavii Orientali jure fulget Conſtitutio Iſaaci Angeli Imperatoris, librata diſceptataque ab Imperatore ipſo, & ab Epiſcopis omnibus, qui tum forte Conſtantinopoli verſabantur, ut fieret ſatis querelis complurium Epiſcoporum, qui advocati ad eos cœtus non fuerant, ubi Conſtantinopoli Epiſcopi plurimi eligebantur. Concilii hujus Decretum huic Imperatorio diplomati implicatum eſt, eoque ſancitum, ut convenienter Canoni IV. Nicæno, & XIX. Antiocheno, invitarentur ad electiones Conſtantinopoli faciendas Epiſcopi & Metropolitani, qui tum forte Regia in urbe degerent (4). *Deinceps ſancit majeſtas noſtra Imperatoria univerſos qui ad urbem ſunt Pontifices eſſe convocandos, &c.*

Balſamon ipſe in ſuis ad Marcum Alexandrinum Reſponſis, diſerte tradit, olim ſuffragiis populi & auctoritate Optimatum perfectas fuiſſe electiones; expunctum eum fuiſſe morem a Conciliis Nicæno & Laodiceno, & ab Epiſcopis ſolis eligi debere Epiſcopos. Denique in Formulis, quæ eodem Jure Orientali continentur, habetur Bulla Patriarchæ conceſſa ei quem elegerat Metropolitano (5): *Cum piiſſimum Presbyterum elegiſſemus*: & cui unum comitem addebat ex ſuis Prælatis, ſeu Miniſtris, qui iret & in Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem illum mitteret (6): *Ceterum qui deſignatum Pontificem veſtrum ipſi gregi exhiberet, eumque ſacro in ſolio collocaret, religioſiſſimum N. ablegavimus*. In Commonitorio quo inſtruit Patriarcha Metropolitanum, ſtudioſe præcipit, ut ne niſi dignos provehat ad Epiſcopatum.

VIII. Conſtat ergo permagnam in electionibus ſemper Epiſcoporum viguiſſe auctoritatem, cum ea tandem eo eruperit, ut quo potiebantur Clerus Populuſque ſuffragiorum jure ab annis admodum mille, eo exuerentur. In Occidente autem quantum ſemper hoc medio ævo valuerit Epiſcopa-

(1) Ibid. (2) Ibid. (3) In Can. 6. Sardicen.
(4) Jur. Orien. c. 2. p. 169. (5) Ib. p. 392. (6) Ib. p. 426.

ſcopalis in electionibus auctoritas, quanquam a Cleri Populique ſejuncta non eſſet ſuffragiis, id ſupereſt nobis aperiendum. Tradit Ado Viennenſis Agobardum ex Lugdunenſi Chorepiſcopo factum fuiſſe Archiepiſcopum ab Imperatore, & a Synodo Epiſcoporum: *Conſentiente Imperatore & univerſa Gallorum Epiſcoporum Synodo Epiſcopus ſubſtitutus eſt*. Concilii Verni Patres anno 844. Carolum Calvum Regem rogarunt, ut electioni aſſentiretur Epiſcopi Aurelianenſis, qui ordinatus fuerat a Metropolitano Senonenſi, annitentibus Comprovincialibus Epiſcopis, conſpirante Cleri ac Populi teſtimonio & petitione (1): *Archiepiſcopus annitentibus ſuffraganeis ordinavit, probabilium Canonicorum ac laicorum atteſtatione inſtructus, & petitione impulſus*. Idem ipſe Rex Carolus Calvus in Synodo Tullenſi anno 859. teſtatum fecit, ſi Archiepiſcopatu Senonenſi donatus a ſe eſſet Ganelo Clericus Palatii ſui, factum id eſſe conſentientibus Provinciæ Epiſcopis (2): *Conſenſu ſacrorum Epiſcoporum ipſius Provinciæ ad gubernandum commiſi, & apud Epiſcopos, quantum ex me fuit, ut eum ordinarent, obtinui*. Priſcorum Conciliorum Canonumque in eodem Tullenſi Concilio innovata eſt auctoritas, ut deinceps Epiſcoporum electio, non populi tumultuoſis factionibus permitteretur, ſed Metropolitani, & Epiſcoporum judicio (3): *Ut ubi qui ordinandi ſunt, ſecundum Ordinem Eccleſiaſticum & inſtitutionem ſanctorum Patrum ordinentur. Videlicet ut Epiſcopi judicio Metropolitanorum, & eorum Epiſcoporum qui circumcirca ſunt, provehantur ad Eccleſiaſticam poteſtatem, &c. Et juxta excerpta Martini, ut non liceat populo electionem facere, ſed judicium ſit Epiſcoporum, ut ipſi eum qui ordinandus eſt, probent*.

IX. Cum Lotharius Lotharingiæ Rex Capellæ ſuæ Clericum Epiſcopatu donaſſet Cameracenſi, Hincmarus Remenſis Metropolitanus, cui obnoxia erat Cameracenſis ſedes, Epiſcopali ſarcinæ munerique imparem Clericum illum judicavit. Tum vero ad Lotharium reſcripſit Nicolaus Papa, ut eam curam providendi idonei Paſtoris Metropolitano permitteret (4): *Ut Metropolitanus juxta ſuum illic Privilegium diſponere queat*. In Decreto electionis Anſegiſi Archiepiſcopi Senonenſis, Clerus populuſque Senonenſis profeſſus eſt, Epiſcoporum eſſe eligere Metropolitanum, cum aſſenſu tamen ſuo (5): *Canonicis Regulis & Apoſtolicis inſtitutionibus ſancitum eſſe recolimus, ut Suffraganei Metropolis convenire debeant, & electionem futuri Pontificis cum conſenſu Cleri & Plebis facere*. Cum Clerus Populuſque Laudunenſis Hedenulphum Epiſcopum ſibi delegiſſent, Decretumque electionis mitterent ad Hincmarum Metropolitanum & ad Epiſcopos Provinciæ, non diſſimularunt eorum permiſſione & licentia celebratam a ſe eſſe electionem: *Quem per licentiam veſtram pari conſenſu elegimus*.

Intexuit Hincmarus ſuæ ad Ludovicum III. Regem Balbi filium Epiſtolæ fragmentum earum litterarum, quas ad eundem Regem miſerat Concilium ad ſanctam Macram, ut illum verecunde & intrepide tamen commonefacerent, per Leges Canoneſque liberas permitti Epiſcopis & Metropolitanis electiones, ut tanto miniſterio aptos deligant Præſules, eoſque Cleri Populique conſenſu impetrato, Regibus præſentent (6): *Ut ſicut ſacræ Leges & Regulæ præcipiunt, Archiepiſcopis & Epiſcopis conlimitanearum Diœceſeon electionem concedere dignemini, ut undequaque ſecundum formam regularem electionis, Epiſcopi talem eligant, qui & ſanctæ Eccleſiæ utilis & regno proficuus exiſtat; & conſentientibus Clero & Plebe eum vobis adducant*. Quam Concilii doctrinam communit Hincmarus congeſtis pluribus Canonicis Pontificiiſque Decretis, ex quibus id efficitur, Regum eſſe aſſentiri, ſed Epiſcoporum eſſe, & eligere, & ordinare Epiſcopos: *Quoniam ſicut Leges & Regulæ dicunt, in electione Epiſcopi aſſenſio Regis ſit, non electio, ſicut & ordinatio*. Bis jam terve factas a Bellovacenſibus electiones caſſas pronuntiaverant Epiſcopi, ut Canonibus injurioſas; tum vero eos per litteras monuit, jure eos excidiſſe tum eligendi, quod ad Epiſcopos ſolos eſſet devolutum: *Perdiderunt electionem, ſicut oſtenſum eſt illis in Synodo & per ſacras Regulas non illorum ulterius, ſed Epiſcoporum eſſe electionem, &c.*

In omnibus ergo electionibus plurimum omnium poterant Epiſcopi, in quibuſdam totum ſoli, excluſo etiam Clero & Populo. Sunt autem omnino altius infigendæ animis hæ cauſæ, & rerum commiſſuræ, ubi ad Epiſcopos ſolos tota revocabatur facultas, nullam

(1) Can. 10. (2) Con. Gall. t. 3. p. 142. 254. 222. (3) Can. 8.
(4) Ep. 64. (5) Con. Gall. t. 3. p. 393. 431. (6) Hincmar. t. 2. p. 189. 193.

nullam in ejus partem jam vocandis Clericis, laicisque. Inde enim posterior manavit & recentissima disciplina, quæ primo populum, deinde & Clerum arcuit. Ejusmodi causæ ita percrebuere, & tam frequenter summovendi fuere Clerus Populusque ab electionibus Episcopalibus, ut in commune jus denique is usus convaluerit.

X. Præter eam devolutionis speciem ab Hincmaro adnotatam, ubi qui indignum elegere, eligendi ea vice jure spoliantur: sunt & aliæ non prætereundæ. Depromit Hincmarus vetustum Canonem, qui totam eam facultatem in solos transfert Episcopos, ut Clero etiam, Populoque anathema intentent, si minus morigeros se præstent ei quam fecerint Episcopi electioni, ubi nimirum diutius cessavit Clerus Populusque ab eligendo sibi Pastore, quod facere debuerat, vota sua in aliquem conferendo, quem Metropolitani & Episcoporum Provinciæ judicio & ordinationi subjiceret (1): *Si providere sibi & eligere jubente Metropolitano suo neglexerint, tunc judicio & potestate sua Metropolitanus cum aliis Episcopis ordinet & faciat Episcopum, &c. Si tunc Presbyter, aut Majores civitatis non adquieverint, ut rebelles anathematizentur.* Addit & Imperatoriam legem, qua jubetur Metropolitanus Episcopum nominare, si a mensibus amplius sex vacarit Ecclesia. Eam Justiniani legem alibi jam laudavimus: *Si qui debent eligere Episcopum, intra sex menses talia decreta non fecerint, tunc Metropolitanus ordinet & consecret sua potestate Clero & Populis Episcopum.*

Quando in plures dividebantur suffragia, Metropolitani erat eligere, hoc est, & numerare suffragia, & ponderare, expendere denique merita personarum. Rursum idem Hincmarus (2): *Si in partes se eligentium vota diviserint, meum erit eligere, qui majoribus ad ordinandum studiis juvetur & meritis.*

Ubi plures certabant candidati, ea dissidia in Synodis dirimebantur, a quibus & declarabatur Rector vacantis Ecclesiæ. Altercatum diu fuerat de Remensi Archiepiscopatu inter Artaldum & Hugonem. Artaldi obitu recaluit spes Hugonis. At Synodus Remensis rescita excommunicatione, qua ab Episcopis Galliæ & ab ipso Pontifice inusus fuerat, frustravit spes conatusque ejus omnes, electo in Episcopum Odolrico, cum assensu Regis & Reginæ (3): *Favente Lotario Rege cum Regina matre elegimus Odolricum.*

Eæ fuere causæ, quæ ubi increbuerunt, eo res tandem evasit, ut in Occidente, sicut & in Oriente ad solos Episcopos redirent Episcoporum electiones: sed in Occidente tardius id contigit, nec tam late patuit, nec tamdiu viguit. Proditum est a Gerberto, ut electiones fierent ab Episcopis, quanquam Clerus, Populus, Princeps nonnihil adhuc in eis possent (4): *Quid deinceps stabilietur, si id dissolvitur quod actum est consensu Principis, Episcoporum electione, Cleri & Populi voluntate, postremo omnium hominum excellentissimi Papæ consecratione?* Vide ut idem alibi describat electionem Arnulphi Archiepiscopi Remensis (5): *Nos qui dicimur Episcopi Diœceseos Remorum Metropolis, cum omni Clero, diversi ordinis populo acclamante, orthodoxis Regibus consentientibus, eligimus nobis in Præsulem, &c.* Audi & Decretum electionis ipsius Gerberti ad Archiepiscopatum Remensem, ubi expressius significatur, non eo semper secutos esse Episcopos, quo plura ducebant suffragia Clericorum, Laicorumque: illorum intemperantiæ, & inconsideratis votis sæpius & intrepide adversatos esse, ut verissimi fuerint electores Episcopi ipsi (6): *Ergo non omnis vox populi vox Dei est. Nec omnis Cleri & Populi vota & desideria in electione Episcopi perquirenda sunt, sed tantum simplicis & incorrupti. Sententiæ Patrum exponendæ. Non liceat, inquit, turbis electionem facere, sed judicium sit Episcopi Remorum Diœceseos: secundum has constitutiones Patrum, favore & conniventia utriusque Principis nostri Ugonis Augusti, & excellentissimi Regis Roberti, assensu quoque eorum qui Dei sunt in Clero & Populo, eligimus nobis Archiepiscopum Abbatem Gerbertum, &c.*

XI. Nec minus in Italia electionibus moderabantur pro sua potestate Episcopi. Id Luitprandus tyrannicis ascribit Berengarii consiliis, quod Episcopatus daret Episcopis inconsultis (7): *Nullo consilio habito, nullaque deliberatione Episcoporum.* Episcopum Vercellensi Ecclesiæ designavit Joannes VIII.

(1) Ib. p. 243.
(2) To. 2. p. 408.
(3) Ann. 962. Con. Gall. t. 3. p. 595.
(4) Ep. 23.
(5) Ep. 1. a Sirmundo editarum.
(6) Ibid. Ep. 15.
(7) L. 5. c. 13.

idque quaſi ſuo ſibi jure ſumpſit, quod ſciſſus eſſet ejus civitatis populus in factiones duas mutuo infenſiſſimas, & quæ a contumacia abduci ſe non ſinerent (1). Affirmavit tamen conſenſiſſe Epiſcopos Provinciæ: *Conſentientibus omnibus Comprovincialibus Epiſcopis.*

XII. In Hiſpania Epiſcopatus dabant Epiſcopi Provinciæ, aut Provinciæ certe vicinæ. Inter Cordubenſes Martyres fama clariſſimus Eulogius ad Archiepiſcopatum Toletanum electus eſt, quanquam inauguratus nunquam fuerit. Solis Epiſcopis eam electionem vindicat Scriptor ejus vitæ (2): *Nec illud omittendum eſt, quod poſt obitum Toletanæ Sedis Epiſcopi, in eandem ſedem ab omnibus Comprovincialibus & confinitimis Epiſcopis electus, & dignus eſt habitus, & pro relatu omnium comprobatus.* Hic obiter advertes non in Gallia ſola vicinarum Provinciarum etiam Epiſcopos, aut accitos eſſe, aut ſua ſponte coaluiſſe ad electiones. Ita ſupra Hincmarus docuit. In illo ipſo Remenſi Concilio, quo repudiato Hugone electus eſt Odolricus Archiepiſcopus, ſimul affuere Remenſis & Senonenſis Provinciæ Epiſcopi. Ita jubebant Capitularia Caroli Magni (3): *Epiſcopi judicio Metropolitanorum, & eorum Epiſcoporum, qui circumcirca ſunt, provehantur ad Eccleſiaſticam poteſtatem.* Eam inter vicinarum Provinciarum Epiſcopos alternam communionem, & individuam caritatem mirifice olim declararunt ſanxeruntque Sardicenſes & Antiocheni Canones.

XIII. In Anglia cum Vintonienſis Eccleſiæ Clerus in diverſa ſtudia diſtractus eſſet, propterea quod Monachi, qui in Canonicorum ſedes ſubrogati fuerant, ſui propoſiti Collegiique Epiſcopum cuperent, Clerici reliqui ex Clero (4): *Ex quo factum eſt, ut in electione Epiſcopi, Clerici Clericum, Monachi Monachum utrique ſuæ voluntatis ſanctorem vellent:* Dunſtanus Cantuarienſis Archiepiſcopus devoluto ad ſe jure uſus eſt, & Elphegum elegit, quem poſtea habuit in Cantuarienſi Eccleſia ſucceſſorem; cujus & ex vita hoc decerptum eſt.

At vitæ ſancti Dunſtani Scriptor mirificam quandam dandorum Epiſcopatuum poteſtatem Regibus Angliæ adſcribit. Dunſtanum Vigornienſi Eccleſiæ Edgarus Rex precibus certe ſuis præfecit (5): *Eum Vigornienſis Eccleſia Epiſcopatum ſuſcipere petiit Rex, nec a precibus deſtitit, quoad eum ſuæ voluntati conſentaneum faceret.* Electioni tamen nonnihil erat loci, ut liquebit ex ipſius translatione Dunſtani a Vigornienſi ad Londinenſem Eccleſiam: *Defuncto Epiſcopo Londonienſi quæſitum eſt, quis in Epiſcopatum digne ſuccedere poſſet. Tandem electio omnium ſuper Dunſtanum verſa eſt, & ipſe Pontificatum prædictæ Eccleſiæ ſuſcipere communi cunctorum acclamatione coactus eſt.* In Simplicibus electionibus multum poterant Epiſcopi: poſtea enim Dunſtanus *Oſwaldum in regimen Eccleſiæ Vigornienſis ſuccedere ſibi fecit.* Unanimi denique electione Dunſtanus ad Cantuarienſem translatus eſt Metropolin: *Unanimis omnium electio Dunſtanum inclamitat, &c. Hac Dunſtanus acclamatione, quaſi voce vere divina conſtrictus, primatem totius Britanniæ ſedem regendam ſuſcepit, & in eam immenſa omnium adjacentium Eccleſiarum ac populorum exultatione deductus aſcendit.*

CAPUT XXVIII. *P. 3. l. 2. c. 33.*

De electione Abbatum & Abbatiſſarum ſub Imperio Caroli Magni.

I. Summa earum regularium, quæ hoc Capite ſtatuendæ ſunt.

II. Diſtinctio Regalium & Epiſcopalium Abbatiarum ſub Pipino Rege. In his frequentior erat electio.

III. Varia exempla Abbatiarum a Carolo Magno donatarum.

IV. Ut complures Abbatiæ Regales evaderent, fundatoribus eas in jus, & tuitionem Regum conferentibus.

V. Electionum libertatem in Abbatiis reſtituit Carolus Magnus.

VI. Saltem de Ludovico Pio id conſtat. Etſi ſub eo quoque plurimum vacillavit ea libertas.

VII. Multo certius eſt a Carolo Calvo datas fuiſſe Abbatias.

VIII. Conteſtabantur nihilominus Epiſcopi, Abbatum & Abbatiſſarum electionis libertatem Canonicis regulis & ipſa B. Benedicti Regula ſanciri.

IX. Reipublicæ perturbationes & calamitates

(1) Du Cheſne t. 3. p. 894. 897. 901. (2) Hiſpan. Illuſtr. t. 3. p. 894. 897 901.
(3) L. 7. c. 60. (4) Surius die 16. Apr. c. 3. (5) Surius die 19. Maii c. 27. 28.

tates graviſſimæ compellebant Reges ad ea tentanda, a quibus alias abhorruiſſent; compellebant & Eccleſiam, ut indulgentia uteretur, & de jure ſuo remitteret.

X. Sub Regibus poſterioribus non minus turbatum eſt in electionibus, minorum maxime Cœnobiorum.

XI. Inſtabant vehementiſſime Concilia, ut Canonum, & Regulæ B. Benedicti obſervantia ſtrictior ſanciretur.

XII. Fundatur Cluniacenſis Abbatia cum eligendi pleniſſima facultate.

XIII. Ubi Reges Cœnobia nova omnia B. Benedicti Regulæ addicebant, libertatis quodammodo legem eo promulgabant.

XIV. In Germania ſejunguntur majora Cœnobia a minoribus; majoribus integra ſervabatur eligendi libertas.

XV. Imperialium Abbatiarum labes & ruinæ. Miſerrima Impetratorum conditio, qui Abbatias dabant, aut aliis Abbatiis uniebant.

XVI. Cum complures Abbatiæ extructæ & dotatæ fuiſſent a ſummis Principibus, ingenti ab illis pietate, gratitudine & obſequio eos coli neceſſe fuit.

XVII. Græcorum quæ in his fuerit interim diſciplina.

I. PErtractatis ſub Imperio Caroli Magni Epiſcopalibus electionibus, opportune jam ad electiones Abbatum deſluemus in quibus hæc ſummatim obſervanda nobis venient. 1. Abbatias plerumque a Regibus donatas fuiſſe, ac ſi ea fuiſſent Regiæ Coronæ feuda, ſeu beneficia. 2. Ab illis conceſſa quibuſdam eligendorum Abbatum diplomata, tanquam ex privilegio. 3. Contra vero pertendiſſe Eccleſiam, Jure communi, & Legibus canonicis ſanciri in Abbatiis etiam libertatem electionum. 4. Pipinum, Carolum Magnum, & Ludovicum Pium conniti non potuiſſe, ut Cœnobia omnia Regulæ B. Benedicti addicerentur, quin electionum libertatem eis annuerent. 5. Et tamen tum ipſi, tum eorum ſucceſſores ſæpiſſime Abbatias ſuo nutu dono dederunt, vel importuna temporum neceſſitate compulſi, vel reſtituendæ in iis diſciplinæ amore. 6. Iiſdem rationibus acti non raro, ut Abbatias donabant, ita & auferebant. 7. Erant & Eccleſiæ cauſæ juſtiſſimæ, ut ea licentia abuti ſueret Principes dandarum & auferandarum Abbatiarum. Sed in ea ratione plurimum erat momenti, quod plurimarum Abbatiarum fundamenta, incrementa & reparationes Regibus accepta ferrentur. 8. Quæ clientelæ & tuitioni Regum ſuberant Monaſteria, canonica nihilominus libertate Abbates eligebant. 9. Potuiſſent & Epiſcopi forſan aliquid ſibi juris in electionibus Abbatum vindicare; ſed eo ceſſerant, cum toties Reges adhortarentur, ut electiones Abbatum reſtituerent, Regulam autem B. Benedicti omnia protius in Cœnobia Monachorum & Monialium propagarent.

Fluctuabunda nonnunquam noſtra hæc diſſertatio Lectori non immerito videri poterit; nimirum alteruarunt & ipſi Eccleſiarum in hac parte mores, uſuſque. Hærebimus autem ipſi maxime ordini temporum: a Pipino & Carolo Magno ad Ludovicum Pium & Carolum Calvum delabemur, & ad poſtremos tandem regnatricis hujus familiæ Principes. Deducent illi nos in Germaniam, unde in Galliam & in Orientem facile trajiciemus. Ea erit hujus Capitis & ſequentis contextio.

II. Ordiamur a Pipino & Carolo Magno. In Concilio Verno ſub Pipino anno 755. duo ſejunguntur Cœnobiorum genera, ſeu Monachorum, ſeu Monialium. Aliæ enim Epiſcopales erant Abbatiæ, aliæ Regales: illæ Epiſcopo, hæ Regi rationem reddebant redituum, quos ipſis adminiſtrandos Rex permittebat (1): *In alia Synodo nobis peedonaſtis, ut illa Monaſteria ubi regulariter Monachi vel Monachæ vixerunt, hoc quod eis de illis rebus dimittebatis, unde vivere debuiſſent, exinde ſi Regalis erat, ad domnum Regem faciant rationem Abbas, vel Abbatiſſa, & ſi Epiſcopalis, ad illum Epiſcopum.* Simillimum veri eſt a Rege nominatos Abbates, nominatas & Abbatiſſas Regalium Cœnobiorum, cum non fruſtra Regalia dicerentur, cum partem redituum Rex ſibi decerperet, ut infra oſtendetur, cum denique proventuum rationes Regi exhiberentur.

At in Abbatibus Epiſcopalibus propius a vero abeſt electos fuiſſe Abbates, cum Regalibus etiam non raro jus, ſeu privilegium eligendi a Regibus concederetur. Ceterum in electionibus quoque Regalium Abbatiarum Epiſcopi contentus neceſſario interveniebat. Ita decrevit Concilium Francofordienſe (2): *Ut Abbas in congregatione*

(1) Can. 20. (2) Can. 17.

non eligatur, ubi juſſio Regis fuerit, niſi per conſenſum Epiſcopi loci illius. Eodem in Concilio edicitur, ut ſi qua Abbatiſſa neutri ſe Regulæ obſequentem præſtet, hoc eſt, nec B. Benedicti, nec Canonicarum, Epiſcopus Regem ſubmoneat, & tum illa abdicetur dignitate (1): *De Abbatiſſis, quæ canonice aut regulariter non vivunt, Epiſcopi requirant, & Regi adnuntient, ut ab honore priventur*. Si Rex unus Abbatias donabat, minus ſtupenda tunc erit ejus Abbatiſſæ abdicatio.

III. Audivimus ſupra Sangallenſem Monachum magnificas venditantem pollicitationes Caroli Magni junioribus Clericis ab eo fieri ſolitas, quo ad ſtudia Artium, & Scientiarum eos incenderet (2): *Dabo vobis Epiſcopia & Monaſteria permagnifica*. Teſtatur idem Sangallenſis Monachus Carolum Magnum, ne in unum aliquem plura unquam Beneficia cumularentur, Epiſcopos nunquam donaſſe Abbatiis, niſi juſtiſſimis & neceſſariis cauſis eo adigeretur: *Nulli Epiſcoporum Abbatiam vel Eccleſias ad jus Regium pertinentes, niſi ex certiſſimis cauſis nunquam permiſit*. Rurſus ex eodem vehementiſſime aliquando exacerbatus Carolus in Epiſcopos, Abbates, Comites: Epiſcopis quidem pœnam indixit pecuniariam, Comites & Abbates beneficiis & honoribus ſuis exuit (3): *Omnes Comites & Abbates cunctis honoribus denudavit, Epiſcopos infinita pecunia multavit*. Certum eſt denique a Carolo Magno collatas ſtatim Alcuino fuiſſe Abbatias ſancti Lupi apud Trecas, & Ferrarienſem: eidem ex Anglia reduci Abbatiam ſancti Martini Turonenſis ab eodem eſſe conceſſam, ut perhibet vetuſtus Auctor vitæ Alcuini. Illum quoque donaverat Carolus Monaſterio, ſeu Cella ſancti Jodoci, auctore Lupo Ferrarienſi Abbate (4): *Cellam ſancti Jodoci, quam Magnus Carolus quondam Alcuino ad eleemoſynam exhibendam peregrinis commiſerat*. Alcuinus ipſe datis ad Carolum Magnum litteris donatum ſe ab eo profitetur Abbatia ſancti Martini (5): *Piæ providentiæ veſtræ conſilio tranſlatus ſum in ſervitium ſancti Martini*. Poſtremo cum abdicatione temporalium omnium rerum ſponte cuperet Alcuinus viam ſibi munire ad beatiſſimæ Patriæ æternitatem, copiam ſibi fieri obtinuit a Carolo Magno, ut *Monaſteria ſibi commiſſa inter diſcipulos divideret*.

IV. Quanquam hinc ſatis liqueat, Abbatias a Carolo Magno datas fuiſſe, ab eodemque ablatas, ubi juſtas ſe & neceſſarias nactum eſſe cauſas ipſe æſtimabat: conſtat nihilo tamen minus conceſſa ab eodem ſæpiſſime fuiſſe Cœnobiis jura ſeu privilegia libertatis canonicæ in electionibus; quin & forſan aliquando tandem generale promulgatum ejuſmodi libertatis Edictum, quo omnes prorſus Abbatiæ fruerentur. In hiſtoria Abbatiæ ſancti Galli memoratur Valtramus hæres priſcorum ejus Abbatiæ Fundatorum præſentaſſe Abbatem Othomarum Regi Pipino, quo ejus eum committeret clientelæ, Abbatiamque ipſam illius tuitioni adverſus tyrannicos deprædatores Eccleſiarum. Pipinus incunctanter eam Abbatiam ſua impertivit cuſtodia & tuitione, unaque confirmavit libertatem eligendorum Abbatum (6): *Othomarum Abbatem Pipino Regi præſentavit, ipſique Regi Monaſterium quod adhuc hæreditario jure in ſua poteſtate retinebat, cum ipſo pariter Abbate contradidit, ea videlicet cauſa, ut ipſe Abbas ejuſque ſucceſſores idem Monaſterium Regia auctoritate retinentes, nullius violentia deinde premerentur; ſed tantummodo Regum juſſionibus obedirent. Quod benevolus Princeps benigne ſuſcipiens, præcepit ut Monachi ejuſdem loci deinceps poteſtatem haberent Abbatem eligere, ſibi atque ſolis tantummodo Regibus ſubjacerent*. Sed cum poſt Othmari obitum Abbatis Epiſcopi Conſtantienſes eam Abbatiam invaſiſſent, Caroli Magni opem interpellarunt Monachi, a quo innovatum eſt liberæ electionis privilegium, Epiſcopo ipſo tanto impenſius contentiente, quod nepotis ſui eligendi ſpe lactabatur; qua fruſtratus a Monachis, ea rurſus excivit jurgia, quibus ſedandis adeundus fuit Imperator.

Ea ex narratione facile odoramur, ut in Regum poteſtatem & clientelam complurimæ conceſſerint Abbatiæ. 1. Fundator Cœnobii ſancti Galli, vel ejus poſteriorum aliquis patronatum tanquam hæreditarium obtinet ejus Abbatiæ. 2. Is ſuum tandem jus Regi tranſcribit, ut ejus patrocinio & tuitione propulſentur ſacrilegi uſurpatores, qui privatos Patronos contemptui habuiſſent. 3. Abbatiæ in hunc modum Regi tranſcriptæ

(1) Can. 47. (2) Du-Cheſne t. 2. p. 108. 112. (3) Ib. p. 126.
(4) Ep. 11. (5) Ep. 23. (6) Du-Cheſne t. 3. p. 481.

ptæ Rex ipſe chartam annuit libertatis, & liberas ejus tuetur electiones adverſus Epiſcopos, quos non raro illa inceſſabat libido, ut uno eodemque tempore Epiſcopi eſſent & Abbates.

V. Denique Carolus Magnus, aut ſi mavis Ludovicus Pius Magni Patris voto obſecundans, ab ipſo Imperii ſui primordio Abbatias omnes electionum libertate donavit. Ex Capitularibus id certe emicat, ubi de concinnata juſſu ejus Regula Canonicorum & Canonicarum in Concilio Aquiſgranenſi cum verba feciſſet, mox eam Princeps legem promulgat libertatis Monaſteriorum in electionibus celebrandis (1): *Monachorum ſiquidem cauſam qualiter Deo opitulante ex parte diſpoſuerimus, & quomodo ex ſe ipſis ſibi eligendi Abbates licentiam dederimus, in alia ſchedula diligenter adnotare fecimus, & ut apud ſucceſſores noſtros ratum foret, & inviolabiliter conſervaretur, confirmavimus.* In alio loco Capitularium jubetur eligi Abbatiſſa, & ubi juramento confirmatum fuerit, nulla terreſtri cupiditate inſtigatos fuiſſe, qui eam elegerint, tunc ab Epiſcopo quoque eam confirmari (2): *Abbatiſſa eligatur a cuncta congregatione, &c. Qui eam eligunt proponant ſanctis Evangeliis, &c. Tunc confirmetur ab Epiſcopo, cui Monaſterium ſubjectum eſt.*

VI. Quam pie, quam auſpicato ſanctum id fuerat, tam inconſtanter, ut ſuſpicor, & infide obſervatum eſt. Unde & plerumque deinceps etiam occurrunt Abbatiæ a Regibus donatæ. Anno 825. præcepit Ludovicus Pius, ut Abbates quibus ipſe Cœnobia dono dederat, ea adminiſtrarent ex Epiſcoporum conſilio (3): *Abbatibus & Laicis ſpecialiter jubemus, ut in Monaſteriis quæ ex noſtra largitate habent, Epiſcoporum conſilio peragant ea quæ ad Religionem Canonicorum, Monachorum, Sanctimonialium pertinent.* Ita in alio Capitulari anni 828. Abbates locantur inter eos qui Beneficia Regia, ſeu Feudos Coronæ, ut nunc loquuntur Galli, obtinent (4): *Epiſcopi, & Abbates, & reliqui qui Beneficia habent.* Non ad Epiſcopos, ſed ad Abbates ea verba pertinent: *Qui Beneficia noſtra habent:* per *reliquos* autem intelliguntur Comites, & alii Beneficiarii laici, ut loco conſimili jam patuit.

In Concilio Pariſienſi VI. anni 829. ſtatutum eſt (5), ſi qui Canonicorum Abbates contumacius in Epiſcopos inſoleſcerent, ii vel a Concilio in ordinem redigerentur, vel auctoritate Principis abdicarentur: *Synodali judicio aut corrigantur, aut principali auctoritate interveniente, honore prælationis priventur.* Interpellatus eſt ab hoc eodem Concilio Ludovicus Imperator, ut cogeret Abbates & Abbatiſſas, tum Monaſtici Ordinis, tum Canonici, ut mores ſuos profeſſioni aptarent, creditas ſibi ne dilapidarent res Eccleſiæ, Epiſcopis obtemperantes eſſent (6): *De Abbatibus vero Canonicis & Regularibus, & de Abbatiſſis, a veſtra Serenitate admoneantur, &c. Loca ſibi a vobis conceſſa deperire & deſtrui per negligentiam non dimittant, &c. Et noſtram admonitionem libenter audiant, &c.*

Tam arcta ex conjunctione Abbatum cum Principe, necnon & Abbatiſſarum, cui multo amplius obnoxii eſſe videbantur, quam Epiſcopo proprio, non injuria conjicitur ex ejus largitate Abbatias obtentas fuiſſe. Ideo & Concilium II. Aquiſgranenſe eundem Imperatorem ſubmouebat, quantum ipſi incumberet diſcriminis ab ea largiendarum Abbatiarum difficillima provincia (7): *Similiter poſcimus, ut in Abbatiſſis conſtituendis, & Rectoribus Monaſteriorum, veſtrum ſpecialiter caveatis periculum, ſicut vobis ſæpe eſt dictum, & per divinam auctoritatem crebrius manifeſtatum.*

Novum his lumen affundent Acta Aldrici Cenomanenſis Epiſcopi. Quo ille primum die Epiſcopatum iniit, controverſia illi facta eſt de Abbatia ſancti Vincentii in civitate Cenomanenſi, de qua venditabant, *Quod fiſcus eſſe debebat Imperatoris*, delegatis jam a Ludovico Pio Judicibus, qui de eadem cauſa cognoſcerent. Auſpicato tamen res ceſſit Aldrico, qui pervicit quod ea Abbatia *ſub dominatione & jure Epiſcopatus eſſe deberet.* Quin & authenticum invenit privilegium, quo conſtabat Dumnolum Cenomanenſem Epiſcopum eam Abbatiam dotaſſe rebus & opibus Epiſcopatus. *De rebus ſuæ ſtabilis Eccleſiæ ditavit* (8). Ubi apertum eſt, Imperatores ſpectaſſe Abbatias ſuæ fundationis tanquam fiſci & dominii ſui partem, Epiſcopos autem ex adverſo omni virium contentione enixos, ut Epiſcopalium Abbatiarum privilegia tuerentur,

(1) Cap. Car. M. l. 2. c. 80. 86. (2) L. 1. c. 131. (3) Can. 9. (4) Ibid.
(5) Can. 37. (6) L. 3. c. 18. (7) Can. 10. (8) Baluz. Miſc. t. 3. p. 16. 17.

tur, in quibus principem ſemper locum habebat libertas electionum.

VII. Sed etſi interpretando, molliuſque tractando poſſent hæc omnia alium in ſenſum flecti: at indubium eſt Carolum Calvum uſum antiquum, vel abuſum potius innovaſſe, dandarum ſine electione Abbatiarum, ſin minus omnium, certe longe plurimarum. Interpellatus eſt Carolus hic Rex a Concilio ad Theodonis-villam habito, anno 844. ut Abbatias Clericis daret, vel Monachis, non Laicis, ut hactenus ab ipſo, immo & ante ipſum jam inde a temporibus Ludovici Pii factitatum fuerat (1): *Devotiſſime obſecramus, ut loca venerabilia, & habitum ac ordinem ſacrum, eis qui ad hæc vocati ſunt, viris ſcilicet & Clericali & Eccleſiaſtico, vel Monaſtico ordine religioſis, ſeu fœminis Deo dicatis, & in ſchola Chriſti eruditis, ad cuſtodiendum & providendum committatis; qui & quæ Dei ſunt Deo, & quæ ſunt Cæſaris Cæſari reddant.* Additum eſt ut & Proviſores Monaſteriis daret, ad tuitionem rerum temporalium, iis nimirum, quibus Regulares Abbates donaſſet: *Per loca etiam Monaſtica ejuſdem ordinis Proviſores neceſſe erit diſponere, cum veſtra auctoritas eos qui vices Chriſti ſecundum regulam divinitus dictatam in Monaſteriis agant, ſtuduerit ordinare.* Cariſiacenſis etiam Concilii anno 858. habiti Patres ad Ludovicum Germaniæ Regem ſcribentes, ab ipſo quoque Abbatias dari inſinuant (2): *Rectores Monaſteriorum quibus Monaſteria committitis, &c.*

Sed ne optari quidem poteſt expreſſius quidquam privilegio, quo Cœnobium Corbienſe donavit Concilium Pariſienſe anni 846. urgente Carolo ipſo Calvo Rege. Conteſtantur enim Epiſcopi ideo flagitaſſe Monachos illud libertatis privilegium a Rege & Epiſcopis, quod ex omnibus pene Abbatiis expunctæ & oblitteratæ jam ſint electiones: *Cernentes viri religioſi electionis jura multis in locis non ſervari, verentes ſimilia pati, ſacras litteras clementiſſimas Principum expetierunt, electionem ſibi & rerum ſuarum liberam diſpoſitionem juxta inſtitutionem divinæ legis confirmantes. Nec eas ſufficere arbitrati ex nutu nobiliſſimi Regis, noſtra quoque auctoritate ſibi eadem confirmari poſtulaverunt.* Tum Reges obteſtatur hæc Synodus, ut quando alibi fere oppreſſæ extinctæque ſunt electiones, ea hanc ſaltem Abbatiam donent libertate, ſed ſincera, non ſimulata: *Quocirca hortamur pios & dominos noſtros piiſſimos Principes noſtri & futuri temporis, quia pene in omnibus locis id confunditur, ſaltem propter amorem Dei, electionis gratiam & liberam diſpoſitionem facultatum ſuarum illi loco conſervare ſatagant, & ſit in illo Monaſterio ſemper privilegium electionis, ſicut antiquitus in Eccleſiis electio conſervata fuit, non ſuppoſita aut ſuffecta, ſed libera, juxta auctoritatem canonicam, & regulam ſancti Benedicti.*

VIII. Illud ſane in primis hic obſervandum, quod hæc Synodus reſtitui flagitet electionum libertatem, ut legi divinæ, ut canonicis ſanctionibus, ut antiquis Eccleſiæ moribus conſentaneam: *Juxta inſtitutionem divinæ legis, &c. Sicuti antiquitus in Eccleſiis electio conſervata fuit, &c. Juxta auctoritatem canonicam, & regulam ſancti Benedicti, &c.* Ulterius etiam progreditur Synodus, vibrato in eos anathemate, qui hanc Abbatiam a Principibus poſthac impetrarint, ut qui gravem inſtlerint contumeliam canonicis Regulis, quæ cœtu Eccleſiæ eos exſcindunt, qui poteſtate Principum ad involandas dignitates Eccleſiaſticas abutentur: *Si quis gratia apud dominos rerum Monaſterium illud impetrare voluerit, primo ſecundum canonicam auctoritatem, quia ſæculari poteſtate Eccleſiam Dei obtinere voluit, anathematizamus, cum ſanctis omnibus Patribus, qui ſacros Canones edidere.* Nicolaus vero Papa anno 863. cum innovaret & confirmaret *regularem canonicamque libertatem* hujus Abbatiæ, ut quæ Regulæ B. Benedicti & canonicis inſtitutis niteretur: Reges ipſos deinde interpellabat, ut Deo impenderent quod ab eo expectarent; divinaſque & Eccleſiaſticas leges inviolatas ſervarent, quo & Deus eorum leges Regnumque perpetuaret: *Neque Rex, neque poteſtas aliqua ullam Monaſterio Corbienſi præponant perſonam, quam non fratres ipſius elegerint Monaſterii. Debent enim mundi Principes honorem præſtare Deo, quem ſibi volunt præſtari a Deo: ut quemadmodum cupiunt a Deo ſibi collatum Regni honorem conſervari, ſic Eccleſiæ Chriſti ſuam non dedignentur ſervare legem.*

IX. Obſervari hæc eadem poterunt in ea privilegia, quæ vel Romani Pontifices, vel Epiſcopi contulerunt Monaſteriis S. Carilephi,

(1) Can. 3. 5.

(2) Can. 9.

phi, Solemniacenſi (1), aliiſque complurib⁹, ubi Principum quidem beneficio libertas electionum conceditur; ſed ea libertas, quam ſuo ſibi jure & Canonum juſſu cum olim obtinuerent, temporum importunitate & bellorum civilium tumultuationibus factum fuerat; ut ea exuerentur (2). Certiſſime enim ſola fere civilium bellorum diuturnitas & bacchatio Carolum Martellum, Pipinum, Carolum Magnum, Ludovicum Pium, & Carolum Calvum adegit, ut Laicos quoſdam Abbatiis donarent ad expenſas bellicas: ut Cœnobiorum reditus eodem aliquando derivarent, parte tantum aliqua Abbatibus ſepoſita: ut denique Abbatias ſibi quodammodo vindicarent, quo earum proventus & res ipſas in ſuos Regnique uſus licentioſius converterent. Opportunus alibi occurret locus eas enucleandi cauſas & temporum neceſſitates, quæ has infandas alioqui uſurpationes excuſare utcunque potuerint, Eccleſiamque adducere, ut neceſſariæ indulgeret clementiæ & diſpenſationi. Unum hic monebo, ubi res factas ita uſurpatas reſtituebant in integrum Chriſtiani poſtea Principes, tum eos & legum juſtitiæ, & ſuæ ipſorum humanitati ac beneficentiæ obſecutos eſſe.

Cum ex toto ſe non poſſe arbitrabatur, dimidiatis ſaltem his Beneficiis de Eccleſia bene mereri ſtudebat Carolus Calvus. Scripſit ad eum aliquando Lupus Ferrarienſis Abbas, (3) Cellam ſeu Cœnobium ſancti Jodoci (4) a Carolo Magno collatam fuiſſe Alcuino, *ad eleemoſynam exhibendam peregrinis*; a Ludovico Pio eandem poſtea commiſſam fuiſſe Abbatiæ Ferrarienſi, *ut quod eleemoſynæ ſuperreſſet, in uſum cederet* Monachorum Ferrarienſium: denique infortunio neſcio quo factum eſſe, *partem ut ejus optimam ſæculari homini traderet, non regendam, ſed evertendam*. Ferrarienſis Cœnobii Abbas creatus fuerat Lupus electione Monachorum ſeptuaginta duorum, ei tum Collegio ſacro inſcriptorum: & eam tamen Abbatiam a Carolo Calvo ſibi commiſſam fuiſſe ipſemet profitetur (5): *Septuaginta duo Monachi, quos ad eorum votum electionemque mihi commiſiſtis*. Non ergo ſemper electiones ceſſabant, quando Cœnobia donabantur a Regibus; ſed illud jure verendum, ut ſatis liberæ exſtiterint electiones. Ea porro Lupi electio aſſenſu Regis firmata, facit ut non facile perſuadeat de Abbatia ipſa Ferrarienſi intelligi, quod alibi Lupus ait (6), *Fama diſperſit datum noſtrum Monaſterium Egilberto*. Proclivius eſt id opinari de Cella ſancti Jodoci, quam & ipſam alioqui conſtat ei reſtitutam poſtea fuiſſe ab eodem Carolo Calvo. Extant & alia in Annalibus Fuldenſibus exempla electionis Abbatum, & confirmationis Regum (7): *Deceſſit Hatto Abbas, in cujus locum per electionem Fratrum & auctoritatem regiam ordinatus eſt Thioto unus ex ipſis Monachis*.

X. Non paulo operoſius eſt eam libertatum & electionum ſeriem deprehendere in minoribus Abbatiis, quam in majoribus, quæ quia florebant gratia & auctoritate, privilegia ſibi ſubinde & dari evincebant, & confirmari. Forſan & ubi a Carolo ad ejus poſteros delabemur, tanto ratiores occurrent electiones. In Annalibus Bertinianis dicitur Carolus Calvus Abbatiam ſancti Martini Clerico conjugato dediſſe, quam & ante inconſulte alii conceſſerat (8): *Abbatiam ſancti Martini, quam inconſulte Ludovico donaverat, non ſatis conſulte Huberto Clerico conjugato donavit*. Poſtquam vita migravit Calvus, Ludovicus II. ejus filius, quos ſibi cunque volnit conjunctiſſimos & obſequentiſſimos habere, eos Abbatiis & Comitatibus donavit: *Accepto nuntio de morte patris, quos potuit, reconciliavit ſibi, dans eis Abbatias & Comitatus & villas, ſecundum uniuſcujuſque poſtulationem*. Excanduere Abbates & Comites, quod illis inconſultis id perfeciſſet: *Regni Primores, tam Abbates, quam Comites indignatos, quia quibuſdam honores dederat ſine illorum conſenſu*. Et hos tamen rurſus Rex demeruit, deſponſis quibuſcunque dignitatibus, quas expetiſſent: *Pactis honoribus ſingulis, quos petierunt*. His peractis, ubi Rex ſolemni pompa ab Hincmaro inauguratus fuit, tum Epiſcopi ejus ſe commendavere tuitioni, fideles ſe fore polliciti: at Abbates fidei ſacramento ei ſe obligarunt, cum Comitibus, cæteriſque Regni Vaſſallis: *Abbates autem, & Regni Primores, ac Vaſſalli Regii ſe illi commendaverunt*

(1) S. Calais, Solonnac. (2) Conc. Gall. t. 3. p. 208 214 207. (3) Ep. 11.
(4) La Celle ſaint Joſſe. (5) Ep. 42 45. (6) Ep. 92.
(7) Baluz. Not. ad Lupum Fer. p. 587. Annal. Ful. ann. 876. Du Cheſne tom. 2.
(8) Annal. Bert. ann. 862. Du Cheſne t. 3. p. 213. 253. 254.

verunt & ſacramenti ſecundum morem fidelitatem promiſerunt.

XI. Hinc vero plus ſatis liquet, difficillimis his temporibus Abbatias plerumque a Regibus numeratas quodammodo fuiſſe inter Regia Beneficia, peræque ac Comitatus. Indubitatiſſime tamen jus in eas regium iſtud erat, ut eas defenderent, tuerentur, & protegerent; quo ſive jure, ſive officio fungebantur etiam in Abbatiis libertatis & electionum retinentioribus, ſive ex antiqua & nunquam interrupta poſſeſſione, ſive eorum privilegiis confirmata. Ex quo rurſum patet, jure cuſtodiæ & defenſionis nec nominationes Regum includi, nec excludi Monachorum electiones. Eo privilegio, quo Martinus Papa Cœnobium Solemniacenſe decoravit, explicantur dona & privilegia, ab Imperatoribus & Regibus conceſſa, uſque ad Ludovicum Balbum & ambos ejus filios; confirmatur tamen pleniſſima libertas eligendorum Abbatum ex canonicis Conſtitutionibus (1): *Nullus ibi quacunque ſubreptione Abbatem conſtituere præſumat, niſi quem ejuſdem loci Monachi, ſecundum auctoritatem & regularem inſtitutionem, ex ſe ipſis elegerint ordinandum.*

Ideo & Concilii Troſlejani Patres anno 909. eo ſemel præſtituto, in Regula B. Benedicti electionem Abbatis conſtitui ſtatim ut totius cardinem Monaſticæ diſciplinæ (2): *In ipſo ingreſſu lectionis ſanctæ Regulæ, legitur de eligendo Abbate, & qualis eſſe debeat*, redintegratam fuiſſe a Carolo Magno in Capitularibus eligendi libertatem: *Sibi Abbates eligendi licentiam dederimus;* affirmant tandem tam pia Regulæ Canonumque Decreta a Regibus & Imperatoribus religioſe cuſtodita fuiſſe: *Hæc ita poſt primam ſanctorum Patrum duce ſancto Spiritu ordinationem, ac deinde poſt canonicam de his auctoritatem, a prioribus Imperatoribus & Regibus decreta & cuſtodita fuerunt.*

XII. Ubi Cluniacenſis Abbatiæ fundamenta jecit Willelmus Arverniæ Comes, & Aquitaniæ Dux, liberam permiſit Abbatum electionem juxta Regulam B. Benedicti anno 910. (3) *Habeant Monachi licentiam, quemcunque ſui Ordinis, ſecundum Regulam ſancti Benedicti, eligere maluerint Abbatem.* Berno qui primus eam rexerat, ante obitum ſuum deligi curavit ſucceſſorem ſibi Odonem (4): *Odonem cum fratrum conſenſu mihi ſuccedere delegavi.* Privilegio Agapeti Papæ confirmatur ea libertas eligendi, ne petita quidem conſenſione terrenorum Principum (5): *Habeant liberam facultatem ſine cujuslibet Principis conſultu, quemcunque ſecundum Regulam S. Benedicti ſibi voluerint ordinare.*

Aimardus III. Cluniacenſis Abbas eo privilegio a Pontifice Cluniacum decorari curavit; unde & ipſe ante obitum operam dedit, ut ſucceſſor ſibi ſanctus Majolus eligeretur: *A fratribus eligitur, a populo acclamatur, a Pontificibus benedicitur.*

XIII. Cum Pipinus, Carolus Magnus, Ludovicus Pius promulgarint toto Regno & Imperio Regulam B. Benedicti, ut ſupra pluribus declaratum eſt: cumque in Regula ſanciatur, tanquam fibula quædam Monaſticæ diſciplinæ electio Abbatum, inde manifeſtum eſt promulgatam eadem opera indultamque fuiſſe omnibus Monaſteriis electionum libertatem: ex quo id efficitur, quoties iidem Principes, vel eorum ſucceſſores arbitrio ſuo Abbates nominarunt: toties vel obreptum eis fuiſſe, vel moleſtiſſimam incubuiſſe neceſſitatem, quæ eos impelleret ultra eos fines, quos ſibi ipſi præſcripſerant.

Nec alia ratio eſt Epiſcoporum, qui cum ovilis Chriſti univerſi ſummi ſint Paſtores, primarium utique jus obtinent vicarios ſibi Paſtores aſciſcendi, quibus partem aliquam ſarcinæ ſuæ communicent, & curæ paſcendarum ovium. Cum tamen ipſimet Reges collaborarint, ut omnia prorſus Monaſteria Regulæ B. Benedicti manciparentur, vel eo certe nomine conſtrinxerunt ſe ad tuendam electionum in eis libertatem. Et plurima certe hactenus deprompta ſunt a nobis teſtimonia, ubi connitebantur Epiſcopi ad electiones liberas Cœnobiis aſſerendas, aut reſtituendas, adverſus frequentiſſimas eorum molitiones, qui eas labefactabant. Aldricus Senonenſis Archiepiſcopus eam libertatem Abbatiæ ſancti Remigii confirmavit (6): *Quem omnis Congregatio ſibi ordinandum poposcerit.* Ubi vero non eſſet in Cœnobio, cui ejus adminiſtratio demandari poſſet, voluit Aldricus, ut ab Epiſcopo Abbas tunc deſignaretur cum aſſenſu Epiſcoporum Provinciæ,

(1) Conc. Gall. t. 3. p. 520. (2) Can. 3. (3) Conc. Gall. t. 3. p. 470.
(4) Bib. Clun. p. 3. 9. 273. 283. (5) Spicil. t. 6. p. 420. (6) Spicil. to. 2. pag. 582.

vinciæ, & Abbatum circumpoſitorum (1): *Conſentientibus Coepiſcopis ejuſdem Diœceſis, & circumpoſitis venerabilibus Abbatibus.* Id Concilium Magdunenſe annuit precibus Archiepiſcopi Senonenſis anno 891. ut ne deinceps poſſent Archiepiſcopi Senonenſes Abbatiæ ſancti Petri Vivi Abbates accire ex aliis Cœnobiis, uti hactenus fecerant, *præter Regulam B. Benedicti, & inſtitutionem Canonum*; ex quo mirum quanta pernicies Monaſterio illata eſſet; ſed Abbatem Monachi *ipſi ſua diſpoſitione, & libitu voluntatis ex ſuis eligerent*. Petrus Archiepiſcopus Mediolanenſis Monaſterium ſancti Ambroſii privilegio ejuſdem modi inſtruxit, ut ſuo ſemper ſibi ex Collegio Monachi Abbatem præponerent (2): *Neque Abbas ibidem ordinetur extraneus ullo unquam tempore, niſi aut in eodem Monaſterio prius ſumpſerit habitum, aut quem Fratres eligant*. Pipinus Italiæ Rex ſuo aſſenſu altero poſt anno illud privilegium roboravit. Poſſet ejuſmodi exemplorum ſtrues huc congeri.

XIV. Tranſmiſit ad nos Regino Decretum vetus Epiſcoporum & Principum Germaniæ ſub Ottone Rege, quo ſtatuebatur anno 952. ut Abbatiæ quæ jure gauderent eligendi, nemini privato dari poſſent, nec vel ſubjici, vel uniri aliis Cœnobiis. Sed ſi quæ ea eligendi libertate non fruerentur, poſſent illæ a Rege ſubjici Abbatiæ cuipiam, quæ eſſet ſub Regis tuitione (3): *Ut nulla Abbatia quæ per ſe electionem habet, ad Monaſterium, nec alicui in proprium donari poſſit. Illæ vero quæ electione carent, Regis donatione & privilegio ad aliud Monaſterium, quod ſub ejus mundiburdio conſiſtit, ſurrogari poſſint.*

Vides hic ut majora Cœnobia minus laborarent in ſuis propugnandis libertatibus: cum minuſcula ſuccumberent aliquando tandem tot alienæ tunc libertatis inſidiatoribus. Vides hic rurſus, ut quæ Regio patrocinio, ſeu, ut tunc loquebantur, mundiburdio ſuberant, canonica nihilominus eligendi libertate fruerentur. Denique exemplum hic habes optimum in uſum convertendi minuſculos Conventus, ſua ſponte caducos & fluxæ corruptæque utplurimum diſciplinæ, nimirum eis majori & vegetiori cuipiam uniendis, ubi incorrupta facilius ſervatur morum Regulæque cenſura. Quod ad eos quoque pertinet Principes, Collatores, Patronos, qui tenniora quædam Beneficia in poteſtate habent.

XV. In pervetuſto Chronico oculis ſubjicitur triſtiſſima conditio Imperialium Abbatiarum, quæ ſæpenumero devaſtatæ jacebant, vel propter impenſas militiæ Imperatoribus ſuppeditandæ, vel propter frequentiſſimas depopulationes hoſtium Imperii per abſentiam Imperatorum. Itaque his Abbatiis compendioſius erat, ut eas Princeps Epiſcopis concederet (4): quanquam etiam tunc rurſus metus eſſet, ne ipſi Epiſcopi Abbates earum ſe ipſos eſſe concupiſcerent.

Eſt autem inter Gerberti Epiſtolas ea conjecta, qua Ottho Imperator luculente declarat, quam acerba, ſed & ineluctabili quandoque neceſſitate optimi nonnunquam Principes cogantur invadere & tranſgredi leges Eccleſiæ. Excuſat Imperator eas rerum ſuarum angustias, quæ eum compulerint, ut Joanni Monacho concederet S. Vincentii Abbatiam apud Capuam, quæ tum minime vacaret: jubetque aliis donari Beneficiis Abbatem, qui nulla ſua culpa deturbabatur (5): *Diverſa Regni negotia interdum coguni nos indicere diverſa imperia. Hinc eſt quod Abbatiam S. Vincentii ob quarundam rerum neceſſitudines nuper Joanni Monacho donavimus, Rothfrido Abbate nec adjudicato, nec depoſito.* Quando B. Ludgerum, qui Monaſterienſis poſtea fuit Epiſcopus, donavit Carolus Magnus Abbatia Canonicorum in Brabantia: cum ei prius obtuliſſet Abbatiam Sanctimonialium: non id dabatur neceſſitati & difficultati temporum in Imperio: ſed aliquanto probabilius eſt, id tum a Carolo fuiſſe tentatum, ut labefactatæ ſuccurreret ſen temporali Monaſteriorum ſubſtantiæ, ſeu ſpiritali diſciplinæ (6).

XVI. Præter geminam eam cauſam, ex Imperii calamitatibus, & ex concuſſa Monaſteriorum Diſciplina; erant & aliæ nonnullæ, quæ Epiſcopos & Epiſcopales ipſas Synodos cogerent, indulgentius & remiſſius, hoc eſt, prudentius & blandius agere cum Regibus iis, qui dabant adimebantque Abbatias, non expectata electione, non canonici judicii ſententia. Harum autem cauſarum primaria ea erat, quod Cœnobia

(1) Ib. p. 733.
(2) Le-Cointe Ann. 789. n. 283. & 790. n. 26.
(3) Regino Append. t. p. 410.
(4) Spicil. t. 9. p. 299.
(5) Ep. 156.
(6) Surius die 26. Martii in vita S. Ludger.

longe plurima Reges ipſi aut primo exædificaſſent, aut poſtea reſtauraſſent. Concilium Remenſe II. anni 813. Imperatoriam interpellavit munificentiam (1), ut opis aliquid & largitatis ſuæ impertiret Monialium Monaſteriis, quæ rerum penuria vehementer laborabant: *Domni Imperatoris miſericordia imploranda, ut victum & neceſſaria conſequi poſſint Sanctimoniales.* In Concilio VI. Pariſienſi anno 829. excitatus eſt ab Epiſcopis Ludovicus Pius (2), ut in avita iret veſtigia, & largitatis exempla, & Epiſcopatus ſublevaret tenuitate & inopia fatiſcentes: *Morem paternum ſequentes, quaſdam Sedes Epiſcopales, quæ rebus propriis viduatæ, immo annullatæ eſſe videntur, de earum ſublevatione & conſolatione cogitetis; memores ſemper quomodo progenitores veſtri hujuſmodi piiſſimis ſtudiis intenti fuerint.* At Concilium Meldenſe anni 845. Carolum Calvum non tam precibus, quam paternis conſtrinxit pollicitationibus (3), ut impleret quod promiſerat decreveratque Ludovicus Pius, ut ex fiſco Regio ſuppeditarentur impendia quæcunque neceſſariæ, vel Capitulis Cathedralium, vel Abbatiis Cœnobiorum, ad Claustra, ad Dormitoria, ad infirmorum ædiculas, ad ſtructuras denique, & ad alimenta: *Qui Epiſcoporum loci convenientiam aut facultatem non habuerit, ut hoc perficere & ordinare poſſit, Princeps ſecundum Conſtitutionem domni Imperatoris Ludovici annuat.* Nec iis ſe finibus cohibuit Concilium Tullenſe anni 859. Regem quippe promulgavit Proviſorem eſſe univerſalem Monaſteriorum omnium utriuſque ſexus, Ordiniſque tum Canonici, tum Regularis (4): *Ut Congregationes Monachorum & Canonicorum ac Sanctimonialium a propriis Epiſcopis ſtrenue viſitentur. Subſidia autem illorum pia Dominorum providentia exquirantur, & diſponantur, quatenus clementiæ veſtræ in omnibus fulti, &c.* Prolixe enumerat Aimoinus (5), quæ Ludovicus Pius vel excitarit a fundamentis, vel corruentia reparavit Monaſteria in ſuo Aquitaniæ Regno, Parente ſuperſtite. Epiſcopi, immo & Laici complures eo exemplo inflammati, mirificis certarunt in Monaſteria largitatibus. Ita dici poteſt Ludovicus, zelo & munificentia æquaſſe, vel etiam ſuperaſſe Edgarum Angliæ Regem, a quo exædificata, vel reſtaurata fuerant Monaſteria numero quinquaginta: quod eo nempe numero remiſſio & indulgentia portendatur. Conſule, ſi vacuum eſt, ea de re Eadmerum in Hiſtoria Novorum (6).

His ita præſtructis, nemo cordatus magnopere mirabitur, ſi Epiſcopi & Concilia rarius contendendum ſibi, rixandumque cenſuerint cum Regibus de Nominationibus Abbatum: & rurſum ſi Monachi, ſi ipſi denique Epiſcopi minus aut nihil moleſtiæ faceſſerent Abbatibus, quod Reges immiſiſſent. Non facile obcalleſcere poteſt quiſquam ad ſenſum pietatis gratique animi in beneficiorum tot rantorumque auctores. Quin & ipſa non ſemel Abbatum nominatione, rurſum piiſſimi Principes reſtaurabant, ſin minus mœnia, certe labantem Monaſteriorum diſciplinam. Monaſterium Inſulæ Barbaræ in civitate Lugdunenſi conditum fuiſſe teſtatur Ledradus ejus urbis Archiepiſcopus a Carolo Magno, qui & Abbatem ibi deſignavit Benedictum illum Monaſticæ totius per Gallias ſanctimoniæ & obſervantiæ reſtauratorem (7): *Recens videtur fundatum juſſu Caroli Imperatoris, qui ibidem præfecit domnum Benedictum Abbatem.*

XVII. Græcorum moribus exequendis non immorabor diutius; rem conficiam uno verbo, accuratiſſime ab iis obſervatas fuiſſe Juſtiniani Conſtitutiones, ut ex Nomocanone Photii manifeſtum eſt, & ex Balſamonis in eum Commentariis. Itaque eligebant Abbatem omnes prorſus Cœnobii Monachi, aut certe ex iis ſelectiſſimi quique, in Evangelia jurati, nihil amicitiæ aſe, nihil humanis affectibus dari: *Epiſcopus Abbatem promoveat, quem Monachi omnes, vel qui bonæ ſunt exiſtimationis, elegerint, tactis Evangeliis dicentes, quod nec propter amicitiam nec propter gratiam eum elegerint.* Verba ea ſunt Photii Nomocanonis (8).

CA-

(1) Can. 33. (2) Can. 15. (3) Can. 55. (4) Can. 9.
(5) L. 5. c. 8. (6) Eadmerus Hiſt. Nov. L. 1.
(7) Epiſt. ad Carol. Imp. inter opera Agobardi. (8) Tit. 22. c. 3.

CAPUT XXIX. *P. 3. l. 2. c. 34.*

De Confirmandis Epiſcopis a Metropolitano, Abbatibus ab Epiſcopo, ſub Imperio Caroli Magni.

I. Exemplo luculentiſſimo declaratur Examen & Confirmatio Epiſcopi a Metropolitano.

II. Polliceri cogebatur religioſam obſervationem Paſtoralis libri ſancti Gregorii & Canonum.

III. Audiebantur & excutiebantur accuſationes omnes, quibus impetebatur.

IV. Scrupuloſius inſtituebatur de iis examen, quos Rex nominaſſet.

V. Exigebatur promiſſio, nil accepturos pro ordinationibus.

VI. Epiſcopus electus & confirmatus jam tum Epiſcopus erat, & dicebatur, etſi nequedum conſecratus.

VII. In Oriente pari rigore Metropolitanus examinabat omnes electos ad Epiſcopatum.

VIII. Abbates ſimiliter & examinabat Epiſcopus & confirmabat.

IX. Quamvis Abbates a Rege nominati eſſent.

X. Quanquam ei legi minus obtemperaretur.

XI. Confirmari neceſſe erat etiam Abbatiſſas.

I. ELectioni tum demum accedebat auctoritas, cum confirmabatur: idque fiebat præmiſſo examine ſcrupuloſiſſimo, cujus Formula accuratiſſima ſupereſt inter Gallicana noſtra Concilia (1). Ex ea decerpam hoc loco, quæ uſui potiſſimum fore videbuntur. Electo Gilleberto Presbytero in Epiſcopum Catalaunenſem, confeſtim Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis, cum reliquis Epiſcopis ejuſdem Provinciæ, aut abſentium Vicariis, Abbates item plures, Canonici, Monachi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi Cariſiacum confluxere. Affuere & Archiepiſcopi Rothomagenſis, Turonenſis, & Senonenſis. Civitatis Catalaunenſis *Clerus*, *Ordo*, *Plebs* Decretum electionis Hincmari & Coepiſcopis obtulere, a quo & objurgati ſunt, quod non primi omnium certiorem ſe feciſſent de Epiſcopi ſui obitu. Docuit eos qua de cauſa prior eorum electio fuiſſet reſciſſa. Canonicis nimirum Regulis repugnabat Decretum: *Quoniam Decretum non canonice factum fuit*. Canonicum fuit Decretum iteratæ electionis, quod ei Viſitator Epiſcopus præfuiſſet; una omnium vox, una omnium fuiſſet ſubſcriptio. Poſtquam perlectum fuit id Decretum, interrogati ſunt Canonici & Monachi, Parochi & Nobiles, qui aderant, an aſſenſi eſſent electioni Gilleberti. Suo & abſentium nomine reſponderunt, ſe vehementer omneſque aſſenſos eſſe. Tum Metropolitanus electum perconiari cœpit de patria, de conditione, de ſtudiis litterarum. Reſpondit ille ſe in agro Turonenſi natum, conditione ingenuum eſſe, denique navaſſe operam litteris in Schola Turonenſi. Interrogatus, an Ordinibus initiatus eſſet, & a quo: reſpondit ſe ab Herardo Archiepiſcopo Turonenſi, qui ibidem præſens eſſet, per omnes Ordinum gradus provectum fuiſſe, ac demum ab Erpomo Sylvanectenſi Epiſcopo Presbyteratu initiatum. Percontanti Hincmaro, ecquid in Remenſem Diœceſin migraſſet: reſpondit a parentibus ſe ſuis permittente Archiepiſcopo ſuo addictum fuiſſe Regiis obſequiis; ſed non ejuſmodi ullam ſe functionem obiiſſe, quam Canones interdicerent, aut qua irregularitas aliqua aſpergeretur: propterea quod *non fuiſſet Conductor alienarum rerum, nec turpia lucra, vel exactiones, ſive tormenta in hominibus exercens*. Clerici & Nobiles Laici, *qui in Corte degebant*, id ipſum teſtatum fecerunt, eo illum Officio Palatino functum eſſe, quo nullis impedimentis Canonicis implicaretur. Sciſcitatus eſt Hincmarus, an ratiociniis Regiis obligatus adhuc aliqua ex parte eſſet, quo fieret, ut niſi aſſentiente Regi ordinari non poſſet: *Neſcimus ſi Rex aliquid ab eo repetere debeat, inde nobis ſua voluntas, vel auctoritas neceſſaria foret*. Tum Gillebertus Regium diploma protulit, ſigillis ſuis probe munitum, quo purgabat eum Rex abſolvebatque, ut nec ab eo quid unquam repetere poſſet: denique gratiſſimum ſibi fore affirmabat, ſi eum ſe Epiſcopis approbaret, qui ſtatim ordinaretur. Anteactam autem Gillebertus vitam ſuam commendavit, quamdiu Præpoſituram geſſerat Eccleſiæ ſancti Vedaſti, prolatis chartis & teſtimoniis Epiſcopi & Monachorum.

1) Conc. Gall. t. 2. p. 651.

rum. Tunc Hincmarus Archiepiſcopum Turonenſem compellavit, an Eccleſiæ Catalaunenſi concedere vellet Clericum apud Turones natum, educatum, Ordinibus initiatum. Cum annuiſſet Herardus, mox juxta Hincmarum ſedit, ut una cum eo examinaret novum Prælatum. Juſſus eſt hic legere capita aliqua Paſtoralis libri ſancti Gregorii; legit tam perite, ut a ſe intelligi proderet, reciperetque in ſe ſanctiſſimis his regulis ſuam ſe vitam accommodaturum: perlecti ſunt ei Canones, & Regulæ illæ, quibus ordinatum Epiſcopum inſtruit & donat Ordinator. Iis quoque pollicitus eſt ſe obſecuturum. Oblatam quoque fidei Formulam legit, eique ſubſcripſit: quin & totam ſua manu exſcribere juſſus eſt ſubſcriptamque proprio Metropolitano dare, a quo cuſtodiretur. Recitatæ ſunt litteræ abſentium Epiſcoporum, qui ratum ſe habituros profitebantur, quidquid ibi fieret. Tum locus dieſque conſecrationis deſignatus eſt, monuitque Hincmarus Epiſcopum electum & confirmatum, ut ſecreto confiteretur præteritæ totius vitæ delicta, quo gratiæ Epiſcopalis infundendæ abundantiæ paratior eſſet. Id quippe mihi quidem ſonare videntur ea verba ejuſdem Formulæ: *Commonitus eſt Villebertus ab Archiepiſcopo ſuo, ut ab infantia ſua per ſingulos gradus ſuos pronuntiaret Domino viam ſuam, quatenus in denominata die ad tanti oneris dignitatem gratioſus accedere valeret.* Feria ſexta concionem habuit Hincmarus ad Epiſcopos, Clericos, Laicos, de novo Præſule ordinando: die Dominico inaugurationem peregit, libellumque conſecrato Epiſcopo dedit, qui monita illa omnia complectebatur, quibus Canones jubent inſtrui ordinandum ab ordinatore ſuo, cum data diei & Conſulis, & ſubſcriptionibus Archiepiſcopi & Epiſcoporum.

II. Operoſum forſan non eſſet capita hæc minutatim omnia approbare teſtimoniis variis ipſius Hincmari. Satius erit pauca hic addere, quæ delibata ſtrictim tantum hactenus fuerint, aut ne fuerint quidem. Non illam dico fidem, cujus ſacramento ſe Epiſcopi Regi aſtringebant, non obedientiam quam pollicebantur Metropolitano. Pluribus ea de re infra diſceptabitur. Sed obſervandum hic & diligenter mandandum animo eſt, quam accurate & religiose adigerentur novi Epiſcopi ad aras, & aſtante Eccleſia Chriſti profiteri religioſam Canonum obſervantiam, librique Paſtoralis Beati Gregorii præceptionum omnium, tum in moribus, tum in doctrina, judiciiſque. Ea de re Hincmarus in hæc verba ſcribebat ad nepotem ſuum Epiſcopum Laudunenſem (1): *Quando tibi librum ſacrorum Canonum, & regulam Paſtoralem B. Gregorii coram altare, in præſentia omnium qui adfuerunt, in manum miſi, obteſtans ut ita, quantum tibi Deus ſcire & poſſe daret, ſervares in vivendo, & docendo, & judicando, & ipſos libros ſub teſtimonio divino, & prædictæ fidelium Eccleſiæ ſuſceptos, te ita obſervaturum conſenſione tua confirmaſti.*

III. Scripſit idem Hincmarus ad Adventium Metenſem Epiſcopum libellum de ritibus, qui ſervarentur in examine & conſecratione Metropolitani, vel Epiſcoporum Provinciæ. Diſcrepant nonnulla ab antedictis. Sed non unam forſan minutiæ omnes exigebantur ad formam. Illud præteriri nefas, præter teſtimonia præſentium omnium in commendationem electi, rogari præterea an quiſquam ſit, qui crimine quopiam electum inceſſat, ut ex tempore canonicum de eo judicium inſtituatur (2): *Debent interrogare Epiſcopi, ſi aliquis ibi eſt, qui contra electum aliquid dicere vel electioni Epiſcopali contrarium illi velit objicere.* Denique poſt peracta conſecrationis ſolemnia, poſt peracta & a Conſecratore terrifici ſacrificii Myſteria, tum conſecratus eadem incipit Myſteria celebrare. Miſſam facio. Epiſtolam Hincmari ad Clerum & Populum Bellovacenſem de electione Epiſcopi ſui. Pulcherrime hinc confirmantur, quæ ſupra a nobis dicta ſunt.

IV. Ex his manifeſtum eſt, Metropolitano potiſſimum incubuiſſe curam & periculum Examinis Epiſcoporum. Sed tum vel maxime diſtringendus erat examinis rigor, ex Concilio Valentino III. anni 855. cum Epiſcopus e Palatio mittebatur ordinandus. Tunc armandus erat tota auſteritate Canonum Metropolitanus, ne irrepere in ovile Chriſti ſineret Paſtorem imperitum, ambitionis vento inflatum, ſimoniacum, denique iis morum ſordibus inquinatum, quibus divini prorſus miniſterii ſanctitas contaminetur. Denique ejus erat formidare divinam in primis vindictam ignavis maxime Pontificibus imminentem, nec dubitare in-

(1) Hincmar. t. 2. p. 389. (2) Formul. antiq. promot. Epiſcop. c. 4.

interim de ultione, & pœna a Concilio Provinciali infligenda (1): *Si a ſervitio Principis aliquis Clericorum venerit timore caſto, ſollicite examinetur, primum cujus vitæ ſit, deinde cujus ſcientiæ, & vigore Eccleſiaſtico ſub oculis Omnipotentis Dei agat Metropolitanus, &c. Si negligenter fuerit executus, judicium omnia cernentis Dei ſe incurrere non dubitet, ſed & ſententiæ fratrum ſe noverit eſſe culpandum.*

V. Hadrianus I. in Epiſtola ad Carolum Magnum habet quæ ad hoc examen pertineant, publice faciendum, maxime vero de ſacramento quo conſtringebantur, fore ut nihil unquam extunderent pecuniæ pro ordinationibus (2): *jurejurando in ſcriptis reſpondent, nunquam ſe aliquid accepturos de manus impoſitione.*

VI. Illud denique advertendum, electos Epiſcopos, & a Metropolitano confirmatos, jam tum ante ordinationem ſuam Epiſcopos ſe dixiſſe. In Concilio Bellovacenſi ſub Carolo Calvo poſt omnes Epiſcopos ſubjicitur nomen *Hincmari Presbyteri, & vocati Archiepiſcopi* (3). Inter Lupi Ferrarienſis Epiſtolas illa legitur Reginæ Irmentrudis ad Pardulum Epiſcopum Laudunenſem, cui ſe precibus ad Deum ſuis ſuffragaturam pollicetur die qua conſecrabitur. Electus ergo & a Metropolitano ſuo confirmatus Pardulus, jam tum vocabatur Epiſcopus etiam ante ordinationem ſuam.

VII. Nec minus tenaces erant Græci priſcorum Canonum obſervantiæ in examinandis & confirmandis Epiſcopis a Metropolitano. Concilium VII. Œcumenicum Metropolitanum huic examini præfecit, quem & prohibuit cuiquam manus imponere, niſi qui ſit abunde in Scripturis canoniciſque inſtitutis verſatus, poſſitque hæc æternæ vitæ lumina in populos diſpergere, & ipſe ſe recipiat ſpondeatque cœleſtibus præceptionibus ante alios obtemperaturum (4): *Inquiratur diligenter, ſi in promptu habeat legere ſcrutabiliter, & non tranſitorie, tam ſacros Canones & ſanctum Evangelium, quam divini Apoſtoli librum & omnem divinam Scripturam, atque ſecundum Dei mandata converſari, & docere populum ſibi commiſſum.*

Cenſet porro Balſamon poſſe Epiſcopum a Metropolitano ordinari, cui duo adſiſtant ejuſdem, vel alterius etiam Provinciæ Epiſcopi. Idque ille pronuntiat adverſus eos qui propriæ Provinciæ Epiſcopos neceſſario deſiderabant, vel ternos ſaltem Epiſcopos requirebant præter Metropolitanum. Denique extat etiam nunc in Jure Orientali Profeſſio fidei, qua aſtringebantur Epiſcopi, eum ordinabantur, necnon & promiſſio vitæ ad ſacrorum Canonum ſanctorumque Patrum normam componendæ (5): *Recipio ſeptem Synodos, promittens me ſtatuta ab eis Canones ſervaturum, itemque Conſtitutiones a Patribus promulgatas.*

VIII. Non minus Abbatum quam Epiſcoporum electio canonicis ſanctionibus aptanda erat. Examine ergo & confirmatione opus erat, ut conſtaret in Canonum leges nihil in ea peccatum eſſe. In Epiſcopalibus Abbatiis ne in dubium quidem trahi poteſt, quin eas examinandi & confirmandi partes impleverint Epiſcopi. Hæſitaremus forſan in Regalibus, niſi eum ſcrupulum exemiſſet Concilium Francofordienſe, ubi cavit ne injuſſu Epiſcopi Diœceſani Abbates etiam juſſu Regis eligerentur (6): *Ut Abbas in Congregatione non eligatur, ubi juſſio Regis fuerit, niſi per conſenſum Epiſcopi loci illius.*

IX. Sed cum non agatur eo Canone, niſi de Abbatibus eligendis, reſidere poterat aliquid dubitationis de iis ſive Abbatibus, ſive Abbatiſſis, quibus nominatione Principum gradus ſtraebatur ad eas dignitates, an illi etiam canonico examine excutiendi & ab Epiſcopo confirmandi eſſent. Jus quidem ipſum extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Si enim, ut ſupra diximus, Epiſcopi quos e Palatio Rex deſignaſſet, obnoxii erant examini Metropolitani, & quidem multo ſcrupuloſiori, quam ceteri: equid cauſæ ſubeſſe poterat, quæ Abbates & Abbatiſſas ei ſubduceret neceſſitati? Sunt & irregularitates canonico Jure deſignatæ, quæ a Monaſticis arceant dignitatibus. Examine ergo hic quoque opus eſt, & cenſore Epiſcopo. Omnes tunc prorſus Abbatiæ juriſdictioni ſuberant Epiſcopi. Qui potuiſſent autem Epiſcopo ſubeſſe, qui regendi Cœnobii curam ab Epiſcopo non ſuſcepiſſent? Cum denique gregis Chriſti portio melior & illuſtrior Cœnobiis includatur, ecqui potuiſſet illa Epiſcopis ſubduci, quibus eam Paſtor ipſe ſummus ſubjeciſſet?

X. Sed

(1) Can. 7.
(2) Du-Cheſne t. 3. p. 801.
(3) Ann. 845. t. 3. p. 23.
(4) Can. 2.
(5) In Can. 53. Carthag.
(6) Can. 17.

X. Sed quam dilucide jus quidem ipſum Epiſcopis ſuffragatur, tam adverſaria & infeſta videntur facta, & ſparſa paſſim exempla. Præcepit Ludovicus Pius Abbatibus, quos nominaverat, ut Epiſcoporum ſalutaribus monitis morigeros ſe præſtarent (1): *Abbatibus & Laicis ſpecialiter jubemus, ut in Monaſteriis, quæ ex noſtra largitate habent, Epiſcoporum conſilio & documento, ea quæ ad religionem Canonicorum, Monachorum, Sanctimonialium pertinent, peragant, &c.* Ei Ludovici præceptioni pauci obſecuti ſunt, cum eam iterare rogatus ſit a Concilio Pariſienſi VI. anno 829. (2) *De Abbatibus & Abbatiſſis illud depoſcimus, ut expreſſe a veſtra ſerenitate admoneantur, &c. Ut noſtram admonitionem libenter audiant, benigne ſuſcipiant, & obedienter adimpleant.* Minus neceſſarium fuiſſet id vel præcipi, vel inculcari, ſi dari non potuiſſent Abbatiæ, niſi aſſentiente & confirmante Epiſcopo, qui canonicam tunc obedientiam ſibi promitti expreſſiſſet.

Nec tantopere forſan laboraſſet id Concilium apud eundem Ludovicum, ut nonniſi dignos deligeret Paſtores Abbatiarum (3), ſi in poteſtate Epiſcoporum fuiſſet, ubi minus digni obtruderentur, eos repudiare, & confirmatione abnuenda fruſtrare. Poſtremo nec eundem forſan Imperatorem monuiſſent hujus Concilii Præſules, quanto ſe periculo immergeret nominandis Abbatiſſis; cum ei malo tam facilem poſſet Epiſcopus adferre medicinam, confirmationem ſimiliter abnuendo (4): *Depoſcimus, ut in Abbatiſſis conſtituendis, veſtrum ſpecialiter caveatis periculum.*

XI. Principes denique illud a ſe amoliti eſſent periculum, ſi Capitularibus ipſi ſuis ſeſe accommodaſſent, ubi præceperant, ut eligerentur Abbatiſſæ ſola meritorum contemplatione, & tunc eas Epiſcopus confirmaret (5): *Abbatiſſa eligatur a cuncta Congregatione, &c. Ea tunc confirmetur ab Epiſcopo, cui Monaſterium ſubjectum eſt.*

CAPUT XXX. *P. 3. l. 2. c. 35.*

De confirmatione Epiſcoporum per Romanos Pontifices ſub Imperio Caroli Magni.

I. Inuſitatis tantum quibuſdam caſibus confirmatæ ſunt a Pontifice electiones Epiſcoporum.

II. Ut inexpugnabiles quidam obices ſummoverentur poſt electionem canonicam.

III. Ad irritandam Metropolitani confirmationem Canonibus infeſtam.

IV. Ad confirmationem dandam, quæ dari niſi diſpenſando non poterat.

V. Miſſo Pallio Archiepiſcopi quodammodo confirmantur.

VI. Ut nominabat, ita confirmabat quandoque Papa jure devoluto.

VII. Devolvebatur quandoque ad eum ſola confirmatio, ut quam præter fas Metropolitanus abnueret.

VIII. Primatiæ quandoque, ſeu Exarchatus ea erat prærogativa, ut non Metropolitani tantum, ſed & Epiſcopi ipſi ab eo confirmarentur.

IX. Confirmatio cum diſpenſatione erubeſcenda.

X. Probatur Romanos Pontifices juri Metropolitico confirmandi patrocinatos ſemper fuiſſe, nec ipſoſmet confirmandi ſibi jus ſumpſiſſe, niſi ad utilitatem Eccleſiæ.

XI. Summa rationum, quibus adducti Pontifices electiones ipſimet confirmarunt.

I. PAtefactum eſt ſatis ſuperque capite ſuperiori, ex Canonum regulis electos, examinatos, confirmatos, denique ordinatos fuiſſe Epiſcopos, non interpoſita tum quidem auctoritate Papæ. Solemnis ea & uſitatiſſima erat diſciplina. Sed ingenue fatendum inuſitatas fuiſſe quaſdam rerum, locorumque & temporum cauſas, quibus neceſſe fuerit intervenire Sedem Apoſtolicam, ſtabiliendæ Epiſcoporum quorundam electioni: quibus ex initiis ea profecta ſunt incrementa, ut tandem poſtrema hac ætate Epiſcoporum confirmatio ab Apoſtolicæ Sedis examine & aſſenſu toto pene Chriſtiano orbe ſuſpenſa & religata ſit. Quam tenuia

[1] Ann. 823. Can. 8. Con. Gall. t. 2. p. 453. [2. Can. 18.
[3] Cap. 22. [4] Can. 23. [5] Capitul. l. 5. c. 231.

mula fuere quandoque principia, & quæ oculos pene fallerent, tam immania inde manarunt mutationum documenta in moribus Eccleſiæ, ut non immerito pro virili deſudandum nobis ſit, quo has diſciplinæ variantis & ad noſtros nunc utius declinantis vices exploremus, oculiſque ſubjiciamus. Exhinc enim tanto propenſius Numinis Providentiam mirabimur & colemus, quæ conſtantem quandam & incorruptibilem pulchritudinem ex hac mutationum inconſtantia molitur.

II. Ordinatus fuerat Hieronymus Lauſanenſis Epiſcopus ab Epiſcopis iis, quos gravi morbo jacens delegarat Metropolitanus. Carolus Craſſus Italiæ tum Rex Eccleſiæ ſuæ aditus ei intercludebat omnes. Scripſit Joannes VIII. ad hunc ipſum Regem, ad Metropolitanum Veſuntionenſem, ad Epiſcopum denique Vercellenſem, qui gratia apud Regem pollebat, ut huic amoliendo obici operam navarent, conteſtatus, quandiu Hieronymus vitam ageret, non paſſurum ſe, ut ab alio quovis Lauſanenſis Eccleſia regeretur(1): *Nam eo vivente in alterius electione vel Epiſcopali conſecratione aſſenſum nullo modo præbebimus. Quin potius Apoſtolica hoc fieri auctoritate modis omnibus inhibebimus: ne contra ſtatuta Patrum duo in una videantur civitate eſſe Epiſcopi.* His extremis verbis innuitur, non ſe interpoſuiſſe Pontificem niſi ut univerſalem Canonum vindicem & executorem, per quos nefas eſt Epiſcopo ſuperſtiti alterum ſubrogari: denique non aliud Joannem, quam auctoritate & ope ſua adfuiſſe ordinationi & confirmationi ſecundum Canones factæ.

III. Prodeat ex adverſo cauſa alia, ubi factam præter Canones ordinationem & confirmationem Papa infirmavit, confirmavit autem electionem aliam canonicis inſtitutis magis conſentaneam. Confirmaverat ordinaveratque Herimannus Archiepiſcopus Colonienſis Hilduinum Tungrenſem, ſeu Leodienſem Epiſcopum, qui nec Populi electione & Cleri, nec Regis aſſenſione nitebatur: in præceps autem Metropolitanum Colonienſem agebat ſolus terror novi Lotharingiæ Ducis Gilleberti, qui Hilduino ſtudebat. Hanc illi ignaviam exprobravit anno 992. Joannes X. Papa, admonuitque ſolos tanti eſſe Reges inter temporales Principes, ut eorum conſenſionis ratio habenda ſit in electionibus Epiſcoporum. Cum vero Richerius a Clero & Populo electus fuiſſet, approbatuſque a Carolo Simplici Rege, illum ſibi potius ordinandum fuiſſe. Denique Romam citavit Pontifex Archiepiſcopum, & duos Competitores, ut ibi cauſa finiretur (2): *Quia magis hominis, quam Dei formidine metuiſtis, quod inutiliter geſtum eſt, noſtra imbuti admonitione, ut citius emendare delectemini, omnino monemus.* In Chronico Abbatum Lobbenſium affirmatur Richerium a Papa confirmatum, & ordinatum fuiſſe.

IV. Promo nunc exemplum longe diverſum, ubi pro confirmando Archiepiſcopo Bituricenſi, quem nominaſſet, Rex Pontificem interpellat. Certe id ea fiebat neceſſitate, quod diſpenſatione opus eſſet, quam ſola in poteſtate haberet Sedes Apoſtolica. Ebbo Remenſi abdicatus Metropoli, Vulfadum nihilominus ordinaverat. Eam ordinationem irritam pronuntiaverat Concilium Sueſſionenſe II. Retractata ea cauſa eſt in Concilio Sueſſionenſi III. ubi decretum eſt, ut Pontifici Romano integra ſervaretur eorum reſtitutio, quos Ebbo poſt abdicationem ſuam ordinaſſet. Antequam Vulfadus poſſet reſtitui, immo & antequam coiret Concilium Sueſſionenſe III. Carolus Calvus illum Archiepiſcopatu donavit Bituricenſi, & incunctanter ad Nicolaum I. Papam litteras dedit, ut poſtularet. 1. Quo Vulfadus ordinari poſſet Presbyter proximo menſe Septembri. 2. Ut Presbyter initiatus Bituricenſem Eccleſiam adminiſtrare poſſet, dum poſſet Epiſcopus ordinari. 3. Ut ſi Pontifex opperiendum cenſeret Concilium Sueſſionenſe III. ſineret ſaltem commendari interim a Rege eam Vulfado Metropolim (3): *Si vero hoc vobis diſplicet, antequam vobis de jam dicta Synodo renuntietur, liceat mihi vel ipſam Eccleſiam propter ſæpe dictam neceſſitatem illi committere, ne undique a pravis concutiatur hominibus.* Et in alia Regis ad Pontificem Epiſtola: *Bituricenſem Eccleſiam quia dare abſque Apoſtolatus veſtri determinatione diſtulimus, commendare ſibi eandem Eccleſiam cum rebus ſibi pertinentibus acceleravimus.* Electus tamen fuerat Vulfadus in Archiepiſcopum Bituricenſem a Diœceſanis omnibus, & ab Epiſcopis Provinciæ, ex ipſius Regis teſtimonio: *Concilio accepto omnes Epiſcopi & fideles noſtri*

(1) Ep. 242. 244. 245. (2) Conc. Gall. t. 3. p. 576. Spicil. t. 6. p. 562.
(3) Conc. Gall. t. 3. p. 615. 300. 614.

ſtri regni ipſaque etiam Diœceſis unanimiter in electione prædicti Vulfadi conſenſerunt. Confirmanda igitur neceſſario erat a Pontifice, tum electio, tum Regia nominatio, propterea quod diſpenſatione opus eſſet. Quanquam etenim potuiſſent & Epiſcopi tunc diſpenſare, ſi in Concilio Sueſſionenſi III. Vulfadum reſtituere in animum induxiſſent: rem ipſi totam tamen ad Pontificem referre maluerunt.

V. Cum Hadrianus I. petente Carolo Magno Pallio decoraret Bituricenſem Archiepiſcopum, ea adhibuerat verba, ex quibus conjectura duci poſſet, ipſa Pallii conceſſione confirmari Archiepiſcopum (1): *Prædicto Ermemberto a noſtra Apoſtolica Sede, atque auctoritate, Archiepiſcopo conſtituto in Metropol. civit. quæ Biturigas cognominatur, uſum Palli conceſſimus*. Reapſe tamen mera ea erat Pallii conceſſio, qui cumulus eſt honorum & inſignium ornamentorum, quibus honeſtari poſſunt Archiepiſcopi. Niſi ſi eo Pallio addita fuerit Primatis, ſeu Exarchi prærogativa & poteſtas in Aquitanicas tres Provincias: de quo alias, ubi de Primatibus & Exarchis diſputatum eſt.

VI. Non ea confirmatio, ſed nominatio fuit Epiſcopi, cum Joannes VIII. Vercellenſem Clerum plebemque videns impacato diſſidio inter duos Competitores fluitare, utrumque ejus Epiſcopatus ſpe dejecit, Goſpertum Diaconum ipſe nominavit, Carolomanni Italiæ Regis aſſenſum elicuit per litteras, tumque ipſemet Goſpertum, ſeu Conſpertum ordinavit, vehementer aſſentientibus Epiſcopis Provinciæ: in Concilio denique Romano Anſpertum Mediolanenſem Metropolitanum ſede exturbavit, quod præter Papæ & Regis voluntatem Epiſcopum alium ordinare adgreſſus eſſet (2). *Contra Regiam & noſtram Apoſtolicam voluntatem*.

VII. Contra autem confirmatio ea fuit, non nominatio, cum Archiepiſcopo Viennenſi pervicacius partes Boſonis Regis tuente, & partium ſtudio differente confirmationem & ordinationem Optandi, electi Epiſcopi Genevenſis; muneris ſui duxit Joannes VIII. ceſſationi Archiepiſcopi mederi, nec diutius pati ejus Eccleſiæ lacrymas & orbitatem. Itaque ordinavit ipſemet Optandum (3), a populo electum, & aſſenſu Imperatoris firmatum. Vide ut ipſemet ea de re ſcripſerit ad Clerum & Populum Genevenſis civitatis (4). *Caroli Imperatoris Principumque relatu, veſtram Eccleſiam viduatam cognoſcentes Paſtore, & propter diſſenſionem Boſonis, cui ſociatus ejuſdem ſedis videtur Metropolitanus, ordinationem electi veſtri Optandi differri, auctoritate & poteſtate Apoſtolica, ſecundum deprecationem ejuſdem Imperatoris atque Optimatum ejus, præcognita veſtrum omnium in eodem Optando electione, ne diutius Eccleſia viduata maneret Paſtore, conſecravimus eum, &c.* Ceſſante Metropolitano, & devoluto ad ſe jure, confirmavit & ordinavit Optandum Epiſcopum Pontifex, & ne id quidem moltus eſt, niſi confirmatis in poſterum privilegiis veruſtiſſimis Eccleſiæ Viennenſis: *Salvo deinceps loci ejuſdem privilegio antiquo propriæ Metropolis*.

Confirmatam dixi a Papa Optandi electionem, quam confirmare detrectaverat Archiepiſcopus Viennenſis, cauſatus nimirum quod Optandus nec Baptiſmo fuiſſet, nec Tonſura initiatus, nec ordinatus, nec litteris imbutus in civitate Genevenſi, nec denique acclamatus, quod fit, ut nunc loquimur, Bannorum publicatione. *Nec baptizatus, Clericatus, ordinatus, acclamatus, eruditus unquam extiterit Eccleſiæ Genevenſis*. Has tergiverſationes uno verbo ſepſit & intercluſit Pontifex, reſponſo nimirum hoc: iiſdem omnino rationibus abigendum ipſum fuiſſe ab Eccleſia Viennenſi. Ceterum ei juris ad Pontificem devolutioni non acquievit Viennenſis Præſul, & nihili ducens, quod ab eo factum fuerat, Optandum in carcerem conjecit, & alium ipſe Genevæ Epiſcopum ſubſtituit. Præcepit per litteras Pontifex, ut Optandum reſtitueret, & Romam properaret, ut in Concilio Romano mox habendo cauſam ipſe ſuam defenſitaret.

VIII. Rurſum & nominatio illa fuit, & confirmatio, ubi idem Pontifex reſcita Faventini Epiſcopi morte ad Archiepiſcopum Ravennatem ſcripſit, ut Dominicum Archidiaconum ejus loco ordinaret. Alium ſubrogavit Archiepiſcopus, & vibrato ſtatim anathemate Pontifex ad Romanum illum citavit Concilium. Erat cauſa omnino ſpecialis. Contendebat enim Papa nullos poſſe a Ravennate ordinari Epiſcopos, niſi aſſentiente Apoſtolica Sede, ut alibi

[1] Du-Cheſne. T. 2. p. 804.
[2] Ib. p. 895. 897. 901.
[3] Ib. p. 909.
[4] Joan. VIII. Epiſt. 281. 292. 295.

alibi oſtenſum (1). *Sine noſtri Pontificii auctoritate, ſive licentia.* Eō quidem uno poterat repudiari, quem Ravennas ordinarat. At jus quod ſibi ſumebat Papa nominandi fundamento quopiam alio nitebatur, puta, ſi fors concordia aliqua inter utramque ſedem fuiſſet inita: quod inſinuari videtur his verbis: *Tuæ ſponſionis juratoriam paginam.*

Videbatur ſibi quondam Nicolaus Papa reſervaſſe confirmationem Epiſcoporum Provinciæ Ravennatis, poſt electionem canonice factam, ante ordinationem a Ravennate faciendam. Sive id jus eſſet Exarchi in ſuæ Primatiæ Metropolitanos, ſive multa in Archiepiſcopos decreta, nempe tam contumaciter & tam diu poteſtate ſua abutentes (2). *Sancimus ut Epiſcopos per Æmiliam non conſecres niſi poſt electionem Ducis, Cleri & Populi, per Epiſtolam Apoſtolicæ Sedis Præſulis acceperis eos conſecrandi licentiam.*

IX. Confirmatio illa fuit, ſed cum propudioſa quadam diſpenſatione, ubi Hugo Hereberti Comitis filius, quinquennis adhuc electus eſt Archiepiſcopus Remenſis, & confirmatus a Joanne X. Papa; cujus vita contaminatiſſima, & infandis libidinibus merito exhorreſcenda, ſpem faciebat pudendarum id genus diſpenſationum (3). *Rodulphus Rex Legatos Eccleſiæ Romam mittere ſatagit, hujus electionis decretum ſecum ferentes, & aſſenſum Papæ ſuper ea petentes, Joannes Papa petitioni eorum conſenſum præbens, &c.* Sculphus quidem, cui in eam ſedem ſuccedebat Hugo conſenſum ante poſtulaverat ejuſdem Joannis X. ſed nonniſi poſtquam ordinatus fuerat, & non ad aliud, quam ut Pallium impetraret. Ita dici non poterat vere ea confirmatio (4). *Hic Præſul Legatos hujus Eccleſiæ Romam dirigens, pro conſenſu Papæ Joannis in ordinatione ſua, Pallium ab eodem ſibi miſſum cum literis privilegii hujus ſedis ſuſcepit.* Similiter etiam utcunque dici poſſet Metropolitanos omnes flagitando Pallio confirmationem poſtulare. Sed cum id perfecta demum ordinatione fiat, ad cumulum fieri dici poteſt; Canonica autem confirmatio dici non poteſt, quod ea neceſſario ordinationi præire debeat.

X. Denique ut fixa & inconcuſſa ſtent duo illa placita, quæ in hoc toto negotio dominari debent: 1. Canonicæ tantum devolutionis jure, ex utilitate & neceſſitate Eccleſiæ emergente, confirmatos fuiſſe a Papa extra Italiam Epiſcopos & Archiepiſcopos electos. 2. Eoſdem Pontifices ſerio incubuiſſe ad tuenda Metropolitanorum jura, & neceſſitate ſola ſuccurrendi Eccleſiæ laboranti, compulſos fuiſſe, ut ceſſantibus illis ſupplerent. Ut altius, inquam, conſtantiuſque animo inſideant duo hæc placita, refricanda memoria eſt obiter ejus rei, quæ fuſius ſupra a nobis narrata eſt. Epiſcopum Lingonenſem ordinaverat Aurelianus Metropolitanus Lugdunenſis, non expectata electione Cleri & Civium. Eo hinc migrante Lingonenſes elegere Theutholdum Eccleſiæ ſuæ Diaconum, ablegaruntque ad Stephanum VI. Papam, ab eo confirmandum ordinandumque. Pontifex Metropoli Lugdunenſi jura ſua volens ſarta tectaque ſervari, electum remiſit ad Aurelianum, ad quem reſcripſit, ut eum examini ſubjiceret, & vel approbatum ordinaret, vel cauſas ad ſe perſcriberet, abnegandæ confirmationis, ſeu ordinationis (5). *Clerus & Populus Theutholdum eligentes, ab ipſo Papa ordinari petierunt. Sed ille uniuſcujuſque Eccleſiæ privilegium inconcuſſum ſervare volens, id agere diſtulit, eumque Aureliano direxit, ſcribens ad eum, ut ſi Cleri populique vota in eum concordarent, & ſacri Canones illi non obviarent, manus illi imponere nequaquam differret. Quod ſi fieri ratio prohiberet, & id ipſum ſibi reſcriberet.* Aurelianus & Pontificias litteras, & Epiſcopum earum executorem ab illo miſſum contemptui habens, tandiu procraſtinavit ordinationem, ut Lingonenſes morarum pertæſi electum denuo Romam miſerint. Remiſit & illum denuo Pontifex ad Metropolitanum, iteratis mandatis, ut illum ordinaret, aut ejus abnuendi cauſas exponeret. Nil poterat deſiderari honorificentius, ad tuenda Metropolitani jura: *Volens Papa Lugdunenſis Eccleſiæ privilegium immutilatum conſiſtere, &c.* At Aurelianus contumaciam nova cumulans audacia, alium ordinavit Lingonibus Epiſcopum, ne conſulto quidem Clero, vel Populo. Tunc Pontifex ſe omnium Eccleſiarum ſollicitudine ſentiens gravatum, devolutas ad ſe etiam ratus partes Metropolitani, electum confirmavit primo, & tum denique ordinavit.

(1) Epiſt. 271. 274. (2) Anaſt. Bibl. in vita Nicol. I. (3) Flodoard. L. 4. c. 20
(4) Ib. c. 18. (5) Flodoard. L. 3. c. 1.

navit. *Nos qui omnium Eccleſiarum in B. Petro Apoſtolorum Principe curam ſuſcepimus, ſcientes, inter Epiſcopos non haberi eum, qui neque a Clero electus, neque a populo eſt expetitus, Theutholdum ordinavimus, &c.*

XI. Præter ea duo placita, quæ mirifice effulgeſcunt ex hoc Stephani VI. exemplo: ſunt & alia duo, quæ ex hoc Capite emicant; nimirum præter negligentiam & contumaciam Metropolitanorum, rogatos eſſe Pontifices, ut electiones Epiſcoporum ipſi confirmarent: 1. Quando opus fuit ejuſmodi diſpenſatione, quam ſola Sedes Apoſtolica concedere poſſet. 2. Quando is incidit obex, quem ſola Petri ſedes & majeſtas amoliri poſſet. 3. Adde & cum diſſidia partium ſedari non potuere, niſi interventione ſummæ Sedis. Crebreſcentibus in dies his cauſis gliſcebat & irrepebat paulatim recentior Diſciplina.

De Electionibus poſt annum Chriſti milleſimum. De concordatis Galliæ & Germaniæ.

CAPUT XXXI. *P. 4. l. 2. c. 39.*

Series hiſtorica Electionum Epiſcopalium in Gallia, a Clero & Populo, cum aſſenſu Regum, ab anno Chriſti milleſimo ad centeſimum ſupra milleſimum.

I. Ad hæc tria ſummatim Capita revocatur tota electionum pertractatio, Electores primarios fuiſſe ipſos Epiſcopos, Clero in iis plus tributum eſſe, quam populo, Conſenſum Regis neceſſario interveniſſe. Exemplum Arnulphi Archiepiſcopi Remenſis.

II. Epiſcopi Anicienſis exemplum, ubi apparet quantum in his potuerint Epiſcopi.

III. Alia exempla, ubi mira Principum auctoritas, longe tamen major & admirabilior auctoritatis moderatio.

IV. Quam rationem ſecutus ſit Gregorius VII. in electionibus Epiſcoporum?

V. Conciliorum ſub eo Pontifice exempla & ſtatuta. Conſenſio Abbatum & Agricolarum.

VI. De electionibus ſub Urbano II.

VII. Ex Epiſtolis ſancti Fulberti confirmantur tres ſummatim perſtrictæ hic regulæ.

VIII. Earundem probationes aliæ ex Epiſtolis Ivonis Carnotenſis.

IX. Ut extraordinarie quandoque incidant ea, quibus cogantur Pontifices & Reges, ut Epiſcopatus ipſi donent, nec rem incerto electionum committant.

I. INter ipſa Hugonis Capetii auſpicatiſſima Regni exordia, pauciſſimis ante annum Chriſti milleſimum annis, prima omnium occurrit electio Arnulphi Remenſis Archiepiſcopi in Concilio Remenſi, anno 989. Decretum ipſum electionis ad nos perlatum eſt, & ex eo exculpuntur ea prorſus omnia, quæ alicujus momenti ſint in hoc toto electionum negotio pertractando. Primo enim id inde effulgeſcit, maximum ſemper in iis auctoritatis pondus penes Epiſcopos fuiſſe. Secundo pluſculum ſemper Clero tributum eſſe, quam populo, quandiu ad eas vocata eſt plebs. Tertio perneceſſarium ſemper habitum fuiſſe Regium conſenſum. En ipſa Concilii verba, quibus ſatis aperte tria hæc inſinuentur. *Nos Epiſcopi Diœceſeos Remorum Metropolis, cum omni Clero, diverſi ordinis populo acclamante, orthodoxis noſtris Regibus conſentientibus, eligimus nobis in Præſulem.* Ponderanda ſunt hæc omnia verba. Epiſcopi eligunt cum Clero, applaudit teſtimonio ſuo populus, Reges aſſentiuntur.

Abdicato Arnulpho paucis poſt annis, nempe anno 991. iidem ipſi Epiſcopi Gerbertum elegerunt, qui poſtea ad Petri Sedem ſublimatus, Sylveſter II. dictus eſt. Decretum porro electionis iiſdem pene verbis temperatum fuit (1). *Nos Epiſcopi Remorum Diœceſeos, favore & conniventia utriuſque Principis noſtri, domni Hugonis Auguſti, & excellentiſſimi Regis Roberti, aſſenſu quoque eorum qui Dei ſunt in Clero & populo, eligimus nobis Archiepiſcopum Abbatem Gerbertum.* Ab his Epiſcopis jactatum eſt, populi violenta impreſſione expugnatam prius violentamque fuiſſe Arnulphi electionem; eoque, ut alias ſæpius, comprobatum eſſe, non ſemper vocem populi vocem eſſe Dei.

II. Subolet nobis, quæ poſſit hic naſci ſuſpicio; Eccleſiam nempe Remenſem Metropolitanam eſſe, eoque pluribus præpoſitam Epiſcopalibus Eccleſiis, quarum proinde

(1) Conc. Gen. T. 9. p. 734. 739.

inde Epiſcopi quaſi ſuo ſibi jure partes aliquas vindicent in ejus electione, cui & ipſos poſtea neceſſe ſit eſſe obtemperantes. At non ullum ei rationi fore locum in Epiſcoporum quorumlibet electione. Et ſane in Concilio Romano anno 998. exauctoratus eſt Stephanus, qui Epiſcopus Aniciensis Eccleſiæ electus fuerat, ſuperſtite adhuc Epiſcopo cuius nepos erat, & citra Cleri plebiſque ſuffragia: *Et quod ſit electus ſine Cleri & populi voluntate*. Decretum ibi eſt, ut Clerus & populus alium eligerent. *Ut Clerus & populus Civitatis Vallavorum licentiam habeant eligendi Epiſcopum*. Denique ut ne Rex Robertus quidquam obicis interponeret, contentus vero eſſet eo obſequio, quod Regni Epiſcopi ex officio ei impenderent (1). *Ut Cleri & populi faveat electioni, ſalva ſibi debita ſubjectione.*

Verum cum examen, confirmatio & conſecratio ejus quem populus Cleruſque elegiſſet, ſpectaret ad Metropolitanum, & ad Epiſcopos Provinciæ: non abſurde dicetur in hoc examine, in hac maxime factæ electionis confirmatione ipſam ſitam fuiſſe eligendi auctoritatem. Et certe in hoc ipſo Concilio ſuſpenſione animadverſi ſunt (2) Archiepiſcopus Burdegalenſis & Epiſcopus Nemauſenſis, quod Epiſcopum ordinaſſent eum, qui præter regulas canonicas electus fuiſſet. Eadem lex novo robore munita eſt in Concilio Remenſi anno 1049. ut electiones fierent a Clero & populo: *Ne quis ſine electione Cleri & populi ad regimen Eccleſiaſticum proveheretur.*

III. Concilio Rothomageuſi anno 1050. execrationi fuit eorum ſacrilega ambitio, qui muneribus Aulæ Regiæ adreperent, & Optimates demererentur, quo pervenirent ad Epiſcopales inſulas (3): *Multa munera undecunque collegiſſe audivimus, quibus Principem Regni & familiares ejus corrumpere valeant, ut ad Epiſcopatus honorem valeant pervenire*. Non quod jam a Regibus donarentur Epiſcopatus, ſed quod eorum commendationi tantum adderet ponderis Regni majeſtas, ut in electionibus non raro plurimum, aut totum poſſent: niſi ſuaderet religio longe pulchriorem & uberiorem aucupari gloriam ex tuitione Eccleſiaſticæ libertatis, & ex moderatiore uſu ſuæ poteſtatis, eo circumſcriptæ, ut ipſis permittentibus fiant electiones, canonice factæ ipſis aſſentientibus firmentur.

Nec alia erat ceterorum Principum ratio. Cum anno 1052. Lemovicenſis obiiſſet Epiſcopus, Clerus populuſque alium expetierunt a Guillelmo Aquitaniæ Comite. Enixus eſt & ipſe, ut dignum tanto faſtigio inveniret: omnes denique ad electionem Lecteri conſpirarunt, unus ipſe electioni ſuæ refragatus eſt. Vide ut ea ſuffragiorum conſpiratio deſcribatur (4): *Poſtremo ſententia Cleri & populi, necnon & Comitis totiuſque Aquitaniæ poteſtatis in unum convenit, &c. Elegimus reluctantem & contradicentem, ex voluntate & conſenſu domini Guillelmi Comitis & Ademari Vicecomitis, omniumque Procerum, & Cæſarorum, totiuſque populi, atque totius Cleri*. Tum deductus eſt ad Metropolitanum Bituricenſem, ut ab eo ordinaretur, tanquam qui *ab omnibus Comprovincialibus Epiſcopis collaudatus* eſſet. Statim ab exordio Epiſcopum a Comite flagitarant (5): *Ut Deo dignum Epiſcopum provideret*. Nihil tamen de libertate electionis imminutum eſt, cum communicato cum Clericis Laiciſque conſilio tractata ſint omnia, ſanctiſſimi autem Epiſcopi electioni incunctanter ſuffragati ſunt Comprovinciales.

IV. Illuſtrabitur non mediocriter Canon iſte Rothomagenſis Concilii, prolatis in medium Epiſtolis Gregorii VII. Papæ. Munera enim de quibus ibi agitur, non alio ſpectabant, quam ut Regius expugnaretur aſſenſus, accederetque electioni jam factæ a Clero & populo. Quæ munerum corruptela & frequentiſſima eo ævo erat, & eo vel maxime abominanda. Petebat Papa, ut Rex Philippus gratis Epiſcopatum daret ei, qui conſentiente ipſo electus fuiſſet (6): *Unanimi Cleri & populi conſenſu, ipſius etiam, ut audivimus, Regis aſſenſu electum, Epiſcopatus dono gratis, ut decet, conceſſo, Eccleſiæ præfici patiatur*. Ad eum modum Rex Epiſcopatus dono dabat, poſt electionem canonicam electo temporales res omnes Eccleſiæ concedendo, quarum cuſtodiam, cum vacaret ſedes, per miniſtros ſuos exercuerat. Meminit alibi idem Pontifex Epiſcopi Dienſis, qui electus & ipſe fuerat conſenſu unanimi Cleri, Populi, & Comitis ipſius, qui ſtatim ei ſe fidelitatis ſacramento aſtrinxerat: *Cum conſenſu omnium aliorum in Epiſcopum elegeras, & fidelita-*

(1) Can. 5. 7. 8. (2) Ibidem. Can. 6. (3) Can. 2.
(4) Conc. Gen. Tom. 9. p. 1068. (5) Ibidem. (6) Ann. 1073. L. 1. Ep. 35. 69.

tem sibi ex more fecerat. Ita Pontifex ad Comitem.

Cum Dolensis in Armorica Provincia civitatis Clerici Laicique Episcopum elegissent, qui nequedum idonea esset ætate; Romamque misissent, ut ibi a Pontifice ordinaretur: ille quidem a Pontifice repulsam passus est; at incunctanter ipsemet cum iis quos habuerat Romani hujus itineris comites, elegit Abbatem sancti Melanii apud Rodones, qui unus ex suis comitibus erat, rogavitque Pontificem ut illum certe ordinaret. Annuit libentissime Gregorius, quod ei muneri strenuissime obeundo non impar esset Abbas (1): *Cum multa petitione & electione illius, & eorum qui cum eo venerant, Episcopum ordinavimus licet invitum.* Erat ea electio per compromissum. Cum vero Pontifex idem gradu movisset Episcopum Carnotensem simoniæ convictum, ad *Clerum* scripsit, & *populum*, ut alium eligerent, *præmissis orationibus, atque triduano jejunio, & eleemosynis* (2). Scripsit & ut dejiceretur Episcopus Aurelianensis, utpote intrusus, *sine idonea Cleri & populi electione*. Congratulatus est *Clero & populo* ejus civitatis, quod Ecclesiæ suæ Clericum Samsonem Episcopum sibi elegissent. Cum crebris illum precibus fatigaret Philippus Franciæ Rex, quo Carnotensem Episcopatum cuidam Calabriæ Abbati daret, *ut eum ad regimen Carnotensis Ecclesiæ probaremus & ordinaremus*: non speravit tamen Pontifex regiis votis indulgeri id a se posse sine canonica electione: *Verum quia sanctorum Patrum statuta sequi & observare cupimus, nihil de eo, aut de promotione ejus sine electione Ecclesiæ nobis probandum esse judicavimus*. Rescripsit ergo ad suum per Gallias Legatum, Episcopum Diensem, ut certiorem se faceret, an posset canonice eligi, quem Rex proponebat: *Ut illorum in hunc Abbatem voluntas libera, consideratio prudens, electio canonica, & sanctorum Patrum regulis consonans dignoscatur.*

Si is fuisset Gregorius VII. qui lubenter donandorum Episcopatuum potestatem sibi sumeret, dabat se sane occasio plausibilis, cum Dolenses Episcopum sibi creaverunt ætate immaturum, & ubi Rex Italo Abbati Carnotensem conferri Ecclesiam urgebat. Sed nondum is usus inoleverat, & observantior erat Canonum Gregorius, quam ut viam illi pandaret. Nondum usu receptum aut confirmatum erat, ut ubi electionem minus canonicam callaverat Pontifex, Episcopum ipse designaret; aut ubi vacarat Episcopatus in urbe Roma. En novum ejus rei documentum. Iamdiu vacabat Arelatensis sedes. Scripsit Gregorius *universo Clero & populo* ejus urbis (3), mitti a se ad eos Episcopum Vapincensem, qui cohorretur eos, ut vel idoneum sibi deligant Episcopum, quem sibi testimonio suo approbare possit Diensis Episcopus Legatus Apostolicæ suæ Sedis: aut si non habeant qui ferendo par sit oneri tantæ dignitatis, spondeant se admissuros eum, quem ipse Romam mittet, Pallio exornarum. Non captabat, ut vides, Pontifex ansam dandi Arelatensi Ecclesiæ Pastoris, sed molestissime ferebat tamdiu eam sponso & Pastore destitui. Non tam circumspecte egit hic idem Pontifex cum Abbatiæ Dolensis Monachis in Biturigibus (4). Resciro enim electum fuisse ibi in Abbatem eum, quem Romana Ecclesia anathemate illaqueasset, illum protinus in Concilio Romano exauctoravit, eique Cœnobio Abbatem præfecit Archiepiscopum Viennensem (5). *Archiepiscopum Viennensem vobis in Abbatem ordinavimus, ei per omnia ut Patri & Abbati obedietis.* Jam invalescebat ea lex, ut qui indignum eligunt, eligendi jure ea vice careant, idque ad Superiorem devolvatur.

Canonicam Archiepiscopi Narbonensis electionem Gregorius toto auctoritatis suæ pondere firmavit (6). Cum Manasses Remensis Archiepiscopus a Pontificio Legato Episcopo Diensi abdicatus fuisset, eique judicio subscripsisset Concilium Romanum, scripsit Pontifex ad Clerum & populum Remensem, alium ut eligerent *assentiente Diensi Episcopo*. Ad Hebolum Comitem scripsit ut Episcopum admitti curaret eum, quem sanior Cleri pars elegisset cum assensu Legati. *Quem saniori consilio pars Cleri melior eum consensu Legati nostri elegerit.* Episcopis autem Provinciæ suffraganeis scripsit, ut a Clericis Laicisque eligi juberent assentiente Legato eum Episcopum, qui tantæ dignitatis molem sustinere possit. *Quatenus adhibitis illius Ecclesiæ Clericis talis persona eum consensu Legati nostri ut eligatur procuretis, quæ &c. Nos enim eam electionem, quam pars Cleri & populi melior & reli-*

(1) L. 4. Ep. 4. 5. (2) L. 4. Ep. 16. L. 5. Ep. 5. 11. 14. (3) L. 6. Ep. 11.
(4) Burdieux en Berry. (5) L. 7. Ep. 27. 28. (6) L. 8. Ep. 16. 17. 18. 19. 20.

religioſior fecerit, confirmamus. Ad ipſum denique Regem ſcripſit, ut ne laboranti ei tum Eccleſiæ auctoritate, ope, favore ſuo deeſſet. Aſſenſus certe hic Legati locum obtinebat confirmationis alioqui a Romano Præſule repetendæ.

Comprovinciales Epiſcopi nonnihil hic adhuc auctoritatis obtinebant in electione Metropolitani; ſed ea in dies extenuari videbatur. De ea rurſus idem Pontifex agit, in electione Archiepiſcopi Lugdunenſis, ubi litteras dat ad Epiſcopum, in eam Sedem ut ſe transferri ſinat, cum a Clero & plebe electus in eam ſit, & a Comprovincialibus rogatus (1). *Rogatus a fratribus tuis, & electus ab ejuſdem Eccleſiæ filiis*. Nondum hic accurate diſtinguit poſtulationes ab electionibus, & permittere adhuc videtur Epiſcopis provinciæ facultatem transferendi Præſules, ubi cogit Eccleſiæ neceſſitas. Nec ei enim translationi locus eſſe debebat, niſi ne diutius amplitſimæ ejus Eccleſiæ Sedes vacare ſineretur. *In magna Sede Lugdunenſi non diu differatur ordinari Epiſcopus*.

V. In Concilio Cabilonenſi anno 1073. exauctorato Dienſi Epiſcopo ſimoniaco, electus eſt alius Epiſcopus *de Clericorum pene omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc affuit ſuffragio, de Sacerdotum & bonorum virorum collegio*. Concilium Auguſtodunenſe anni 1077. cui præerat Legatus, ejecto Archiepiſcopo Lugdunenſi ſimoniæ convicto, in ejus locum Gebuinum elegit: *Hoc totius Concilii acclamavit aſſenſus, hoc etiam Lugdunenſis Eccleſiæ Clericorum & Laicorum qui aderant, expetiit bonæ voluntatis affectus*.

Romanum denique Concilium anno 1080. ſub eodem Gregorio VII. hunc edidit Canonem luculentum, ad modum in electionibus delineandum. Eo autem ſancitur, ut a Papa vel a Metropolitano mittatur Epiſcopus viſitator, qui Clericis Laicisque eligentibus præſit; ſi favore aut muneribus ab æquitatis orbita abducantur electores, jure tum eligendi exuantur, & irrita ſit ea electio: principem locum auctoritatis ubique obtineat Metropolitanus; qui ſi indignum confirmet, confirmandi jure excutitur (2). *Inſtantia Viſitatoris Epiſcopi, qui ab Apoſtolica vel Metropolitana Sede directus eſt, Clerus & populus remota omni ſæculari ambitione, timore atque gratia, Apoſtolicæ Sedis vel Metropolitani ſui conſenſu, Paſtorem ſibi ſecundum Deum eligat. Quod ſi corruptus aliquo vitio aliter agere præſumpſerit, electionis perperam factæ omni fructu carebit, & de cetero nullam electionis poteſtatem habebit. Electionis vero poteſtas omnis in deliberatione Sedis Apoſtolicæ, ſive Metropolitani ſui conſiſtat. Si enim is ad quem conſecratio pertinet, non rite conſecrando, teſte B. Leone, gratiam benedictionis amittit, conſequenter is qui ad pravam electionem declinaverit, eligendi poteſtate privatur*.

Non exprimitur hoc Canone, ad quem fiat juris devolutio, ubi Clerus & populus favore vel donis faſcinati aberrarunt, aut Metropolitanus ipſe eodem iniquitatis ſe torrente implicari abſtrahique paſſus eſt. Nec tamen arduum eſt id divinare. Cum enim *omnis poteſtas electionis* in Metropolitano relideat, perſpicuum eſt Cleri populique exerrantis jus ad eum devolvi, & ad Epiſcopos Provinciæ, quorum in Collegio ille hæc tantæ molis conſilia ponderat. Si vero Metropolitanus & Comprovinciales a recti tramite & ipſi deſciſcant, vix ac nec vix fieri poteſt, ut ad alium quemvis fiat devolutio, præterquam vel ad Pontificem, vel ad Exarchum, ſeu Primatem, ſi quis ejuſmodi ſit, qui ei Metropoli immineat. Ideo & in hoc Canone alternis memoratur Metropolitanus, aut Papa.

Tot Simoniacis Epiſcopis ſede ſua depulſis, totque aliis occurſantibus occaſionibus, quibus poſſet Gregorius Epiſcopales Eccleſias ſuo arbitratu conferre, ſi illa eum incendiſſet, aut vel aſſlaſſet cupiditas: cum ea re ſemper ille ſe abſtinuerit, univerſim & tuto pronuntiari poteſt, nuſquam omnino illum ultro ſe ullis electionibus interpoſuiſſe; atque adeo nec diverſum quidquam exprimi poſſe ex una Epiſtolarum ejus in Appendice (3).

Habitum videri non injuria poteſt eodem anno 1080. Cabilone Concilium (4), cum electus ibi fuerit Epiſcopus Cabilonenſis, confirmatuſque ab Epiſcopis Matiſconenſi & Auguſtodunenſi, & ab Archiepiſcopo Lugdunenſi, ut ex electionis Decreto ipſo addiſcimus. Ex eo autem rurſum eniteſcit Abbates Cluniacenſem, Trenorchienſem, & ſancti Petri Cabilonenſis cum ſuis Monachis aſſenſum ſuum accommodaſſe, cum Clero & Populo, non urbano tantum, ſed & ruris & circumpoſitæ regionis.

VI.

(1) L. 9. Ep. 18.
(2) Can. 9.
(3) Appendix Epiſt. 3.
(4) Conc. Gen. T. 10. pag. 396.

VI. Gregorii VII. veſtigia ſectatus eſt Urbanus II. eodemque zelo æſtuavit Canonum ſervandorum. Cum in ejus manus Carnotenſem Epiſcopatum reſignaſſet Gofridus ejus urbis Epiſcopus, ab eo ante depoſitus: *Gaufrido per nos depoſito, &c. Gaufrido, qui ſine conditione omni noſtris manibus Epiſcopatum reddidit: Clerum & Populum* hortatus eſt tantummodo, ut Ivonem eligerent, quem & electum poſtea ipſe ordinavit (1). *Ivonem canonice ſecundum monita noſtra elegiſtis.*

VII. Quæ ex Conciliis & Pontificum hactenus decretis hoc XI. ſæculo obſervata ſunt, confirmari ea & illuſtrari poſſunt ex Epiſtolis beati Fulberti Epiſcopi Carnotenſis. Fatetur Fulbertus voluiſſe Regem, ut ei præeſſet Eccleſiæ, eoque præjudicatum eſſe, & ut ipſe Regi fidem, Rex ipſi tuitionem præſtaret (2). *Succurrite Eccleſiæ, cui nos fideles veſtros quantum poſſumus, præeſſe voluiſtis.* Sed in litteris ad eum datis, qui Epiſcopatu ſponte abierat, & cui ſucceſſor jam datus fuerat, aperte idem declarat, donatione Epiſcopatus per Regem facienda, nullas electioni canonicæ injici moras: *Subſtitutus eſt Franco, eligente Clero, ſuffragante populo, dono Regis, approbatione Romani Pontificis, per manum Metropolitani Senonenſis.* Si Pontifex Romanus hic interveniat, id eo fit, quod ageretur de ſucceſſore dando ei Epiſcopo, qui ſuperſtes eſſet: quod per Canones non licebat. Si unus hic autem nominatim commemoratur Metropolitanus, non ideo ceteri Provinciæ abſunt Epiſcopi, ſed ille omnibus præeſt. Unde idem ipſe Fulbertus ſuas de Metropolitano ſuo querelas in aures ipſiuſmet Metropolitani deponebat, quod non communicato ſecum conſilio Epiſcopos ordinaret (3). *Sine meo conſilio Epiſcopos ordinando, dignitatem ſuam Eccleſiæ Carnotenſi derogas.*

Coluit tamen, colique & obſervari pervicit Fulbertus Metropolitanum ſuum, quando Epiſcopus Aurelianenſis electus, quem Presbyteratu ornaverat, Romam proficiſci voluit, ut a Papa conſecraretur. Ab hoc illum propoſito dehortatus eſt Fulbertus. *A Clero & Populo ſuæ civitatis electum, ſacravi Presbyterum. Quod eum Romam ire velle audiſtis, & ibi creari Epiſcopum, diſſuaſi, veſtri honoris gratia. Sed & ipſe gratanter diſſuadenti paruit.* Quin & Capitulum ſuum Fulbertus intrepidæ conſtantiæ ſuæ aſſlatu aliquo animaverat, ut liquet ex hujus Capituli Epiſtolis duabus ad Archiepiſcopos Turonenſem & Senonenſem, & ad Epiſcopos Bellovacenſem & Aurelianenſem, ubi eos inflammat, ut demiſſe quidem & moderate, ſed & conſtanter fortiterque Regi occurrant, ſicubi libertatem electionum labefactatum eat. Cum non alio magis documento prodi & inſigniri poſſit Epiſcopalis in Regem fides, pietaſque, quam Regni & Eccleſiæ vulneribus medicina adhibenda, & Regi ipſi approbanda (4). *Nec propter Regis Reverentiam hoc agere pigritemini, quaſi hoc pertineat ad fidelitatem Regis. Vere enim illi fideliores eritis, ſi quæ ſunt corrigenda in regno ejus, correxeritis, & animum ejus ad eandem correctionem compuleritis.*

Sed cum vel hinc prodatur, Metropolitanos & famam quandoque ſuam, & conſcientiam gravi vulnere ſauciaſſe, dum permittunt Epiſcopos obtrudi invito Clero, & inconſultis Epiſcopis Provinciæ (5): hinc occaſio data Capitulis, ut electiones ſibi, qua dabatur, ſolis vindicarent. Verum tardiſſimi fuere ii progreſſus. Idem alibi verba faciens de electione Archiepiſcopi Remenſis, hæc habet (6): *A Clero & Populo ſuæ Civitatis electus.* Alibi teſtatur prætermiſſam tunc eſſe Epiſcopi ordinationem, quod eo nec litteras ceteri Provinciæ Epiſcopi, nec Legatos miſiſſent (7). *Comprovincialium Epiſcoporum qui aberant, nec litteras, nec Legatos habuimus.* Ibidem addit electionem jam eſſe non poſſe, ubi ſic unus aliquis a Principe obtruditur, ut alius eligi non concedatur. *Quomodo electio recte dici poſſit, ubi ſic a Principe unus obtruditur, ut nec Clero, nec Populo, nec ipſis ſummis Sacerdotibus, ad alium deflectere concedatur?* Quin & Regi Roberto recepit, ſe Franconi ſuffragaturum, ut Pariſiorum Epiſcopus eligeretur, ſi aſſentirentur ceteri Provinciæ cum Metropolitano Senonenſi Epiſcopi. Alibi denique Epiſcopum repudiavit, qui eo provehi ſe volebat (8) *ſine juſſu Regis, & conſenſu Epiſcoporum.*

VIII. Jam ad Ivonis Epiſtolas accedamus, ex quibus id primo eluceſcit, ſi ejus eligendi copiam feciſſet Papa Populo & Clero Carnotenſi, id eo tantum ſpectaſſe, quod priori

(1) Epiſt. 8. (2) Epiſt. 3. 8. (3) Ep. 28. 30. (4) Ep. 131. 132.
(5) Ep. 28. 131. 132. 85. (6) Epiſt 38. (7) Epiſt. 62. (8) Epiſt. 88.

ptiori Episcopo non tantum vita superetat, sed & spes recupetandi Episcopatus (1). *Nostra stulti licentia in Episcopum elegerunt, &c. Clerus & Populus elegerunt, &c.* Et certe nullas non tentarunt artes Metropolitanus, & Episcopi Parisiensis, Meldensis, Tricassinus, Regia subnixi auctoritate, ut eum restituerent, & destituerent Ivonem, qui procellam illam appellatione Romanæ Sedis suspendit, discussitque.

Cum Episcopum sibi delegisset Ecclesia Parisiensis Clericum Carnotensem, qui acquiescere abnuit electioni, nisi jussu Episcopi sui ungeretur: *Sine consilio & assensu nostro nihil tale præsumere voluit:* alios cum ipso Canonicos Ivo Lutetiam ablegavit, ut inquirerent & renuntiarent sibi, an canonica, an pura fuisset electio, an nullam sæcularis potestas vim adhibuisset (2): *Qui inquirerent, utrum in eum vota omnium concurrerent, utrum hæc electio mediante pecunia, vel aliqua esset a Rege extorta violentia.* Scripsit & ad Urbanum II. Papam, quo ætatis veniam faceret electo. Increbrescebant, ut jam dixi, ut dicendum infra sæpius, hæ dispensationum causæ, seu necessariæ, seu probabiles, nec displicebant viris sæpe sanctissimis, & Ivonis similibus id genus dispensationes. Itaque frequentius in dies ad Papam recurrebatur, cui tunc quidem nec in mentem veniebat dandorum Episcopatuum; sed vix poterat eminentissima omnium Sedes crebro electionibus intervenire, quin eam paulatim sibi in illas pararet potestatem & consuetudinem, cujus & ipsos quandoque forsan pœniteret, qui eam interpellarant. His adde frequentes appellationes ad primam Sedem, etiam impiorum hominum canonicas electiones oppugnantium. Et in his enim necesse erat Pontificem intervenire.

Monendus fuit Ivoni Urbanus Papa, ne Aureliæ sineret Episcopum ordinari ejus Ecclesiæ Archidiaconum, cui infandæ horrendæque criminationes ingerebantur, cui ad eam tamen dignitatem viam sternebat Archiepiscopus Turonensis, auctoritate & gratia apud Regem florentissimus (3). *Si ad vos venerit pro electione, ne aurem præbeatis, &c. Nunquam eum consecrari permittatis.*

Cum ad Metropolin Remensem electus fuisset Manasses, scripsit Ivo ad Pontificem, ut faveret impensissime homini Ecclesiæ Romanæ studiosissimo, Remensi autem plurimum & ornamenti allaturo, & emolumenti: *Apostolicæ Sedi devotum.* Præsertim cum in Ecclesia Remensi servetur pignus æternum Gallicani Regni, Diadema Regium, & inde manent in universum Regnum exempla tum sanctitatis, tum morum depravationis (4). *Noveris eam Sedem diadema regni habere, & omnibus pene Gallicanis Ecclesiis exemplum ruinæ vel resurrectionis exstare.*

IX. Cogebant nonnunquam Reges ipsos & Pontifices, ut Episcopos ipsi nominarent, violentissimæ factiones, intrusionesque Præsulum continuatæ. Narratur a Glabro (5), ut post mortem Episcopi Lugdunensis, nepos ejus, qui Augustodunensem jam regebat Episcopatum, sese intruserit ipsemet in eam Sedem: utque eo abacto Gerardus Comes juvenculum quendam ex filiis suis in ejus locum suborarit; quo effugato Benedictus tandem IX. Papa Odilonem Cluniacensem Abbatem ea dignitate decoravit, comperto in eum fervere Cleri & populi vota. *Sic enim totius Cleri ac Plebis optans acclamabat devotio.* Cum adduci non potuisset Odilo, ut tantæ succederet sarcinæ, Archidiaconum Lingonensem Henricus Rex eo donavit Episcopatu, Populi & Episcoporum votis obsecutus: *Suggestum est tam ab Episcopis, quam ab omni plebe.* Postquam ergo tot incurrentibus causis justissimis interpellati fuerint Romani Pontifices, ut in partem aliquam venirent electionum, sive interjectis ad eos appellationibus, sive dispensationibus flagitandis, sive flagrantibus inter Populum, Clerum & Episcopos dissensionibus, quas una posset Petri Sedes restinguere & sedare: fieri omnino non potuit, quin tandem principalis & pene tota electionum Episcopalium auctoritas ad illam Sedem devolveretur.

C A-

(1) Ivonis Ep. 2. 3. 12.
(2) Epist. 26.
(3) Ep. 67. 68.
(4) Ep. 216.
(5) L. 3. c. 4. Baron. an. 1034. n. 27.

CAPUT XXXII. *P. 4. l. 2. c. 40.*

Continuatur hiſtorica ſeries earundem electionum ab anno centeſimo ſupra milleſimum ad ducenteſimum.

I. Quando Henrico Imperatori Paſchalis II. conceſſit inveſtituras continuari, libertati electionum proviſum fuit, ſaltem in ſpeciem.

II. Quando a Principe inveſtiebatur quis Epiſcopatu, oblato pedo & annulo, non ea hæreſis erat a fide, ſed uſurpatio a jure aliena.

III. Id genus uſurpationes, quæ æternæ Legi non adverſantur, ex provida & conſulta indulgentia quandoque tolerari debent.

IV. Plurimi eorum qui ſacris inſulis ab Imperatoribus inveſtiti fuerant, Epiſcopatus ſuos reſignabant Pontifici, qui eos rurſum canonice inſtituebat, atque ita dandorum Epiſcopatuum poteſtatem Sedi ſuæ magis magiſque conciliabat.

V. An Galli Reges inveſtituras darent Epiſcopatuum. Ejus ritus defenſio.

VI. Cum poſt electionem confirmatam Reges dono dabant electis res temporales Eccleſiæ, ſenſim inſueſcebant ipſos Epiſcopatus dare.

VII. Plura documenta magnanimitatis Ivonis pro libertate electionum. De Canone Concilii VIII. Generalis.

VIII. De electionibus & inveſtituris ſententia Goffridi Vindocinenſis Abbatis.

IX. X. Sententia Hildeberti Archiepiſcopi Turonenſis, & Bernardi Claravallenſis Abbatis.

XI. In Archiepiſcopi Bituricenſis electione & ordinatione diſſenſio Innocentii II. Papæ, & Ludovici VII. Regis, ſedatur aliquando tandem a Bernardo Claravallenſi Abbate, & a Petro Cluniacenſi.

XII. Doctrina hujus Petri Cluniacenſis.

XIII. Nonnulla obſervantur in ea quæ dicta ſunt.

XIV. De electionibus ſub Ludovico VII. & Philippo Auguſto. Permagna Regum auctoritas, quando prorſus dignos ſuggerebant. Monachi ad electiones vocati.

I. TRiſtiſſimo illo congreſſu, quo fracta Paſchalis II. Papæ, aut emollita conſtantia, conceſſæ ſunt inveſtituræ rurſum Henrico Imperatori, quas extorquere & abolere cœperant duo ejus præceſſores, Gregorius VII. & Urbanus II. in tuto collocata eſt, perfunctorie ſaltem & ſimulate, electionum libertas. In ea enim ipſa Epiſtola ad Legatum in Gallia ſuum Archiepiſcopum Viennenſem, qua Paſchalis retractat quod fecerat, revocatque quod conceſſum a ſe fuerat; illud omnino conteſtatur, ne inveſtituras quidem ipſas unquam toleratas fuiſſe, niſi ea cautione, ut Clerus populuſque priſca ſemper gauderent eligendi libertate: ſed ita ut ordinari non poſſet electus, niſi Princeps aſſenſus eſſet, annuloque & baculo electum inveſtiſſet (1). *Ut electione libera, facta ſine vi & ſimonia, conſenſu Regis, facultatem habeat Rex inveſtiendi per virgam & annulum, & electus a Clero & Populo non conſecretur, niſi a Rege inveſtiatur.*

II. Diro hæreſeon canterio inuſerunt hanc Paſchalis conceſſionem Archiepiſcopi duo Viennenſis & Lugdunenſis, eademque proinde infamia aſperſernnt Laicorum inveſtituras. At qui tunc ſumma & ſapientia florebat, & doctrina, ac moderatione Ivo Carnotenſis Epiſcopus, mediam quandam & temperatiſſimam ſecutus eſt rationem, qua declaravit Epiſcopalibus inſignibus ubi a ſæculari Principe quis inveſtiebatur; eam quidem merito dici poſſe uſurpationem juris alieni, hæreſin nec eſſe, nec dici poſſe: niſi ſi animo præſumptum id haberent his externis teſſeris dari a ſe ſpiritalem poteſtatem cœleſtis & divini miniſterii: cujus vel imperitiæ vel dementiæ reus agi nemo poteſt, niſi qui excors & mentis inops ſit prorſus (2). *Si quis ergo laicus ad hanc prorumpit inſaniam, ut in datione & acceptione virgæ putet ſe tribuere poſſe ſacramentum, vel rem ſacramenti Eccleſiaſtici; illum prorſus judicamus hæreticum: non propter manualem inveſtituram, ſed propter præſumptionem diabolicam. Si vero congrua volumus rebus nomina dare, poſſumus dicere, quod manualis illa inveſtitura per laicos facta, alieni juris eſt pervaſio, ſacrilega præſumptio, quæ pro libertate Eccleſiæ & honeſtate, ſalvo pacis vinculo, ſi fieri poteſt, abſcindenda eſt. Ubi ergo ſine ſchiſmate auferri non poteſt, cum diſcreta reclamatione differatur.*

III. Ex his poſtremis verbis alia ſubrutilat regula, moderationis & temperamenti pleniſſima. Nimirum ubi conſuetudines, quæ

(1) Paſchal. II. Ep. 24.

(2) Ep. 238.

quæ in controverſiam veniunt, aperte & directe non conflictantur cum divina & æterna lege, cujus obſervantia nullius diſpenſationis patiens eſt, ſed cum iis uſibus & libertatibus, ex quibus in Eccleſiam non mediocris redundat utilitas: tunc aboleri quidem eas debere, ubi non ſcandala graviſſima, non ſchiſmata reformidantur: ſed tolerari tunc certe & poſſe & debere, ſalubri & neceſſaria indulgentia ac juris remiſſione, quando declinari omnino non poſſunt, quin incurratur in crimina longe arrociora (1). *Cum ergo ea quæ æterna lege ſancita non ſunt, ſed pro honeſtate & utilitate Eccleſiæ inſtituta vel prohibita, pro eadem occaſione ad tempus remittuntur, pro qua inventa ſunt, non eſt inſtitutorum damnoſa prævaricatio, ſed laudabilis & ſaluberrima diſpenſatio.*

Hinc concluditur a viro conſultiſſimo Ivone, Privilegium inveſtiturarum continuandarum, quod ſibi extorqueri paſſus erat Paſchalis, profectum eſſe non ab ignava prævaricatione, ſed a diſpenſatione Canonum prudentiæ & caritatis illecebris temperata: cum non poſſet tum quidem vel revocari is uſus, vel interrumpi, quin præceps ageretur Eccleſia in ſummum vel cruentæ perſecutionis diſcrimen, aut peſtiferæ & irreparabilis diſſenſionis (2). *Unde hunc ejus exceſſum non tantum non accuſamus, ſed dictante ratione approbamus, ſi imminente ſtrage populi, paterna caritate, cum nonnullo vulnere ſuo, ſe tantis periculis voluit objicere, ut majoribus morbis poſſet ſincera caritate ſubvenire.*

IV. Sed cum aſſentiretur vel ipſe Ivo; hæreſin ſapere ſi quis diceret jure inveſtituras Laicis competere: *Sentire ac defendere, fieri debere, indubitata hæreſis eſt*: ſaltem ſacrilegæ uſurpationis facinore conſtringi, qui eas præter Eccleſiæ conceſſionem uſurparet: inde contigit, ut complures Germaniæ & Galliæ Præſules baculos Paſtorales a terrenis Principibus traditos, in manus ſummi Pontificis reſignarent, eoldemque poſtea ab eodem, hoc eſt, a Chriſti Vicario reciperent. Plurima ejus rei exempla inferius congerentur. Hic ea tantum intexam, quæ ea de re idem Ivo edidiſſerit (3): *Videmus in partibus Germaniarum & Galliarum multas honeſtas perſonas purgato iſto nævo per quamlibet ſatisfactionem, Paſtorales virgas reddidiſſe, per manum Apoſtolicam reſutatas inveſtituras recepiſſe.*

Ita ſenſim inſueſcebant Pontifices Epiſcopatus dare, nullo tunc ſuo, nullo Epiſcoporum conſilio alio, quam ut tum reſignantes, tum reſtituentes Epiſcopalia inſignia, ſervirent indeclinabili temporum neceſſitati.

V. Miſſa facio alias ejuſdem Ivonis Epiſtolas, ubi multa diſputat in harum quas modo prompſimus regularum confirmationem. Venio ad quæſtionem illam, de qua idem Ivo non prorſus ſiluit; An Galliæ etiam Reges inveſtituras & ipſi darent ſacrarum dignitatum. Negat Ivo, ut mihi quidem videtur. Expoſtulante enim Archiepiſcopo Lugdunenſi de electo Senonenſi Epiſcopo, quod inveſtituram a Rege ſuſcepiſſet, reſpondit Ivo, nec inaudiſſe ſe quidquam de ea re, nec qui viderit inveniſſe (4). *Quod ſcripſiſti prædictum electum inveſtituram de manu Regis accepiſſe, nec relatum nobis ab aliquo, qui vidit, nec cognitum.* Addit tamen, eo etiam dato, nihil admodum ex eo detrimenti creari poſſe, cum externo eo ritu ſacramenti Ordinationis virtus nec minui poſſet, nec augeri. *Quod tamen ſi factum eſſet, cum hoc nullam vim ſacramenti gerat, in conſtituendo Epiſcopo vel admiſſum, vel omiſſum, quid fidei, quid ſacræ religioni officiat, ignoramus.*

Ceterum cum per Conciliorum Canones & Decreta Pontificum Regibus liceat Epiſcopatus dare poſt electionem: cum Pontifices ipſi interpoſuerint preces & commendationes ſuas apud Reges ut ea Epiſcopatuum dona Epiſcopis impetrarent, & ordinationes tandiu retardarint: non magnopere referre, Epiſcopatus a Principibus dari prolatis aliquibus verbis, vel baculo manibus inferendo; cum ne veniat quidem illis in mentem Sacramentorum quidpiam dandi, ſed mittendi electi in poſſeſſionem omnium prædiorum & quorumcumque temporalium bonorum, quæ Eccleſia Regum munificentia & largitate conſecuta eſt. *Cum poſt canonicam electionem Reges ipſos Apoſtolica auctoritate a conceſſione Epiſcopatuum minime prohibitos videamus. Legimus enim ſanctæ recordationis ſummos Pontifices aliquando apud Reges pro electis Eccleſiarum, ut eis ab ipſis Regibus concederetur Epiſcopatus, ad quos electi erant, interceſſiſſe; aliquorum, quia*

(1) Ibidem. (2) Epiſt. 239. (3) Epiſt. 238. (4) Epiſt. 65.

conceſſiones Regum nondum conſecuti fuerant, conſecrationes diſtuliſſe. Et aliquantis interjectis: *Qua conceſſio ſive fiat manu, ſive nutu, ſive lingua, ſive virga, quid refert? Cum Reges nihil ſpirituale ſe dare intendant, ſed tantum aut votis petentium annuere; aut villas Eccleſiaſticas, & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obtinent Eccleſiæ, ipſis electis concedere*.

VI. Si ex Epiſcopatuum autem reſignationibus, & per Pontifices reſtitutionibus, quo inveſtituræ laicæ dedecus abſtergebatur: ſi ex iis, inquam, invehebatur ſenſim conſuetudo, ut Epiſcopatus a Romanis Pontificibus darentur: nonne & ex conceſſionibus Epiſcopatuum per Reges, quas ab inveſtituris non magnopere differre cenſet Ivo, adducebantur & Reges in eam perſuaſionem, ſuo ſe jure Epiſcopatus dare, quorum cuſtodes fuiſſent vacantium, & poſſe ſe intacta electionum libertate, non mediocrem in illis ſibi auctoritatem vindicare? Ita ſane contendit Ivo, qui & Regem tanquam Reipublicæ Caput vult electioni intereſſe poſſe; nec ei uſui interceſſiſſe Urbanum II. ut qui Canonis Concilii Generalis VIII. rationem nullam habuerit, in quo Principum præſentia prohibetur. *Dominus quoque Papa Urbanus Reges tantum a corporali inveſtitura excluſit, quantum intelleximus, non ab electione, in quantum ſunt caput populi, vel conceſſione; quamvis octava Synodus ſolum prohibeat eos intereſſe electioni, non conceſſioni*.

VII. Ea eſt rerum humanarum ſors, ea conditio, ipſis ex malorum remediis mala naſcuntur alia; & poteſtates ex quæ erant ad pacem & tranquillitatem publicam ſtabiliendam ſummopere conducibiles, non poſſunt non aliquando, non aliquantulum evagari extra metas eas, quas ipſa tranquillitatis publicæ ratio præſcripſerat. Sed quanquam non vetet Ivo, quin interſint Reges electionibus: non alius tamen fuit quiſquam eo ſtudioſior canonicæ earum libertatis aſſerendæ, tum Populo & Clero, tum Epiſcopis Provinciæ & Metropolitano. Suo enim quodam modo Epiſcopi Provinciæ collegarum electioni adhuc ſuffragabantur. Cum abeſſet ipſe, confirmavit nihilominus Ivo aſſenſu ſuo electionem Epiſcopi Meldenſis, quæ fiebat in Concilio Provinciali (1). *Cum eligentibus eligo, & manus impoſitionem, quam ei facturi eſtis præſentes corpore, hanc ego confirmo, & facio quantum in me eſt, præſens corde*.

Cum electio minus unanimis celebrata fuiſſet in Eccleſia Pariſienſi, vide quas ille conſtitutiones ſtatuerit, ut aſſenſionem ſuam accommodaret (2). *Electioni aſſenſum non dabimus, niſi quem aut Cleri plebiſque conſenſus elegerit, aut Metropolitani judicium cum conniventia ſuffraganeorum, habita legitima diſcuſſione, probaverit*. Nec alternatio hæc eo pertinet, ut non a Metropolitano & Suffraganeis confirmanda fuerit electio Cleri & Populi quantumvis concors: ſed ea inſinuatur, ſicubi Cleri & Populi diſſiderent ſuffragia, tum Metropolitani & Comprovincialium judicio & electione ordinatum fuiſſe Epiſcopum viduatæ Eccleſiæ.

Nec ignavo ſilentio Ivonis conſtantia ceſſabat, ubi impiorum hominum artibus per quoſdam quaſi cuniculos obreptum fuerat Regibus, ut vis adferretur electionibus. Litteris ille ſuis interpellavit eos, qui ei malo medicinam facere poterant, edocuitque quantum diſtet innocuam inter moderatamque Principis interventionem, & præces ſeu commendationes imperioſas (3). *Electionem Regiis precibus, qua idem valent ſecundum vulgare proverbium, quod minæ, extortam*. Cum electus fuiſſet Epiſcopus Pariſienſis, ſuſcepit ipſe Ivo ſacramentum quod præſtitum eſt a Primoribus Cleri, tum Papæ, tum Regis mandato, ad eam electionem adductos ſe non fuiſſe, aut munerum illecebris, aut Regis, vel Reginæ minis & terrore (4). *Se nullo terrore Regis vel Regina compulſos domnum Willelmum Epiſcopum ſibi elegiſſe, neque aliud ſimoniaca pravitatis intendiſſe, &c.* Verba ſacramenti hæc ipſa ſunt: *Non elegimus Epiſcopum Willelmum propter munus acceptum, vel promiſſum ab aliquo, vel gratia contubernii quod habebat ſoror ejus cum Rege, vel propter minas nobis illatas a Rege, vel predicta ejus ſorore. Sic nos Deus adjuvet, &c.* Eo vero juramento aſtringi Cleri principes *Rege poſtulante Papa præceperat*. Non tacuit denique Ivo, ubi electus Epiſcopus auctoritate Regia fretus, pervicit, ut ante ordinaretur, clavumque Eccleſiæ ſuæ capeſſeret, quam criminationes dilueret coram Metropolitano & ſuffraganeis ſibi intentatas (5): *Diem examinationis ſubterfugit, & vi-*

(1) Epiſt. 144. (2) Epiſt. 65. (3) Epiſt. 67. 68. 226.
(4) Epiſt. 118. (5) Epiſt. 222.

& violentia Principis conſecrationem adepius; ſedi Epiſcopali eſt intruſus.

Ita Ivo canonicæ hinc diſciplinæ, inde accommodantis ſe ad neceſſitates temporum prudentiæ & caritatis præſidio, nec Regum in electionibus auctoritatem imminutam voluit, nec in eas vel munera, vel minas, corruptelas, arteſque irrepere paſſus eſt. Appoſitum ad hoc declarandum merito videbitur exemplum Epiſcopi Bellovacenſis, cujus electio temere & inique impetebatur. Ea enim de re ita Ivo ad Metropolitanum perſcripſit (1): *Non enim licet Regibus, ſicut ſanxit octava Synodus, quam Romana Eccleſia commendat & veneratur, electionibus Epiſcoporum ſe immiſcere, vel aliqua eas ratione impedire. Francorum Reges Carolus & Ludovicus electiones Epiſcoporum Eccleſiis conceſſerunt, &c. Habeat Deus in Eccleſia ſua principaliter quod ſuum eſt, habeat Rex poſteriori ordine poſt Deum quod ſibi a Deo conceſſum eſt.* Scripſit & ad Paſchalem Papam, & cum canonica ea fuiſſet electio, ſi Rex diſſentire pergeret, & Eccleſiæ temporalia bona retinere, ſolius eſſe Apoſtolicæ ſedis ſuppetias ferre. Cum juramento obligaſſet ſe Rex non admiſſurum ſe in Eccleſiam illam Galonem, qui electus fuerat: per litteras eundem Pontificem hortatus eſt Ivo, quo eum Pariſios transferret, cum Rex, filiuſque Regis Pontificis gratiæ colligendæ gratia eo Galonem Epiſcopatu gratificari ſtatuiſſent. *Epiſcopatum Pariſienſem ei gratanter & devote concedunt pro veſtro amore Rex & Regis filius* (2).

In verborum tantum cortice hæret ea Ivonis ſecum ipſius conflictatio, ubi ait Concilium VIII. admiiti, & rurſum negat: ubi tradit Reges electionibus adeſſe poſſe, & rurſum adeſſe vetat. Quandiu enim Regum præſentia nihil officiat electionum canonicæ libertati, Canoni Concilii VIII. quo ea prohibetur, minus forſan parebitur: quanquam ſin minus verbis, certe menti & ſcopo ejus parebitur, cum tota in tuto collocabitur libertas electionum. At ubi eorum præſentia ſuffragiorum libertati obſtrepet, ubi precibus minas addent, tum ad hunc Canonem recurretur, ut ad munimentum Eccleſiaſticæ libertatis.

VIII. Cum non Canonici tantum, ſed & Gallicani potiſſimum juris periitiſſimus fuerit Ivo, & germanarum Gallicanæ Eccleſiæ libertatum vindex ſtrenuiſſimus, ejus doctrinæ paulo fuſius elucidandæ conſulto immorati ſumus. Veſtigandum jam nobis reſtat an eius ævi Scriptores alii noſtrates eandem ſectati ſint rationem. Prodibit ante alios Goffridus Vindocinenſis Abbas, qui Andegavenſi Epiſcopo conquerenti, quod electioni ſuæ adverſatus eſſet, ita ſatisfecit, ut quæ ſuperius de electionibus placita explanata ſunt, ea omnia complectatur. 1. Non potuiſſe ſe aſſentiri ei electioni, quam vulgi conſpiratio & furor expugnaſſet. *Vulgi conſpiratione, &c. Vulgo furente vos creati eſtis.* 2. Ut Epiſcoporum eſt ordinare, ita principaliter eligere, ut eius prædeceſſor Mauritius olim a B. Martino & electus ante fuit, & poſtea conſecratus. Ut Apoſtoli a Chriſto electi, poſt ordinati; mox & ipſi ut Chriſti Vicarii & imitatores, elegerunt, ordinaruntque Epiſcopos (3). *Mauritius eligente Martino electus & conſecratus eſt, &c. Tota ordinatio Epiſcopi in ſola electione conſiſtit & conſecratione. Hac prius per ſemetipſum fecit Chriſtus, deinde vero Vicarii ejus. Et in Apoſtolis quidem a Chriſto facta ſunt, quoniam ab ipſo electi & conſecrati fuerunt; in aliis vero omnibus a nullis aliis fieri licet, niſi a Vicariis Chriſti: ſunt autem Vicarii Chriſti, Clerici in electione, Epiſcopi in conſecratione. Ceteri omnes petere quidem Epiſcopum poſſunt, eligere vero vel conſecrare non poſſunt.* 3. Quibus extremis verbis pulcherrime ſtatuitur prærogativa Cleri in electionibus Epiſcoporum: ſcite enim a Goffrido demonſtratur, cum Chriſtus ipſe Apoſtolos elegerit & ordinarit, duplicemque poſt in eos transfuderit eam poteſtatem, ſolos proprie Clericos & Epiſcopos, qui ad ſucceſſionem Apoſtolicæ poteſtatis pro ſuo quique modo adoptati ſunt, id juris aſſecutos eſſe, ut Epiſcopos eligant. Populi vere *petere poſſunt, eligere non poſſunt.*

4. Mox Andegavenſem vituperat Goffridus Epiſcopum, qui Inveſtituram a Rege accepiſſet, quam a Conſecratore ſuo debuerat expectaſſe: cum in Concilio Gregorius VII. damnarit hæreſin Inveſtiturarum; eamque necdum orco eructatam Canones Apoſtolici prædamnarint, interdicto, nequis unquam ſacras dignitates per laicos principes adipiſcatur. *Hanc inveſtituram ab ipſo ſolo ſuſci-*

S 2

(1) Epiſt. 47.
(2) Baron. ann. 1101. num. 8. 1104. n. 4.
(3) L. 3. Ep. 11. Et Opuſculo. 2. 3. 4.

ſuſcipere debet, a quo conſecrationem habet. 5. Ut plurimum ſimoniæ contagio inquinabantur Laicorum inveſtituræ. Nec enim fere Principes quemquam annulo, vel pedo ornabant, a quo non vel pretii aliquid vel obſequii acciperent. *Nam quæ ſæcularis poteſtas ſibi vindicare nititur inveſtituram, niſi ut per hoc, aut pecuniam extorqueat; aut quod eſt gravius ſibi inordinate ſubjectam efficiat Pontificis perſonam?*

IX. Subduxerat ſe Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus ei ordinationi Epiſcopi Andegavenſis, ut fidem fecit Goſſridus. Verum ut irrogatam eo loco canonicis inſtitutis injuriam abſentia ſua ultus eſt: ita & alias meritis laudibus cumulavit Regis pietatem & religionem, qui Clericum virtutibus meritiſque clariſſimum Epiſcopatu donarat (1). *Virtuti gratulor, cui ſub ſolo Rege noſtro ſuam video non deeſſe meritedem. Novit ille regiam manum melius donativo ſplendere, quam ſceptro: nec ſatis eſſe Principi, ſubditos ad bene agendum exemplis provocare, niſi provocentur & præmiis. Hinc eſt quod deſæcati mores tui ſummo donati ſunt Sacerdotio. Sane ſana Regis eſt diſpoſitio, quæ Chriſti Eccleſiæ nihil potuit melius providere, quam te, &c.*

Si jam tum ſuiſſent Epiſcopatus in poteſtate Regum, ita ut eos arbitrio & nutu ſuo largirentur, non potuiſſet Hildebertus ſplendidius commendare Epiſcopatus Beneficium ſumma ſapientia & religione collocatum. Atqui non ita res habebat. Conſtabat enim adhuc electionum libertas. Hinc ergo illud monemur, qui prudentia & pari animi magnitudine claruerunt Epiſcopi, eos numquam moleſte tuliſſe, ſi proſilirent Reges, ut darent, vel dari curarent Epiſcopales infulas virtuti & ſapientiæ cumulatæ: quod unum in eum ſcopum collinearint tum Canones omnes de electionibus, tum interceſſiones Eccleſiæ adverſus præfervidos quandoque Principum conatus, ut præſtantiſſimi Epiſcopi Eccleſiis præficerentur.

Revocanda oratio eſt ad electionem Epiſcopi Andegavenſis, cui aſſentiri detrectavit Hildebertus, non tantum quod nec ea ætate eſſet, nec in eo Ordine quem Canones deſiderant, is qui electus fuerat; ſed etiam quod non a Clero electus eſſet, ſed a tumultuante plebe obtruderetur (2). *Nec a Clero electum, &c. Seditioſus turbatæ turbæ clamor Pontificalem detorſit electionem, &c. Non elegit te Clerus, ſed minæ populares intruſere, &c. in electione populo minime licet Clerum præcedere, ſed aſſenſu proſequi eligentem.* Cleri ergo erat certiſſime Epiſcopos eligere, non populi, cujus partes erant electionem Cleri aſſenſu tuo munire, quod ille confirmat Decretis Cæleſtini I. & Leonis Papæ I.

Incipiebat ergo populus ſemetipſe ejicere ex electionibus, factionibus iis ſeditioſiſſimis, & vi perſæpe Clero Epiſcopiſque allata, ut Præſules crearentur ii, quorum flagitia & electos & eligentes peræque infamarent, eaque poteſtate dejici cogerent. Addit porro Hildebertus eidem electioni reluctatos eſſe Abbates pietate conſpicuos. In iis erat Goſſridus Vindocinenſis, ut ante diximus. Erat ergo & Abbatibus ſuus in electionibus locus.

Auctor eſt Arnulphus Lexovienſis Epiſcopus in Epiſtola quadam ſua (3), temporales res ſuas omnes a Comite Andegavenſi invaſas fuiſſe, & toto amplius biennio retentas, nec prius relaxatas, quam ingentem pecuniam ſibi extorſiſſet: idque una eadem cauſa, quod canonice electus, conſecratus fuiſſet citra Comitis aſſenſum, quanquam ea quidem in re conſilio & auctoritate uſus eſſet Innocenti II. Papæ. *Quia electus canonice, ſine ipſius deſignatione fuerat conſecratus.* Cum Comites & Duces iſtiuſmodi ſummam ſibi quandam & pene regiam arrogarent auctoritatem, jure etiam quaſi ſuo electiones a ſe confirmari debere ſperabant. Pontificibus certe Romanis optatiſſimum id fuiſſet, ut ſoli Reges eo privilegio fruerentur, ut ſupra declaratum eſt.

Alio quodam loco affirmat Arnulphus præſentiam Comprovincialium Epiſcoporum in Archiepiſcopi electione deſiderari, ſed non poſſe quandoque Capitula expectare tandiu dum omnes advenerint. *Verum eſt in Archiepiſcopi electione ſuffraganeorum deſiderari præſentiam.*

X. Progredior ad B. Bernardum, qui Honorium II. per litteras excitavit, ut electionem Catalaunenſis confirmaret Epiſcopi, Cleri & Populi unanimi & mirabili quadam conſenſione factam (4). *In quam utique totus tam Clerus quam Populus pari voto & voce convenerant.* Cum delegati Capituli Lingonenſis Romam adventaſſent, licentiam ab Innocentio II. flagitaturi, eligen-

(1) Epiſt. 3. (2) Epiſt. 9. 12. (3) Spicileg. T. 2. pag. 494. 508. (4) Epiſt. 13.

gendi ſibi Epiſcopi: *Quærentes licere ſibi & Capitulo Lingonenſi, eligere ſibi Epiſcopum:* annuit Pontifex (1) ea lege, ut nequid facerent, niſi ex conſenſu B. Bernardi, qui tum Romæ verſabatur. Jam eadem res prorſus illis mandata fuerat: *Mandatum acceperant a Papa, nequaquam præſumere hoc niſi ad conſilium Religioſorum virorum.* Facta eſt tamen electio abſente Bernardo. Ideo & ad Apoſtolicam Sedem appellatum eſt. Redux in Gallias Bernardus, tum Pontificem, tum Cardinales de toto negotio per litteras certiores fecit; quanquam inveſtitus jam a Rege eſſet Monachus Cluniacenſis, qui electus fuerat: Roma tamen Bernardus Reſcriptum expreſſit, quo altera & nova electio inſtauraretur. *Feſtinavit ad Regem, Regalium inveſtituram obtinuit, &c.* Propterea nimirum quod in prima electione, plura momenta fuiſſent in auro & argento, & in auctoritate Lugdunenſis, Matiſconenſis, & Auguſtodunenſis Præſulum, Cluniacenſi Ordini addictiſſimorum, quam in Canonicis Conſtitutionibus: Unde Bernardus, *Ubi jus, ubi lex, ubi ſacrorum auctoritas Canonum?* Iterata ergo electione Goffridus electus eſt, Prior Abbatiæ Claræ-vallenſis, non ſine Regis offenſione, qui Monachum Cluniacenſem jam inveſtierat. Placare Regis animum enixus eſt Bernardus, per litteras ſpondens, Canonicam fuiſſe electionem, inconcuſſa in eum fide fore electum, nec ſe in temporalium adminiſtrationem ante interpoſiturum, quam ab eo inveſtitus eſſet (2). *Electio rite celebrata eſt, electus fidelis eſt. Non autem eſſet fidelis, ſi veſtra, & non per vos habere vellet. Necdum ad veſtra manum extendit, necdum civitatem veſtram ingreſſus eſt, necdum prorſus ſe intromiſit de aliquo, quamquam invitatio Cleri & Populi, & oppreſſorum afflictio & vota bonorum id ab eo vehementiſſime flagitaverint.* Nihil poterat temperantius dici, nihil opportunius, ut declararetur, quam certo in Regia poteſtate eſſent omnia Eccleſiæ bona temporalia: *Regalia veſtra quæ ad Eccleſiam pertinent:* & quam Regum injuſſu nemo poſſet ea conſequi, vel adminiſtrare.

At vero Petrus Venerabilis Cluniacenſis Abbas, primæ electionis a Bernardo oppugnatæ defenſionem arripiens, ipſum ſubmonebat Bernardum, quem Rex, & Metropolitanus, & Clerus & Populus uno conſenſu approbaſſent, non debuiſſe eum ſugillari, aut infamari ante, quam ut res tota ſe habuerit, exploratum fuiſſet (3). *Rex collaudavit, & de regalibus, ſicut ſolet fieri, manu propria ſolemniter inveſtivit. Cumque ita Cleri, Populi, Metropolitani, ipſiuſque ut dixi Principis in hanc unam ſententiam, in hunc unum electum vota convenerint, &c.* Declarat denique non eſſe mirum, ſi ex Ordine Cluniacenſi Abbas Vizeliacenſis adſcitus ſit ad ſedem Lingonenſem, cum ex eo Ordine hactenus tot prodierint Epiſcopi, Metropolitani, Patriarchæ, ſummique Pontifices. *Quid indecens ſi inde in Pontificem Lingonenſem electus eſt, unde Epiſcopales, Archiepiſcopales, Patriarchales, & ipſa omnium vertex Eccleſiarum, Apoſtolica & Romana ſedes Patres ſibi aſſumere conſueverunt?* Scripſerat ante Petrus ad Innocentium II. Papam, ne ſineret Abbatem Vizeliacenſem aſſumi ad Lingonenſem Cathedram, cum arctius Romano Pontifici hæreret Vizeliacenſis, quam Lingonenſis Eccleſia (4). *Etſi Lingonenſis Eccleſia veſtra, multo magis Vizeliacenſis veſtra.* Ex quo facile intelliges, fuiſſe quod miremur in Bernardi fervore & zelo, fuiſſe & quod ſupeamus in Petri Venerabilis ſuavitate & caritate.

Redeo ad Bernardum, & omiſſis quibuſdam Epiſtolis, ubi commeminit incredibilis cujuſdam conſpirationis ſuffragiorum Cleri & populi (5): ubi agit & de frequenti neceſſitate adeundæ Sedis Apoſtolicæ, potiſſimum in electionibus Metropolitanorum: venio ad aliam ejuſdem Epiſtolam, qua Senonenſem Clerum poſt Archiepiſcopi obitum prior occupavit, ut moneret quanti ea electio foret ponderis, & quam neceſſe eſſet expectari conſilia & vota Epiſcoporum & Monachorum (6). *Expectandum ſuffraganeorum conſilium Epiſcoporum, expectandus aſſenſus Religioſorum qui ſunt in Epiſcopatu, &c. convocentur Epiſcopi, Religioſi aſciſcantur.* Scripſit ad Eugenium III. de duabus electionibus Altiſiodori factis (7) ſicut & de duabus Nivernenſis Eccleſiæ, defunctis utrobique Epiſcopis. Miſerat ipſe Altiſiodorum unum ex ſuis Monachis, ut in rem totam inquireret, & ſe faceret certiorem. Hic de ſola inquiſivit Cleri ſuffragio-

(1) Ep. 164. 166. 168. 169.
(2) Epiſt 170.
(3) Bibl Clun. p. 405. Pet. Clun. L. 1. Ep. 29. L. 2. Ep. 28.
(4) L. 2. Ep. 28.
(5) Ep. 27. 171. 248.
(6) Ep. 202.
(7) Ep. 275.

giorum partitione, hoc eſt, Presbyterorum, Diaconorum, & Clericorum inferiorum, ut qui in Clero non neſciret maxima eſſe electionum momenta. Scripſit & ad Regem, non poſſe jam ipſum diſſentire, qui ſemel aſſenſus eſſet; aſſuiſſe ſe electioni, & eam canonicam eſſe certo profiteri (1). *Ego electioni interfui, concors fuit; quia Clerici qui antehac in partes diſſilierant, ſine contradictione tandem convenerunt, &c. Neminem arbitror aſſuiſſe qui de aſſenſu veſtro dubitaret, cum idem aſſenſus veſtris litteris teneretur.* Ubi rurſum vides quam a ſolo Clero omnia penderent.

XI. Nec abs re etiam pene ad nauſeam uſque animadverſum & inculcatum a nobis eſt, interventionem Pontificum in electionibus, tempori & neceſſitatibus Eccleſiæ ſervientium, eo tandem erupiſſe, ut volventibus ſæculis tota ea poteſtas ad eos fere devolveretur. Eo impulſus eſt, ut nonnulli opinantur, Innocentius II. cum primum reſcivit obitum Alberici Archiepiſcopi Bituricenſis, illuc ut mitteret Archiepiſcopum novum, quem ipſe conſecraverat. Vehementiſſima indignatione ſuccenſus eſt Ludovicus Junior, ex eo *quod ſine ejus aſſenſu conſecratus fuerat* (2): prohibuitque ne in urbem admitteretur. Ita continuator Sigeberti. Verum hæc paulo enucleatius ediſſeruntur in Chronico Nangii. Nempe poſt Alberici obitum datam a Rege fuiſſe licentiam quemlibet eligendi, excepto tamen Petro de la Chatre, clariſſima in Biturigibus gente prognato, & conſanguineo Aimerici Cancellarii Eccleſiæ Romanæ (3). *Rex conceſſerat Eccleſiæ Bituricenſi libertatem eligendi Epiſcopum quem vellent; excepto Petro; publiceque juraverat, quod ſe vivente non erat futurus Archiepiſcopus.* Electus fuit nihilominus Petrus, ſtatimque Romam profectus, & a Pontifice conſecratus, ita nempe ſecum ſtatuente, minus liberas eſſe illas electiones, ubi excluderentur forſan viri digniſſimi ex privato affectu. *Adjecit Papa veram non eſſe electionis libertatem, ubi quis exſipitur a Principe, niſi forte docuerit coram Eccleſiaſtico judice, illum non eſſe eligendum: tunc enim auditur, ut alius.* Rege Archiepiſcopum non admittente, ſeceſſit ille in ditionem Comitis Theobaldi, ubi *ei omnes obediebant Eccleſiæ.* Ejuſdem rei fidem faciunt plura alia Chronica (4) additque Matthæus Paris Regem triennio toto interdicto vinctum fuiſſe, donec Bernardo interveniente deſerbuit ejus ira, & cum Archiepiſcopo ac Pontifice in gratiam rediit. Improbata eſt a Bernardo & jurandi temeritas, & pertinax ira Regis junioris (5): *De duobus non excuſavit Regem, nam & juravit illicite, & perſeverat injuſte.* Damnavit & ipſe Rex iracundiæ ſuæ intemperantiam: *Parcatur, ſi fieri poteſt, ſalva in omnibus Eccleſiæ libertate, & Archiepiſcopo debita veneratione ſervata, quem manus Apoſtolica conſecravit. Hoc ipſe Rex humiliter petit, hoc noſtra univerſa citramontana deprecatur Eccleſia.* Hæc ſcripſit Bernardus ad Cardinales Romanos, ut eam Regis cum Eccleſia neceſſariam concordiam acceleraret, quam in rem teſtatur ipſe alibi tota ſe virium contentione incubuiſſe, fragrantiſſimo in Regem amore excitatum.

XII. Operam quoque navavit Petrus Cluniacenſis Abbas, Regem ut ei conciliaret Pontifici, a quo fuiſſet conſecratus. Occupavit & aures Pontificis idem Petrus, ne exaudiret vocem Comitis Andegavenſis, appellantis adverſus electionem Epiſcopi Lexovienſis, qui concordibus Cleri populique ſuffragiis electus, & a Metropolitano Rothomagenſi ordinatus fuerat. *Clerus & populus, & tota ſimul Eccleſia elegit.* Quin & hujus confirmandæ electionis neceſſitatem inculcavit (6). *Ut electio & conſecratio confirmetur.* Scripſit idem Petrus ad Eugenium III. Papam de electo Inculiſmenſi Epiſcopo a Clero, a Nobilibus, a Magiſtratibus, & a populo ipſo (7): *Nullo de Clero excepto ab unanimi electione, aſſenſu, ut Canones præcipiunt, honoratorum & totius populi:* Archiepiſcopum Burdegalenſem confirmata ea unanimi electione (8), indictaque ſolenni die conſecratione, ipſummet abfuiſſe, fœdiſſima cupiditate habendi in Provincia ejuſmodi tantum Epiſcopos, quos imperioſa poſſet premere dominatione.

Cum Petrum conſuluiſſet Bernardus, an aſſentiendum ſibi eſſet electioni Henrici, qui frater erat Ludovici Regis, & Monachus Ciſtercienſis, in Epiſcopum Bellovacenſem: Reſpondit Petrus aſſentiendum neceſſario eſſe ei electioni, quam Populus & Clerus feciſſet, quam Epiſcopi Provinciæ, Me-

(1) Ep. 282. (2) Baron. ann. 1141. n. 3. (3) Spicil. tom. 11. p. 435.
(4) Gall. Chriſt. tom. 1. p. 167. Matth. Paris anno 1146. (5) Bern. Ep. 219. 221.
(6) Ep. l. 4. Ep. 3. (7) L. 4. Ep. 7. (8) L. 5. Ep. 5.

Metropolitanus denique & Pontifex confirmaſſent (1). *De Clero vel Populo Belvacenſi diſſentire nec unus dicitur, Metropolitani & Coepiſcoporum aſſenſus, &c. Papæ voluntas, &c.* Ceſſit Bernardus Petri ſententiæ, unde amariſſimæ ipſius Henrici querelæ, quas ille datæ commiſit ad Petrum Epiſtolæ, non ſine ſuaviſſimæ caritatis multo lenocinio.

Miſſam facio aliam ejus Epiſtolam (2), ubi narrat ipſa Carthuſienſium Cœnobia inter ſe diſſentire circa electionem Epiſcopi Gratianopolitani. Eugenius III. paulo ulterius progreſſus eſt, (3) quam Innocentius II. ubi reſcivit Tornacenſes jamdiu Epiſcopo carere, nunquam apud illos adminiſtrari ſacramentum Confirmationis, propterea quod is Epiſcopatus cum Noviodunenſi unitus fuiſſet. Epiſcopum ergo ipſemet delegit eis & conſecravit, Abbatem nimirum ſancti Vincentii apud Laudunum; & ita demum Regem per litteras rei totius certiorem fecit.

XIII. Ex hac vero prolixiori exemplorum contextione liquet 1. ſæculo XII. ſuum adhuc fuiſſe populi ſuffragio locum in electionibus. 2. Multo plus ponderis fuiſſe in ſuffragatione Cleri. 3. Neceſſarium adhuc tum multis ſaltem in locis fuiſſe Comprovincialium Epiſcoporum aſſenſum. 4. Multo magis autem neceſſarium Metropolitani conſenſum qui electionem confirmabat, & ordinabat electum. 5. Diſcriminis aliquid quandoque interpoſitum fuiſſe Optimatibus, honoratis Civibus, Magiſtratibus, & vulgo. 6. Cœnobia Monachorum, etiam abſtruſiſſima ſuas in ſolitudines, vocata fuiſſe tamen ad aliquas partes electionum. 7. Neminem niſi judicio canonico excipi potuiſſe. 8. Diſſenſiones factioneſque partium, Metropolitanorum cupiditates effrænes, ſæcularium poteſtatum impreſſiones, appellationes juſtas injuſtaſve in cauſa fuiſſe, ut pleræque electiones ad Pontificis judicium referrentur. 9. Petitam a Pontifice quandoque fuiſſe confirmationem ejus Epiſcopi, quem Metropolitanus jam confirmaſſet. 10. Non gravate ferebant, ſi confirmaret & conſecraret ipſe, quos Metropolitanus præter jus confirmare abnueret, & conſecrare. 11. Cum diuturniores diſſenſiones ſcindebant Eccleſiam, prope neceſſe erat, ut nominaret Epiſcopum Pontifex, eumque omnes admitterent. 12. Ex ſunt latentes & impervіæ cauſæ viciſſitudinum earum, quæ novam Eccleſiæ diſciplinam pepererunt; & ſi altius penitiuſque res inſpiciantur, qui huic innovationi vehementius ſuccenſent, ii ejus auctores primarii fuere, vel eorum Majores.

XIV. Cum nomine & vice Ludovici VII. Franciæ Regis Regni habenas moderabatur Sugerius Abbas, electus eſt a Capitulo in Epiſcopum Auguſtodunenſem Archidiaconus, Regiæ ſtirpis Princeps, & Ducis Burgundiæ germanus, electus eſt ſuffragiis populi, Cleri & Monachorum (4). *Concilio & aſſenſu Religioſarum perſonarum, & totius Cleri & populi.* Adiit tunc autem precibus ſuis Capitulum Auguſtodunenſe hunc Vicarium Regni moderatorem, ut aſſentiretur electioni; & electum Papæ commendaret.

Quando Philippus Auguſtus ſacri belli cupidus in Palæſtinam proficiſci ſtatuit, Regni gubernacula ille quidem demandavit Reginæ parenti ſuæ, & Archiepiſcopo Remenſi; diligentiſſimeque præcepit, ut quando licentia flagitaretur eligendi Epiſcopos & Abbates in Eccleſiis vacantibus, eam ne abnegarent, ſed Regalia ne electo reſtituerent, niſi ubi conſecratus aut benedictus fuiſſet. Ita Rigordus ad annum 1190. (5) *Si forte contigerit ſedem Epiſcopalem vel aliquam Abbatiam Regularem vacare, volumus, ut Canonici Eccleſiæ, vel Monachi Monaſterii vacantis veniant ad Reginam & Archiepiſcopum, ſicut ante ad nos venirent, & liberam electionem ab eis petant, & nos volumus, quod ſine contradictione ei concedant. Nos vero tam Canonicos, quam Monachos monemus, ut talem Paſtorem eligant, qui Deo placeat, & utilis ſit Regno. Regina vero & Archiepiſcopus tandiu Regalia in manu ſua teneant, donec electus conſecratus ſit vel benedictus, & tunc Regalia ſine contradictione eis reddantur.*

Hic vero perſpicis ut Epiſcoporum electio in Cleri, Abbatum in Cœnobii potestate eſſet. Ut jubeat Rex licentiam eligendi dari, nullo addito limite, nulla appoſita exceptione. Ut denique facta electione non aliud Rex quam temporalia retineat, donec electus conſecretur. Si qua enim juſta Principi fuiſſet cauſa recuſandi electi, de ea Metropolitanum monuiſſet, ne confirmatio

(1) L. 5. Ep. 89. (2) L. 6. Ep. 12. (3) Eugen. III. Ep. 63. 64.
(4) Suger. Ab. Ep. 63. (5) Du-Cheſne Tom. 5. p. 30.

mario vel conſecratio concederetur.

Mira ea piiſſimi Regis ſobrietas in jure ſuo commendando in electionibus. At aliquanto prolixius in eo amplificando Stephanus Tornacenſis. Cum enim Petrus Cantor Eccleſiæ Pariſienſis in Tornacenſem Epiſcopum electus fuiſſet, eique electioni Rex impenſiſſime gratularetur: ſcripſit Stephanus (1) ad Archiepiſcopum Remenſem, cum eam ad electionem conſpiraſſent *vota Civium, teſtimonia populorum, Honoratorum arbitrium, electio Clericorum:* cumque Rex Petrum nominatim deſignaſſet: *Dominus Rex perſonam iſtam nominatim expreſſit, nominatim pro ea rogavit, nominatim Eccleſiæ Tornacenſi præeſſe voluit & intendit:* confirmandam incunctanter eſſe eam electionem: *Deſerte Regio mandato, confirmata electione.*

Concilium ipſum Trecenſe anno 1104. electionem olim confirmaverat viri ſanctiſſimi Goffridi Epiſcopi Ambianenſis, quod *unanimiter a Clero & Populo electus fuiſſet, Rege quoque aſſentiente.* Nominatim hunc etiam Rex deſignaverat. Non alio conſpirat amor Eccleſiæ ad tuendam electionum libertatem æſtuantis, quam ut ſanctiſſimos habeat Epiſcopos. Ubi ad hoc ipſum ſuffragantur Reges, ut conducibilis eſt Eccleſiæ eorum interventio, ita & gratiſſima.

XV. Ideo & hoc ſæculo certatum eſt vehementius, ut electionibus Monachi intereſſent. Non ii erant tunc Carthuſiani, Cluniacenſes, Ciſtercienſes, Claravallenſes, qui ſua ſe ſponte majoribus Eccleſiæ negotiis inſererent. Ad electiones ab Eccleſia arceſſiri ſunt, quibus pietatem & pacem aſpirarent. Ea de re Decretum editum eſt in Concilio Lateranenſi II. ſub Innocentio II. (2) *Ne Canonici de ſede Epiſcopali ab electione excludant Religioſos viros, ſed eorum conſilio honeſta & idonea perſona in Epiſcopum eligatur. Quod ſi excluſis eiſdem Religioſis electio fuerit celebrata, quod abſque eorum aſſenſu & conniventia factum fuerit, irritum habeatur & vacuum.* Non din tamen equidem viguiſſe ſuſpicor eam clauſulam, qua irritæ pronuntiabantur electiones omnes, quibus non eſſent Monachi ſuffragati. Facile id ex proxime ſequentibus Capitibus colligetur.

In litteris ad Apoſtolicum ſuum in Galliis Legatum Alexander III. de electione Epiſcopi Meldenſis, totam ejus auctoritatem vindicat *Archiepiſcopo & Canonicis* (3). Quo nihil decerpebatur de poteſtate Regis, cui, ut tunc res comparatæ erant, ſere mos gerebatur, ubi vel Metropolitano vel Capitulis ſuggereret aliquem ingenti ſapientiæ & virtutum laude florentem admodum virum, & certiſſime parem Epiſcopali ſarcinæ. Unde & hic idem Pontifex Ludovicum VII. Regem per litteras interpellavit, ut quæ primum vacaſſet Epiſcopalis ſedes, vel Abbatia, eam Thomæ conferret Archiepiſcopo Cantuarienſi, in Galliis tunc exulanti. *Si quem Epiſcopatum aut Abbatiam in regno tuo interim vacare contigerit, ſibi ad ſuſtentationem ſui ac ſuorum, Regia liberalitas faciat aſſignari.*

Diſceptabimus alibi prolixius de Privilegio, quo Ludovicus Craſſus anno 1137. munivit Archiepiſcopum Burdegalenſem, & omnes ejuſdem Provinciæ Epiſcopos, eo tempore quo filius ejus Ludovicus Junior uxorem ducebat Eleonoram filiam & hæredem Willelmi Ducis Aquitaniæ, ut poſſent deinceps Prælati eligi ſumma ſuffragiorum libertate (4). *In Epiſcoporum & Abbatum ſuorum electionibus, canonicam omnino concedimus libertatem, abſque hominii, juramenti, ſeu fidei per manum data obligatione.*

CAPUT XXXIII. *P. 4. l. 2. c. 41.*

Electionum in Galliis ſeries hiſtorica continuatur ab anno Chriſti ducenteſimo ſupra milleſimum, uſque ad Concordata.

I. Innocentius III. & Concilium Lateranenſe IV. ab electionibus Epiſcoporum populum arcent, & Epiſcopos Provinciæ, eaſque ad Capitula omnino revocant.

II. Poſteriores Pontifices eum uſum confirmant.

III. Erat tamen adhuc aliquid momenti in votis populi, & Comprovincialium Epiſcoporum ſuffragiis.

IV. De Pragmatica ſancti Ludovici. Quo ſtatu fuerint electiones uſque ad eum annum, quo Avenione Romani Pontifices ſedere cœperunt?

V. Qui-

(1) Ep. 173. (2) Can. 28. (3) Append. 2. Ep. 23. 71.
(4) Bollandus menſe Febr. p. 440.

V. Quibus cauſis incidentibus reſervarint ſibi Pontifices plurium Epiſcopatuum proviſiones? De reſignationibus eorum, qui obeunt in Curia.

VI. Ut quo tempore Sedes Apoſtolica Avenione hæſit, & poſtquam Romam revecta, longe maxima pars Beneficiorum a Pontificibus, vel a Principibus collata fuit?

VII. Poſt Concilium Baſileenſe, & Pragmaticam noſtram, rurſum pleraque alicujus momenti Beneficia a Pontificibus, vel a Principibus donata fuere.

VIII. Ita Concordata neceſſaria quodammodo evaſerant, rerum viciſſitudine & temporum, uſque illis ſimillima duorum, vel trium retro ſæculorum.

I. SÆculo demum XIII. Cathedralis Capitula electionum Epiſcopalium vim & auctoritatem ad ſe totam revocarunt, non populi tantum votis, ſed & Epiſcoporum Provinciæ ſuffragiis ceſſantibus. Sed cum illæ rerum converſiones lentiſſime fiant, ſub Innocentio III. memoratur adhuc conſpiratio Populi & Epiſcoporum cum Clero Cathedrali in electione Epiſcopi Genevenſis, aut in ejus potius translatione ad Archiepiſcopatum Ebrodunenſem, cui ſuam Innocentius III. accommodavit auctoritatem (1). *Cleri Populi, & Suffraganeorum deſideriis concurrentibus, te in ſuum Archiepiſcopum poſtulavere.*

Et hic tamen ipſe Innocentius III. dum certam & conſtantem delinearet futuris electionibus formam in Concilio Lateranenſi IV. anno 1215. iis tum laicos abegit, tum Epiſcopos Provinciæ. Præpoſito enim triplici tantum electionum genere, Scrutinio, Compromiſſo & Adoratione, ſeu Inſpiratione; in Scrutinio deſcribendo, quod genus longe uſitatiſſimum eſt, aperte prodidit, totam ſuffragiorum poteſtatem penes unum fuiſſe Capitulum. Declaravit enim, ſcripto conſignatis ſuffragiis omnibus, eum ceteris præferendum, cui major, vel ſanior Capituli pars ſuffragata fuerit (2). *Is collatione adhibita eligatur, in quem omnes, vel major, vel ſanior pars Capituli conſentit.* Proſcribuntur ibidem mox electiones *per ſæcularis poteſtatis abuſum* factæ, pœnæque definiuntur in Metropolitanos, qui minus canonicas confirmarint electiones.

Ubi infra accedemus ad electiones Eccleſiæ Anglicanæ, hunc eundem Innocentium audiemus confirmantem Archiepiſcopi Cantuarienſis electionem a ſolis celebratam Monachis, quibus conſtabat Cathedrale ejus Eccleſiæ Capitulum, nullis Epiſcoporum Provinciæ calculis adhibitis. Hnic ergo potiſſimum Pontifici non injuria imputabimus illam Juris novi conſuetudinem & regulam, quæ & populum ſummovet ab Epiſcopalibus electionibus, & ipſos Epiſcopos Provinciæ. Sed ne invidiam faciamus Pontifici vere ſummo, Juriſque conſultiſſimo Innocentio III. fateri cogimur jam eum fere uſum tunc invaluiſſe, nec invectum eum, ſed confirmatum fuiſſe a Concilio IV. Lateranenſi, quanquam & priſcæ conſuetudinis non pauca alicubi ſuperfuerint veſtigia, in dies ſingulos fugientia.

II. Voluit Gregorius IX. ut Capitulum Veſontionenſe ſuffragia admitteret Abbatum ſancti Benigni, & Morimundi, & Fratrum Dominicanorum, edixitque ab his ſanctiſſimis Monachis & Abbatibus Archiepiſcopum eligendum, ſi ultra quadraginta dies ceſſaret Capitulum (3). *Cum conſilio Abbatum &c. Alioqui dicti Conſiliarii de Archiepiſcopo vobis providerent.* Denique ſummovit omnino in poſterum idem Pontifex laicos omnes ab electionibus Epiſcopalibus: *Edicto perpetuo prohibemus, ne per laicos cum Canonicis Pontificis electio præſumatur. Quæ ſi forte præſumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem. Non obſtante contraria conſuetudine, quæ dici debet potius corruptela.* Spectabat quidem ea ſpecies ad Eccleſiam in Sicilia Meſſinenſem, ſed generale erat Decretum, quo inſerto in libros Decretalium, in Gallia etiam receptiſſimos, ubi ab hoc Pontifice in Orbem Chriſtianum promulgati fuere, jam ambigi non poteſt, quin his conſentanea deinceps fuerit Eccleſiæ Gallicanæ diſciplina. Jam ab Honorio III. declaratum fuerat (4), *Jus eligendi non cadere in Laicum in Eccleſia Collegiata*, vel in Prioratu Conventuali. Itaque mandabat Papa Abbati Cluniacenſi, ut Priorem ipſemet nominaret, quem confirmaret Patronus, ſi judicaret idoneum: *Denuntiando ordinationem factam Patrono, ut ſuum, ſi voluerit, impertiatur aſſenſum:* quanquam anteriori tranſactione Abbas Patrono conceſſiſſet eligendi Prioris poteſtatem. Damnata eſt a Cœleſtino III. Capi-

(1) Innocentius III. Regeſt. 15. Epiſt. 175.
(2) Extrav. De elect. c. 52. 56.
(3) Conc. Later. IV. can. 24. 25. 26.
(4) Ib. c. 51.

tuli conſuetudo, duos præſentandi Patriarchæ, vel Principi, qui alterum deligerent: juſſi ſunt ipſimet Canonici unum eligere, aſſenſum Patriarchæ, & Regis mox petituri (1). *Quo facto non prohibemus, quin Regis, ſeu Patriarchæ requiratur aſſenſus.*

III. Nec tamen in unius Capituli gremio ita circumſcriptæ erant electiones, ut Populi, Abbatum, Comprovincialium Epiſcoporum, Metropolitanorum vota pro nihilo reputarentur. Certe quidem Scrutinium in ſolo & a ſolo fiebat Capitulo, conferebantur, numerabantur, ponderabantur ſuffragia, & ita electio concludebatur: ſed nihilo tamen minus certiſſime ea dicebatur, teſtimonio Populi, & conſenſione Epiſcoporum roborari & invaleſcere. Ex ipſo Innocentio III. ejus rei memorandum ponemus exemplum. Scribens enim ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, memorata Worceſtrenſis Epiſcopi electione in Capitulo peracta, non tacet accumulata ei fuiſſe hæc alia quoque ſuffragia (2). *Faciebant ad id non modicum concors Capituli Vigorienſis electio, petitio populi, aſſenſus Principis, votum tuum, ſuffraganeorum ſuffragia.* Electio uni Capitulo tribuitur, ad quam & reliqua hæc omnia conſpirant.

Fatetur hic ipſe alibi Pontifex Epiſcopos & Abbates ad electionem Archiepiſcopi Armachani in Hibernia advocandos fuiſſe. Declaratum eſt & ab eodem Pontifice, a Capitulo Strigonienſi in Hungaria convocari debere Suffraganeos ad electionem Metropolitani, ſi ea viguiſſet prius conſuetudo (3). *Requiſito Suffraganeorum aſſenſu, ſi eſſet de antiqua & approbata conſuetudine requirendus.* Denique hic idem Pontifex ad Sutrinum in Italia Capitulum ſcribens, confirmat electionem ab eo factam Epiſcopi, quanquam ad eam vocati non fuiſſent *Clerici Conventualium Eccleſiarum*, qui trium anteriorum Epiſcoporum electionibus & aſſuerant & ſuffragati erant. Ea vero ratione nititur Pontifex, quod tantulo tempore, quo celebratæ fuerant tres illæ electiones, præſcribi non potuiſſet; vigere autem eam regulam generalem, ſolum Cathedrale Capitulum jure frui electionis, niſi & aliqui præterea hoc ſibi quoque jus præſcripſerint ſpeciali conſuetudine (4). *Secundum ſtatuta canonica electiones Epiſcoporum ad Cathedralium Eccleſiarum Clericos regulariter pertinere noſcuntur, niſi alicubi ſecus obtineat de conſuetudine ſpeciali.* Ita præſentia Comprovincialium Epiſcoporum, aliorumque Collegiorum, ſeu Clericalium, ſeu Regularium, quæ olim jure communi & ubique recepto nitebatur, jam tunc evaſerat propria & peculiaris earum Eccleſiarum, ubi præſcriptio convaluerat, ceteris eo jure per ſupinitatem ſpoliatis & deſuetudinem.

IV. Pragmatica, quæ ſancti Ludovici Galliæ Regis nomine circumfertur, libertatem electionum novo quodam munimento firmat (5), tum in Cathedralibus, tum in aliis Regni Eccleſiis. Divi eam Pragmaticam ſancti Ludovici nomine decorari, quod non neſciam viros eſſe doctiſſimos, qui ejus fidem labare putent. Eorum vero animos movit longum de ea Scriptorum omnium ſilentium, non ævo tantum ſancti Ludovici, ſed duorum admodum poſt ſæculorum. Nec enim niſi anno 1461. cœpit Pariſienſis Senatus ejus meminiſſe articulo 12. ſuæ ad Ludovicum XI. admonitionis, ſeu cohortationis (6). *Quia ſancti Ludovici tempore cœpere Romani obſtrepere electionibus, edictum a Rege ſanctiſſimo promulgatum eſt, quo ſanxit electiones toto Regno celebrari, &c.* Ejus Pragmaticæ poſtea quoque innovata eſt memoria in Comitiis Turonenſibus anno 1439. & in appellatione Univerſitatis, anno 1491. Quoquo ſe modo res habeat, conſtat in geſtis ſanctiſſimi ejus Regis nihil occurrere, quod poſſit anſam dediſſe ei Pragmaticæ publicandæ, cum nihil unquam ei cauſæ vel negotii fuerit cum Romano Pontifice, vel cum Curia Romana. Denique ne tum temporis quidem allegata eſt a quoquam, quando diutina efferbuit diſſenſio inter Bonifacium VIII. Papam, & Philippum Pulchrum Regem; quanquam peropportuna tunc quidem fuiſſet ejus auctoritas.

Non a Romana tunc Curia proficiſcebantur electionum diſſidia, & intemperiæ, ſed a laicorum factionibus tumultuoſis, ex quibus extrema vis, cædes etiam quandoque erupere, in Eccleſias Bituricenſem, Burdigalenſem, Carnotenſem; ubi & aliquandiu intermittendæ electiones fuere. Fidem ejus rei facit Canon Concilii Bituricenſis ann. 1276. ubi præerat Legatus Pontificius, & unde vibrata ſunt anathemata in auctores facino-

(1) Ibid. c. 14. (2) Ib. c. 20. (3) Ib. c. 28. Extrav. De Poſtulat. c. 4.
(4) Extrav. De cauſa poſſeſ. & proprietat. c. 3. (5) Cap. 2.
(6) Preuves des Liber. de l'Egl. Gall. c. 15. n. 35. & c. 22. n. 21.

cinorum tantorum. *Multitudine populi per iniquitatis filios concitata, in electores impetum faciente, electiones ipſæ in nonnullis Eccleſiis impediuntur totaliter*, &c. Decrevit & alias pœnas hæc Synodus, quæ rurſus in Concilio Auxienſi anno 1300. innovandæ fuere adverſus facinoroſas eaſdem graſſationes. Jure ergo meritoque Decretales Pontificum Conſtitutiones, & ipſi mox Decretalium libri ab Epiſcoporum electionibus populum ſummoverunt.

Frequentabantur ergo electiones in Cathedralibus Capitulis, quibus ea licentia a Rege fiebat, cui & poſtea Epiſcopus electus & confirmatus a Metropolitano, ſiſtebat ſe, temporalia ab eo Eccleſiæ prædia & domos acceptuus, ac viciſſim ei præſiturus, vel fidei ſacramentum, vel hominium, pro cujuſque & Eccleſiæ & temporis varietate, de qua inferius. Exempla horum complurima coacervata ſunt variis in Compilationibus (1).

Matiſconenſe tamen Capitulum eo privilegio ornavit Philippus Auguſtus, ut Epiſcopos eligeret non petita etiam Regum licentia, dum electus eis ſe ſiſteret, poſtquam confirmatus fuiſſet (2). *Ne propter locorum diſtantiam damnum aliquod immineret, ſi Canonici eligere non poſſent, niſi a nobis prius peterent eligendi licentiam volumus ut eligant non petita eligendi licentia*. Anno 1290. Willelmus Major electus eſt in Epiſcopum Andegavenſem, impetrata ad eligendum licentia, non ſolum Regis, ſed etiam Capituli Turonenſis, vacante tum Sede Metropolitana. Ea porro fuit electionum conditio ad tempora uſque Concilii Baſileenſis, & Pragmaticæ Sanctionis.

V. Sed cum Pontifices Romani a Minorum Beneficiorum ad Epiſcopatuum quoque Reſervationes progreſſi eſſent, idque frequentius in dies factitaretur; quæſita ſunt munimenta quædam nova firmandis electionibus pene labefactatis. Devolutionis jus ne in controverſiam quidem trahi poterat, & eo nominationes Epiſcoparuum ad Pontificem frequentius quam ſibi quilquam fingere poſſit referebantur. Eo jure Innocentius IV. anno 1245. Epiſcopum Cabilonenſem ad Archiepiſcopatum tranſtulit Veſontionenſem (3): *Cum Eccleſia Biſuntina, quæ diutius Paſtore vacaret, fuiſſet ad nos proviſio devoluta*. Eadem de cauſa idem Pontifex Metropolin Bituricenſem Guidoni de Soliaco Dominicanæ familiæ contulit: *Bituricenſis Eccleſia per multos annos permanſit deſtituta Paſtore, & ſic vacando gravia diſpendia pertulit*. Nec tunc tantum fiebat devolutio juris ad Pontificem, cum defixo a Canonibus tempore non expediebatur electio, ſed & cum indignum conſcii eligebant.

Iſtæ ſunt nimirum, ſive electiones, ſive poſtulationes reſciſſæ, aut repulſam paſſæ, de quibus agebat Benedictus XII. in Extravaganti *ad Regimen*, qui ſibi earum tum Eccleſiarum proviſionem reſervabat, ſive Metropoles ex eſſent, ſive Epiſcopales ſedes, ſeu quævis alia Beneficia.

Agit & ibi de Depoſitionibus, quæ eodem referri poſſunt, ut quæ locum dent ReſervationibusPontificiis. Denique cum agat & de Reſignationibus, recurrere animo debent tot ſupra memorati Prælati, qui malebant dignitates ultro abdicare, quam iis mox ſpoliari.

Anno 1263. San-Maclovienſi Epiſcopatus, olim Alethenſi Urbanus IV. Claravallenſem Abbatem donavit. Electio celebrata fuerat, ſed partitis ſuffragiis inter Archidiaconum ejus Eccleſiæ & Capellanum Papæ, reque per appellationem ad Romanum Pontificem perlata, cœptis abſtitit Papæ Capellanus, nec ambitioſo litis anfractu voluit aditum ſibi facere ad Epiſcopatum (4). *Nolens ambitioſe cum aliquo de Epiſcopali dignitate contendere, electioni de ſe taliter factæ non conſenſit*. Ea ſunt verba ipſiſſima Urbani IV. Papæ Epiſtolæ ad Abbatem Claravallenſem. Abjecit & Archidiaconus quoque ſpem, liteque deſtitit nimis diuturna, ne viduitatem Eccleſiæ protraheret diutius, *volens magis Eccleſiæ commodis, quam proprie utilitati conſulere*. Admiſit Papa reſignationem Archidiaconi: Abbatem autem Claravallenſem, & imperioſa vi obedientiæ, & auctoritate Ciſtercienſis Abbatis Pontificiis Mandatis accumulata, coegit acquieſcere Epiſcopali ejus Eccleſiæ farcinæ. Non alius inter Romanos Pontifices ſanctitatis fama clarior fuit hoc Urbano: & ſane nihil non hic animi magnitudinem & ſanctimoniam ſpirat. Et

(1) Gall. Chriſt. T. 3. p. 683. Spic. t. 10 p. 268
(2) Preuves des Liber. Gall. c. 25. n. 29. 34. 36. 37. 38. 40 47. 48 50. 52. 56. 63.
(3) Gall. Chriſt. T. 1. p. 129. 178. (4) Nomaſt. Ciſterc. p. 389.

tamen San-Maclovienſis Eccleſia ſuo electionis jure fraudabatur.

Capitulorum diſſenſionibus, electionum pravitatibus creberrimis invitabantur, cogebantur etiam non raro Pontifices, ut Eccleſiis viduatis ipſi providerent. Cum Capitulum Remenſe elegiſſet, immo poſtulaſſet Epiſcopum Bellovacenſem, ſed turbantibus & contradicentibus multis, irritavit poſtulationem eam Innocentius III. & gratificari Capitulo volens, poteſtatem reddidit eligendi, ut narrat ipſemet in Epiſtola quadam (1). *Poſtulationem exigente juſtitia repellentes, de gratia vobis electionem liberam duximus concedendam.* Mandavit autem eodem ipſo tempore Epiſcopo Altiſiodorenſi, Abbati de Porſenia (2), & Canonico Noviodunenſi cuidam, ut niſi intra menſem a Capitulo electus eſſet Metropolitanus, ipſi nominarent. Alteram ad electionem proceſſit Capitulum, quam aliquanto plura diſſidia flagitiaque deturparunt. Itaque ei Eccleſiæ conducibile fore viſum eſt Pontifici, adeoque & neceſſarium, ne diuturniori permitteretur tempeſtati, ut ipſemet ei provideret, nominato ad eam dignitatem Gallicanæ gentis homine, qui tum Ciſtercienſem regebat Abbatiam, poſtea ad Cardinalatum, & ad Prænestinæ Eccleſiæ regimen provectus fuit. *Ne ſi denuo reſtitueremus vobis licentiam eligendi, denuo Apoſtolicæ Sedis licentia abutentes, Remenſem ſcinderetis Eccleſiam.*

VI. Benedictus XII. ut alibi demonſtratum eſt a nobis, Beneficia conferebat tam religioſe, tam accommodate ad regulas pietatis, ab omni cupiditatum contagio defæcatiſſimæ, ut ne optari quidem vel fingi quidquam poſſit religioſius. Et ille tamen publicata anno 1335. Decretali *ad regimen* Apoſtolicæ Sedi reſervavit innumera prorſus Beneficia. Ea nimirum quæ vacarent *in Curia*, qua demum cunque ratione ibi vacarent, vel obitu, vel depoſitione, translatione, reſignatione. Quæ vacarent inrevitu Cardinalium, vel Officialium Curiæ Romanæ. Quæ vacarent proviſione Prælaturæ, quam Pontifex conferret. Regulæ Cancellariæ reſervarunt nominationi Pontificum Epiſcopatus & Abbatias orbis Chriſtiani omnes, quorum reditus majores eſſent ducentis florenis; primas omnes Cathedralium Dignitates Epiſcopatu inferiores, primas omnes Dignitates Collegialium Eccleſiarum, Prioratus, aliaſque Dignitates Conventuales. Ex translatione Sedis & Curiæ Romanæ in civitatem & Eccleſiam Avenionenſem, Reſervationibus his omnibus non excuſatio tantum parabatur, ſed & perſpicua quædam neceſſitas providendi Curiæ Romanæ, & ſuſtentandi ſacri Collegii. Accedebat & alia graviſſima neceſſitas ex electionum corruptiſſima jam diſciplina. Non ſiluimus alibi quæ tentata ſint in Gallia, Hiſpania, Anglia, ut novæ huic Beneficiorum diſciplinæ eliſcenti occurreretur: ſed & oſtenſum ibidem eſt, id eo factum eſſe, quod jam nec mala ferre noſtra poſtemus, nec malorum remedia. Curiæ Romanæ proviſionibus obſtrepebant perſæpe Principes, mox & ipſi in ſocietatem emolumenti veniebant; ita non magnopere obluctabantur conſuetudini novæ quidem, ſed ſibi compendioſæ.

Electi Pontifices reſignabant quandoque Epiſcopatus ſuos in manus Papæ, occultis de cauſis, a quo mox iiſdem reſtituebantur. Ita Bonifacius VIII. Robertum de Courtenai reſtituit (3) aſſenſu Cardinalium Metropoli Remenſi, ad quam electus fuerat, & quam in Pontificis manus reſignarat. Diximus jam ſæpius de Reſignationibus frequentiſſimis Epiſcoporum, ut Eccleſiæ, ut ſibi conſulerent. Sed nec illud tacuimus, ea fuiſſe quaſi præludia poſterioris diſciplinæ, quæ Epiſcopatuum pene omnium proviſiones Romanæ Sedi erat aliquando vindicatura.

A Continuatore Nangii proditum eſt anno 1330. translatos eſſe a Pontifice Archiepiſcopos Senonenſem & Bituricenſem, & Epiſcopum Abrincatenſem in alias ſedes, donatos eſſe ab eodem Epiſcopatus Noviomenſem & Abrincatenſem. Ut ex animi ſententia procederent hæ ſive translationes, ſive collationes Sedium, eblandiendus erat Principum aſſenſus, ac proinde vicißim illis commodandum in multis erat. Ita fiebat ut Principes his Diſciplinæ innovationibus, aut nequaquam, aut ſimulate, ideoque non diu reniterentur.

Qui in Curia obibant Epiſcopi, ſucceſſores non habuere, niſi quos Sedes Apoſtolica nominaſſet, ex quo Bonifacius VIII. ea reſervavit Beneficia omnia quæ in Curia vacarent. Nominavit Bonifacius ad Epiſcopatum Toloſanum Ludovicum, illum virtutibus & ſanctimonia clariorem, quam Re-

(1) Gall. Chriſt. tom. 1. p. 510. (2) De Perſigny. (3) Rainald. an. 1269. n. 24.

Regia apud Gallos proſapia (1); diplomate ſuo conteſtatus non alio ſe eas Eccleſias Sedi Petri reſervare conſilio, aut fructu, quam ut eas viris commendaret præſtantiſſimis, & Eccleſiam novo gloriæ cumulo illuſtraturis. Contulit idem Boniſacius & Epiſcopatum Mimarenſem Guillelmo Durando, qui in Curia Romana vacaverat perinde ut Toloſanus. Diximus alibi confeſſum eſſe ipſummet datos a ſe fuiſſe extraneis Archiepiſcopatum Bituricenſem & Epiſcopatum Atrebatenſem ceteroqui viris eruditione & pietate maxime conſpicuis. Eorum alter erat celebratiſſimus Auguſtinus de Roma.

Quod mox emerſit ſchiſma Avenionenſe, vel juſtiores attulit cauſas vel prætextus probabiliores, utriſque hinc & hinc Pontificibus, ut Epiſcopatus paſſim partium ſuarum hominibus donarent, quanquam jam illæ ipſæ Eccleſiæ ſuos haberent, ſed non illis partibus addictos Epiſcopos. Ei calamitati indoluere Concilii Conſtantienſis Patres (2), & in Eccleſia quidem Bajonenſi mederi ſtuduerunt, prohibito Capitulo ne faceret, prohibito & Metropolitano ne novam confirmaret electionem, dum unius facta ſponſi Eccleſia, eo viduaretur.

Confirmatum a nobis eſt, ut Eccleſia Gallicana in Conventus Generales ſemper coierit ante & poſt Concilium Conſtantienſe, quo electiones Prælaturarum in integrum reſtitueret, & aliorum quorumlibet Beneficiorum vel electiones, vel collationes liberas. Vani cecidere conatus hi omnes, aut brevi emarcuit eorum fructus. Spes fuerat & a Concilio Conſtantienſi, & a Martino Papa V. redintegratum iri antiquam ſeu electionum, ſeu collationum & nominationum libertatem. Sed ea quoque fefellit ſpes. Demonſtratum eſt a nobis Clericos pios, doctos & pauperes, ipſas etiam Univerſitates amarulentiſſime expoſtulaſſe, de Ordinariis Beneficia præpoſtere diſpenſantibus, per ea ſubinde intervalla, quibus tota ea poteſtas ad eos revocabatur: nec enim tum magis ſibi conſuli, quam cum omnia ſibi Pontifices reſervarent. Quod Conſtantienſis Concilii Patres non attigerant fere, Baſileenſes animoſius aggreſſi ſunt; ſed cum ei Concilio repugnarent complures Eccleſiæ Occidentalis Provinciæ, non is ex eo fructus qui ſperabatur exiſtere potuit. Cum Gallicana ipſa Eccleſia Eugenio IV. adhæreſceret, Baſileenſibus infeſto, ipſi viciſſim infeſtis: & cum Baſileenſia Decreta in Pragmaticam Sanctionem ſuam non admiſiſſet, niſi compluribus modis & limitibus circumciſa: facile hinc intelligitur eum rerum ſtatum diuturnum eſſe non potuiſſe. Germanicis Concordatis ſuperſtites ſoſpiteſque ſunt electiones complures, ſed earum qui ignari conſciique ſunt, non facile deſiderio tangentur.

VII. Verum iis etiam locis & temporibus, quibus per Concilium Baſileenſe & per Pragmaticam Sanctionem reſtitutæ fuerant electiones, & antiquæ libertati redditæ per Pontifices nihilominus & Reges frequentiſſime Epiſcopi dati ſunt Eccleſiis; ſeu conſpirarent illi, ſeu alternis ſibi gratificarentur. Carolus ipſe VII. Rex Pragmaticæ Sanctionis auctor & parens, illud a Caliſto III. Papa pervicerat, ut Tornacenſem ſibi Epiſcopatum reſervaret, Regio cuidam miniſtro conferendum. Calliſto mortuo Rex ſucceſſorem ejus Pium II. eadem de re interpellavit. Dux Burgundiæ Pium non ſegnius urgebat, ut ſibi potius eum Epiſcopatum reſervatum vellet, quod ejus portio longe maxima ſuæ ditionis eſſet. Utrique ſpondebat Papa ſe obſecuturum, ubi vacaſſet ea Eccleſia. Rex Cardinalem Conſtantienſem, Dux Epiſcopum Tullenſem Tornacenſi ſedi intrudere meditabatur. Pontifex ſolemniter profitebatur, neminiſe unquam Eccleſias nondum vacantes deſponſurum. Interim Tornacenſis & Tullenſis Epiſcopi, rationibus iis adducti, quas ipſi quidem Canonicis regulis conſentaneas interpretabantur, Epiſcopatus permutarunt, annuente & confirmante Papa, Cardinalium Conſiſtorio approbante (3). Vita exceſſit Tornacenſis, nondum excutioni mandata Epiſcopatuum permutatione. Pontifex de Conſilio Cardinalium Tullenſem Epiſcopum Tornacenſem in Eccleſiam tranſtulit. Hactenus ex Pii litteris ad Regem, quem & illud monebat: Si Carolus Magnus & Otho privilegiis quibuſdam amplioribus donati fuerant, ceſſante Eccleſiæ neceſſitate & illa quoque ceſſaſſe: non poſſe autem Gallias Pragmaticæ ſatis tuto adhæreſcere, ut in qua Conciliorum Canones ſine auctoritate legitima truncati & interpolati ſunt. *Nam etſi Decreta aliquorum Con-*

(1) Hiſtor. Univ. Paris T. 3. p. 516. 517. T. 4 p. 2810.
(2) Seſſ. 31.
(3) Æneas Sylvius Epiſt. 374. 375.

Conciliorum inſerta ſunt & Pontificum ſanctiones, nihil tamen ita repertum eſt, ut promulgatum fuit: ſed vel additiones facta ſunt, vel mutilationes, quod Prælatis tui regni facere haudquaquam licuit, & ſine damno animarum ſuarum illis uti non poſſunt. Addit Pius Caroli Regis Majores perſimilem Pragmaticam meditatos fuiſſe, ſed ipſofmet eam ſilentio oppreſſiſſe, conſcios ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ ſtare & vigere eam non poſſe. *Tui aliquando anteceſſores Pragmaticam ferme ſimilem ordinaverunt; videntes id ſine Apoſtolica Sede facere non poſſe, abſtinuerunt.* Conqueritur denique Pontifex, quod cum Eugenius IV. Nicolaus V. & Calliſtus III. Regiam majeſtatem precibus fatigarint, ut Pragmaticam revocaret, ad eorum preces Rex obturduerit. Ceſſit tandem piiſſimus Rex proviſioni Pontificiæ ad Eccleſiam Tornacenſem.

Illud quoque a Jacobo Cardinali Papienſi refertur (1), Carolum eundem Regem ab Eugenio IV. Archiepiſcopatum popoſciſſe, quo ornaretur vir nobilis nondum idonea ætate: ſtupuiſſe autem & doluiſſe quod voti compos factus eſſet, annuente Pontifice. Quo factum eſt, ut & ſuam damnaret Rex indulgentiam ac mollitiem, qui præter fas exoratus ab importunis hominibus, præter ſpem exoraſſet Pontificem. *Interceſſi, ſed non credidi conceſſum hoc iri.*

Anno 1446. idem Rex eundem Pontificem Eugenium IV. enixiſſime interpellavit, ut Metropoli Bituricenſi donaret Joannem Cœur, famoſiſſimi illius Jacobi Cœur Theſaurarii ſui filium, propterea quod plurima in eo Archiepiſcopatu caſtra juris & ditionis ſuæ haberet (2). *Supplico Sanctitati veſtræ, ut eum præficere dignetur ad ipſum Archiepiſcopatum.* Denique poſt canonicam electionem Meldenſis Epiſcopi exorandus fuit Regi idem Pontifex, ne cui alteri eandem Sedem conferret.

Si Carolus VII. qui tantopere exarſerat ad Pragmaticam moliendam ac promulgandam, ipſemet tamen Pontifices hortabatur, ut Epiſcopales Eccleſias, & necdum vacantes ſibi reſervarent, & vacantes fidiſſimis ſibi miniſtris conferrent: quid de Ludovico XI. exiſtimabimus, qui Pragmaticam aliquando abrogavit? Anno 1475. Sixtus IV. per litteras Ludovicum hunc Regem certiorem fecit, Epiſcopatum quidem Laudunenſem a ſe collatum eſſe ei quem Rex nominaſſet; at Beneficia novi hujus Epiſcopi Epiſcopo Vaſionenſi ſe contuliſſe, Referendario ſuo. (3) Pleraque Galliæ Beneficia per ſeſe vel per Legatos ſuos Sixtus IV. donavit, adeo ut Carolus VIII. in Regnum Ludovico XI. parenti ſuo ſuccedens, a Cardinali Balua Legato ejus, & ab ipſo appellari curarit. Sed idem ipſe Carolus VIII. ab Innocentio VIII. Papa plurima expreſſit Reſcripta anno 1486. & 1487. quibus Papa Epiſcopatum ſibi Bellovacenſem reſervabat, ei quem Rex cuperet donandum. Ea Reſcripta Capitulo Bellovacenſi ſignificata fuere, non ſine fulminum comminationibus, ſi ad electionem pergeretur. Capitulo & ante & poſt Epiſcopi obitum renuntiavit Rex voluntatem ſuam. Nec his tamen repagulis cohiberi potuit Capituli zelus intrepidus, quin Epiſcopum ſibi eligeret Ludovicum de Villers de l'Isle Adam, qui anno 1488. confirmationem petiturus ad Remenſem acceſſit Archiepiſcopum (4). Quem Rex deſignabat, is ad Senatum provocavit Pariſienſem, a quo pronuntiatum eſt ſecundum eum quem Capitulum elegerat. Ceſſit tunc quidem junior Rex, at nemo non facile ſuſpicatur cum ætate adoleviſſe & auctoritatis voluntatiſque ſuæ roborandæ cupidinem.

Inde eſt quod anno 1493. Senatus Pariſienſis hæc ad eum peroravit (5), *Omnia electiva Regni Beneficia, Metropoles, Epiſcopatus, Abbatias Paſtoribus orbari & gemere, propterea quod ſimul ac vacarent Eccleſiæ, eas Pontifices conferrent, nec electionibus locus daretur.* Quo eodem anno Pontificem Rex ipſe commonefecit. *Concordatis olim initis inter Pontifices Romanos & Reges Galliæ, Juri canonico adprime conſentaneis, ſancitum eſſe, ut ne poſſit Papa conferre Beneficia electiva, ubi vacarent in Regno, niſi de Regis conſenſu, & oriundo ex ipſa Gallia.* Innocentium VIII. a ſe ſæpius compellatum, ut Epiſcopatum Andegavenſem qui Romæ vacarat, conferret Doctori Theologo, qui ſibi a Confeſſionibus erat; quod cum ea tempeſtate Angli numeroſiſſimo exercitu Armoricam inſiderent, ſua permagni intereſſet, ut apud Andes Epiſcopum haberet ſibi fide & nexu con-

(1) Cardin. Papien. Epiſt. 180. (2) Spicil. T. 7. p. 285. 293.
(3) Hiſtor. Univ. Paris. T. 5. pag. 721. 763.
(4) Preuv. des Liber. de l'Egl. Gall. c. 15. n. 70. 72. 73. (5) Ibidem.

conjunctiſſimum : nominatum tamen ab Innocentio VIII. fuiſſe Italum quendam ; ſed a Capitulo Andegavenſi electum ex adverſo fuiſſe Doctorem illum, quem a Confeſſionibus habebat, eumque ex Juris canonici norma confirmari ſe feciſſe ab Archiepiſcopo Turonenſi ; denique cum cauſa verteretur Epiſcopatus poſiti in finibus Regni, referre mirum quantum, ut quamprimum Papa Bullas expediret mitteretque ei, quem Rex & Capitulum delegiſſent.

Anno 1509. Ludovicus XII. Rex & Julius II. Papa diſſentire & diſſidere cœperunt, (1) ea occaſione, quod Papa Epiſcopatu Avenionenſi hominem donaſſet, a quo Regis animus alienatus eſſet. Viciſſim prohibitum eſt a Rege, ne quibus Papa Epiſcopatus, vel Cœnobia contulerat, eorum poſſeſſionem, vel iuire poſſent, vel tueri. Animadverſum ab aliis (2) eſt jam inde ab anno 1514. Leonem X. Papam & Franciſcum I. Regem clam conſentire ſibi mutuo cœpiſſe, ad abrogationem Pragmaticæ, & ad donandos Epiſcopatus.

VIII. Nec pluribus opus eſt, ut conſtet ante Pragmaticæ abrogationem in Concilio Lateranenſi V. factam electiones jam fere toto Regno abrogatas fuiſſe & ante edita ac confirmata in eodem Lateranenſi Concilio Concordata Gallicana, proviſum jamdiu fuiſſe Beneficiis eadem propemodum ratione, quam Concordata præſcripſerunt quoad Beneficia elective. Efficaces plerumque erant Regum preces, vel apud Pontificem, qui viciſſim Epiſcopatus reſervabat & conferebat ; vel apud Capitula, quæ ſuis electionibus aliquid hinc etiam præſidii fore ſperabant, & libertatis umbram ſaltem aliquam, ſi quos Rex commendaret, hos elegiſſent. A Petro De Marca præſtantiſſime obſervatum eſt, præter clancularias, vel apertas factiones & artes, ipſas Regum preces imperioſas tantum non vim attuliſſe electionibus, adeo ut Guillelmo Benedicti viſum ſit, Regias preces imperii vim obtinere debere apud eligentes (3). *Electiones ſane Capitulorum ambitu fiebant, eiſque perſæpe vim inferebant Regum preces a Pragmatica Sanctione approbatæ. Adeo ut Guillelmus Benedicti, celeberrimus illa ætate Juriſconſultus, affirmet preces illas habuiſſe & habere debuiſſe vim imperii apud Canonicos electores.*

Nec diſſimulat illuſtriſſimus idem & conſultiſſimus vir, quantas in ambages, & inexplicabiles nodos conjeciſſet Gallos Pragmatica. Electiones enim litigioſæ Romam adhuc referebantur ; & ubi electus minus idoneus probabatur (4), *id quod ſæpe eveniebat*, Beneficium a Papa conferebatur. Electiones Metropolitanorum a Papa confirmandæ adhuc erant, mittendumque *Pallium* : facile autem hæc ille abnuebat, exarcebatus noſtra retinendæ Pragmaticæ conſtantia. Ne Epiſcopos quidem fere ordinare audebant Metropolitani, niſi eorum electio a Papa confirmata fuiſſet, propter eas quæ alioqui ebulliebant interminabiles lites. Concordatis lites eæ omnes conticuerunt, Papæ permiſſa poteſtas confirmandi Epiſcopos a Regibus nominatos, ſicut ante Pragmaticam certiſſime utebatur jure confirmandi electiones Epiſcopales. *Nominationis jus ſic conceditur Principi, ut ad ſummum Pontificem pertineat confirmatio electionum, qua potiebatur abſque ullo controverſia ante Pragmaticam Sanctionem editam.*

CAPUT XXXIV. *P. 4. l. 2. c. 42.*

Electionum ſeries Hiſtorica in Anglia poſt annum Chriſti milleſimum.

I. *Forma electionum in Anglia ſub Willelmo Nothо. Quantum in iis ipſe poſſet. Quam religioſe ea poteſtate uteretur, illæſa Cleri & Populi ſuffragiorum libertate.*

II. *Nova argumenta ejuſdem Concordiæ, publicæ libertatis electionum, & Regiæ in iis auctoritatis.*

III. *De electionibus ſub Rege Willelmo Ruffo. Labefactata libertas.*

IV. *De electionibus ſub Henrico I. reſtituta libertate, damnatis, abolitiſque inveſtituris. Obſervantur aliqua in Eccleſiæ diſciplinam Inveſtituras proſcribentis quas diu toleraſſet.*

V. *Rurſum eliſa libertas electionum: Rege, Epiſcopis, Magnatibus, Clerique & Populi ſuffragia fere comprimentibus, maxime ſub Henrico II. uſque ad tempora martyris Thomæ Cantuarienſis.*

VI. *Sub regno Richardi & Ioannis ſine Terra, nihilo liberiores fuere electiones. De Epi-*

(1) Rainal. ann. 1500. n. 21. (2) Hiſtor. Univ. Pariſ. T. 6. p. 61. 71.
(3) Marca. De Concord. L. 6. c. 9. n. 12. 13. (4) Ibidem.

Epiſcoporum præſentia & jure in electionibus Metropolitanorum.

VII. De electionibus ſub Rege Henrico III. diu obtrita libertas.

VIII. Rurſus in eas libertatis oppreſſæ calamitates aliqua obſervantur.

IX. De electionibus in Scotia.

X. De electionibus in Hibernia.

XI. Rurſum de Anglicanie electionibus. De reſervationibus Pontificiis ſub Rege Eduardo II.

XII. De electionibus & reſervationibus ſub Eduardo III.

XIII. Series continuata electionum, ſæviente Avenionenſi ſchiſmate, & ante ſedentibus Avenione Pontificibus.

I. CUm ab annis amplius ſexcentis nonniſi Francicæ originis Principes in Anglia regnarint: qui & plurimarum interim Galliæ Provinciarum antiqua ditione gauderent, earumque contemplatione Galliæ Regibus fide & hominio conſtringerentur: inde profecto manavit tanta utriuſque Eccleſiæ in diſciplina etiam electionum conſenſio, ut non poſſit non plurimum lucis ex hac in illam refundi.

Qui beati Lanfranci vitam litteris conſignavit, illum perhibet (1) diutius reluctatum, ne ex Abbatia Cadomenſi ſua in Metropolitanam Rotomagenſem transferretur ſedem, ad quam Cleri & populi ſuffragatione vocabatur. Tum vero Willelmum Regem precibus ſuis egiſſe apud Pontificem, ut eo illum transferret, quem paulo ante creaverat Epiſcopum Abrincatenſem. Non multo poſt, nimirum anno 1070. habitum eſt Concilium ad Caſtrum Regium Vindſorium, ubi Rex qui ei præerat, Legati Pontificii, & Epiſcopi elegerunt eundem Lanfrancum in Archiepiſcopum Cantuarienſem. Renitebatur ille quidem, ſed non potuit tandem non concedere Regi vim facienti. Unus Legatorum legem illi & neceſſitatem intonuit obediendi. *Denuntians ei in Concilio Epiſcoporum & Abbatum Normanniæ petitionem Regis, ſimulque voluntatem ſuam & reliquorum ſedis Apoſtolicæ Legatorum, &c.* Coactus ergo ceſſit auctoritati Legatorum Pontificis, & Optimatum Neuſtriæ. *Apoſtolica auctoritate, & Optimatum Normanniæ aſſenſu.*

Epiſcopi complures eo in Concilio diſcincti, graduque dejecti ſunt, ut vacuas ſuis eorum Eccleſias ſubirent, qui novo Regi fide & antiqua origine devinctiores eſſent. Inter eos qui ſolio excidebant, fuit B. Vulſtanus Vorceſtrenſis Epiſcopus, a quo & Epiſcopalis Baculus ſepulchro ſanctiſſimi Regis Eduardi reſtitutus eſt, utpote a quo ſe inſtitutum fuiſſe profitebatur. Simul autem ea fulgurarunt in eo ſanctitatis inſignia, ut a Rege & Lanfranco cogeretur Baculum rurſus & Epiſcopatum recipere.

Concilium in Anglia habitum anno 1072. diſſidia inter Cantuarienſem & Eboracenſem Archiepiſcopos componere cupiens, conſtituit ut Eboracenſis *accepto a Rege Archiepiſcopatus dono*, a Cantuarienſi ordinaretur. Alexandrum II. Papam per litteras certiorem fecit Lanfrancus, Hermanum Angliæ Epiſcopum, Monaſtici otii & ſeceſſus ſanctioris cupidiſſimum, jamdiu reſignatorum fuiſſe Regi Eccleſiam ſuam, niſi ipſe interceſſiſſet (2). *Niſi ego cenſura Canonica obſtitiſſem, jam pridem Regi Epiſcopatum reddidiſſet.*

Conſuluit & eundem Pontificem de alio Epiſcopo, qui conſcientiam geſtans graviſſimis flagitiis inquinatam, nec volens Concilii Canonicum ſubire judicium, a Legatis Pontificiis excommunicari maluerat Epiſcopatumque Regi reſignarat; cui ferebantur Legati permiſiſſe, ut alium eligeret. *Legati veſtri eum excommunicaverunt, Regique ſubſtituendi ſucceſſorem, ut dicitur, licentiam conceſſerunt, &c. Regi in conſpectu Epiſcoporum & laicorum Epiſcopatum reddidit.* Subdit denique ſe in Angliam nuper adveniſſe, & necdum auſum eſſe, cedenti ei Epiſcopo alium ſubrogare, donec Pontificis litteris edoceatur, quid ſibi gerendum ſit.

Eadem pene ratione Willelmus hic perdomitæ primum Angliæ gloria celebratiſſimus, Epiſcopatus Normanniæ conferebat, antequam in Angliam exſcenderet. Nec ſe illi quiſquam adverſarium objiciebat, quod tota ejus auctoritas & vis unum in id conniteretur, ut clariſſimos quoſque virtutibus & doctrina viros Epiſcopalibus ubique ſedibus inveheret. Hoc illum encomio exornat Scriptor ejus vitæ, cum Epiſcopos Lexovienſem & Abrincatenſem nominaſſet (3). *Quorum in electione penes judicium ejus probitas ipſorum valuit.* Eadem illum auc-

(1) Vita Lanfr. c. 5. 6.
(2) Epiſt. 2.
(3) Script. Norman. p. 193. 208. 275. 281.

Digitized by Google

ctoritate donat Willelmus Gemmeticenſis, de Epiſcopatu Bajocenſi agens, quo fratrem ſuum ornavit. *Dux præfatum Epiſcopatum Odoni fratri ſuo commendavit.* Cum Maugerus Rotomagenſis Archiepiſcopus Eccleſiam illi ſuam reddidiſſet, eam Monacho Fiſcanenſi contulit in Concilio Provinciali. *Archipræſulatum Duci reddidit, Dux Synodi decreto Metropolitanam ſedem Maurilio Fiſcanenſi Monacho multis virtutibus excellenti tradidit.*

II. Quantacunque videri poſſit ea poteſtas Willelmi, Ducem in Normannia, Regem in Anglia agentis; electiones omnes iſtæ teſſeram adhuc præ ſe ferebant antiquiſſimæ libertatis. Vide ut Ordericus id declaret in deſcribenda priori Lanfranci electione in Archiepiſcopum Rotomagenſem (1): *Eccleſia Rotomagenſis Lanfrancum Præſulem elegit, Rex Guillelmus cum Optimatibus ſuis omnique populo libentiſſime conceſſit.* Vides electionem a Capitulo fieri, conſenſu Regis, Magnatum, & populi firmari. Abnuit tunc Lanfrancus, eique ſuffecto Epiſcopo Abrincatenſi, Abrincatenſi Eccleſiæ Paſtor aſſignatus eſt *electione canonica* (2).

Ne fingi quidem quidquam amplius poteſt, aut magnificentius ad illuſtrandam Willelmi hujus memoriam eo encomio, quod illi incubravit idem Scriptor; nihil carius, nihil antiquius eum habuiſſe, quam ut Eccleſiæ præſtantiſſimos Paſtores præficeret: convocaſſe Epiſcopos, Abbates, & quidquid erat pietate & ſapientia præcellentium virorum, quoties vacanti Eccleſiæ dignus præponendus erat Paſtor; eaſque ſemper dignitates iis contuliſſe, qui religione, qui prudentia, qui morum innocentia ceteris eminerent: nihil feciſſe munera, opes, nobilitatem; totum poſuiſſe in innocentia, in ſapientia, & ſanctitate vitæ, per annos quinquaginta ſex, quibus Normanniam Angliamve adminiſtravit (3). *Multimodæ honeſtatis ſtudio in multis Rex Guillelmus laudabilis claruit: maximeque in miniſtris Dei veram religionem ſemper amavit. Nam cum Paſtor quilibet completo vitæ ſuæ termino de mundo migraret, ſolli citus Princeps Præſules, & Abbates, alioſque ſapientes Conſiliarios convocabat, & eorum conſilio quis melior & utilior, tam in divinis rebus, quam in ſæcularibus ad regendam Dei domum videretur, ſummopere indagabat. Denique illum, quem pro vitæ merito & ſapientiæ doctrina proviſio ſapientum eligebat, benevolus Rex diſpenſatorem & rectorem Epiſcopatus vel Abbatiæ conſtituebat. Hanc nimirum obſervationem quinquaginta ſex annis cuſtodivit, quibus regimen in Ducatu Normanniæ, ſeu regno Angliæ tenuit. Et inde religioſum morem & exemplum poſteris dereliquit. Simoniacam hæreſim omnimodis abhorrebat, & ideo in eligendis Abbatibus & Epiſcopis, non tam opes, ſeu potentiam, quam ſanctitatem & ſapientiam perſonarum conſiderabat.*

Encomii hujus Scriptori erat certiſſime perſuaſiſſimum, minime controverſiam faciendam eſſe Regibus de ea quam ſibi ſumunt in rebus etiam hujuſmodi poteſtate, quandiu ea utuntur ea religione, prudentia, & obtemperantia in Conciliorum Canones, ac Diſciplinæ Eccleſiaſticæ caritate, qua Willelmus iſte Rex. Ideo ab eo ſubjicitur ſub ejus regno reſloruiſſe pietatem, & obſervantiam Regularem in omnibus Angliæ Cœnobiis. Lanfrancus ex Cadomenſi Abbate Cantuarienſem ad regendam Eccleſiam adſcitus eſt, *Regis & omnium Optimatum ejus benevola electione.* Qui in Cadomenſi Abbatia Lanfranco ſucceſſit, nono poſt anno Rotomagenſi Metropoli donatus eſt ab eodem Rege (4): *Rex ad regendam Metropolin provexit.*

Piiſſimus quidam Neuſtriæ Monachus, nomine Guimundus, non repudiavit tantum Epiſcopatus, quos ei Rex in Anglia largiebatur; ſed & mira prorſus fiducia illi occinuit, cum Angliam armis & vi invaſiſſet, quando ejus Epiſcopales ſedes diſtribuebat, non ea jam dona eſſe, ſed prædæ partes in quam involaſſet: porro nullas per leges licere, populis vi oppreſſis Paſtores ex poteſtate imponere magis, quam præponere. *Videte ſi qua lege ſancitur, ut Dominico gregi Paſtor ab inimicis electus imponatur violenter.* Sed cum iis verbis adeo non exaſperatus ſit Rex, ut in admirationem tam eximiæ conſtantiæ adductus, pro virili ſua parte connixus ſit, ut ad Rotomagenſem Eccleſiam electione canonica illum promoveret: hinc merito cogimur non paulo plus mirari Regis moderationem, quam ſanctiſſimi etiam Monachi animi magnitudinem; & ejuſmodi Principem facile perſuadebimur Eccleſiaſticas dignitates ea,

(1) Ann. 1067.
(2) Ibid. pag. 507.
(3) Ibid. pag. 516.
(4) Ibid. pag. 519. 520. 526. 532.

qua dictum eſt integritate, diſpenſaſſe.

Ejus rei ſuppetunt & alia argumenta. Cenomanenſi Epiſcopo hinc migrante, ſtatuit Willelmus eo Epiſcopatu unum ſuis e Capellanis donare, quod ea civitas frequentibus tumultuationibus, rebellionibus & cædibus concuteretur. Tam ſancto oneri ſuccedere omnino detrectavit is Capellanus, conteſtatus non eam fuiſſe ſuperioris ſuæ vitæ integritatem & innocentiam, quam Paulus in Præſulibus creandis deſideravit: ſed Clericum Capellæ Regiæ indicavit, ſpecie quidem prorſus deſpicabilem, verum virtute & religione numeris ſuis omnibus abſolutiſſima. Incunctanter Rex Epiſcopatu illum exornavit, nec diſſenſit Clerus. *Clericum ad ſe arceſſit Rex, eique curam & ſæculare jus Cenomanenſis Epiſcopatus commiſit, Decretum Regis Clero inſinuatum eſt, & præfati Clerici bona vitæ teſtimonium ab his qui noverant ventilatum eſt. Pro tam pura & ſimplici electione devota laus a fidelibus Deo reddita eſt.* Vides nominationi Regiæ utcumque cohærere electionem Cleri, & populi aſſenſum; ſed in eo verſabatur rei cardo, quod & Clerus & Populus de aſſenſu, de teſtimonio ſuo, de libertate electionis incurioſus in ſollicitudine Regis pervigili dignioſſimos conquirendi Epiſcopos totus conquieſcebat. Erant & forſan adhuc nonnullæ electiones priſco more omnino liberæ, cum idem Scriptor ad annum 1079. dicat Archiepiſcopum Rotomagenſem *canonice electum* fuiſſe.

III. Succeſſit in Regnum quidem filius Willelmi Willelmus Ruffus, ſed virtutum & religionis ejus prorſus expers & degener (1). *Paſtores Eccleſiis imponere differebat*, quo earum reditus in ſuum fiſcum converteret. Germanus ejus Dux Normanniæ multo laudabilius, ſi modo Epiſcopatus omnes eadem integritate diſpenſabat qua conceſſum ab eo Sagienſem memorat idem Ordericus, poſt electionem factam in Concilio Provinciali (2): *Archiepiſcopus Synodum Epiſcoporum & Abbatum apud Rotomagum congregavit, & cum Duce Roberto, ſuffraganeiſque Præſulibus de Sagienſi Præſulatu tractare cœpit, tandem finito conſultu elegit Serlonem, Uticenſium Rectorem, eique Epiſcopatum renitenti commiſit.*

Redeo ad Willelmum Ruffum Regem Angliæ, qui Epiſcopatus plerumque dabat Capellanis ſuis, vel ambitioſulis Aulicis, qui quas ante habuerant Præpoſituras, cum Epiſcopatu retinuerunt, eſſræni quadam cupiditate & avaritia (3). *Sic utique Capellani Regis & amici Præſulatus Angliæ adepti ſunt, & nonnulli ex his Præpoſituras, ad opprimendos inopes, ſibique augendas opes nihilominus tenuerunt.* Nec abjudicanda fides eſt Orderico eidem, ajenti complures Præſules tam obliquo tramite in Epiſcopatum ingreſſos, dedecus illud initiorum ſuorum eluiſſe poſtea, virtutum vere Epiſcopalium incredibili quodam ſervore. Quanquam enim ambitio ejuſmodi homines, vel avaritia tranſverſos primum agat, probroſis artibus ad Epiſcopatum graſſantes: illa tamen Numinis providentia, quæ mala fieri non ſinit, niſi ut de malis ipſa faciat bene, pleniorem in eoſdem perſæpe gratiarum infundit ubertatem & copiam, ut ſalus Paſtoris donetur ovibus, ab eodem ad æternam ſalutem promovendis. *Plerumque leves & indocti eliguntur ad regimen Eccleſiæ tenendum, &c. Quibus ita promotis clemens Deus parcit, ac miſeretur, & cœleſtis ſophiæ per eos luce Dei Domus illuminatur, & inutilibus ſtudiis plures ſalvantur.*

Diuturnæ maxime orbitati Eccleſiæ Cantuarienſis, communis omnium parentis, ingemiſcebant omnes Angliæ Antiſtites. Cum eorum precibus non molliretur Regis animus, qui ſeſe ipſum eſſe Archiepiſcopum Cantuarienſem dictitabat (4); obteſtati ſunt tandem ipſum, ut ſineret publicas toto Regno fundi ad Deum preces, quo illi voluntas creandi Archiepiſcopi divinitus inſpiraretur. Quam preces non inflectebant contumaciam, fregit graviſſimus morbus, permiſitque tum Rex Epiſcopis, ut de eligendo Archiepiſcopo in Concilium irent. *In Epiſcopos ejus rei conſiderationem tranſmittens.* Malueruut Epiſcopi ejus voluntati rem committere. *Transfunditur tamen in eum conſultationis dignatio proniſque mentibus in aſſenſum Regium pendetur, ut quem ipſe dignum pronuntiaret, cuncti profecto ſuſciperent.* Tunc enimvero Rex nominavit Anſelmum, cui paulo ante peccata ſua confeſſus fuerat. Optatiſſimum id fuit Epiſcopis, ſolus Anſelmus renitus eſt, ætatis & ægritudinis excuſatione utens, affirmanſque non ſibi magis & Regi convenire poſſe in Angliæ adminiſtratione, quam ſi bos

(1) Script. Nor. pag. 679. 697. Ann. 1089.
(2) Ann. 1091.
(3) Ibid. pag. 708.
(4) Malmesbur. De Geſtis Pont. Angl. lib. 1.

bos indomitus & ovis effæta & emarcida ad currum vel ad aratrum conjugarentur (1). *Velle illos diſſonantia facere, ut aratrum ſanctæ Eccleſiæ, quod in Anglia duo boves validi & pari fortitudine ad bonum certantes id eſt Rex & Archiepiſcopus Cantuarienſis debeant trahere, nunc ove vetula cum tauro indomito jugata, diſtorqueatur a recto.* Vis tandem ab Epiſcopis ei allata eſt, ut pedum manui ejus inſereretur.

IV. Quod præſagiebat Anſelmus, eventus mox comprobavit. Illico Regem inter & ipſum diſſenſiones exarſere, cum nil remitteret Rex de ſervitutibus & oneribus Eccleſiæ inflictis. Nec multo felicius cellit Anſelmo apud Rufi Regis fratrem & ſucceſſorem Henricum I. maxime vero poſtquam proſcriptæ ſunt à Romanis Pontificibus Inveſtituræ Epiſcopatuum & Abbatiarum, quas Reges dabant. Poſtremo tamen Rex morigerum ſe Eccleſiæ præbuit, inveſtituris renuntiavit & nominationibus Regiis, reſtitutis in integrum electionibus. Audiendus hic Edinerus in vita Anſelmi (2). *Adunatis in Palatio Regis Londini cunctis Primoribus Angliæ, victoriam de libertate Eccleſiæ, pro qua diu laboraverat, Anſelmus adeptus eſt. Rex enim Anteceſſorum ſuorum uſu relicto, nec perſonas, quæ in regnum Eccleſiarum ſumebantur, per ſe elegit, nec eas per dationem virgæ Paſtoralis inveſtivit.* Poſſent ex Epiſtolis Anſelmi (3) plura ejuſdem rei hic accumulari argumenta. Rem abunde elucidat unus hic Edineri contextus.

Hinc porro multa colliguntur, ex quibus plurimum omnino Diſciplina electionum illuminetur. 1. Quanquam inveſtituræ præire deberet ex Juris norma electio, ab hoc tamen exemplo, & ex innumeris aliis patet, non fere ſolitos Principes inveſtituras dare, niſi quibus & Epiſcopatus dediſſent. 2. Ita quamquam ex Ivone inveſtituræ tolerari potuiſſent, ut quæ æternæ legi non adverſarentur: conſultiſſimum tamen Eccleſiæ viſum eſt eas aboleri, quod ex eis pernicies electionibus crearetur. 3. Et cum tamen non ſpectet electionum libertas, quam ut perquam optimi Paſtores Eccleſiæ præficerentur, quandin Reges eos vel nominarunt, vel inveſtierunt Epiſcopos, quorum pietas & doctrina dignitati tantæ reſponderet: lubens paſſa eſt Eccleſia eos uti ſeu privilegio, ſeu conſuetudine, quæ inveſtituris auctoritatem conciliabat. Ottones Imperatores & Wilhelmus Angliæ debellator impune & ſuffragante Eccleſia eo jure uſi ſunt, quia cum laude, & ad pietatis incrementum. At qui ſucceſſere, vel Imperatores Germaniæ, vel Angliæ Reges, ea excuſſi ſunt poteſtate, quæ Laicis non congrueret, & quam jam non excuſaret uſus cum pietate & Eccleſiæ utilitate conjunctus. 4. Quanquam dilucidum eſſet, eos ſeu Reges ſeu Imperatores Epiſcopales & Abbatiales donaſſe Eccleſias, aſſenſus tamen & congratulatio Eccleſiæ has nominationes ſuadebat pro electionibus haberi, ut quæ in decus & incrementum cederent religionis & pietatis. Vide ut de ſua provectione ad Cantuarienſem Eccleſiam ad Anſelmum ipſum ſcriptum ſit (4): *Quod generalis vel omnium, vel certe quam multa maxime plurium, & eorum ſapientiſſimorum, Deo placere clamat, ſolus tu diſplicere contendis, &c. Te quem divina vocavit electio, &c. Dei inenarrabili potentia operante, dedit dominus noſter Rex Anglorum; conſilio & rogatu Principum ſuorum, Cleri quoque & populi petitione & electione Anſelmo Abbati Cantuarienſis Eccleſiæ gubernationem.*

Exiſtimabat haud dubio Anſelmus eas omnes conſenſiones includi ſuo quodam modo in Eboracenſis Archiepiſcopi ſive electione, ſive nominatione, ad quem ſcribebat in hæc verba (5): *Quoniam Regi placuit, conſilio Baronum ſuorum & noſtra conceſſione, ut veſtra perſona eligeretur ad Archiepiſcopatum Eboracæ.* 5. Sed poſtquam Reges Angliæ in nominandis Epiſcopis peſſimas duces ſecuti ſunt cupiditates ſuas, merito illis Anſelmus intonuit, jure in uſum revocatos eſſe Canones antiquos, qui Principes electionibus arcebant (6). *In Synodo nuper apud Lateranum, &c. Sanctorum Conciliorum reverenda majeſtas ſecularium Principum poteſtatem ab Eccleſiaſticis electionibus decrevit arcendam.* Poſtquam vero ea permanaverant Eccleſiæ decreta, jam ab Angliæ Rege, nec Epiſcopatus donari poterant, nec Abbatiæ, quanquam privatim illi quidam inſuſurraſſent Epiſcopi, vivæ vocis oraculo id illi Pontificem permiſiſſe, dum Chriſtianæ pietatis inſtinctu in his ageretur. Id ex Anſelmi litteris intelligi poteſt. Vani proculdubio erant hi ſuſurri. Ubi enim morum corruptela Eccleſiam compulit,

(1) Anſelm. L. 3. Ep. 2. 3. (2) Ediner. L. 2. (3) Anſelm. l. 3. Epiſt. 126. l. 4. Ep. 2.
(4) L. 3. Ep. 2. 3. (5) L. 3. Ep. 149. (6) L. 3. Ep. 44. Ep. 74. 88.

pulit, ut his expiandis novas condat leges, novas temperet medicinas; his utique neceſſario obſequendum eſt, nec ab iis declinare quiſquam poteſt, inutili eo obtentu, ac vana ſpe, fore ut re non abſtinea, abſtineat abuſu. Contra enim omnino cedendum eſt legibus, iis maxime quæ non novæ conduntur, ſed recuduntur vetuſtiſſimæ, nec niſi ad tempus ex neceſſaria indulgentia intermiſſæ.

Non mihi tempero, quin hic inſeram fruſtulum aliquod ejus ſermonis (1), quem auctor eſt Willelmus Malmesburienſis a Gregorio VI. habitum eſſe paulo ante obitum. Eo id pertinet, ut approbetur ea ratio, quam ſecuti ſumus in enucleanda Inveſtiturarum cauſa, & electionum: in quibus Eccleſia in ſpeciem ſibi diſſenſiſſe videri poteſt, & aliis aliiſque alias indulſiſſe conſiliis: cum reapſe ſibi ſemper ſimillima fuerit, utpote uni ſemper conſtantiſſimæ & immutabili obſecuta legi veritatis & caritatis. *Laudatus eſt prædeceſſor noſter Hadrianus primus, quod inveſtituras Eccleſiarum Carolo Magno conceſſerit, ita ut nullus electus conſecraretur ab Epiſcopo, niſi prius a Rege inſigniretur & annulo, & baculo. Contra laudatur in noſtri ſæculi Pontificibus, quod has donationes tulerunt Principibus. Poterat tunc rationabiliter concedi, quod nunc laudabiliter debet auferri. Cur ita? Quod erat animus Caroli Magni adverſus avaritiam invictus: nec facile inveniſſet aditum aliquis, niſi intraſſet per oſtium. Præterea per tot terrarum interſtitia nequibat requiri Sedes Apoſtolica, ut unicuique electo accommodaret aſſenſum ſuum, dum eſſet prope Rex, qui nihil per avaritiam diſponeret, ſed juxta ſacra Canonum ſcita religioſas perſonas Eccleſiis introduceret. Nunc omnia Palatia Regum luxus & ambitus occupavit. Quare merito libertatem ſuam Sponſa Chriſti aſſeverat, ne illam tyrannus ambitioſo uſurpatori proſtituat.* Quanquam ſuppoſititia ſit hæc Hadriani I. conceſſio, quanquam hujuſmodi verba aliqua a Gregorio VI. dicta fuiſſe, aut dici potuiſſe, nolim equidem meæ fidei periculo affirmare: ea tamen pulcherrima omnino eſt ratio, & ſolidiſſima, purgandæ in non paucis rebus ab inconſtantiæ labe Eccleſiaſticæ diſciplinæ.

V. Annales Anglicanæ Eccleſiæ ſi perſequamur, in eoſdem ſemper errores & abuſus incurremus. Matthæus Paris ad annum 1100. & 1103. commemorat, ut Henricus I. Rex Epiſcopatuum inveſtituras daret, conticeſcentibus electionibus: quin & Pontifici ſignificavit, Regno ſe potius quam inveſtituris ceſſurum. Anno 1107. inveſtituras ejuravit Rex & viciſſim Anſelmus illi recepit, nunquam Pontifices Romanos moleſtiæ quidquam iis creaturos Epiſcopis, qui ei ſe hominio obligaſſent.

Anno 1114. ſcripſit Ivo Carnotenſis Epiſcopus ad Paſchalem Papam, Henricum I. avecto in cœlum Anſelmo pluribus annis paſſum eſſe vacare Eccleſiam Cantuarienſem, ut ejus reditibus ipſe frueretur, nec copiam feciſſe electionis, niſi longa fatigatum interpellatione Epiſcoporum Regni & Apoſtolicæ Sedis (2). *Epiſcopalem electionem ibi fieri non permiſit. Nunc poſt increpationes veſtras, poſt multas Epiſcoporum Diœceſanorum admoniciones, præraxata Eccleſia, conſenſu Epiſcoporum, Rege connivente, elegit ſibi Radulphum, &c.* Eam Regis procraſtinationem maturiori deliberationi affingit Willelmus Malmesburienſis. At toto quinquennio ceſſaſſe Regem, vacaſſe, ut ipſemet fatetur, Eccleſiam, non ea ſunt deliberandi moroſitates, ſed avaritiæ ſordes. Optarim equidem ut ſincerius veriuſque ab eodem ſcriptum ſit, ab eodem Rege Concilii Vindſorienſis Epiſcopis eligendi Archiepiſcopi libertatem pleniſſimam eſſe conceſſam; ſedato etiam animo eum tuliſſe, ut reticeretur, quem ingerebat; & pari modeſtia in ejuſmodi ſemper negotiis fuiſſe (3). *Nihil voto indulgens ſuo, in commune arbitrium refudit electionem, quod & tunc & alias inſigni continentia feciſſe dignoſcitur.* His ſatis conſentanea habet Eadmerus, L. V. Novellæ Hiſtoriæ.

Ex hac teſtimoniorum exemplorumque congerie perſpicuum fit, in Anglicanis electionibus ſummum quoddam jus penes Reges & Epiſcopos fuiſſe, at minimum in iis potuiſſe Clerum reliquum. Inde eſt quod idem Scriptor perhibet, cum Britannicas Eccleſias regerent Angli, & in eas necdum Normanni irrupiſſent, necdum eas ſibi ſubjeciſſent, electiones factas fuiſſe a Clericis, Monachiſque, qui Cathedralium Capitula fere occupabant (4). *Electio olim Præſulum & Abbatum, tempore Anglorum penes*

(1) Pag. 84.
(2) Baron. n. 6.
(3) In Geſtis Pont. An. l. 1. Epiſt. 230.
(4) Ibid. l. 3. pag. 276.

penes Clericos & Monachos erat.

Ad annum 1095. Vulſtanum affirmat Matthæus Paris electum fuiſſe Vigornienſem, ſeu Vorceſtrenſem Epiſcopum, *unanimi conſenſu tam Cleri, quam Plebis, Rege annuente, ut quem vellent eligerent.* Id confirmabat Vulſtanus ipſe, cum electioni ipſi ſuæ patrocinari cogeretur. *Fratrum non deerat electio, plebis petitio, voluntas Epiſcoporum, gratia Procerum; ſed ecce nunc novus Rex, nova lex, &c.* Quibus poſtremis verbis manifeſte innuitur, Normannos Principes miſſa ſub jugum Anglia, quo eam ſibi arctius conſtringerent, id laboraſſe, ut electiones Epiſcopales magis magiſque in poteſtate eſſent Regum & Epiſcoporum. Ab eodem Matthæo refertur anno 1138. Theobaldum Beccenſem Abbatem electum fuiſſe ab Epiſcopis Archiepiſcopum Cantuarienſem, præſente tantummodo Priore Monachorum, quibus totum illud conſtabat Capitulum. *Ab Epiſcopis electus eſt, Priore Eccleſiæ Cantuarienſis Jeremia præſente.* Et idem nihilo tamen minus peshibet anno 1162. Thomam electum fuiſſe Cantuarienſem Archiepiſcopum, *congregato Clero & Populo totius Provinciæ Cantuarienſis.* Sed cum Thomas idem ipſe poſtea Epiſcopatum Pontifici reſignarit, ab eoque novam ejus collationem & inveſtituram acceperit, hinc abunde proditur, ne ipſum quidem electioni ſuæ priſtinæ tanquam canonicæ confidere potuiſſe.

Caput illud ipſum quod ad Electiones ſpectabat, inter Regias conſuetudines, quas ſibi tuendas eſſe Rex contendebat, electiones omnino labefactabat, cum eas circumſcriberet in Capella Regia, & inter eos quos Rex arceſſiſſet (1). *Cum vacaverit Archiepiſcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus, &c. debet dominus Rex mandare potiores perſonas Eccleſiæ, & in Capella ipſius Regis debet fieri electio, aſſenſu ipſius Regis, & conſilio perſonarum Regni, quas ad hoc faciendum advocaverit.* Nonniſi poſt conſignatas Thomæ Martyris ſanguine Eccleſiaſticas libertates, Henricus II. Rex caput iſtud expungi aſſentus eſt conſuetudinum Regiarum, liberaſque poſthac fore electiones ſpopondit (2). *Ad inſtantiam Cardinalium Rex Anglorum Henricus liberas fieri electiones vacantium Eccleſiarum conceſſit.* Non multo poſt electus eſt Archiepiſcopus Cantuarienſis ab Epiſcopis Comprovincialibus & a Capitulo (3): *Suffraganei Cantuarienſis Eccleſiæ & ejuſdem loci ſanior pars conventus, de electione Epiſcopi tractantes, elegerunt Richardum, &c. Electus Regi fidelitatem juravit, &c.* Refertus a Rogerio ad annum 1184. electio alia Epiſcopi Cantuarienſis, ubi longa diſſentio Epiſcopos inter & Monachos Cathedrales flagravit: ſed aliquando tandem Balduinus Vorceſtrenſis Epiſcopus ab Epiſcopis electus eſt, eique coegit Rex Monachos aſſentiri.

VI. Qui Henrico II. ſucceſſere Reges, ejus fere pertinaciam magis, quam pœnitentiam æmulati ſunt. Non ſilentur a Rogerio (4) electiones violentæ & ſimoniacæ inter exordia ipſa Richardi Regis. Unde & ab iis ad Papam provocatum eſt. Nec multo liberiores, & Canonicis inſtitutis accommodatiores fuere, quandiu Richardus Getmanico carcere attinebatur. Tragica nelcio quæ narrat Willelmus Neubrigenſis (5) de violentis eorum quos Rex nominarat incurſionibus in Capitula, ut ab iis eligerentur. Joannes Sine Terra dictus Richardum excepit, iſque Lincolnienſem Eccleſiam, utpote opulentiſſimam, diu vacare, ſedituſque ejus fiſco accreſcere paſſus eſt; denique copiam fecit eligendi præſtantiſſimi illius e Carthuſia Monachi Hugonis. Hujus conſtantia frangi non potuit, ſuæ ut aſſentiretur ante electioni, quam certiſſime comperiſſet, liberrime aſſenſos eſſe Canonicos Lincolnienſes. *Niſi ſibi prius de communi Lincolnienſis Eccleſiæ conſenſu Canonicorum conſtaret.* Ut omnis illi ambigendi locus præſecaretur, iterato illum Canonici elegere (6). *Ut illi certius eorum conſenſus innoteſceret, ibi eum denuo elegerunt, & tunc primo conſenſit.* Hac ſanctiſſimi Præſulis cautione admonemur, libertatem ſuffragiorum non raro diſturbatam fuiſſe Principum poteſtate.

Sed ejus rei exemplum hic promam non paulo certius, & majoris omnino momenti futurum in poſteras ætates. Anno 1205. excedente Cantuarienſi Archiepiſcopo, Monachi Cantuarienſes clam & præfeſtine Subpriorem ſuum in Archiepiſcopum elegere, Romamque confirmandum miſere, juſſum in primis, ut rem religioſiſſimo premeret ſilentio. Cum ſilentii fidem Subprior infre-

(1) Matth. Paris anno 1164. (2) Idem ann. 1173. (3) Ibidem.
(4) Rogerius p. 622. 655. 658. 663. 727. (5) Neubr. l. 5. c. 12.
(6) Paris. Ann. 1200.

fregiſſet, Capitulares Monachi licentiam eligendi a Rege flagitavere, quam annuit ille quidem, ſed eniſſimis precibus urgens, ut Norvicenſem Epiſcopum ſibi devinctiſſimum eligerent (1). Clericos una ſuos Rex miſit, qui electioni intereſſent. A Monachis electus eſt, Sedique invectus quem Rex commendarat: at Epiſcopi Provinciæ querelis ſuis Apoſtolicam Sedem, eique tum præſidentem Innocentium III. adiere, expoſtulantes de Monachis, qui eos non vocaſſent ad electionem, quanquam tres priores ad electiones convocati fuiſſent omnes Epiſcopi Provinciæ, idque communi jure ſanciretur (2). *Cum ipſi una cum illis de jure omnium & conſuetudine antiqua electioni intereſſe debuiſſent.* Allegabant Monachi ex adverſo privilegium & morem antiquum. Petrus Bleſenſis inſulo calamo Monachos impetivit, qui nec Epiſcopos, nec Abbates ad electionem vocaſſent (3). *Ut contempta & abjecta Epiſcoporum & Abbatum deliberatione communi, fieret electio clandeſtina, furtiva, & conſuetudini contraria, inimica legibus, damnata decretis, & moribus reprobata.* Paulo ultra veri metas evehebatur Petrus. Innocentius III. cautam addixit Monachis, ut qui privilegium & antiquam conſuetudinem rite approbaſſent: eo quoque perpenſo quod tres illæ nuperæ electiones ab Epiſcopis allegatæ, annorum numerum non explerent præſcriptioni figendæ neceſſarium.

At vero ne Monachi quidem Cantuarienſes reportata in Epiſcopos victoria frui potuere. In duas enim illas electiones a ſe celebratas rurſum ſciſſi, hinc & inde adverſa fronte colidi inter ſe cœpere (4). Pontifex utraſque reſcidit, ut Canonibus pugnantes, & utriuſque partis Delegatos ſatis magno Romæ numero ad electionem faciendam, intentato anathemate coegit rurſum eligere, & quidem eligere Stephanum de Langton Cardinalem, gente Anglum, quem Pontifex in ſe recipiebat Regi gratiſſimum fore: addito etiam, ubi electiones Romæ fierent, Regio aſſenſu haud opus eſſe. *Nec ſuper electionibus apud Sedem Apoſtolicam celebratis, ſolet aſſenſus Principum expectari.* Morem Pontifici geſſere Monachi. Nec ille artes ullas, aut blanditias reliquas ſibi fecit, ut Regis aſſenſum eliceret. At Rex indignatione & ira efferveſcens, Monachos omnes Cantuarienſi Eccleſia expulit, ab obedientia etiam Pontificia ſe receſſurum comminatus. Interdicto tunc Pontificio in Angliam vibrato, ea in illam irruerunt agmina calamitatum, ut Rex pœnitudine ductus, libertatem redintegrarit electionum, eo etiam conceſſo, ut ſi Rex aſſenſum aut licentiam abnoceret, ad electionem nihilominus pergeretur (5). *Si forte accidat, quod denegaremus, vel differremus, nihilominus procedant electores ad electionem canonicam faciendam.* Addito etiam ut ne poſſet quidem Princeps electionem factam aſſenſu ſuo fraudare, niſi iis cauſis, quæ a ſe juridice probarentur. *Poſt electionem celebratam, aſſenſum non denegabimus, niſi adverſus eandem rationabile aliquid propoſuerimus, & legitime probaverimus, propter quod non debemus conſentire.*

Ita tum quidem pax compoſita; at ea minime diuturna fuit. Eodem ipſo anno Rex copia facta Capitulo Eboracenſi eligendi Epiſcopi, preces inculcavit, ut Worceſtrenſem Epiſcopum eligerent. Illi fratrem Cantuarienſis Archiepiſcopi elegere. Rex Romam delegavit, qui ei electioni Pontificias aures obſtruerent. Reſcripſit Pontifex, ne ea electio rata haberetur, ſed ſuo ex Collegio aliquos delegarent ad Concilium Lateranenſe jamjam habendum, ubi & Archiepiſcopus non ſine Papæ conſilio eligeretur: *Cum noſtra conſilio*: alioqui ei Eccleſiæ ſe proviſurum. Romam convenere Eboracenſes Canonici, Epiſcopum Worceſtrenſem a Papa poſtulaverunt; a quo & conceſſus eſt. *Nos eum damus vobis.*

Poſſunt & in antiquis Conſtitutionibus Regum Angliæ perlegi (6) frequentiſſimæ Regis hujus in canonicas electiones contumeliæ, ſive Abbatum, ſive Epiſcoporum; cum Abbates, alioſve miniſtros Regios mitteret, ut præſentes eſſent, & electionem ſuo nomine confirmarent, ſi eam ipſe probaret. Deſignabat etiam nonnunquam quos cuperet Epiſcopos creari.

VII. Joannem Sine Terra ſucceſſor & filius Henricus III. religione, quod difficile quidem non erat, ſuperavit; at inter initia Regni nihilo fuit ille electionibus indulgentior. Mortuo Dunelmenſi Epiſcopo, Priorem & Capitulum ejus Eccleſiæ ab eo flagitaſſe perhibet Matthæus Paris (7) co-

(1) Matt. Par. ann. 1205. 1206. (2) Geſta Innoc. III. p. 140. (3) Bleſenſ. Epiſt. 27.
(4) Ibidem. ann. 1208. (5) Ibidem. ann. 1215. (6) Pag. 21. 22. 30. 35. (7) Ann. 1226.

copiam eligendi. Eam ille non abnuit quidem, ſed preces minaſque permiſcens, unum ex ſuis Capellanis ut eligerent, hortatus eſt, alioqui ſeptennio toto Eccleſiam illam vacuam fore. Elegerunt tamen illi Archidiaconum Vorceſtrenſem, virtutum omnium præſidio tam inſtructum, quam Capellanus Regius eo deſtituebatur. Eum confirmare detrectante Rege, illi ad Pontificem miſere. *Quem cum Rex recuſaſſet, Romam miſerunt, ut electionem factam auctoritate Apoſtolica confirmaret.* Romam delegavit & Rex, qui impedirent, obſtarentque ne res procederet (1). Denique reſciſſa eſt ea electio, & tum poſtulatus eſt Epiſcopus Salisberienſis, quem Papa eo tranſtulit.

Anno 1238. Vintonienſis Capituli Monachis liberam Epiſcopi eligendi facultatem non conceſſit Rex, niſi ſponderent electuros ſe Valentinum electum Epiſcopum. Illis conſtanter recuſantibus, agros domoſque omnes Epiſcopatus deprædatus eſt, ibi metatus cum exercitu. Reſcito poſt ab eis electum fuiſſe Cancellarium ſuum Epiſcopum Ciceſtrenſem: & ipſum & ipſos infandis lancinavit contumeliis, & in ipſa urbe Roma tantum potuit, ut ea poſtulatio irritaretur. Monachi Romæ rediere fiduciæ & libertatis chartis a Pontifice inſtructi, ne imperioſis unquam Regum precibus arctarentur: *Per acerbam Regis inſtantiam, vel imperioſas preces:* utque ne vetarentur extraneos eligere. Eo Rex in furorem actus eſt, quaſi toto ex Regno non poſſet Vintonienſi Eccleſiæ Paſtor provideri (2). *Quaſi non potens Angligenam illi Epiſcopatui ſufficientem invenire.*

Ideo & Prælati omnes Angliæ Londini cum Baronibus congregati anno 1240. præſentibus Apoſtolicis Legatis vehementer conqueſti ſunt de oppreſſis Eccleſiaſticis libertatibus a Rege & a Miniſtris Regiis, maxime vero in electionibus. *Annis plurimis Eccleſias in manu ſua detinet, nec patitur electiones Canonicas celebrari.* Iiſdem querelis Edmundus Cantuarienſis Archiepiſcopus Pontificem compellavit, & ab eo impetrare conatus eſt, ut ſibi fas eſſet Epiſcopos Eccleſiis orbatis dare, ubi earum orbitati intra ſex menſes Rex non mederetur. Verum tum quidem ea non fuit in Pontifice, quam Eccleſiæ neceſſitas deſiderabat, vel animi magnitudo & conſtantia, vel certe poteſtas. Ideo & Monachi Cantuarienſes anno 1241. Bonifacium ſibi Archiepiſcopum delegere, (3) propterea tantum quod Rex ita ſe velle non diſſimularet, & ea etiam Romæ eſſet, vel gratia, vel poteſtate, ut quamcunque aliam electionem reſcindi faceret. *Quia ſi alium elegiſſent, Rex adinventis exceptionibus quibuſcunque caſſaſſet, quia favorem Papalem in omnibus obtinebat.* Pervulgata & manifeſta prorſus erat ejus Bonifacii indignitas: ſed teſtimonia in ejus laudes effuſiſſima Rex extorſit, & obſignata Romam miſit.

Eodem hoc anno Norviceuſem Epiſcopum Rex convitiis & probris oneravit, quod aſſenſus eſſet poſtulationi ſuæ in Epiſcopatum Vintonienſem, extorſitque ab eo pollicitationem nunquam aſſentiendi translationi ſuæ. Electum tamen Vintonienſem Innocentius IV. ſuo patrocinio obumbravit (4), ſcripſitque ad Regem, potuiſſe Sedem Apoſtolicam eam translationem eo inconſulto perficere, & tamen enixum ſe eſſe, ut ea illi approbaretur, cum is electus addictiſſimus ſemper fuiſſet Regiæ voluntati. Denique pervicit tandem modeſtia ſua novus Epiſcopus Vintonienſis, ut in gratiam Regis recolligeretur.

Anno 1246. Canonici Salisberienſis virum aulicum elegere, quod non alios Rex admitteret (5): *Comperientes nullum fore acceptum domino Regi, niſi aulicum & curialem.* Nec multum diverſæ erant electiones Abbatum: eo enim collineabant Monachi, *ut domini Regis confiſcantis omnia declinarent indignationem.* Peroravit & ipſe Rex in Capitulo Vintonienſi, ut eligeretur, quem volebat: nec minis abſtinuit. Auctor eſt Matthæus Weſtmonalterienſis anno 1253. decimas ſacras redituum ſuorum Clerum Regi conceſſiſſe ad triennium, ad impetrandam confirmationem libertatum, potiſſimum vero in electionibus, Rex pollicitus eſt ſuo more, fide qua ſolebat. Cum vacaſſet Eboracenſis ſedes, conſilium cepit ſuſpendendæ diutius electionis, ne tam opima præda citius ſibi elaberetur. *Ait enim, nunquam illum Archiepiſcopatum aptæ in manu tenui, ideo cavendum eſt ne nimis cito elabatur.* Denique anno rurſus 1257. redi-

(1) Ibid. ann. 1238. (2) Ibidem.
(3) Idem ib.
(4) Ibidem. Rainald. ann. 1244. n. 45. 46.
(5) Paris ib. Ann. 1249. 1250.

redimendæ Clero fuere antiquæ ſuæ libertates, maxime in electionibus, infinita pecunia Regi repræſentata.

VIII. Non potuit non plus doloris quam tædii creare Lectoribus tam prolixa calamitatum, pravitatumque contextio, ſi quibus cordi eſt Eccleſiæ diſciplina. Ejuſmodi tamen certe erant electiones, quas tantopere deſideravimus, poſtquam nova invecta eſt ratio creandorum Epiſcoporum. Ipſa quidem per ſeſe electionum ratio & natura animo occurrit pulcherrima, votiſque & amore impenſiori expetenda. Sed earum hiſtoria, & imago ſincera rerum geſtarum, maxime in Anglia, non poteſt non vel mœrorem, vel indignationem excitare, quod res omnium longe ſanctiſſima, Paſtorum & Pontificum Eccleſiæ Chriſti creatio, tam profanis & pudendis artibus, & cupiditatum ſordibus contaminaretur. 2. Dictum eſt a nobis ſupra alicubi, finitimam fuiſſe Eccleſiæ Anglicanæ & Gallicanæ in multis diſciplinam. Hic ſane excipienda nobis eſt libertas electionum, cui multo plus venerationis & obſervantiæ in Gallia impenſum eſt. 3. Non videtur Angliæ Capitula, quæ fere Monachorum erant, liberas electiones habere cœpiſſe, niſi poſt ſæculum XII. 4. Epiſcopi eo jure exciderunt poſt Decretum Innocentii III. quodam quaſi repetundarum jure. Quippe ex tempore debellatæ per Neuſtriæ Duces Angliæ, ſoli fere Epiſcopi cum Rege & Proceribus Epiſcopos elegerant. 5. Ab imperio Normannorum & Andinorum Principum in Anglia, non aliæ propemodum fuere populi partes in electionibus, quam ut iis applauderet, ubi canonice fiebant. Ita capienda Epiſtola Capituli Cantuarienſis ad Paſchalem II. ubi eum orant, ut Epiſcopum Roffenſem Cantuarienſem in Eccleſiam transferat, utpote a Clero & Populo electum (1). *Electus a nobis, & Clero, & Populo*. Eodem quoque ſenſu ſcribit Matthæus Paris anno 1239. electum fuiſſe Epiſcopum Norvicenſem, *aſſenſum tam populo prebente, quam Clero*. Monachis quoque Capituli Coventrenſis eligentibus Epiſcopum, *Regem acceptaſſe, & Clerum & Populum*. 6. In Anglia quoque id, quod & alibi contigit, frequentiores diſſenſiones, poſtulationes, translationes, diſpenſationes, abnegatas a Regibus confirmationes, in cauſa tandem aliquando fuiſſe, ut hæc tota electionum poteſtas in manus veniret Pontificis, & ſenſim ſine ſenſu Sedes Apoſtolica impelleretur ad dandos Epiſcopatus. 7. Frequentia & diuturna Eccleſiarum interregna, dum electiones a Regibus vel negata eligendi licentia, vel obiecto poſt obice, vel recuſato denique aſſenſu ſuſpenderentur; ea, inquam, interregna id præſtabant, ut jure devoluto Pontifex nominare poſſet. Minus ergo mirum ſi tandem nominarit. 8. Quin & ubi nominarunt Epiſcopos, id Pontifices ex Regum aſſenſu facere ſtuduerunt: voluerunique ut a ſe nominati, a Regibus Epiſcopatus adminiſtrationem & poſſeſſionem ſuſciperent. Ita Paſchalis II. orabat Henricum I. Regem (2), ut Herveo Epiſcopo vacantem aliquam Eccleſiam daret, utpote a Barbaris ſede ſua pulſo, cum ſanctiſſimi Epiſcopi officiis fraudanda non eſſet Eccleſia. *Volumus & rogamus, ſi qua eum apud vos vacans Eccleſia vocaverit, ibi auctoritate Apoſtolica conſtituatur, ne infructuoſo diu ſilentio torpeat, qui vitæ documenta cœleſtis in ſcientia & moribus portat*. 9. Quando ſanctiſſimi complures Epiſcopi a Principibus ſæcularibus inveſtiti, eos Epiſcopatus abdicabant in manus Pontificis, & eoſdem mox ab eodem de Cardinalium conſilio recipiebant: hæc ſane rerum inclinatio & proclivitas eo jam tum vergebat, ut dandorum Epiſcoporum facultas ad Pontificem delaberetur. Aſſuenda hic neceſſario verba B. Thomæ Cantuarienſis, ubi Epiſcopatum Papæ reſignavit (3): *Aſcendi in Ovile Chriſti, ſed non per oſtium, velut quem non canonica vocavit electio, ſed terror publicæ poteſtatis intruſit. Et licet hoc onus ſuſceperim invitus, tamen ad hoc me induxit humana, non divina voluntas*. 10. Poſt obitum hujus Thomæ Martyris potiſſimum, Pontifex per ſuos in Anglia Legatos canonicis electionibus Epiſcopos vacantibus omnibus Eccleſiis donari curavit, accedente aſſenſu Regis Henrici II. Ab his vero provocavit ad Sedem Apoſtolicam Henricus Junior, Henrici II. filius, regno & ipſe inauguratus. Provocavit autem, quod non requiſito aſſenſu quoque ſuo irritæ eſſent eæ omnes electiones. Neceſſe ergo fuit, ut Epiſcopi illi novi magno certe numero, vel irent ipſi, vel mitterent Romam, ad impetrandam Sedis Apoſtolicæ confirmationem. Ex ea quoque ingenti multitudine ele-

(1) Poſt Epiſt. 104. Paſchal. (2) Ep. 104. (3) Baron. ann. 1164. n. 56.

electionum controverſarum, & Romæ confirmandarum, via complanabatur devolutioni juris ejus ad Pontificem. Conſules, ſi vacuum ſit, Epiſtolas Joannis Saliſberienſis (1) ſuper hac concertatione inter duos Reges pro electionibus. Lubens prætereo alias quoque complures ejuſdem Saliſberienſis Epiſtolas, in quibus multa ſparguntur, his adprime concinentia quæ a nobis dicta ſunt.

IX. Propius abfuere Scotiæ Reges ab Anglis, quam Angli a Gallis. Narrat Eadmerus (2) Alexandrum Scotiæ Regem experiſſe ſibi Monachum dari Cantuarienſem, quem Sant-Andreanum crearet Epiſcopum. Miſſus eſt is Monachus a Rege Angliæ & ab Archiepiſcopo Cantuarienſi. Ut Scotiam attigit, *eligente eum Clero & Populo terræ, & concedente Rege*, creatus eſt Epiſcopus. Memorat & Robertus de Monte, anno 1175. cum coegiſſet Rex Angliæ Scotiæ Regem, ut hominium ſibi præſtaret, ſineretque decem Epiſcopos Scotiæ, & Abbates eodem ſibi obligari obſequio: Epiſcopos Scotiæ ſacramentum fidei ſine hominio præſtiiſſe, at a Rege Angliæ datos Scotiæ Epiſcopatus, vel ex ejus voluntate datos. *Rex Angliæ dabit honores, Epiſcopatus, Abbatias, vel ut minus dicam, conſilio ejus dabuntur.*

Anno 1180. referente Rogerio, Sant-Andreanæ vacantis Eccleſiæ Canonici Joannem Doctorem in Epiſcopum ſibi elegere. Rex unum e ſuis Capellanis nominavit, & quanquam ad Papam provocatum eſſet, eum fecit ordinari. Miſſus a Pontifice Legatus Joannis electionem confirmavit, & ipſo conſentiente Rege conſecrari curavit. Levitate neſcio qua Rex illico novum Epiſcopum Regno faceſſere juſſit. Legatus Epiſcopatum Sant-Andreanum interdicto ſubjecit. Alexander II. vetuit ne Joannes Epiſcopus dignitati ſuæ renuntiaret, Regi anathema intentavit. Poſtremo cum Rex Epiſcopum Regno ejeciſſet, ab Archiepiſcopo Eboracenſi juſſu Pontificis anathemate innodatus eſt, Scotia interdicto percuſſa. Petiit Rex, ut eum Epiſcopum Pontifex in aliam transferret quamlibet Regni ſui Eccleſiam, ſed abnuit Pontifex. Cum anno 1183. Lucius III. Alexandro II. ſucceſſiſſet, ſolutis excommunicationis & interdicti vinculis, Legatum in Scotiam miſit, qui eam litem componeret. Denique eo Regem adduxit Legatus, ut Capellanus Hugo, quem Sant-Andreanum ordinari fecerat Rex Epiſcopum, eo Epiſcopatu exueretur: Joannes pro Sant-Andreano Dunkeldenſem acciperet. Hugo Romam appellavit, quo ambo ſe contulere Epiſcopi anno 1183. Ibi Pontifex in Cardinalium Conſiſtorio ab utroque ejurari fecit Sant-Andreanum Epiſcopatum, & poſt eam reſignationem puram ſimplicemque, Pontifex Epiſcopatui Dunkeldenſi reddidit Joannem, Hugonem Sant-Andreano. Anno 1188. Clemens III. mortuo Hugone, quidquid diſſenſionum ſupererat compeſcuit, & Epiſcopatus Scotiæ omnes immediate Romanæ Eccleſiæ ſubjecit. Porro nihil non hic magnopere conſentit cum electionibus Anglicanis.

X. Quod ad Hiberniam attinet, Innocentius III. confirmatis privilegiis omnibus Metropoleos Caſſellenſis, ſtatuit (3), ut poſt mortem Epiſcoporum, eorum Baculus & Annulus in eadem deponantur Eccleſia, donec iis inveſtiantur a Conſecratore ſuo Epiſcopi ſucceſſores. Ita proſcribebantur Inveſtituræ Laicæ. Et quoad electiones, ſancit Innocentius, ut Archiepiſcopi Caſſellenſes eligantur a Suffraganeis Epiſcopis & a Canonicis. *Nullus ad eandem Eccleſiam in Archiepiſcopum eligatur, niſi quem ſuffraganei Epiſcopi & Canonici ejuſdem Eccleſiæ, vel major pars conſilii ſanioris, ſicut eſt hactenus obſervatum, ſecundum Deum providerint eligendum.*

Si retro flectamus greſſum, occurret anno 1097. Concilium Hiberniæ, ex quo Rex, Epiſcopi, Clerus & Populus litteras dedere ad beatum Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum, tanquam ad Primatem ſuum, ut Vaterfordienſem Eccleſiam & Civitatem Epiſcopatu augeret, & ordinaret Epiſcopum quem ipſi elegiſſent. Non ſatis video, qui cohæreat hoc Concilium cum vita B. Malachiæ Armachani Archiepiſcopi a Bernardo ſcripta. Nimirum narrat Bernardus, antequam Malachias ab Eccleſia Hibernia depulſis ignorantiæ denſiſſimis tenebris, abſterſiſſet incredibilia quædam inquinamenta; quindecim jam extitiſſe Archiepiſcopos, una omnes ſtirpe editos; ex illis octo fuiſſe conjugatos, ſed omnes prorſus tota flagitiorum colluvione inquinatiſſimos (4). Non multum temporis interfuit

(1) Jo. Saliſb. Epiſt. 297. 298. 299. Eiuſdem Ep. 44. 54. 55. 56. 59. 292. 299.
(2) Hiſtoriæ Novæ. l. 5. (3) Regeſt. 13. Epiſt. 48. (4) Eadmar. Hiſt. Nov. l. 2.

huic Hiberniæ Concilio, & Malachiæ initiis. Ideoque vereor ut ſatis conſtet hujus Concilii fides. Utcunque ſe res habuerit ante B. Malachiæ tempora, indubitatiſſimum eſt reſtaurata ab eo ejus Eccleſiæ diſciplina, reſtitutas quoque in integrum fuiſſe electiones.

XI. Ad Angliam nos referamus, cujus & certior & illuſtrior hiſtoria eſt. Commemorat porro Thomas Valſinghamius, terris demigrante Thoma de Vinchelſey Archiepiſcopo Cantuarienſi anno 1312. electum fuiſſe a Monachis virum pietate valde conſpicuum; Pontificem qui ſibi eam Eccleſiam reſervarat, eam electionem irritaſſe, utque Angliæ calamitoſiſſimis tunc factionibus & diſſidiis laceratæ pacem redintegraret, Epiſcopum Vorceſtrenſem nominaſſe Regis Cancellarium, Primarium Regni Miniſtrum, & Anglis tamen omnibus acceptiſſimus, quod ab eo jam Rex & Optimates in concordiam revocati eſſent. *Et quia conſtabat Papæ Eccleſiam Anglicanam nullis laborare tribulationibus, cogitabat ſollicite providere Eccleſiæ viduatæ, de viro per quem vexationes melius ſedari poſſent. Oculos dirigebat ad Vigornienſem Epiſcopum, Regis Cancellarium, conſiderans nimirum quantam gratiam coram Rege præ ceteris regni Prælatis inveniebat, quam mature ſe in ſuo officio Cancellarii, & quam ſapienter habebat, & quanta diſcretione motus & rancorem inter Regem & Proceres temperabat, ſperans talem virum Eccleſiæ & Regno plurimum profuturum. Huic igitur honorem Cantuarienſis Eccleſiæ gratis cum pallio conferebat.*

Si eos ſemper mores retinuiſſet Clemens V. ſi nec ipſe, nec qui in Petri ſedem ei ſucceſſere, vacantes unquam Eccleſias ſuæ collationi reſervaſſent, niſi ad manifeſtam Eccleſiæ, ad Religionis, ad ſanctioris Diſciplinæ propagationem, ſi humanis cupiditatibus nihil unquam indulſiſſent: non temere anguramur, non Reges, non Capitula, non denique Conciliæ eis reſervationibus tantopere, ut infra liquebit, adverſatura fuiſſe. Ex eodem ipſo Scriptore, mortuo Vintonienſi Epiſcopo (1), ejus quoque Sedis nominationem Pontifex ſibi reſervavit. Monachi Cathedralis ſecuri Pontificiæ reſervationis, obtentaque Regis licentia, unum ex ſuo Collegio magna rerum peritia & experientia præditum elegere. Pontifex eam electionem reſcidit, nominato in eam ſedem *Clerico ſuo ſpeciali, quia pingue erat Beneficium*. Verba ſunt ipſiſſima Valſinghami. Sed tandem Clericus ille Pontificius multis perfunctus laboribus, in Regis irrepſit benevolentiam, & in Abbatia exempta ſancti Albani conſecratus eſt.

XII. Si quid memorandum occurriſſet ſub Eduardo I. Henrici III. filio, Eduardi II. Patre, non id ſane in præteritis reliquiſſet Valſinghamus. Sub Eduardo III. Eduardi II. filio, cum vita abiiſſet Archiepiſcopus Cantuarienſis, poſtulatus eſt a Capitulo Epiſcopus Vintonienſis, gnaro eum & Pontifici gratiſſimum eſſe, & Regi, qui de eo jam ad Pontificem ſcripſiſſet (2). *Sciverat enim quod dominus Rex ſcripſerat ſummo Pontifici, & ipſe fuit bene in gratia Papæ.* Vintonienſem ergo ad Cantuarienſem ſedem provexit Papa, non contemplatione Capituli poſtulantis, ſed proprio motu, ut qui eam ſibi reſervaſſet. *Providit Papa non virtute poſtulationis Capituli Cantorb. ſed proprio ſuo motu.* Vides ut Reges ipſi Papam occuparent, excitarentque, ut pinguiores ipſemet Prælaturas conferret, ſiquando eum ſuis voluntatibus ſatis propitium experti erant. Alias autem moleſtiſſime ferebant ea a Pontifice tentari, ad quæ ipſimet prius illum incitaſſent. Unde & cum idem Pontifex paulo poſt Epiſcopum Vorceſtrenſem ad Vintonienſem tranſtuliſſet Eccleſiam, id donans precibus Regis Galliæ: Eduardus III. qui eum Epiſcopatum alteri cuipiam conferri avebat, vehementer ſuccenſuit, & temporales omnes ejus Eccleſiæ res per miniſtros ſuos invadi & retineri fecit donec Epiſcopi, qui Comitiis Regnis intererant, effervescentem ejus animum delinierunt.

Eodem anno Capitulum Dunelmenſe unum ex ſuis Monachis in Epiſcopum elegit, quem & Eboracenſis confirmavit & conſecravit Metropolitanus. At ſtimulante Rege Pontifex alium nominavit, qui Regio Pontificioque favore munitus, æmulum compulit ad ſuos ſe Commonachos recipere. Simillimum veri eſt, nihil antiquius fuiſſe his Pontificibus, quam ut de Regibus omnibus bene mererentur. Sed incidebant ex rerum & temporum moleſtiæ, ut non poſſent non hos, vel illos a ſe alienare, cum mutua nimirum æmulatio

(1) Ann. 1320. (2) Ibidem. Ann. 1333.

tio illos concitabat committebatque, vel cum bella inter eos flagrabant. Nemo neſcit Eduardi hujus III. Angliæ Regis ſtrenuitas quanta fuerit, & quantis ab eo Galliæ attritæ ſint cladibus. In ejus belli conflagratione de Pontifice conqueſtus eſt Eduardus, quod Galliæ Regi omnium Regni ſui Beneficiorum collationem annuiſſet (1): *Quod inſtitutionem perſonarum Eccleſiaſticarum eidem conceſſeramus in omnibus Eccleſiis regni ſui.* Reſcripſit ad eum Pontifex, vanis id falſiſque rumoribus jactatum fuiſſe, nec tam putidæ calumniæ fidem adjiciendam. Denique non temere creditur ſæviente eo inter Gallos Angloſque bello diutino, ſuſpectos uſque adeo fuiſſe Eduardo Romanos Præſules, Avenione tunc ſedentes, ut prohibuerit, ne Cardinales inire poſſent eas Angliæ Eccleſias & Prælaturas, quibus eos exornaverat Clemens VI. anno 1343. neve ejuſmodi proviſiones amplius Pontificiæ defertentur: *Proviſiones per Papam factas caſſavit, & ne quis deinceps tales proviſiones afferret, ſub pœna cæteris & capitis interdixit.*

Ea certe occaſione Rex Pontificem per litteras compellavit, obteſtatuſque eſt, ut liberas Eccleſiæ electiones permitteret, maxime Cathedralibus: cum Reges Angli quondam Epiſcopales Cathedras ipſimet darent, & Pontificum poſtea precibus id condonarint, ut electiones celebrarentur, adjectis cautionibus quibuſdam, quibus jam non poſſet, uti nec electionibus Sedes Apoſtolica derogare (2): *Quas quidem Eccleſias progenitores noſtri dudum, ſingulis vacationibus earundem, perſonis idoneis jure regio conferebant libere, & poſtmodum ad rogatum & inſtantiam Apoſtolicæ Sedis certis modis & conditionibus conceſſerunt, quod electiones fierent in dictis Eccleſiis per Capitula earundem. Quæ conceſſio fuit per Sedem Apoſtolicam ex certa ſcientia confirmata. Sed contra formam conceſſionis & confirmationis prædictarum, dicta Sedes per reſervationes & proviſiones ſuas dictis Capitulis electiones adimit ſupradictas; & nobis jus & prærogativam, quæ juxta formam dictæ conceſſionis nobis competunt in hac parte, &c.*

Mira & incredibilia quædam animo ſuo præſumpſerat Eduardus Rex, vel quicunque alius ejus concinnator Epiſtolæ: Antiquos Reges jure uſos eſſe nominandi Prælatos in omnes Eccleſias: jus illud regno ipſi & diademati adnatum & concretum eſſe: Pontificum precibus electiones liberas ab eis indultas fuiſſe; & vel tunc tamen quædam ſibi reſervaſſe privilegia, quibus fruſtrari non poſſent. Fucata, & detorta, & exaggerata ſunt hæc omnia. Certiſſime enim Romanorum Pontificum precibus & conatibus diutinis interruptæ non fuerant niſi antiquorum Angliæ Regum uſurpationes, ut ſupra demonſtratum eſt, & reſtitutæ electiones Regibus illis omnibus antiquiores.

Longe probabilius & accommodatius ad rei veritatem contendebat Pontifex, Leges electionum incolumes & illæſas ſupereſſe, nec extingui potuiſſe paucis exceptionibus, legitimiſque, ubi a ſe donatæ fuerant aliquæ Prælaturæ Anglicanæ Cardinalibus Anglicæ Gentis, & tum Eccleſiæ univerſalis, qua Anglicana continebatur, miniſterio ſtrenue incumbentibus. Addebat porro Pontifex, quod a ſe in Angliam, idem & in alias omnes Eccleſiæ Chriſtianæ Provincias tentatum factitumque eſſe, nec uſquam ſuis his proviſionibus repugnatum eſſe, quo perſpicue revinceretur & Sedis Apoſtolicæ æquitas, & eorum qui illi non acquieſcerent incogitantia: *In omnibus regnis conſimilem Cardinalibus gratiam fecimus, in quibus rebellionem aliquam præter prædictam nullatenus audivimus.*

Sed non eo diu loco res ſteterunt. Anno enim 1373. Oratores ſuos Eduardus Romam ablegavit, ut Pontifex deinceps reſervationibus abſtineret, ſineretque a Clero Epiſcopos eligi, & a Metropolitanis confirmari (3): *Rogans ut ſuper reſervatione Beneficiorum de cetero ſuperſederet, ut etiam Clerici ad Epiſcopales dignitates ſuis electionibus pleno jure gauderent, & ut a ſuis Metropolitanis, prout antiquitus fieri conſuevit, iidem Clerici confirmari valerent.* Idem & a Parlamento Angliæ conſtitutum eſt, liberæ ut eſſent electiones, nec Rex litteris ſuis adverſaretur iis, qui electi fuiſſent, ſed adlaboraret potius, ut confirmarentur: *In Parlamento erat decretum, quod Eccleſiæ Cathedrales ſuis gauderent electionibus, & quod Rex de cetero contra electas non ſcriberet, ſed per litteras ſuas ad earum confirmationem juvaret.* Verum idem ipſe Scriptor mox fidem facit, caſſa & inutilia fuiſſe hæc ſtatuta, quod indignaretur

(1) Idem. (2) Idem. (3) Idem.

Rex tam anguſtos limites ſuæ poteſtati aſſignari : *Sed hoc ſtatutum in nullo profecit.*

Eodem anno Archiepiſcopatum Eboracenſem Papa contulit, necnon & duos alios Epiſcopatus *auctoritate Papali*. Nimirum clam Rex ſuffragabatur. Anno ſequenti tractatum rurſus eſt de Pontificio & Regio jure ad modum quendam & ad concordiam revocando. Convenit ergo, ne Pontifex ſibi deinceps ante reſervaret beneficia, quam ea vacarent ; neu Rex ea conferret, quo prius modo ſolebat ; ſed de reſtitutis tum electionibus nec verbum fit ullum. Valſighamus horum Scriptor diligentiſſimus, ejus rei cauſam in eos refundit, qui meriti & virtutis inanes, de electionibus deſperabant ; at tum apud Regem, tum penes Pontificem gratia pollentes, aliquid inde beneficii ſe extundere poſſe confidebant : *Et hoc aſcribitur aliquibus, qui ſciebant ſe potius per Curiam Romanam, quam per electiones, ad dignitates Epiſcopales quas ambiunt promoveri.* Cum eodem anno Monachi Cantuarienſes in Archiepiſcopum elegiſſent Cardinalem Angliæ, uſque adeo ſtomachatus in eos eſt Rex, ut illum ſibi placare non potuerint, niſi ingenti numerata pecunia.

XIII. Longa itaque Pontificum Romanorum apud Avenionem commoratione factum eſt, ut exareſcentibus Pontificii in Italia Patrimonii reditibus, non poſſet Romana Curia ſuſtentari, niſi reſervandis ſibi Prælaturis majoribus, aliiſque opimioribus Beneficiis. Cumque Reges Angliæ Epiſcopos habere nollent, niſi ſibi fidiſſimos, propterea quod Epiſcopi Angli in Regiis ſuo ordine & gradu ſedebant Conſiliis, in Parlamentis, & Comitiis Provinciarum particularibus : cum denique Capitula, quorum erat electiones tueri, tanquam primarium ſuum decus, & ſplendorem, in iis tamen plerunque in diſſidia, & in fœdas abriperentur cupiditates : hinc ſcilicet fiebat ut electionibus totidem eſſent reapſe adverſarii, quot in ſpeciem Patroni.

Ubi Romam denuo conceſſere Pontifices, illud conflatum eſt ſchiſma, quod reſtituendæ electionum diſciplinæ minime opportunum eſſet. Anno 1390. & 1391. ſub Richardo II. Eduardi III. filio prohibitum eſt in Angliæ Parlamento, ne quæ Beneficiorum proviſiones Roma expeterentur. Anno 1395. Archiepiſcopus in Hibernia Dublinenſis translatus eſt in epiſcopatum Ciceſtrenſem, reditibus abundantiorem. At *Regis inſtantia* Exceſtrenſi Epiſcopatu donatus eſt, qui minorem Regis annulum gerebat. Epiſcopatus Ciceſtrenſis datus eſt etiam a Pontifice Regis hortatu Monacho Ciſtercienſi, qui Regius erat Phyſicus, hoc eſt Medicus, habita prorſus contemptui Capituli electione : *Ad preces Regis, Papali permiſſione, ſpreta & caſſata legitima electione.* Anno 1396. obeunte Willelmo de Courtenay Archiepiſcopo Cantuarienſi, electus eſt a Capitulo Thomas Arundelius Cancellarius Regis. Altero poſt anno illum Anglia exulare juſſit Parlamentum Angliæ : Romam Rex miſit, quo aliam in Eccleſiam transferretur, ejuſque loco Magnum Theſaurarium ſuum ordinari fecit : ſed eum biennio poſt abdicavit Papa, quod ſuperſtitis adhuc Epiſcopi ſedem occupaſſet.

Anno 1398. Epiſcopum Lincolnienſem tranſtulit Pontifex in Eccleſiam Ceſtrenſem, Lincolnienſi autem Eccleſia donavit filium Ducis Lancaſtriæ. Eam translationem impatientiſſime tulit prior Lincolnienſis Epiſcopus, maluitque reliquum vitæ ſtadium conterere inter Monachos Cantuarienſes. Hinc rurſum data occaſio Papæ, ut Epiſcopum Landaffenſem Ordinis Dominicani, transferret in Eccleſiam Ceſtrenſem. Congregatus eſt a Rege Clerus Anglicanus, percontari eum volente, an poſſet Papa eas translationes perficere *pro arbitrio ſuæ voluntatis*. Reſpondit Clerus Regis litteris ſubmonendum eſſe Papam, Libertates Anglicanas ſoſpites ut eſſe vellet, & his in poſterum translationibus abſtinere : *Dignaretur Papæ ſcribere, ut a talibus translationibus ceſſaret pro commodo totius Eccleſiæ Anglicanæ.* Quo Cleri reſponſo Rex obſtupuit. Ulterius pedem non proferam, ne in eas ingrediar calamitates, in quas Wiclephi hæreſis, tum deinde Henrici VIII. Regis ab Eccleſia Catholica receſſio Angliam conjecere.

Quæ hactenus diſceptata a nobis ſunt, ea abunde, ut opinor, ſufficiunt, ut Lectoribus perſuaſiſſimum ſit, eſſe in hiſtoria antiquarum electionum, quo leniamus earum deſiderium, poſtquam alias ſibi diſciplinæ leges aſcivit Eccleſia univerſa : & quo jam nobis approbetur, quod nec Concilio Tridentino improbatum eſt.

CA-

CAPUT XXXV. *P. 4. l. 2. c. 43.*

De Electionibus in Hiſpania poſt annum Chriſti milleſimum.

I. Cum Reges Hiſpaniæ ditiones & Eccleſias ſuas omnes debellatis Mauris ſibi & Chriſto recuperaſſent, in dieſque recuperarent, magni hinc privilegiis & juribus gaudebant.

II. Quanto Eccleſiæ, tanto reſtituebantur & invaleſcebant electiones Cleri, & Populi & Epiſcoporum ſuffragiis.

III. Monachi, Optimates, Epiſcopi, Reges ad Epiſcopales electiones Cleri conſpirabant.

IV. Nec aliter res ſe habebant in Regno Aragoniæ.

V. In Hiſpania luculentius enituit quam alibi auctoritas Pontificum, quanquam & pacis ergo paterentur ſibi quandoque repugnari. Reges ipſi quandoque relaxarunt neceſſitatem petendi conſenſus ſui.

VI. Jura Pontificum in Epiſcopos Luſitaniæ.

VII. Mutua inter ſe regum & Pontificum conſenſio, ad reſervandos, & dandos Epiſcopatus.

VIII. Ante privilegia & Concordata, quibus Nominationes Epiſcoporum Hiſpaniæ Regibus tributæ ſunt, privatis eorundem Pontificum conceſſionibus iidem Reges eodem utebantur jure.

IX. Refelluntur recentiores Canoniſtæ, qui jus illud velut indivulſum Regiæ coronæ inhærere fabulantur.

I. QUanquam hiſtorica litterarum monumenta pauciſſima enatarint ex illa Maurorum inundatione, quæ compluribus ſæculis Hiſpanias omnes obruit vel ex iis tamen plus ſatis elucebit, eandem prope & ibi Populo & Clero, Epiſcopis & Regibus affuiſſe libertatem in electionibus Epiſcoporum, quæ & in aliis Eccleſiis obtinuit. Certe Reges illi Provincias, Civitates, Eccleſias omnes ſuas perdomitis Mauris receperant, eoque ſpeciale jus quoddam fundationis & Regii patronatus comparaverant. Sed non ii erant Reges Hiſpaniæ, qui dimidiato beneficio Eccleſiam afficerent: nec liberatores illi ſibi viſi eſſent Eccleſiæ, niſi ſubductæ a ſervitute infidelium, totam refudiſſent antiquiſſimam libertatem. At viciſſim Eccleſia tanti beneficii vicem rependere Regibus ſtuduit, quibus adeo & Pontifices uberrime infuderunt, quidquid gratiæ, quidquid indulgentiæ concedi patitur Eccleſiæ ſanctitas & incolumitas.

Petiit a Gregorio VII. Sancius Aragoniæ Rex, ut aſſentiretur ſpontaneæ ceſſioni Epiſcopi Aragonii, propter frequentiores jam corporis ægritudines: ſimul duos offerebat Clericos, ſuo & Epiſcoporum judicio non impares ei Eccleſiæ adminiſtrandæ: *Indicavit nobis de duobus Clericis, quorum alium in Epiſcopatum eligi, tuam & ipſius voluntatem atque conſilium fore nuntiavit.* Reſponſum eſt a Pontifice, Clericos eos defectum natalium pati, eoque irregulares eſſe; ſed alium quempiam eligeret ſibi Epiſcopus, in quem Epiſcopatus regimen transfunderet; ſi poſt unum autem & alterum annum ex ea ægritudine non convaleſceret, & ſi temporarius hic rum ei Coadjutor ſatis idoneus videretur, teſtimoniales ad ſe Romam litteras mitteret ſuas & Epiſcopi, & Cleri, & tum demum voti ſui compotem futurum (1): *Tuis & Epiſcopi litteris, necnon & ſub teſtimonio Regis.* Ita Pontifex ad Regem. Rex ergo & Epiſcopus ſucceſſurum in Epiſcopatu deliguut, favet teſtimonio ſuo Clerus, totum Pontifex ratum facit.

Abbatem quendam idem Papa Epiſcopum Hiſpaniæ ordinavit ad preces Regis, & conſilio uſus Hugonis Abbatis Cluniacenſis (2): *Abbatem ſicut Rex Hiſpaniæ præcepit, & vos conſilium dediſtis, Epiſcopum ordinavimus.* Alphonſus is erat Caſtellæ Rex, quem Regem Hiſpaniæ hic Pontifex vocat, & qui paucis poſt annis ad Archiepiſcopalem ſedem Pontifici præſentavit hominem plurima quidem ſapientia, ſed litteris nullis. Abnuit id quidem Pontifex, ſed ſuaſit ut alium deligeret in Regno ſuo idonea peritia: alioqui aliunde dignum & peritum arceſſeret, ſed in eo delectu uteretur conſilio ſui in Hiſpania Legati, & religioſorum Regni ſui virorum (3): *Cum conſilio Legati noſtræ Richardi Maſſilienſis Abbatis, aliorumque religioſorum virorum, eligatur inde, ſi inveniri poteſt.*

II. In hac Eccleſiarum Hiſpaniæ reſtauratione, poſt tam diutinas ruinas, non facile poterant id genus electiones celebrari, quæ cano-

(1) Greg. VII. L. 2. Ep. 50. (2) L. 5. Ep. 21. (3) L. 9. Ep. 2.

canonicis prorſus inſtitutis conſentirent. Vix populi Chriſtiani reliquiæ ſupererant, vix novi Cleri rudimenta. Scrupuloſi tamen illi Canonum cuſtodes, Gregorius VII. & Alexander II. non uiterius quidquam Aragoniæ Regibus conceſſere (1), quam nominationem ad alias Eccleſias, quas a Mauris recepiſſent, nequaquam facta copia conferendi Epiſcopatus. Inde eſt enim quod hi Reges ad Pontifices confugiebant, & vota ſcrutabantur Epiſcoporum, Cleri, Monachorum. Ea erat ſpecies quædam canonicarum olim electionum, inter hæc cunabula renaſcentis Eccleſiæ Hiſpanicæ, quæ quo in dies magis magiſque roborabatur, eo etiam ſe ad canonicas electionum leges aſtringebat.

Eo ejus rei argumentum illuſtre. Poſtquam per litteras Paſchalis II. Papa Toletano Archiepiſcopo præcepit, ut electionem Burgenſis Epiſcopi confirmaret; a Clero & populo ejus civitatis per litteras ſubmonitus eſt, eam electionem peractam fuiſſe inconſulto Rege & populo, ſolius conſilio Archiepiſcopi Toletani: *Tuo quidem conſilio, ſed Rege neſciente, & populo neſciente, ſignificabatur electus:* ex adverſo autem electionem celebratam eſſe aliam a Populo Clero, & Rege, quo germanus Regis frater ad eam aſſumptus fuerat dignitatem (2): *Comprovincialibus Epiſcopis convocatis.* Vides ut Populus, Clerus, Rex electioni interveniant; ut interveniat & Pontifex, ſi non aliter diſſidia pacari queant: denique etiam tum Pontifex ea judicia refert ad Concilium Provinciæ, ubi olim cauſæ omnes hoc genus ventilabantur.

III. Cum Monachi Abbatiæ Lerinenſis ſuum in religioſum ſeceſſum admiſiſſent Epiſcopos Pompelonenſes, atque ita eos ſubduxiſſent incurſionibus Barbarorum, illis a Papa Joanne XIX. & a Rege Sancio conceſſum eſt hoc privilegium (3), ut ſoli Epiſcopum eligerent Pompelonenſis Eccleſiæ. Sancii Regis fortitudine & victoriis ubi poſtea regio illa Chriſtianæ fidei & paci reddita eſt, in Concilio Provinciali Pompelone habito ejus urbis Epiſcopus reſtitutus eſt priſtinæ ſuæ Sedi. Eadem ipſa de cauſa, ut alibi, retulimus, Epiſcopi Aragonii, ſeu Jaccenſes eligebantur ſemper ex Monachis Cœnobii Jaccenſis, ex ſtatuto Concilii Aragonii 1060. (4) In hac certe reſtauratione Eccleſiæ Hiſpanicæ Epiſcopi non raro in Conciliis Provincialibus eligebantur; quod in Provincia plures eſſent Epiſcopi, in multis autem urbibus rara plebs, nullus fere ſupereſſet Clerus (5).

Cum perdiu viduata jacuiſſet Eccleſia Toletana, eligi tandem cœpit novus in ea Epiſcopus in Conventu Epiſcoporum & Procerum, quem Alphonſus Caſtellæ Rex convocavit anno 1085. *Epiſcopi & Proceres evocati, in eo conventu, omnium communi ſuffragio delectus eſt Bernardus, &c.* Ita Mariana poſt Rodericum Archiepiſcopum Toletanum, a quo enumerantur prædia ingentia & opima, quæ ille Eccleſiæ contulit Alphonſus, novus ejus conditor & parens, qui ejus tamen deſignare ſeu eligere Epiſcopum abſtinuit, niſi in Conventu Epiſcoporum, Abbatum, Monachorum & Procerum (6): *Convocavit Regni Proceres, & majores Epiſcopos, & Abbates, & viros Religioſos.* Cumulatiſſima Eccleſiæ gratia religioſi Principes iſti afficiebant, & earum libertatis fundamenta jaciebant in electionibus Epiſcoporum, ut vere fundatores dici poſſent.

IV. Eandem propemodum rationem tenuerunt Aragonii Reges in Eccleſia Inſulæ Majoricæ. Qui Balearibus imperitabat Inſulis Princeps Saracenus, eam dono dederat Epiſcopo & Capitulo Barcinonenſi; Barcinonenſes Principes & Prælati conſenſerant, acceſſerat & confirmatio Apoſtolicæ Sedis: Cum deinde conſilium iniſſet Rex Aragonius conſtituendi ibi Epiſcopatus, & dotandi, acquievere omnes, convenitque, ut primus ibi Epiſcopus a Rege deſignaretur ſolo; at ſucceſſores Epiſcopi eligerentur ab Epiſcopo & Clero Barcinonenſi eum conſenſu Regis, utque e gremio acciſerentur Barcinonenſis Eccleſiæ, vel Majoricenſis; aut ſi fors in eis nemo idoneus occurreret, alia quavis ex Eccleſia (7). Futuris electionibus neceſſarius ſemper futurus erat Regis aſſenſus, ſed non ultra duos menſes expectandus. Denique eadem cautio adhibenda erat, ſi quando & in Minorica Inſula Epiſcopus inſtituererur, hoc addito, ut civitatis & regionis portio Barcinonenſi integra ſervarerur Epiſcopo, contemplatione exercitnum & impendiorum ejus in ejus Inſulæ & urbis expugnatione.

V. Poſt-

(1) Append. Ep. Greg. VII. Ep. 4. (2) Paſchal II Ep. 65. (3) Mariana. L. 8. c. 24.
(4) Idem l. 9. c. 5. 27. (5) Hiſp. Illuſt. t. 3. p. 624. (6) Rode. Vital. L. 6. c. 24.
(7) Hiſp. Illuſtr. t. 3. p. 76. Ann. 1269. Spicil. t. 7. p. 212.

Digitized by Google

V. Poſtquam everſa tunditus Maurorum dominatione, in integrum omnino reſtitutæ fuere Hiſpaniarum Eccleſiæ, eadem ibi viguit electionum forma, quæ aliis in Eccleſiis. Eadem in iis Romani Pontifices explicuere jura, forſan & effuſius, uſque ad tempora Petri Caſtellæ Regis, cognomento Crudelis, de quo hæc habet Mariana (1): *Epiſcopos Militares Magiſtros, Priorem Hoſpitalarium inſtituendi, aliave majora Sacerdotia donandi, niſi Regum accedente conſenſu, Pontificibus Romanis poteſtas ſublata.* Vehementer ſe mirari teſtatur ibidem Mariana, qui aſſenſi ſint Pontifices tantæ imminutioni ſuæ poteſtatis, cum ea concordia conſuetudini & antiquitati eſſet adverſa. Sed paci videlicet dandum id fuiſſe, & cedendum ferociſſimo Regi, quem priores calamitates & poſteriores victoriæ, & quaſi duplex inſania exagitaret. *Id ſtudio publicæ tranquillitatis, quamvis contra quam moribus erat ſuſceptum, & contra omnia vetuſtatis exempla. Et miror Pontificem ad cujuſquam gratiam paſſum eſſe tantum de ſua auctoritate in Hiſpania diminui. Sed tanti fuit ea ætate Regis unius vecordiam ſanare, malis prius, deinde victoria multo quam antea ferocioris.* Quibus ex verbis Marianæ eluceſcit mira quædam & incredibilis Pontificum auctoritas in Hiſpania.

Huic Petro Caſtellæ lubet æmulum objicere Petrum alium Aragoniæ Regem (2), centum admodum & quinquaginta annis ſuperiorem; qui veritus ne quid decerperetur de electionum libertate, ſi nonniſi de licentia Regum ad eas accedere fas eſſet, ea neceſſitate abſolvit Eccleſias Regni ſui, abunde contentus, ſi electus ſibi ſuiſque ſucceſſoribus ſiſteret ſe, ſuæ in Regem fidei id ſpecimen editurus: *Sanctæ Eccleſiæ integram libertatem conſervare volentes, peſſimam conſuetudinem a nobis hactenus obſervatam, qua electionem Prælatorum ſine aſſenſu & conſilio noſtro procedere non permittebamus, amore Dei & Eccleſiæ relaxamus, &c. Liberam eligendi facultatem aſſenſu Regio minime requiſito in perpetuum indulgemus, &c. Hoc ſolum reſervantes, ut libere electus in ſignum Regiæ fidelitatis nobis debeat præſentari.* Lubens hoc edictum confirmavit Innocentius III. (3) Ita providentia Numinis alternis Pontifices Regeſque inſtimulat, ut ſuo ſe jure & more antiquo abdicent identidem, ut Sacerdotii & Imperii concordia ſempiterna alatur mutuæ indulgentiæ temperamento.

VI. Ut vero referamus nos ad ea quæ Mariana ſtupebat, conceſſiſſe Pontificem voluntati Caſtellani Regis, & ſpopondiſſe abſtenturum ſe Reſervationibus & Collationibus Beneficiorum ejus Regni ſine Regis aſſenſu; minime mirandum eſt, id Marianam eſſe admiratum. Longo enim poſt tempore Eugenius IV. reſcribens Alphonſo Luſitaniæ Regi, moleſtius ferenti, quod Epiſcopatum Viſeenſem a Rege fundatum inconſulto Rege Pontifex contuliſſet: monuit illum ex uſu tunc per omnes Eccleſias pervagatiſſimo, ea ſe poteſtate ubique terrarum gaudere, ex ipſius Canonici Juris regulis: Reges Angliæ, Hiſpaniæ, Galliæ Epiſcopales a ſe Eccleſias vacantes flagitare, ſi quibus eas conferri percuperent, & eorum ſe votis rum obſequi, cum Eccleſiæ ita conducere conſulique judicaret: ſed & Eccleſias a ſe proprio motu donari ubi ex re eſſet (4): *Jura tribuunt Sedi Apoſtolicæ & Petri ſucceſſoribus liberam Eccleſiarum omnium diſpoſitionem, ad quarum regimen eligit & præficit, ſecundum Eccleſiarum utilitatem, neque requirit conſenſum Regum; ſed diſponit, prout dignitas Sedis Apoſtolicæ & Eccleſiæ commoditas poſtulat, &c. Non erravit Viſeenſis Epiſcopus, ſi acceptavit proviſionem per nos, motu proprio factam, &c.*

Non facile forſan his Eugenii verbis ſubſcripſiſſent Reges; quin & Capitula ipſa non intra eas ſe cohibuiſſent metas, quas & Reges eis & Pontifices præſcribebant. Sed æterna illa ſapientiæ & caritatis lex, quæ Chriſti Eccleſiam temperat & moderatur, ita ſemper diſpenſat hujuſmodi omnes de cujuſque jure & poteſtate præſumptas animo opiniones, pro locorum, temporumque & circumſtantiarum aliarum varietate, ut pax & concordia publica raro diſturbetur; & ſi quæ illam quandoque obumbrent nubeculæ, iis mox diſſipatis, pulchrior & ſerenior tranquillitas ſuccedat.

VII. Nec minus impatienter Caſtellæ quam Luſitaniæ Rex tulit, quod Pius II. Papa mortuo Legionenſi Epiſcopo, eam Ec-

(1) An. 1367. Mariana. L. 17. c. 11.
(2) An. 1206.
(3) Innoc. III. Regeſt. 10. Ep. 144. Baluz. in l. 8. de Concord. Pet. de Marc. c. 10.
(4) Rain. ann. 1460. n. 3.

Eccleſiam contulit magnæ famæ Theologo Cardinali de Turrecremata (1). Prohibuit Henricus Rex ne ejus Eccleſiæ poſſeſſionem poſſet capeſſere.

Non raræ tantum, ſed & breves erant hæ diſſenſiunculæ inter Pontifices & Hiſpaniæ Reges. Ideo nec ea ex occaſione fere unquam electiones reſtituebantur. Magni ſua illi intereſſe ſentiebant, ut ne diu diſſentirent. Occupabat nonnunquam Pontifex, non reſervatione, non nominatione Epiſcopi, ſed interpellato Rege ut ipſemet reſervaret & daret ei, quem Papa ornatum vellet. Ita Pius II. cum Rege Luſitaniæ, orans ut ſecum conſpiraret (2): *Cum proviſione, quam faciemus, concurrat*. Orans ut oraret pro eo quem provehi ipſe cuperet: *Et ſi ſupplicare pro aliquo intendat, pro Alvaro ſupplicet*.

Cum non raro Reges a Pontificibus provehi eos cuperent, qui meritis deſtituebantur, hinc ut faciles & propitios illos experirentur, faciles ſe & ipſi illis exorabileſque exhibebant. Ubi tamen Regum preces omnino ab æquitatis orbita deviabant, nec ulla poterat ratione farciri injuria, quam Canonibus inferebant, tunc certe Pontifices ita omnia modulabantur arte quadam mirabili ſapientiæ & caritatis, ut nec officio deeſſent ſuo, nec Reges exaſperarent. Laudatus eſt jam a nobis Sixtus IV. a quo Rex Aragonum extundere cupiebat Archiepiſcopatum Cæſarauguſtanum nepoti ut ſuo conferret, ætatis adhuc tenellæ. Reſcripſit Pontifex Regi (3), *Pro te pati omnia poſſumus, ſed jacturam animæ facere nec poſſumus, nec debemus*. Interim vero Cardinalem Regi propoſuit, ejus gratia & fide præcipuum, cui eam Eccleſiam commendaret.

VIII. Hinc liquet ſæculo XV. in omnibus Hiſpaniæ Regnis, Luſitania, Caſtella, Aragonia, aut Reges Pontificibus, aut Pontifices Regibus præſentaſſe, communique eorum conſenſione datos Epiſcopatus, electionibus ex hominum memoria propemodum expunctis. Novum & perilluſtre exemplum profero. Avebat Iſabella Regina illa virtutum fama, rerumque geſtarum laude commendatiſſima, Toletanum Archiepiſcopatum, quo non alius toto orbe ſplendidior, aut non alius ſaltem opulentior, Franciſco Ximenio Franciſcanorum Provinciali, ſibique a Confeſſionibus conferre. Scripſit illa ea de re ad Pontificem, a quo & Reſcriptum elicuit, cui hic titulus erat præfixus: *Venerabili fratri noſtro Franciſco Ximenio, electo Toletano*. A Viro religioſiſſimo Ximenio repugnatum eſt per ſex menſes, nec ceſſit tandem niſi abrupto Papæ imperio (4). Ea utique, ut ex titulo liquet, proviſio Papæ electionis locum obtinebat. Unde & idem Pontifex Alexander VI. Ximenio non multo poſt in hæc verba ſcripſit: *Sedes Apoſtolica te de inferiori ſtatu ad Archiepiſcopalem dignitatem evexit*.

Illud rurſum hinc exiſtit, ante Concordata, quibus nominatio ad Epiſcopatus & Abbatias Regibus conceditur, uſum ipſum eundem admodum fuiſſe, atque poſt Concordata; niſi quod crebriores eſſent & diſſenſiunculæ, & gratiæ redintegrationes ultro citroque. A Mariana animadverſum eſt, uno maxime verbo conſtare totam illam diſcrepantiam. Ante enim pro Epiſcopatibus Pontifici Reges ſupplicabant, nunc nominant. Vide ut luculentus Scriptor de Hadriano VI. diſſerat, qui Pontificiam dignitatem Carolo V. debere ferebatur, & qui illi nominandorum Epiſcoporum poteſtatem contulit (5): *Hadrianus VI. in gratiam Caroli alumni, cui debebat Pontificatum, ei & ſucceſſoribus conceſſit lege perpetua jus præſentandi Epiſcopos Hiſpaniæ, qui ante ad eorum ſupplicationem precario a Pontificibus Romanis inſtituebantur*.

Hoc ipſum jam ſupra affirmaverat idem Mariana, quando juſtiſſimis laudibus proſecutus Sixti IV. conſtantiam in refellendis precibus Ferdinandi Regis Aragonum, & inſimulata mox ejuſdem poſtea Pontificis mollitie, ubi aſſenſus eſt tandem dari eam Eccleſiam in Commendam nepoti regio quidem, ſed notho, & ſexenni tantum: ſubdit denique ut culpam elevet utcunque, quæ non potuit tamen non eſſe graviſſima, non alios tunc præfuiſſe Hiſpanicis Eccleſiis Epiſcopos, quam quos Reges Pontificibus nominabant: *Et erat ea tempeſtate moribus uſurpatum, ne Epiſcopi Eccleſiis Hiſpaniæ darentur, niſi quos Reges poſtularent, nominarentque*. Affirmat id quoque privilegii Regibus Caſtellæ a Sixto IV. conceſſum fuiſſe (6); *Regibus Caſtellæ in perpetuum, ut quos ipſi expetiſſent, ii Epiſcopi præficerentur, addita prærogativa*.

IX.

(1) Rain. ann. 1460. n. 45.
(2) Card. Pap. Ep. 77.
(3) Ib. Ep. 512.
(4) Gomec. l. 1. de geſtis Ximenii.
(5) L. 26. c. 5.
(6) L. 24. c. 16.

IX. Nec pluribus opus eſt, ut confutetur Salgadus, aliique Hiſpanorum Juriſconſulti, qui non his Pontificum innituntur conceſſionibus ad Regias Epiſcoporum Nominationes ſtabiliendas. Altiori ab origine rem repetunt, quaſi hoc agnatum inſitumque ſit jus coronæ Regiæ, uni Deo obnoxiæ; aut certe profectum a victoriis in Saracenos reportatis, atque ita quaſi conditis de novo, fundatiſque a ſe, & mox magnifice dotatis Eccleſiis. Familiare illud cum primis eſt Canoniſtis & Juriſconſultis poſterioris ævi, uni ſuorum temporum diſciplinæ oculos animoſque advertere, ſuperiora ſæcula fingendo ad illam accommodare, & arbitratu ſuo comminiſci, vel pro affectuum privatorum ingenio fabricare eas rerum occaſiones & cauſas, quas nec veſtigare, nec invenire jus faſque eſt, niſi in hiſtoricis, Synodalibus, aliiſque id genus antiquis litterarum monumentis. Sapientius feliciuſque Mariana priores revolvit, retexuitque ætates, de quibus hiſtorica fide ea poſteris tradidit, ex quibus certiſſime includatur, non tantopere laboraturos fuiſſe Catholicos Hiſpaniæ Reges, ut a Sede Apoſtolica ea impetrarent Privilegia & Concordata Regiarum ad Prælaturas nominationum, ſi illis præjudicatum fuiſſet, Regiæ ſuæ coronæ primæva ab origine jus illud inſertum concretumque fuiſſe.

CAPUT XXXVI. *P. 4. l. 2. c. 44.*

De Electionibus in Italia, poſt annum Chriſti milleſimum.

I. Quid ſibi juris vel haberet, vel ſumeret Papa in electione Abbatum Caſſinenſium?

II. Libertas electionum Epiſcopalium in Italia ſub Gregorio VII.

III. De Abbatum electione & nominatione ab Imperatoribus.

IV. De jure inveſtiturarum.

V. Epiſcopatus Cardinalibus addictos primos omnium donarunt Romani Pontifices. Cur?

VI. Alibi conſtabant electiones, ſed & perſæpe illis interſerebantur nominationes Imperatorum, vel Pontificum.

VII. Summa electionum libertas in Italia ſub Innocentio III.

VIII. Tentatum aliquoties a Pontificibus, ut ab exigendo petendoque conſenſu Regio ſuperſederetur.

IX. Quando, & quibus cauſis, vel occaſionibus Pontifices reſervariut ſibi in Italia Epiſcopatuum proviſiones?

X. Ex Hiſtoria Pii II. probatur, Pontifices, vel ſibi ſumpſiſſe, vel Regibus conceſſiſſe nominationes Epiſcoporum, vel conſenſiſſe, ut quos Reges nominaſſent, illis ipſi conferrent. Optatum Cardinalibus, ne id fieret niſi de conſilio ſuo.

XI. Nova exempla Pontificiæ nominationis ad Prælaturas Italiæ.

I. QUanquam liberius in Italia, quam alibi gentium dominaretur Pontificum auctoritas: non illi tamen unquam electionibus interceſſerant, ſive Epiſcoporum, ſive Abbatum, uſque ad annum 1057. quo Caſſini Montis Abbate præter Pontificis, præter Imperatoris aſſenſum electo, ea de cauſa Pontifex apud Imperatorem expoſtulavit, *Nequaquam abſque ſuo & Imperatoris nutu electionem illam celebrari debuiſſe.* Contendebant ex adverſo Monachi Caſſinenſes liberam ſemper fuiſſe Abbatis ſui electionem, nec ad Pontificem pertinere, niſi jus ejus confirmandæ (1): *Sed electio libera ſemper Monachis fuerit, ſola confirmatione ad Papam pertinente.* Qui tamen electus fuerat, coactus eſt ſemetipſe abdicare, poſtquam graviſſime peccatum eſt a Monachis, armata manu aggreſſus tueri electionem, quo tempore a Papa examinabatur. Ejus loco electus eſt Fridericus, quem confirmavit Papa, & ſacro Eccleſiæ Romanæ Cardinalium murice exornavit; moxque vita hac mortali defunctus, ſucceſſorem habuit (2), nomine Stephanum X. Caſſinenſis is Abbas erat, & ubi poſtea ad Petri ſedem evectus eſt, Caſſinenſem quidem alium voluit eligi Abbatem: non tamen paſſus eſt, ut ſe ſuperſtite in poſſeſſionem ejus dignitatis & Eccleſiæ mitteretur.

Ultra progreſſus eſt Honorius II. Reſcito enim nonnihil diſſenſionis fuiſſe in electione Abbatis Nicolai, Gregorium Cardinalem eo ablegavit, ut eligi curaret Præpoſitum Monaſterii Capuani, Senioretum nomine. Novæ huic ſervituti repugnarunt Monachi, *dicentes non debere Abbatis Caſſinenſis electionem in alterius poteſtatem tranſire.* At Eccleſias omnes Romanæ Eccleſiæ ſubjectas & obſequentes eſſe debere intonuit illis

(1) Leo Oſtienſ. l. 2. c. 95.

(2) Idem. L. 3. c. 7.

Gregorius Cardinalis : *Quænam Eccleſia, vel Monaſterium a Romanæ Eccleſiæ non diſponatur arbitrio?* Caſſinenſem Eccleſiam a Gregorio & Zacharia Romanis Pontificibus extructam fundatamque fuiſſe, immo & ab Agapeto reſtauratam, poſt quam a Saracenis incenſa fuerat : *Caſſinenſem Eccleſiam non alii quam Romani Pontifices extruxerunt, &c.* Electum ſuum tuebantur Monachi, ſed rem tam præpoſtere ille adminiſtravit, ut non multo poſt exauctoratus ſit, tumque in locum ejus electus eſt, quem Pontifex nominarat.

Sed longe exitialior procella in Caſſinenſe Cœnobium incubuit anno demum 1136. & 1137. cum peſtifero ſchiſmate Petrus Leonis Eccleſiam dilaniaret, ejecto Innocentio II. Pontifice. Importuna enim ea tempeſtate in partes Petri Leonis Pſeudo pontificis abrepti ſunt Caſſinenſes, ſeu Rogerio Comiti ut aſſentarentur, ſeu ne ab eo expilaretur Eccleſiæ ſuæ ſacrum penu & opulentiſſima ſupellex ; quin & ſchiſma domeſticum conflatum eſt, ſciſſis Monachorum ſtudiis in duos Abbates (1). Neceſſum ergo fuit, ut eo convenirent Pontifex & Imperator, & præſentiæ ſuæ ſplendore illos diſſenſionum turbines diſcuterent. Tunc ſane famoſa inſtituta eſt ibi diſceptatio de jure, quod ſibi ſumebat Pontifex, & de quo ei controverſia fiebat, in electione Abbatis Caſſinenſis. Lotharius Imperator Monachis patrocinabatur, quamvis vel tunc Pontificiæ obſervantiæ & reverentiæ retinentiſſimus. Urgebant Cardinales, hoc ſaltem lapſu ſuo fœdiſſimo in ſchiſmaticorum partes Monachos ſuo excidiſſe jure eligendi. At delinitus tandem ab Imperatore Pontifex, legi & examinari juſſis privilegiis omnibus, quæ illi Abbatiæ Pontifices & Imperatores contuliſſent, ut ad ea hujus cauſæ definitio attemperaretur ; conceſſit Monachis pleniſſimam eligendi ſibi Abbatis libertatem, ſervata ſibi confirmandi poteſtate, Imperatori autem quadam veluti inveſtitura (2): *Victus rationibus Pontifex, Caſſinenſis Abbatis electionem Fratribus, ordinationem Lothario Imperatori, ejuſque ſucceſſoribus conceſſit, atque firmavit, ſibi vero ſuiſque ſucceſſoribus Abbatis confirmationem.*

II. Caſſinenſi Eccleſiæ præfuere aliquando pro Abbatibus Epiſcopi. Ita potuit de hac electione inter Epiſcopales a me diſputari : cum ejus Eccleſiæ auctoritas & poteſtas longo intervallo plures alias etiam Epiſcopales poſt ſe relinqueret. Hinc ſtudium Papæ, ut & ipſe in ea jura ſibi ſua vendicaret. Tunc electiones ſumma libertate in Epiſcopalibus Eccleſiis omnibus celebrantur. Reſcita Gregorius VII. Firmani Epiſcopi morte, Clerum ejus urbis populumque per litteras admonuit, ejus adminiſtrationem a ſe Archidiacono commendatam, donec de Sedis Apoſtolicæ & Imperatoris conſilio & aſſenſu Epiſcopus ibi inſtitueretur (3) : *Totius Epiſcopatus procurationem Archidiacono commiſimus, donec cum noſtra ſollicitudine, tum Regis conſilio & diſpenſatione, idonea ad Epiſcopalem dignitatem perſona reperiatur.* Cum Feretrini Eugubini Epiſcopo orbati eſſent, ad Clerum Populumque ſcripſit earum urbium idem Pontifex, delegari ad eos a ſe Abbates duos, ut cum ipſis & ex ipſis eligere contenderent Epiſcopos tanto muneri obeundo idoneos : aut alicunde tandem, ſi inter ipſos nulli eſſent pares : *Eccleſiæ Romanæ filios ad vos miſimus, ut perſonam veſtra electione collaudatam & canonico decreto probatam, nobis ad ordinandum quantocius ſtudeant præſentare.*

Communicato idem ipſe cum Volterranis conſilio diutiſſime deſudavit, ut idoneum ipſis Epiſcopum provideret : duos tandem illis aſſentientibus miſit Epiſcopos, ut electio perfici & confirmari poſſet (4) : *Quia in perſonam Mantuani Archipresbyteri, & noſtra conſilia, & voluntas eorum, qui de illa Eccleſia ſunt, convenit, monemus ut qualiter generalis electio fiat ab omnibus procuretis.* Apocriſiarios Aquilejam miſit, qui electionem excuterent a Clero & Populo factam, & examinarent (5) : *Clerus & populus Aquilejenſis Eccleſiæ nuntiaverunt nobis ſe elegiſſe, &c.* Epiſcopum quidem ipſe forſan ſuo arbitrio viduata, ſacrilegis & infandis ab uſurpatoribus divexata fuiſſet : cum non aliter tunc poſſet illa ſubduci huic ſervituti, quam ut illam quondam Petrus idololatriæ ſubduxerat, miſſo Apollinari : *Fratrem noſtrum quem poſt longas & innumeras pervaſorum occupationes nuperrime, ſicut olim a beato Petro Apollinarem, ita hunc Ravennas ab Eccleſia Romana meruit recipere.* Interpellatus ut confirmaret electionem Epiſcopi Melitenſis, & Tro-

(1) Ibid. L. 4. c. 91. 93. (2) Chron. Caſſ. l. 4. c. 116. 124.
(3) L. 2. Ep. 38. 42. (4) L. 5. Ep. 3. (5) Ibid. Ep. 5. 6. l. 8. Ep. 14.

& Trojani, primam confirmare abnuit (1), quod eam Eccleſiam reſciſſet a Rhegienſi Metropolitano pendere: alteram confirmavit quanquam præter morem, nec aſſenſus ſuus poſtulatus eſſet, nec Nuntius aſſuiſſet ſuus: ſtatuto duntaxat, ne poſthac hæc omitterentur, quæ præterita tum fuiſſent: *Licet electioni ejus hoc defuerit, quod Legatus Apoſtolicæ Sedis & conſenſus noſter non affuit*, &c. Hinc edocemur, in Epiſcopalibus Eccleſiis Romanæ Metropoleos, neceſſarium fuiſſe Papæ conſenſum, utque Nuntius ejus electionibus intereſſet aliquis. Cum enim præeſſe Metropolitanus iis deberet ex Canonicis inſtitutis; hoc duplici jure frui etiam debere videbatur, ut cenſeretur præeſſe. At Pontifex hoc utroque jure ſibi temperabat in Eccleſia Melitenſi, utpote Rhegienſi obnoxia Metropoli.

III. Ad Clerum Populumque Faventinum litteras dedit Petrus Damiani hortatorias, ne præfectine Epiſcopum ante eligerent, quam adventaret Imperator, qui conſopiret omnes inter eos diſſenſiones: *Ut non eligatis Epiſcopum, uſque ad Regis adventum, qui ſcilicet, & errorem tollat, & vos & Eccleſiam veſtram, ſedatis undique jurgiis, in pacis tranquillitate diſponat*. Suadebat etiam, ut Pontificem orarent, ne dare ipſis Epiſcopum adproperaret (2): *Rogandus eſt Papa, ut Epiſcopum vobis modo non ingerat*: ſed ut Diœceſeos adminiſtrationem commendaret Clerico inter eos præ ceteris experientiſſimo: addens iterum ſe, ubi opus foret, ea adminiſtraturum, quæ ſoli poſſunt obire munia Epiſcopi. Vides ut vir Canonum peritiſſimus, zeloque caſtioris diſciplinæ, & Eccleſiaſticæ libertatis exeſtuans, cenſeat præſentiam Imperatoris electionibus quandoque, non tolerandam, non utilem tantum, ſed & neceſſariam eſſe.

Eam tum quidem Imperatores ſequebantur in his rationem, qua ſanctius nihil optari poſſet. Teſtem profero Otthonem III. Imperatorem, qui anno 996. Abbatem dare vollens Claſſenſi ad Ravennam Abbatiæ liberam permiſit Monachis electionem: *Abbatiam Claſſenſem ordinare deſiderans, optionem fratribus dedit, ut quem ipſi vellent, indubitanter eligerent*. Hæc erat Imperatorum, qui ſe exteriores Eccleſiæ Epiſcopos profitebantur, eligendorum Epiſcoporum & Abbatum ratio. Illud erat quod tum his verbis ſignificabatur, *ordinare Eccleſiam*: ubi ea poteſtate laici Principes impertiebantur. Cum Monachi iidem Claſſenſes Romualdum elegiſſent ſibi Abbatem, Imperator ipſemet ad ejus Cellam perrexit, coegitque ut acquieſceret, interminatus Concilii Provincialis anathemata (3): *Rex anathema ab omnibus Epiſcopis, Archiepiſcopis, & toto Synodali Concilio minaretur*. Non placuit Monachis ſuis Romualdus: ei vero quo juſtius, eo vehementius Monachi ſui diſplicuerunt. Venit ergo ille, & Pedum Imperatori & Archiediſcopo Ravennati reſignavit: *In utriuſque conſpectu virgam projecit*. Hæc Petrus ipſe Damiani in vita B. Romualdi. Oravit Romualdus ipſe Abbatiam ſibi dari ab Imperatore Henrico, & exoravit. Nec ſtupeas, ſi Abbatias diſpenſaret Imperator, cum auctore eodem ipſo Petro Damiani, dicatur idem Henricus Imperator ea donatus fuiſſe poteſtate, ut ejus auctoritate, electio Romani Pontificis regeretur (4): *Ut videlicet ad ejus nutum ſancta Romana Eccleſia nunc ordinetur, ac præter ejus auctoritatem Apoſtolicæ Sedi nemo prorſus eligat Sacerdotem*. Admiranda plane hic donatus eſt ea poteſtate Imperator, quod ſimoniam ab electionibus omnino abſterſiſſet.

IV. Ad ſolam Romanam Sedem ſpectabat hoc privilegium pio tunc Imperatori conceſſum; quod non multo poſt utique revocatum eſt, ubi qui in ejus dignitatem ſucceſſere, a pietate, religione & modeſtia ejus deviarunt. Ita inveſtitura laica aut mera fuit uſurpatio, aut temporaria Eccleſiæ tolerantia: aut ſi quam ei juris ſpeciem velis appingere, qui eo fruebatur Princeps, nec obeſſe liberæ electioni poterat, nec adeſſe. Ita enim Paſchalis II. ad B. Anſelmum (5): *Alienum eſt ab Eccleſia, & a ſacris Canonibus inhibitum, ne Princeps, & ſæculares viri inveſtituras non ſolum dare, ſed nec electioni Epiſcoporum audeant ſe violenter inferre*.

V. Non alios ante a Pontificibus datos Epiſcopatus, quam Titulos Epiſcoporum Cardinalium, ſatis probabiliter conjectamus. Cum urbes eæ eſſent raro populo, nulloque pene Clero: cum ſplendore Cardinalatus jam fere obſcuratus eſſet Epiſcopalis dignitatis fulgor: hos Cardinalium Epiſcoporum Titulos æque diſpenſabat Pa-

(1) L. 9. Ep. 24. (2) L. 5. Ep. 10. (3) Petr. Dam. in vita B. Rom. c. 22. 23. 65.
(4) Opuſc. 6. c. 36. (5) Epiſt. 3.

pa, ac ceteros Presbyterorum & Diaconorum. Adde quod cum Cardinales, præſertim vero Cardinales Epiſcopi, Coadjutores ſint & cooperarii Papæ in tractandis Eccleſiæ univerſalis gubernaculis, æquiſſimum erat, ut non ab aliis magis, quam ab ipſo & a ſacro Collegio eligerentur. Id obſervatum eſt a Petro Venerabili Abbate Cluniacenſi, dum verba facit de inclyto illo Cluniacenſi Monacho, quem Honorius II. anno 1126. Cardinalem Albanenſem creavit (1): *Injungit ei Papa Honorius majoris honoris & oneris paſtoralem curam, & eum labori ſuo ſocium adhibens, in Epiſcopum Albanum conſecrat.*

VI. Quando anno 1137. Sedem Epiſcopalem Beneventanam Innocentius II. Metropolitano auxit culmine, novum nominaſſe Archiepiſcopum probabiliter creditur; ſed illum Clero & Populo propoſuit Civitatis, ut poſſet a quolibet recuſari, ſi qua gravi labe fama ejus claudicaret (2): *In conſpectu Cleri & Populi Beneventani clamavit, ut ſi quis contra perſonam & electionem Gregorii Beneventani electi canonice & rationabiliter opponere vellet, libera fronte opponeret.* Approbata eo modo electi innocentia, a Pontifice ordinatus eſt.

Ejuſdem modi, aut non multum diſſimilis fuit Archiepiſcopi Ravennatis electio, ubi Fridericus I. Imperator in Italiam profectus eſt. Scripſit ipſemet ad Hadrianum IV. Papam, ne diutius tanto Archiepiſcopo ſua careret Aula (3): *Ne curia noſtra tanto diutius careret Principe:* elegiſſe ſe ad eam Eccleſiam filium Comitis Blandratæ: *Quem vos in Clericum Eccleſiæ Romanæ, & filium, noſtra petitione aſſumpſiſſe recordati ſumus:* ut habetur in illis litteris: ceterum electum eum fuiſſe univerſa ab Eccleſia Ravennate aſtantibus Legatis Imperatoris & Papæ: *In electione illius concorditer & voluntarie univerſa Ravennas convenit Eccleſia, præſentibus Legato veſtro & noſtro.* Juſtas ſibi cauſas eſſe exiſtimavit Pontifex non confirmandæ ejus electionis. Sed ea repulſa exulceratus Imperator, miras poſtea tragœdias excitavit. Electus erat Subdiaconus Eccleſiæ Ravennatis, Ravennas autem Metropolitanus Sedi Apoſtolicæ immediate ſuberat. Duplici illa ex cauſa confirmatio Papæ requirebatur. Sed inde patet electiones adhuc vim ſuam in Italia ſoſpitem retinuiſſe, etſi non raro, ſeu Regiis, ſeu Pontificiis nominationibus permiſcerentur.

Cum Placentinus vero Epiſcopus a Civibus ſuis apud Apoſtolicam Sedem graviſſimis criminationibus impetitus, Epiſcopatum in manus Hadriani IV. reſignaſſet; Pontifex Placentinos Cives, qui Romam delegati fuerant, compulit Romæ Epiſcopum ſibi eligere; paruerunt illi, electum ipſe confirmavit (4): *Nos participato fratrum conſilio, dilectis filiis noſtris Clericis & Laicis civitatis veſtræ, qui pro eodem negotio a vobis fuerant deſtinati, conceſſimus facultatem eligendi.*

Cum Alexander III. novam civitatem Alexandriam Epiſcopali ſolio decoraſſet, non expectata electione Epiſcopum ipſe in ea inſtituit. Factum exculavit ipſe poſtea datis ad Clerum litteris, quibus ſanctiſſime affirmat neceſſaria tum quidem de cauſa id factum eſſe, in poſterum vero vendicatum illis iri eandem eligendi libertatem, qua ceteræ omnes Provinciæ Mediolanenſis Eccleſiæ in commune fruerentur (5): *De novitate & neceſſitate proceſſit, quod nulla precedente electione, auctoritate noſtra, vobis & Eccleſiæ veſtræ electum providimus, &c. Statuimus ut non prejudicetur in poſterum, quominus electionem liberam habeatis, ſicut Canonici Cathedralium Eccleſiarum, quæ Mediolanenſi Eccleſia ſubjacent, &c.*

Pluſculum certe concedebant Pontifices earum electionibus Eccleſiarum, quæ Romanæ Metropoleos ſuffraganeæ non eſſent. Ideo & idem Pontifex, cum Aquenſem Epiſcopum & Epiſcopatum Alexandriam translatum cuperet, eam curam Archiepiſcopo Mediolanenſi demandavit, cujus ea erat Provincia & Metropolis. Videſ porro, ut & creatio novorum Epiſcopatuum, & translatio Epiſcoporum frequens eſſet vel occaſio, vel cauſa, ut Pontifex Epiſcopos ſuo natu deligeret.

Nec minus frequentes eæ cauſæ ſcatebant a depoſitionibus Epiſcoporum. Senatus Populuſque Florentinus legarunt ad eundem Alexandrum III. Papam (6), ut Epiſcopum ſuum gradu canonico judicio dejiceret, ut qui nuperrime convictus eſſet ſimoniæ, ſtupendo prorſus miraculo Monachi Cœnobii ſancti Joannis Gualberti, qui igneam pyram illæſis prætergreſſus erat veſtigiis. Nec dejici

(1) Baron. an. 1126. n. 9.
(2) Bar. ann. 1137. n. 12.
(3) Bar. ann. 1159. n. 2.
(4) Ep. 34. 35.
(5) Baron. an. 1180. n. 3. 4.
(6) Baron. an. 1163.

dejici tantum illum orabant, ſed & ſucceſſorem a Pontifice dari (1): *Velit Epiſcopum ea dignitate privare, & alium ſubſtituere.* Hæc habet auctor vitæ beati Joannis Gualberti.

VII. Extra has autem inuſitatas cauſas, ingenue fatendum eſt viguiſſe adhuc in Italia electiones ineunte ſæculo XIII. quanquam coarctatum jus ſuffragii ad ſolum Cathedralium Eccleſiarum Clerum, ad Abbates, ad Cappellanos & ad Epiſcopos Provinciæ conjunctim cum Canonicis, ad nullam jam earum partem vocatis populis. Cum in tres partes ſcitſa eſſet Mediolanenſis Eccleſia, ubi de eligendo Archiepiſcopo agebatur: eo delegavit Innocentius III. Abbatem & Archidiaconum, ut ipſi inquirerent, & ſe certiorem facerent, an ea illi Eccleſiæ inolita eſſet conſuetudo, ut Abbates, Præpoſiti, & Cappellani jure ſuffragii æque ac Canonici gauderent: an non ſinguli quidem ipſi, ſed ſingulorum Collegia ſingula promerent ſuffragia; an præſto eſſent tantum, nec in ſuffragia vocarentur; denique an Epiſcopi etiam ſuffraganei in creationem Metropolitani ſua conferrent ſuffragia (2): *Utrum de antiqua & probata conſuetudine, omnes & ſingulis, tam Abbates, quam Præpoſiti, ac etiam Capellani, parem cum Ordinariis in electione vocem habeant. Et ſi nec omnes, nec parem, qui & quantam, utrum videlicet qui in ſingulis ordinum, ſed in ordinibus ſingulorum ſit paritas attendenda; vel potius jus eligendi penes Ordinarios tantum reſideat, & ceteri propter honeſtatem ſolummodo vocari conſueverunt ad cautelam, &c. Quid poteſtatis aut juris habeant Epiſcopi ſuffraganei.*

Idem ipſe porro Innocentius depoſito Melfenſi Epiſcopo, Capitulo Cathedrali copiam fecit eligendi ſucceſſoris. Cum reſciſſet autem frequentiſſimas diſſenſiones Eccleſiarum Alexandrinæ & Aquenſis, quarum geminis Cathedralibus unus erat & communis Epiſcopus, conſtituit, ut convenirent duo Capitula, ubi celebranda foret electio, electum autem Metropolitanus Mediolanenſis confirmaret; vel electores eligerent, hoc eſt, Compromiſſarios; vel Procuratores Romam mitterent, quibuſcum communicato conſilio Pontifex conſtitueret, qui illis Epiſcopus conducibilior eſſet (3): *Aut electores eligant, &c. aut Procuratores idoneos ad Sedem Apoſtolicam dirigant, per quos recipiant in Epiſcopum, quem Romanus Pontifex eis duxerit concedendum.* Infinita quædam aliquando diſſentiendi & altercandi libido, partes cogebat, ut totam eligendi Epiſcopi curam in Pontificem unum conferrent. Ejuſmodi fuit electio B. Ubaldi Epiſcopi Eugubini (4), ſub hoc eodem Innocentio III. Papa.

VIII. Ad Italiam referri poteſt, quod Pontificii Legati a Comite Toloſano Raimundo & a Conſulibus Avenionenſibus expreſſerunt in Concilio Montilienſi an. 1209. quodque Pontifices Romani obſervari fecerunt, locis in omnibus ſtricta ſibi obedientia obligatis: videlicet ne poteſtates unquam ſæculares ſacris ſe interſererent electionibus (5): *Electioni Epiſcopi, vel alterius Rectoris Eccleſiæ faciendæ, per me vel per quamcunque perſonam, me nullatenus immiſcebo.* Quod confirmatum etiam fuit in Concilio Avenionenſi ejuſdem anni 1209. præſentibus & præſidentibus Papæ Legatis.

IX. Proxime ſequenti Capite, ubi de Sicilia agemus, oſtendemus tum cœpiſſe Pontifices electiones ſuſpendere, & Epiſcopatus ſibi reſervare, cum eo compulſi ſunt iis bellis, quorum occaſione Epiſcopi inſurgebant in Apoſtolicam Sedem, & in Principes Regiæ Francorum proſapiæ, quibus tum Pontifices Siciliam vendicabant. Eaſdem artes tentavit Bonifacius VIII. ut Gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopales ſuſpenderet electiones, donec Philippus Pulcher ad ea ſe conſilia converteret, quæ Pontifex cuperet (6). Sed ii conatus inauſpicati fuere. Primus omnium Joannis XXII. anno 1322. reſervavit ſibi collationem Epiſcopalium ſedium omnium in Provinciis Aquilejæ Mediolani, Ravennæ, Genuæ & Piſarum, propter interminabiles diſſenſiones, quæ ibi conflagrabant, omnibus in electionibus, dum Pontifices Avenione ſederent, & per eorum abſentiam inteſtinis diſſidiis univerſa laceraretur Italia (7). Præferebat Joannes temporarias eſſe eas translationes, dum detumeſcerent procellæ & bella ſedarentur in Longobardia, ut tum demum poſſent electiones priſtinæ & libertati reſtitui, & paci: *Donec favente Domino, ſublata procella temporis impacati, eiſdem Eccleſiis ple-*

(1) Surius die 19. Jul. n. 28.
(2) Regeſt. 15. Ep. 233.
(3) Rain. ann. 1206. n. 140.
(4) Surius die 16. Maii n. 6.
(5) Can. 8.
(6) Rain. ann. 1303. n. 39.
(7) Rain. in Append. tom. 15.

plena in eligendo securitas ministretur (1). Clemens VI. ut partes roboraret Roberti Regis utriusque Siciliæ anno 1343. reservavit sibi provisiones omnes Episcopatuum, Abbatiarum, & Collegialium Ecclesiarum, non Siciliæ tantum, sed & Regni Neapolitani.

Refertur vero a Theoderico de Niem (2), postquam Carolus Dyrrachenus (3) utramque Siciliam invasit in Reginam Joannam, Urbano VII. infensam, cujus partibus innexus erat. Carolus, Cardinalem Legatum Urbani in Sicilia servisse in Episcopos & Clericos, qui Reginæ studuissent; ab Urbano vero datos illis omnibus successores. Uno die creatos ab eo Archiepiscos vel Episcopos triginta, omnes Neapolitanos, omnes nimirum qui Carolo suffragati fuerant, ut Neapolin invaderet.

X. Ante electionem Pii II. anni 1458. in sacro Cardinalium Collegio multa consultata sunt, multa decreta, quibus moliebantur, adeoque sperabant futurum illigare & constringere creandum Pontificem. Præ ceteris illud erat memorandum, ut nonnisi ex consilio & suffragiis Cardinalium, immo & ex majori numero suffragiorum, Pontifex vel Episcopos nominaret, vel Abbates; vel Regibus, aliisve Principibus permitteret ut nominarent: vel denique illis sponderet, reciperetque se non nominaturum, nisi ex eorum sententia & votis (4): *Nullam provisionem faciet de Ecclesiis Cathedralibus, Abbatiis, &c. Nullam facultatem præsentandi aut nominandi ad Ecclesias Cathedrales concedet Principibus, &c. Nullam Bullam concedet, per quam astringi se Principibus, quod nullas Ecclesias Cathedrales aut Monasteria conferet, nisi de ipsorum beneplacito.* Eo redibant omnia. Aut enim Pontifex Episcopatus dabat, ut in Italia; aut Principibus annuebat, ut nominarent; aut spondebat ex eorum se voluntate nominaturum extra Italiam. Ubi extra has metas egrediebantur Pontifices, varios in scopulos incurrebant.

Quin & in Italia quandoque ipsa eis repugnabatur. Cum anno 1460. Pius II. Episcopatum Papiensem contulisset Amanuensi suo Jacobo Lucensi (5): is fuit sapientiæ laude celebratissimus Cardinalis Papiensis, toties laudatus, toties & laudandus adhuc a nobis: Franciscus Sfortia Mediolanensis Dux vehementissime renisus est; nec minis abluit. Fregit tamen ejus contumaciam constantia Pontificis. Commentarios hujus Pontificis, qui Gobelino tribuuntur, si consulas, perspicies ut dati sint ab eo Episcopatus Pataviuus, Feltrensis, Ferrariensis, Anconitanus, Venetus. Observatum ibidem est, a Senatu Veneto expetitum fuisse, quem ei Civitati Pontifex præfecit. Ut erant non constantiæ tantum, sed & moderationis ac caritatis specimen ederetur, certior factus idem Pontifex Ferrariensis Episcopi labores omnes irritos & infrugiferos cadere, ex alienato Ducis animo, illum ad Feltrensem transtulit Episcopatum (6): *Episcopum Ferrariensem, cum suis ovibus, Principis odio, prodesse non posset, ad Feltrensem transtulit.* Tradit vero Cardinalis Papiensis (7), non minus infracto fuisse animo eundem Pontificem in Mutinensem Ducem, atque in Mediolanensem fuerat, ut Episcopum Mutinensem excuti sede ne pateretur. Agit & alibi de Abbatiis, quibus eum Papa donaverat. Unam popposcerat ab eo Dux Mediolanensis, quæ in Civitate Papiensi sita erat. Sed a Pio jam concessa fuerat eidem Cardinali.

XI. Post Sixti IV. obitum jurarunt Cardinales in eorundem observantiam Decretorum, quibus futuros constringere Pontifices tentaverant ante creationem Pii II. Ubi pacis fœdus iniit Innocentius VIII. cum Ferdinando Rege Neapolitano anno 1486. utrique convenit, ut Episcopatus, & alia Regni Neapolitani Beneficia a Pontifice conferrentur (8): *Quod Episcopatus & Beneficia Regni Neapolitani distribuantur per Papam.* Ægre patiebatur Venetorum Respublica Patavinæ Ecclesiæ possessionem ab eo Cardinali capessi, quem Papa nominarat; enixiusque poscebat, ut ei committeretur illa Sedes, quem sibi præfici ipsa capiebat civitas. Pontifex in hæc verba illis rescripsit (9): *Deus quæ ab Ecclesia disponenda sunt, non ad sæculi potestates quas Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subjectas, sed ad Sacerdotes pertinere voluit.* Cujus rescripti emanati, ut asseritur, a Pontifice alias amicissimo, & Fœderato cum Republica Veneta, fides stat penes auctorem. Tu interim videre potes Ughellinum tom. de Epi-

(1) Rain. ann. 1343. n. 83. 84.
(2) L. 3. c. 26.
(3) De Duraz.
(4) Rain. ann. 1458. n. 6.
(5) Rain. ann. 1460. n. 55.
6) Cobel. l. 4.
(7) Card. Pap. Ep. 149. 162. 170. 171.
(8) Rain. ann. 1484. n. 33. 34.
(9) Idem ann. 1486. n. 13. 14. 36.

Epiſcopis Patavinis & Veronenſibus pro Cardinali Jo. Michaelio.

Conſtat indubitatiſſime Principes Italiæ arrogaturos ſibi fuiſſe nominationes omnium Beneficiorum, niſi eorum conatus retudiſſet Pontifex, novamque invexiſſet rationem ea conferendi, ex qua, quoniam electionibus per depravatiſſimos hominum mores jam locus eſſe non poterat, eluceſceret non terrenas poteſtates, ſed Eccleſiaſticas, dandorum Eccleſiis Paſtorum jus vimque obtinere. Præter ſuperius congeſta exempla novum hic adjiciam. Nova quædam jurgia emerſere inter eundem Innocentium VIII. & Ferdinandum Regem Neapolitanum, (1) qui Beneficia a ſe diſpenſari debere cauſabatur, ut qui civium ſuorum merita & vires probe noſſet: non a Pontifice, cui minus explorata eorum eſſet & vita & induſtria. Ita ne contra Apoſtolicos Canones terreni Principis nutu ſacræ dignitates diſtribuerentur, neceſſe fuit, ut eam ad ſe Pontifex poteſtatem pertraheret.

CAPUT XXXVII. *P. 4. l. 2. c. 45.*

De electionibus in Sicilia poſt annum Chriſti milleſimum.

I. Siciliæ Regibus ab Hadriano IV. id conceditur, ut citra eorum aſſenſum fieri vel perfici non poſſint electiones Epiſcopales.

II. Revocatur illud privilegium, ob vim ab his Regibus frequentiſſime electionibus illatam.

III. Reges ipſi Siciliæ, illi certe qui Regia Francorum ſtirpe prognati fuerunt, profitebantur ſolemniter, nullum ſuum operiendum eſſe conſenſum, ſeu faciendis, ſeu confirmandis electionibus.

IV. Quo tempore & qua demum cauſa reſervari Pontificibus cœpere Epiſcopatus Siciliæ?

V. De regno Sardiniæ.

I. NOn is ego ſum, qui ventilandæ me implicem ſpiritali Regum Siculorum Monarchiæ. Ut meo ſerviam inſtituto, nec ultra eos fines exſpatier, id obſervabo, circa annum Chriſti 1159. Hadrianum IV. pepigiſſe cum Willelmo Siciliæ Rege, ut electiones liberas eſſe vellet, eo contentus, ut ejus flagitatio aſſenſu confirmarentur (2): *Electiones ſecundum Deum per totum regnum canonice fiant, de talibus quidem perſonis, quibus vos & hæredes veſtri requiſitum a vobis præbere debeatis aſſenſum.* En verba ipſa diplomatis Willelmi Regis: *De electionibus quidem ita fiet. Clerici conveniant in perſonam idoneam, & illud inter ſe ſecretum habebunt, donec perſonam illam excellentiæ noſtræ pronuntient. Et ſi perſona illa ex proditoribus, aut inimicis noſtris, aut hæredum noſtrorum non fuerit, aut magnificentiæ noſtræ non extiterit odioſa, aſſenſum præſtabimus.*

II. Nil periclitari primo videbantur electiones ab hoc Regum aſſenſu. Sed ea poteſtate tam imporenter uſi ſunt Siculi Reges, ut per Pontifices revocanda tandem fuerit. Excanduit quam juſte tam vehementer Petrus Bleſenſis adverſus Capellanum junioris Siciliæ Regis, datis ad eum litteris, quod Regiæ non moderatus eſſet, non interceſſiſſet intemperantiæ, in supera maxime Epiſcopi Agrigentini electione (3): *Intendit Epiſcopare fratrem Comitis, & ipſum reclamante Capitulo violenter intruſit.* Regis adoleſcentuli intemperies in ejus Eleemoſynarium refundit Petrus, quod ab eo non cohiberetur.

Goſfridus Monachus Rogerio Comiti aſcribit (4) fundationem, ſeu dotationem complurium Siciliæ Epiſcopatuum. Quocirca & Epiſcopos eos nominabat Comes. At cum non fundarentur, vel dotarentur eæ Eccleſiæ, niſi reſtituta iis rebus, quas olim poſſediſſent: hinc penes Eccleſiam jus fuit ſemper electiones iis nominationibus ſubrogandi.

Ubi Innocentius III. Conſtantiæ Imperatrici, filioque ejus Junioni Friderico II. Regnum Siciliæ confirmavit: ab iis quoque viciſſim id expreſſit, ut confirmarent electiones, & primigeniam in libertatem reſtaurarent (5): *Electiones Prælatorum libere & canonice fiant &c.* Confirmatum eſt ab eodem Rege idem Decretum anno 1213. ne ipſo quidem tum diſſimulante ab anteceſſoribus ſuis Regibus contumelioſiſſime habitas, oppreſſaſque fuiſſe electiones. *Illum volentes abolere abuſum, quem quidam prædeceſſorum noſtrorum exercuiſſe dignoſcuntur, Decretum de electionibus Prælato-*

(1) Rain. ann. 1487. n. 12. (2) Baron. an. 1097. n. 66. & ann. 115. n. 5. (3) Ep. 10.
(4) Hiſpan. Illuſt. t. 3. p. 333. (5) Baron. an. 1297. n. 71. 72. 73.

latorum concedimus, *&c.* Eo Friderici Edicto aſſenſus Regius ſiletur omnino. Certum eſt tamen anno 1226. expoſtulaſſe Fridericum eundem, quod Honorius III. Papa Epiſcopatus Siciliæ donaſſet ſe inconſulto, & jura Siciliæ Regibus conceſſa in electionibus violaſſet (1): *Te inconſulto quibuſdam Eccleſiis Regni vacantibus præfeciſſe perſonas*. Monuit illum Pontifex conſtituendorum Epiſcoporum jus Apoſtolicæ Sedi & Poteſtati indivulſe cohærere. Poſſet tamen Friderici querela de aſſenſus Regio capi, qui & neceſſarius olim, & prætermiſſus tamen tunc fuiſſet, Anno enim 1245. Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi legi juſſit Reſcriptum Friderici, quo abdicabat ſe ab omni prorſus jure in electiones Siciliæ: *Concedebat ac quitabat, ſi aliquod jus habuiſſet in electionibus Eccleſiarum regni*, *&c.* Poſtquam autem Fridericum idem Pontifex anathemate confixit, hanc præ ceteris compluribus cauſam allegavit ejus cenſuræ, quod undecim Eccleſiæ Metropolitanæ aut Cathedrales jamdiu viduæ mœrerent, vetante Friderico electiones celebrari.

III. Ideo & cum idem Pontifex Carolo Andinm Comiti, fratri beati Ludovici Francorum Regis, Siciliam contulit clientelari ab Apoſtolica Sede jure obtinendam, in Feudorum morem: eam clauſulam adjecit, ut admoneretur quidem Rex de morte Epiſcoporum, ſi ita ferret mos, ſed nec ante, nec poſt electionem ejus aſſenſu opus fore (2): *Denuntiatio mortis Prælati Regi fiat, ſi fieri conſuevit, ſed ejus conſilium vel conſenſus in prædictis non requiratur, nec ante electionem, nec poſt electionem*. Cum Carolum Andinum Comitem Clemens IV. Papa Siciliæ Regno donavit & inveſtivit, eadem cautio adhibita eſt: *Nec ante electionem, ſive in electione, vel poſt, regius aſſenſus, vel conſilium aliquatenus requiretur: quam utique libertatem vos & veſtri hæredes ſemper manutenebitis*.

Ea autem tunc Pontificum caritas & benevolentia effuſior in Galliæ Reges, proficiſcebatur tum ex memoria & pietate in eos, a quibus tot beneficiis cumulata eſſet Romana Eccleſia: tum ex ſpe & neceſſitate ingentis & præpotentis tuitionis ad Eccleſiæ hoſtes pertinaciſſimos propulſandos. Itaque non Gallicæ gentis Regibus Siculis hinc conflanda invidia eſt, quaſi adverſus eos illud tunc novatum primo ſit, ut ne aſſenſus Regius amplius requireretur, tum ad faciendas, tum ad confirmandas electiones. Sed cum innovatum invectumque jam id fuiſſet adverſus Fridericum II. internecinas cum Pontificibus inimicitias exercentem, tantis & ab ipſo & a prædeceſſoribus ejus graſſationibus in electiones olim iteratis; ex re viſum eſt Pontificibus Romanis retinendum id eſſe, ut ab aſſenſu Regio requirendo abſtineretur, cum ea non novi juris inſtitutio eſſet, ſed reſtitutio vetuſtiſſimi. Eſt certe caula ſpecialis & perneceſſaria, ut vigeant & dominentur libertates Eccleſiaſticæ in iis maxime regnis & locis, quæ in ditione ſunt Apoſtolicæ Sedis, earum vindicis & cuſtodis.

IV. Honorius IV. anno 1285. videtur primus omnium ſibi integram ſervaſſe collationem omnium Siciliæ Epiſcopatuum, dum æſtuarent bella inter Francos & Arragonios Principes, ne ii eligerentur Epiſcopi, qui Arragoniis ſuderent, & adverſarentur Gallis, hoc eſt Pontificibus, qui Gallis hoc Regnum donarant, & aſſerebant. Laudat eam Papæ Epiſtolam Rainaldus (3), nec eam intexit Annalibus ſuis. Ubi reſtituta ſunt bella, revixiſſe electiones probabile eſt, ſoſpite & illibato Pontificum jure, ut cum conducibile ſibi videtetur, vacantes Eccleſias reſervarent. Illud profecto emicat in fœdere inito Gregorium XI. inter & Fridericum Siciliæ Regem anno 1372. ubi & illud ſurſum inculcarum eſt, neceſſarium minime fore, ut aſſenſus Regius electionibus interveniret (4): *Omnes Eccleſiæ Cathedrales & aliæ in electionibus plena libertate gaudebant, nec ante electionem, nec in electione, nec poſt, dicti Frider-ci ſeu ejus ſucceſſorum conſenſus vel conſilium aliquatenus requiratur*, *&c. Salva ſemper circa Eccleſias Cathedrales & alias in reſervationibus Romani Pontificis juriſdictione*. Clauſula eadem liberum electionum citra Regium aſſenſum inſerta fuit conceſſioni Urbani VI. anno 1381. in gratiam Caroli Dyrrachent, ex regia Francorum ſtirpe in Hungaria tum imperitante. Verum ea conceſſio complectebatur utramque Siciliam, hoc eſt Siciliam Inſulam & Regnum Neapolitanum. Ei ſimillima eſt ea, qua Eugenius

(1) Rain. ann. 1226. n. 8.
(2) Rain. ann. 1253. n. 3. Rain. ann. 1265. n. 19. Spicil. t. 9. p. 238.
(3) Rain. ann. 1285. n. 62. (4) Rain. ann. 1372. n. 11. 1381. n. 18. 14. 5. 8.

nius IV. Alphonſum Arragonum Regem anno 1445. honeſtavit.

V. Quando Bonifacius VIII. Regno Sardiniæ & Corſicæ Jacobum Arragonium decoravit anno 1297. (1) eadem implicata cautio eſt, ut liberæ eſſent electiones, Regum conſenſu nec ante, nec poſt deſiderato.

CAPUT XXXVIII. *P. I. l. 2. c. 46.*

De electionibus in Germania, de inveſtituris, & de Concordato Germaniæ, poſt annum Chriſti milleſimum.

I. Tres Othones Imperatores Epiſcopatuum & Abbatiarum inveſtituras dedere, illeſo electionum jure & uſu. Fuere & eorum nonnullæ nominationes. Nec aliter B. Henricus Imperator.

II. Duces ipſi quandoque eodem inveſtiendi jure utebantur.

III. Gregorius VII. & qui ei mox ſucceſſere, inveſtituras Laicas damnarunt, quod jam cum electionibus ſociari non poſſent. Quanto intervallo Franciæ Regum & Germaniæ Imperatorum inveſtituræ diſtarent? Paſchalis II. aſſentitur, ut cedant Epiſcopi & Abbates feudis omnibus Regiis, dum cedant & Principes inveſtituris, eo prætextu palliatis. Sed non eo contentus Imperator, Paſchali inveſtiturarum conceſſionem extorſit.

IV. Calliſtus II. provido temperamento, & Imperatorem demeretur, & eam controverſiam ſedat.

V. Quæ eſſent in Galliis inveſtituræ?

VI. Novi irritique conatus ſub Lothario II. reſtituendæ inveſtituræ Laïcæ.

VII. Ut ſub Friderico II. in electionibus turbatum ſit?

VIII. Innocentius III. ab Imperatoribus exprimit, ut ne conſenſus eorum in electionibus deſideretur.

IX. Quæ exordia inveſtiturarum, quæ cauſa eas revocandi?

X. Univerſim aliqua adnotata in electiones Germaniæ.

XI. XII. De Concordatis Germaniæ.

XIII. De electionibus in Regnis ad Boream porrectis.

I. INdubium eſt a tribus Othonibus Imperatoribus Eccleſias Epiſcopales & Abbatiales donatas fuiſſe, donatas & earum per Pedum inveſtituras. Sed tria ſunt; quæ in eo obſervari conducat. 1. Illos ipſos fuiſſe primos inſtitutores ſub Romani Pontificis auctoritate, & fundatores complurium Epiſcopatuum eorum, in regionibus Germaniæ non ita pridem Chriſto ſubjugatis. 2. Semper fere ſpectatiſſimæ pietatis & ſapientiæ viros ab eis deſignatos fuiſſe. 3. Non ſemper excluſas fuiſſe ab eis electiones, ſed vel toleratas, vel perpetuo privilegio quibuſdam Eccleſiis indultas; denique pro virili operam datam fuiſſe, ut Regiæ nominationes Cleri, & Populi electionibus permiſcerentur.

Ditmarus Merſeburgenſis Epiſcopus in horum Imperatorum Chronico ſexcentis locis declarat Epiſcopos, & Abbates ab eis complures nominatos fuiſſe, conceſſas inveſtituras. Sed & ex eodem Ditmaro complufcula exprimuntur documenta (2), quibus confirmentur tria illa ſummatim Capita, a quibus hic apta, & reliqata pendebunt omnia. Cum erexiſſet Ottho I. & fundaſſet tres Epiſcopatus, Miſnenſem, Merſeburgenſem & Cicenſem, ſeu Naumburgenſem, Boſoni *electionem de tribus Epiſcopatibus dedit*. Erat Boſo probatiſſimæ ſanctitatis Monachus in Cœnobio Ratiſponenſi ſancti Emmeranni: *Inde ad ſervitium Cæſaris aſſumptus fuerat*: a quo & Beneficium obtinuerat, cujus incolas accolaique pene innumeros Gentilium ſuperſtitione exuerat, Chriſtique adglutinaverat Eccleſiæ. Ita ergo de Eccleſia benemeritus, eoque etiam de Imperio; Baptiſmo enim fideles, non in Chriſti tantum, ſed & in Imperatorum fide ſtabiliuntur: merito & jure ad Epiſcopatum Merſeburgenſem acceſſit: *Quia in Oriente innumeram Chriſto plebem prædicatione aſſidua & baptiſmate vendicavit, Imperatori placuit, electionemque de tribus conſtituendis Epiſcopatibus ei dedit*.

Ottho II. Regio Reſcripto Capitulum Magdeburgenſe munivit, ut Archiepiſcopos ſuos eligeret (3): *Licentiam Archiepiſcopum eligendi Præcepto Imperiali dedit*. Adelbertus Archiepiſcopus, poſt Evangelii recitationem inter Miſſarum ſolemnia concionatus ad populum, Imperatorium hoc præceptum

(1) Rain. ann. 1297. n. 2. (2) Chron. l. 2. (3) Ib. l. 3.

ceptum promulgavit, *Recitato coram præcepto Imperiali :* terrifica in eos jaculatus eſt anathemata, qui illud utcunque temeraſſent.

Mortuo Merſeburgenſi Epiſcopo Boſone, Ottho I. Giſilerum nominarat. Tenues erant res ejus Eccleſiæ. Ottho II. Giſilero, ut ſibi devinctiſſimo, gratificatus, illam ingentibus prædiis dotavit : *Pauperem adhuc Epiſcopatum Merſeburgenſem largiſſima pietate reſpexit, & ejus Proviſori Giſilero, quia hunc multum dilexerat, civitatem Suelcam tradidit, &c.*

Gerone obeunte Colonienſi Epiſcopo, ſuffectus eſt Vuarinus electione & dono Imperatoris : *Electione & Imperatorio munere protinus ungitur.* Mortuo quoque Roberto Archiepiſcopo Moguntino, Villigiſum illi Imperator ſubſtituit, Cancellarium ſuum : *Cancellarium ſuimet eidem præfecit Eccleſiæ.* Mimmilevitanam Abbatiam fundaverat idem Imperator, liberamque declaraverat : *Liberam fecit Abbatiam.* Matronæ duæ opulentiſſimæ alteram fundavere, & Imperatorum ſubjicere clientelæ : *Hoc privilegio & Imperiali præcepto firmantes, ut Abbatia ibidem liberaliter facta, Imperatoris ſuorumque poteſtatem ac tutelam reſpiceret ſucceſſorum.* Præpoſtero quorundam conſilio abreptus idem Imperator, Merſeburgenſem dejecit, & Epiſcopali culmine orbavit Eccleſiam, Abbatem præfecit.

Ottho III. in Concilio Romæ habito reſtituit fecit Epiſcopatum Merſeburgenſem, ab Ottone I. avo ſuo inſtitutum, ab Ottone II. parente ſuo deſtitutum, quando & Giſilerus ejus Epiſcopus ad Metropolin Magdeburgenſem translatus eſt. Giſilerus utroque Epiſcopatu perfruebatur, & in hoc Romano Concilio anno 998. aut utroque excidere juſſus eſt, ſi ſola honorum vel opum cupiditate a minori ad majorem Eccleſiam devolaverat : aut ſola Metropoli ſe cohibere, ſi ad eam vocatus eſſet *Populi & Cleri inviatione & electione.* Sororem ſuam idem Imperator Abbatia donavit, miſſo ad eam pedo aureo, juſſoque Epiſcopo, ut eam ſolemni benedictione initiaret (1): *Germanæ per Becelinum portitorem virgo a longe commiſit aurea Abbatiam, & ut ab Epiſcopo benediceretur Arnulpho præcepit.* Epiſcopales Eccleſias Capellanis ſuis duobus deſtinaverat, Erponi & Raconi. Verum, ut auctor eſt Ditmarus, præſeſtina hinc illi morte abrepti ſunt, ut pietas, quam pollebant, coeleſti potius & æterna, quam temporali gloria radiaret : *Hi duo quamvis pii, tamen inter Epiſcopos non debent aſcribi.* Uterque eorum animam tantum non jam agens, miſſo ab Imperatore baculo Paſtorali, ante mortem ornatus eſt : *Et his in lecto ob infirmitatem validam jacentibus paſtoralem baculum dedit, ſed uterque ſine ſacerdotali unctione diſceſſit.*

Cum urgeretur vero Giſilerus Concilio Romano morem gerere, (2) contracto animi mœrore, ut conjicitur, fato ſuo præmature functus eſt. Refcita ejus morte Imperator, miſſo Magdeburgum Guiberto Capellano ſuo, Canonicos hortabatur, ut Tagmonem eligerent. Imperii tum habenas tractabat Henricus, ſanctitatis laude in Annalibus ſacris inclytus & Othoni III. ſuffectus. Erat autem is Tagmo, qui ab Imperatore ſanctiſſimo non injuria eligeretur. Inſtiturus enim fuerat a B. Volfango Ratiſponenſi Epiſcopo, qui illum ita informabat & prepoliebat virtutibus Epiſcopalibus, ut ſucceſſurum ſibi in Epiſcopatu. Interim vero ab Imperatore donatus eſt Epiſcopatu Ratiſponenſi Gebehardus Capellanus ejus; Tagmo autem electus eſt a Canonicis Magdeburgenſibus, quibus integrum non erat preces fruſtrare præſentis & blandientis Imperatoris, quanquam in Præpoſitum ipſi ſuum oculos & vota ſua convertiſſent : *Rex baculo Arnulphi Præſulis Clerum & populum Tagmoni commiſit, undemque in Cathedram Epiſcopalem conſtituit ipſe.*

Non multo poſt idem Imperator Merſeburgenſem reſtituit Epiſcopatum, (3) eoque Guiberrum Capellanum ſuum inveſtivit (4), Pedo utens Tagmonis Archiepiſcopi, qui eum mox ordinavit : *Dedit Epiſcopatum Capellano ſuimet Guiberto, cum Archiantiſtitis baculo Tagmonis.* Præſentes aderant Regiis his nominationibus Epiſcopi, Principeſque : *Convocavit ad ſe omnes Regni Primates.* Ita ex horum conſiliis & ſuffragiis poterat ſpecies quædam exiſtere electionis. Bambergenſem civitatem idem Imperator Eccleſiæ dono dedit, quam & Epiſcopatu voluit augeri. Eam ita rem Concilium convocavit apud Francofordiam. Ibi graviter expoſtulavit de contumacia Epiſcopi Virsburgenſis, qui ſuæ Eccleſiæ eam civitatem ſubduci non ſatientiebatur, niſi Pallio

(1) Lib. 4. (2) Ditm. idem l. 5. (3) Lib. 6. (4) An. 1005.

llo ipſe donaretur, Metropolico vero jure gauderet Eccleſia ſua in novum illum Epiſcopatum. Virsburgenſis Præſulis interceſſionem & conditiones non probavit Concilium, cuius aſſenſu Imperator Bambergenſem Epiſcopatum Cancellario ſuo Eberardo contulit, ita ut mox a Tagmone Archiepiſcopo conſecratus ſit: *Eberardo Cancellario cura Paſtoralis committitur.*

Vivis erepto Luidolpho Archiepiſcopo Trevirenſi, electio celebrata eſt, ſed ita præceps & temeraria, ut eius rationem non habuerit Imperator, & Meingardum Camerarium Villigiſi Archiepiſcopi nominarit, quem & ipſe venit miſſurus in Sedis ſuæ poſſeſſionem. Narrat & Ditmarus, ut ipſemet ad Epiſcopales inſulas venerit Merſeburgenſis poſt Guiberti obitum. Juſſus eſt Auguſtam proficiſci, ubi tum Curia verſabatur; ibi ad Capellam Epiſcopi ſtatim perductus, a Rege, nequedum enim Imperatorio diademate cinctus fuerat, pedo Paſtorali ante Miſſarum ſolemnia donatus eſt, aſſantibus Epiſcopis & Magnatibus, quorum in conſpiratione & applauſu quoddam erat inſtar electionis: *Me ad Capellam Epiſcopi, ubi Rex expectabat, duxit, &c. Rex cum electione præſentium Paſtoralem mihi curam commiſit cum baculo, &c.*

Tagmone Magdeburgenſi Archiepiſcopo ad Cœlitum ſedes migrante, miſit Valterus Capituli Præpoſitus ad Imperatorem, qui ejus conſilium & voluntatem explorarent: *Voluntatem ſuam in rebus faciendis inquireret.* Renuntiari fecit illis Imperator, ut ne ſolemni forma eligerent, ſed in aliquem clam conſentirent, idque ſignificarent ſibi: *Ut electio a nobis non fiat, ſed tantum conſenſus unanimis, & hoc indicetur ei.* Capituli vota in Præpoſitum convenire: *Si Dominus conſentit, & vult Rex.* Eo temporis punctо Ditmarus, qui e Suffraganeis erat, acceſſit, animoſque & calcaria ſubjecit Capitulo, ut canonicam facerent electionem, quando id & juris eorum eſſet, & muneris; aſſeverans ſe, qui conſors eſſet & faciendæ tunc electionis, & conſecrationis poſt conferendæ, calculum ſuum Præpoſito addicere. Tunc a Capitulo electus eſt Præpoſitus, delegatique ſunt ad Regem, qui ejus expoſcerent conſenſum: *Sum unus ex his, qui electionis hujus ac conſecrationis participes eſſe debent, & hoc vobis conſilium do, ac illud adjuvare in quantum poſſum volo. Senior meus imperet quod velit, vos autem quod accepiſtis a Deo & anteceſſoribus ſuis videte ne perdatis. Primus eligo te, &c.*

Cum agebat Ditmarus juſſione Regis non eſſe diutius ſuſpendendam electionem, ſed utendum jure quod Deus annuiſſet, & quod ſuperiores Imperatores confirmaſſent: non hoc volebat ille tamen, ut concordia Sacerdotii & Imperii ſollicitaretur. Sed perſuaſiſſimum habebat, piiſſimo Imperatori diſplicere non poſſe libertatem Capituli juſtam, & reverentiæ moderationiſque pleniſſimam in jure ſuo retinendo. Et ſane ut primum electio Capituli Ditmaro ipſo comitante ad limina appulit Curiæ, annulo illum donavit Imperator, iterataque imagine quadam electionis per Imperatorem ipſum & Optimates, donavit illum & Paſtorali baculo: *Annulum portat in manu ſua. Tunc omnes in præſentiam venientes, examinatione Regis, ipſo primitus eum laudante, prædictum Patrem eligimus: & optimi quique aſpirabant, & mox a Rege accepit baculum Paſtoralem.*

Tres habes hic electiones. Prima fuit illa Capituli unanimis conſenſio in Præpoſitum ſuum. Altera fuit electio, ſuadente Ditmaro, ex forma Canonum celebrata. Tertia fuit, qua Rex, Epiſcopi & Optimates Curiæ duas priores confirmaverunt. Ditmarus ſecundam promoverat egregie, idemque ipſe tertiæ intervenit. Duos non amplius menſes Valterius, eo nomine erat Præpoſitus, Archiepiſcopatum obtinuit. Eo ex morbo extincto, Epiſcopi & Canonici in ejus locum elegere Theodoricum, Ditmari nepotem: *Nos omnes Conſratres ad Capitulum venientes eligimus, &c. Poſtera die renovata electione, &c.* Aberat tunc Imperator, qui mox ut advenit, electores omnes in Refectorium convocavit, quibus & ita blanditus eſt, ut ad eligendum Capellanum ſuum adduxerit, incolumi jure eligendi: *In Refectorio Fratrum omnes nos convenire præcepit; ibi tunc Regali petitione & ſalva in poſterum electione, Gero communiter eligitur, &c. Baculum a Rege accepit Paſtoralem.*

Lieviſo Bremenſis Archiepiſcopus paulo ante obitum ſuum a Capitulo ſuo eligi fecit Otthonem Canonicum, qui ſibi ſuccederet in Archiepiſcopatu. Ottho eo extincto ad Imperatorem profectus eſt, quo ejus aſſenſu confirmaretur, ingenti Cleri populique ſui multitudine comitante. Hos adduxit, ac pene compulit Imperator, ut Unvanum Capellanum ſuum eligerent. Rerum geſtarum magnitudine & vitæ ſanctimonia floruit Unvanus, ſicut & complures alii eorum, quos hic diximus e Palatio Imperatoris ad Epiſco-

ſcopale faſtigium aſcitos fuiſſe : *Oddo Clericis comitantibus & Laicis ſupplex venit, &c. Quos Rex nullatenus audit, ſed Capellano ſuimet Unvano cum laude adventientium, etſi non ſpontanea, Epiſcopatum dedit.*

Sanctiſſimus hic deinque Rex cum Romæ Imperatoria Corona ornatus fuiſſet, fratrem ſuum Ravennatem, creavit Archiepiſcopum, priore Archiepiſcopo, qui utique merito exauctorandus fuiſſet, Aricinum in Epiſcopatum translato. Ex Epiſcoporum conſilio Bobienſem inſtituit Epiſcopatum (1) : *Communi & licentia Comprovincialium Epiſcoporum conſtruxit in Bobia civitate Epiſcoparum*. Redux in Germaniam, ad Treverenſem & Miſnenſem Eccleſias vacantes nominavit, ne verbum quidem ullum de electionibus faciente Ditmaro. Nominavit & ad Eccleſias Ferdenſem, Conſtantienſem & Pragenſem. Inviſus ibi eſt a Rodulpho Burgundiæ Rege, cujus effœminatos mores & vitam mollitie diffluentem deſcripſit Ditmarus, mira & amabili ſtyli, animique ſimplicitate. Illum ait ſolo nomine Regem fuiſſe, & Epiſcopatus iis dediſſe, qui a Principibus Aulicis eligerentur : *Nomen tantum & Coronam habet, & Epiſcopatus his dat, qui a Principibus his eliguntur*. Non ea erat ratio, quam ſequebatur Germaniæ Imperator.

Hæc hiſtorica epitome eſt electionum & inveſtiturarum, ſub Imperio quatuor aut quinque Cæſarum eorum, quos nemo neſcit religioni & pietati fuiſſe deditiſſimos : hanc autem unius ex Chronico religioſiſſimi Epiſcopi decerpſimus (2). Patefacta hic prorſus ſunt, quæ ante ſummatim præmonueramus. 1. Ab Imperatoribus utplurimum nominatos fuiſſe Epiſcopos. 2. Cum Epiſcopatus pleroſque in Germania erexerint Imperatores, adeo ut affirmet Ditmarus anno 800. in Saxonia uno die a Carolo Magno octo inſtitutos fuiſſe : novi in dies ab eis erigebantur, atque una, ut apparet, Regiarum ad Epiſcopatus nominationum jaciebantur fundamenta. 3. Nominabantur autem ab eis Epiſcopi longe præſtantiſſimi. 4. Annuebant & multa eligendi privilegia. 5. Nec funditus ſummovebant electiones, ſed vel aſſentiebantur his qui præſumpta hac aſſenſione electi fuiſſent : vel quem ipſi nominaſſent Capitula approbabant : aut a Clericis Laiciſque, qui electum ſuum præſentaturi in Curiam venerant, aliam inſtitui electionem ſuadebant : vel ex votis Epiſcoporum & Magnatum in Aula præſentium electionem celebrabant ; non ſemel denique concurrebant plures ſimul iſtiuſmodi electiones. 6. Si compluſculi vel Canonici fuiſſent, vel Epiſcopi, ea animi fortitudine, qua Ditmarus, facile reſtitutæ omnino integrum fuiſſent electiones, nec repugnaſſent, qui ita affecti animatique erant, Imperatores. 7. Mollius ſuo jure ntebantur Epiſcopi & Capitula, quod pleraſque Epiſcopales Eccleſias & etigerent Imperatores, & prædiis ditionibuſque ſuis locupletarent, ruerenturque a ſæculi Principibus aliis & ab iis denique incurſiones propulſarent Barbaricarum gentium undique circumpoſitarum. 8. Non facile abſtinebant Imperatores poteſtate, quanta maxima ſibi permittebatur, propterea quod magni intereſſet, ut fidos ſibi & aſtrictiſſimos haberent Epiſcopos, quibus fiduciarias conferebant Imperii ditiones & Provincias : & quos cum Principibus ſæcularibus habituri erant Imperii regendi adminiſtros. Ed caſtra enim & militiam Epiſcopi Imperatoribus comites ſe adjugebant cum ſuis quique copiis militaribus. Quippe non Religionis tantum munimenta erant Epiſcopatus & Abbatiæ, ſed & imperii. Nationes quippe barbaræ, quibus fere conſtabat olim Germania, tum demum cicuratæ & inſuefactæ ſunt Imperii Romani ſubeundo ferendoque jugo, poſtquam illas Chriſtiana pietas manſuefecit, priſtinamque omnem dedocuit ferocitatem. Sola religio, ſola pietas corda ipſa mollit, edomatque, & ſpontaneas ſubeſſe perſuadet Principibus & Poteſtatibus a Deo conſtitutis. 9. Epiſcopi prorſus ſanctiſſimi ad eum modum in Aula ab incunabulis educati, ad Epiſcopatus venere, & cum Imperatoribus collaborarunt, ut alios ſimiliter inſtituerent. 10. Eo tempore res ad eum modum gerebantur, quo vigere & valere debebant electiones canonicæ, necdum revocatæ, necdum antiquatæ. Hinc autem perſpicias, quo ſe uſque effundat providentiſſima Eccleſiæ indulgentia in Chriſtianos Principes, qui pluſculum ſibi ſumunt, quam per Canones liceat, in rebus ſacris, ſed eam poteſtatem rotam conferunt, ad donandas præſtantiſſimis Epiſcopis Eccleſias. 11. Inveſtituræ quoque Epiſcopatuum & Abbatiarum per annulum, & baculum ab his Impe-

(1) Ditm. l. 7.

(2) Ibid.

Imperatoribus dabantur. Quanquam autem ea ſymbola ſint ſpiritalis poteſtatis, non ea tamen ratione ab his Principibus ſpectabantur. Sapientiſſime vero diſſimulabat Eccleſia eam incogitantiam & alienam conſuetudinem conferendi temporalia Eccleſiæ bona per ſymbola ſpiritalis juriſdictionis. Diſſimulabat, inquam conſultiſſime, Eccleſia, quod illi Principes puriſſimo flagrantes Eccleſiæ zelo, & diſciplinæ purioris amore, utiles præficiebant Eccleſiis Paſtores, & gratis præficiebant. At ubi non multo poſt occepere Reges & Imperatores electiones proterere, nundiari Epiſcopatus, Epiſcopos obtrudere ſacro miniſterio impares, ſtatim Pontifices & Epiſcoporum Concilia inſurrexere, & injurioſum jus laicæ inveſtituræ illis extorſere. 12. Prope abeſt a ſimilitudine veri, Pipinum & Carolum Magnum Epiſcopos quandoque nominaſſe, quin & inveſtituras dedidiſſe, quando reſtaurandus fuit Epiſcopatus, & a tumulo excitanda ſanctior Eccleſiæ diſciplina poſt cladem familiæ Clodovæi. Raro illis controverſiam facere Pontifices & Synodi de finibus eorum in rebus ſpiritalibus poteſtatis, quod ea rarius, quod ſanctiſſime uterentur. At ubi eorum ſucceſſores abjecta ea modeſtia & religione eandem poteſtatem uſurparunt; tum enimvero Eccleſia Chriſti toto ſe ſuo armavit zelo ad reſtituendas electiones, & expungendas inveſtituras. Jam diximus apud Willelmum Malmesburienſem his conſentanee philoſophari Gregorium VI. Papam de inveſtituris patientiſſime primo toleratis, poſtea pari conſtantia oblitteratis.

II. Epiſcopales tres Eccleſias octoginta jam amplius annis vacantes tribus Epiſcopis conceſſerat Hartuvicus Hamburgenſis Archiepiſcopus, propterea quod Salvi penitus omnes a Chriſtiana fide deſciviſſent: cum autem Ducis vel Comitis Holſatiæ aſſenſum non prius elicuiſſet, ille Vicelinum Aldemburgi Epiſcopum unum ex illis tribus admittere recuſavit, niſi Epiſcopatus inveſtituram a ſe ſuſciperet. Abnuebat & indignabatur Vicelinus ab alio Epiſcopum, quam ab Imperatore inveſtiri; *Viſum eſt Epiſcopo verbum illud durum, eo quod eſſet præter conſuetudinem. Epiſcopos enim inveſtire ſolius Imperatoriæ majeſtatis eſt.* Hæc Helmodus in Chronico Slavorum (1). Erat vir tum illi, tum Duci amicitia conjunctiſſimus, qui ſuadebat, ut ad Ducis ſe frangerent voluntatem, conſuetudini quidem adverſam, & novam, ſed quæ declinari vix poſſet citra ignes Eccleſiæ ſuæ diſcrimen, eo certe tempore, quo nec Archiepiſcopus poſſet, nec Imperator ferre ſuppetias: denique nihil admodum ex eo rem Eccleſiæ publicam periclitari poſſe, ſi Dux illi in manus Paſtorale pedum inſeriſſet: *Alioqui ſruſtrabitur labor veſter, eo quod nec Cæſar, nec Archiepiſcopus poſſit juvare cauſam veſtram, domine meo obnitente; Deus enim dedit ei univerſam terram hanc. Quid grande requirit a vobis dominus meus, ut accipiat virgulam, & det in manum veſtram, &c.* Bremenſem in civitatem profectus Vicelinus Archiepiſcopum & Capitulum conſulit, cujus reſponſum & tantum non oraculum illud fuit. Non debere Epiſcopos niſi ab Imperatoribus inveſtiri, qui beneficentia & munificentia in Eccleſias ſuas, domini & Patroni jure evaſiſſent Epiſcoporum, quibus & ipſis eadem opera complurium dominia urbium & patrocinia contuliſſent Provinciarum: *Inveſtituræ Pontificum Imperatoriæ tantum dignitati permiſſæ ſunt, quæ ſola excellens, & poſt Deum in filiis hominum præminens, hunc honorem non ſine fœnore multiplici conquiſivit. Neque Imperatores digniſſimi levitate uſi ſunt, ut Epiſcoporum domini crearentur; ſed compenſaverunt noxam hanc ampliſſimis Regni divitiis, quibus Eccleſia copioſius aucta, decentius honeſtata, jam non vile reputet ad modicum ceſſiſſe ſubjectioni, nec erubeſcat uni inclinari, per quam poſſit in multos dominari.*

Ei ſententiæ vehementer aſſenſus eſt tum profecto Vicelinus, ſed ineluctabili neceſſitatis telo compulſus eſt poſtea inveſtituram a Duce ſuſcipere, non alias paſſuro ut res Epiſcopatus temporales in poteſtate haberet: *Freit quod neceſſitas imperabat, & ſuſcepit Epiſcopatum per virgam de manu Ducis.* Doluit id quidem Archiepiſcopo Hamburgenſi, qui & Vicelinum urgere cœpit, ut aliam ab Imperatore ſuſciperet inveſtituram. Verum non is erat ille, qui Ducis iram & ultionem in ſe accenderet, cui uni Regio illa ſuberat (2): *Ille non conſenſit, ratus iram Ducis implacabiliter accendi; in hac enim terra Ducis auctoritas ſola attenditur.*

Unus enimvero Dux Holſatiæ & regionem armis ſubegerat, perdomitis Barbaris Ethnicique,

(1) Helmodus Chro. Slav. l. 1. c. 63.

(2) Ib. c. 70. 73.

ciſque, & Epiſcopales exædificarat Eccleſias. Pervicit etiam ut aſſentirentur Imperatores, nec moleſte ferrent hominium & clientelaris fidei nexum, quod deinceps Dux obligavit ſibi Epiſcopos, Aldeburgenſem, Ratzemburgenſem & Melkelburgenſem, quorum Eccleſias ampliſſima dote inſtruxerat unde nec ex ſine ejus aſſenſu Paſtoribus donabantur. Trecentas ille terræ *Manſas* præter decimas Epiſcopatui Aldeburgenſi dederat: tandundem addidit Mekelburgenſi (1): *Et facta copulatione obtinuit apud Cæſarem auctoritatem Epiſcopatus ſuſcitare, dare & confirmare in omni terra Slavorum, quam vel ipſe, vel progenitores ſui ſubjugaverint in clypeo ſuo & jure belli. Quamobrem vocavit Aldeburgenſem, Ratisburgenſem, Magnopolitanum, ut reciperent ab eo dignitates ſuas, & applicarentur ei per hominii exhibitionem, ſicut mos eſt fieri Imperatori. Qui licet hanc impoſitionem difficillimam judicarent, ceſſerunt tamen propter eum, qui ſe humiliavit propter nos, & ne novella Eccleſia caperet detrimentum. Et dedit eis Dux privilegia de poſſeſſionibus & de juſtitiis.* Geroldus denique Vicelini ſucceſſor Aldemburgo civitate tum pene everſa, Epiſcopalem ſedem ſuam transferri cnravit Lubecam non paulo populoſiorem, (2), quam & inſtruxit Capitulo duodecim Canonicorum cum Præpoſito ſuo, ne interpellata quidem Imperatoris auctoritate, quod abunde & poteſtas ſufficeret Ducis, & munificentia.

Hinc intelligis, 1. In veſtigia & exempla Caroli Magni ingredi voluiſſe poſteros Imperatores, reſervandis ſibi inveſtituris, hominiis, fidei ſacramentis & ruitionibus Epiſcoporum. 2. Hinc & ſecuritatis & gloriæ non parum accedebat Epiſcopis, quibus etiam ægre perſuadebatur, ut regnum Sacerdotale dedecorarent, inclinarentque Ducum & Comitum imperio. 3. Verum ut ne tenellæ & inter cunas ſuas repenti Eccleſiæ procella aliunde ingrueret, ut tempori & neceſſitati ſerviretur, vel ipſorum exemplo Imperatorum, qui jura ſua quanquam ſubinviti relaxabant, cedebantque quæ retinere non poterant: denique ut viciſſim rependererur aliquid beneficentiſſimæ Ducum pietati, qui contritis Barbaris regionem Chriſto ſubegerant, Eccleſiiſque extructis illuminaverant, quibus poſtremo ſolum nomen aberat Regiæ Majeſtatis; ſtatuerunt Epiſcopi non ſolis Imperatoribus & Regibus ſuam hanc profiteri clientelam.

Quod autem inveſtituris conjungi poſſent electiones, nova rurſus ex eodem Helmodo ſupperunt documenta. Narrat quippe ille, ut electus ſit Geroldus. Abſente Duce Saxoniæ illum Ducilſa propoſuit Capitulo, a quo electus, mox a Duce reduce confirmatus eſt (3): *Epiſcopalis electio domino Duci reſervata eſt. Domina Ductrix Geroldum Capellanum Ducis tranſmiſit, &c. Acceſſit petitio Principis, concordia Cleri, aptitudo perſonæ.* Obſtrepere voluit Hamburgenſis Archiepiſcopus, nec potuit: *Noſtri oſtendere cœperunt, ratum eſſe opus electionis, quam perfeciſſet poſtulatio Principis, concordia Cleri, aptitudo perſonæ.* Monaſticam profeſſionem jamjam amplexaturus erat Geroldus, quando illum Ducilſa compulit Epiſcopalem in Cathedram ſuccedere.

Nunquam Henrico IV. Germaniæ Regi abjudicatæ extortæque ſiſſent inveſtituræ, ſi præire illis paſſus eſſet electiones, ſed liberas, ſeu gratuitas, ſed eorum quorum moribus non ſordeſceret ſanctiſſima dignitas. Id illi certe probro datum eſt a Germaniæ Principibus apud Gregorium VII. Papam (4): *Qualiter omnem in ſtatuendis Epiſcopis canonicæ electionis libertatem adimeret: ponens per violentiam Epiſcopos, quos voluiſſet.* Id ipſum Germaniæ Præſules Imperatori filio ejus exprobarunt ſub Paſchale II. (5). *Meminiſti qualiter Epiſcopatus, Abbatias, & omnia Eccleſiæ regimina feciſti venalia; nec fuit in conſtituendis Epiſcopis ulla legitimæ electionis facultas, ſed ſola pecuniæ ratio.* Poſtremo ne Pontifex quidem ipſe improbabat inveſtituras a Duce Saxoniæ datas, cum Geroldum ipſemet tandem ordinarit, quanquam illud primum detrectaſſet, ut Archiepiſcopo Hamburgenſi blandiretur, cui Metropolitico jure ſuberat Geroldus (6): *Recuſavit cum modeſtia, dicens, libenter ſe facere poſtulata, ſi poſſet fieri ſine injuria Metropolitani.*

Arnoldus Lubecenſis Abbas, Helmodi Chronici Continuator, audiendus & ipſe nobis hic eſt, ubi Abbatis Brunſuicenſis electionem commemorat factam a Canonicis in Epiſcopatum Lubecenſem. Et hic enim

(1) Ib. c. 87. (2) Ib. c. 89. (3) Idem l. 1. c. 79. (4) Ibid. l. 1. c. 28.
(5) Ib. c. 31. (6) Ib. c. 80.

enim quoque Saxoniæ Ducis & conſenſu & inveſtitura opus fuit (1) : *Accipiens a Duce veſtituram Pontificalem*, &c. Præiverat libera electio : *Omnes unanimi conſenſu conveniſſe*. Inveſtituræ hærebat hominium, de quo facile conveniebat, cum Regionis Duces Principatum obtinerent, & beneficentia ſua Eccleſias cumularent, opibus & honoribus. Audi quid tum dixerit recens creatus Epiſcopus Ratzemburgenſis : *Duci Henrico dicebat ſe hominium feciſſe, non tantum propter ejus principatum, ſed quia per eum Eccleſia multum acceſſiſſet, & pacis, & religionis incrementum*.

Indubitatiſſime ab Imperatoribus quoque tum dabantur inveſtituræ. Sed electionum libertati aperte illi ipſi ſuffragabantur. Refertur ab eodem Arnaldo electio Theodorici in Epiſcopum Lubecenſem (2), canonicis inſtitutionibus adprime contentanea, & cui ſolus adverſatus ſit Theodoricus. Ei tamen cum acquieviſſet tandem, ab Imperatore inveſtitus eſt : *accepta Pontificali inveſtitura de manu ipſius* : ſuoque ævo melioris & priſci ævi Epiſcopum repræſentavit, aſſello inveſtus in ſolemni pompa ſui primum in Civitatem & Eccleſiam ſuam adventus.

Nulli non ſane tunc exploratiſſimum erat, inveſtitura a Principibus data non dari niſi Eccleſiæ temporalia. Unde & eo tempore quo ſeceſſione Principum Electorum facta, de Imperio certabatur inter Philippum Sabaudiæ & Otthonem Saxoniæ Ducem, Moguntina Eccleſia in duos Competitores ſciſſa, cui Philippus favebat, is rebus temporalibus potiebatur : *Ille Imperialia a Philippo tenens, civitatibus & caſtris militari manu longe lateque prævalebat*. Cui autem Clerus & Papa ſuffragabantur, is ſpiritali potestate tota gaudebat (3) : *Ille ſpiritalibus confirmatus, ſibi ſubditos quiete regebat*.

Sed non ſemper intra has fobrietatis, & temperantiæ metas cohibuit ſe Principum poteſtas, ut a Guillelmo Tyrio animadverſum eſt. Mos enim poſt irrepſit, ut mortuo Præſule annulus ejus & pedum mox ad Imperatorem perferrentur, ut quos vellet, his donaret, non expectata canonica electione (4) : *Inoleverat conſuetudo, præſertim in Imperio, quod defungentibus Eccleſiarum Prælatis, annulus & virga paſtoralis ad dominum Imperatorem dirigebantur. Unde poſtmodum unum quemlibet de familiaribus & Capellanis ſuis inveſtiens, ad Eccleſiam vacantem dirigebat, ut ibi Paſtorali fungeretur officio, non expectata Cleri electione*. Eo denique compulſi ſunt Romani Pontifices, ut accingerent ſe ad inveſtituras proſcribendas, ut mox dicemus.

III. Scripſit quidem Gregorius VII. ad Imperatorem Henricum, (5) priorum ut virorum conſilio Epiſcopum Eccleſiæ Bambergenſi daret : *Religioſorum virorum conſilio eadem Eccleſia ordinetur*. Sed cum eodem ipſo tempore litteras dederit ea de re ad Archiepiſcopum Moguntinum, ad Clerum & ad Populum Bambergenſem, perſpicuum hinc eſt, ad electionem ex mente Gregorii conſpirare debuiſſe Regem, Archiepiſcopum, Clerum, Populumque. Cum aliquanto poſt tempore ab eodem Pontifice Germaniæ Rex Henricus diro anathemate illaqueatus fuiſſet, veritumque eſſet ne a laicis deinceps Principibus inveſtituræ Epiſcopatuum ſuſciperentur, vehementer ille doluit, excanduitque, quod Cameracenſis Epiſcopus, quanquam præeunte electione Canonica, ab eodem Henrico inveſtiri ſe paſſus eſſet (6) : *Non denegans poſt factam Cleri & Populi electionem, donum Epiſcopatus ab Henrico Rege ſe accepiſſe*. Detumuit tamen Pontificis indignatio, ubi reſcivit, Cameracenſi Epiſcopo illam nec excommunicationem fuiſſe compertam, nec inveſtituræ Laicæ prohibitionem.

Quandiu ergo toleratæ fuere inveſtituræ, præcurrere debebat electio Canonica. Id rurſus nos docet Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi (7), ubi narrat ab Henrico Rege Germaniæ miſſos Oratores ad Concilium Romanum anno 1074. ut prohiberent ordinari a Papa Epiſcopos, qui poſt electionem ſuam Regia manu inveſtiti non eſſent : *Ne contra morem præceſſorum ſuorum Dominus Papa eos conſecrare vellet, qui Epiſcopatus electionem ſolam, non autem donum per regiam acceperant inveſtituram*. Infractæ conſtantiæ Pontifex nihilominus inveſtituras in eodem Concilio damnavit, eamque ſententiam ſuam communivit Canonibus Conciliorum Generalium VII. & VIII. Conſtantinopoli habitorum,

(1) L. 2. c. 13. Ib. c. 22.
(2) L. 3. c. 13.
(3) L. 4 c. 2.
(4) L. 2. c. 13.
(5) L. 3. Ep. 3.
(6) L. 4. Ep. 22.
(7) Bib. MM. SS. Lab. t. 1. p. 199.

torum, quibus hactenus Occidentalis Eccleſia minus obſequebatur. Unde & idem Scriptor ibidem teſtatum facit, tunc a Gregorio demum reſtitutam electionibus lucem & liberratem. Quod nempe prius inveſtiturarumſpecie in illis aperta vis grallaretur: *Per hanc occaſionem ſub Papatu Gregorii multis retro annis obnubilata electionis Eccleſiaſticæ ſplenduit veritas. Viderint igitur viri cordati, quid juris Imperatoribus, Regibus & Principibus in electione Pontificis reſervetur.*

Quod celebratum eſt anno 1080. Romanum Concilium, ubi & idem Pontifex rem iſtam, ut ita dicam, profligavit, perfecitque, ea habet, ex quibus Epiſcopalium electionum arcana retegamus, ut tunc res gerebantur (1): *Defuncto Paſtore alicujus Eccleſiæ, inſtantia viſitatoris Epiſcopi, qui ei ab Apoſtolica vel Metropolitana ſede directus eſt, Clerus & populus remota omni ſæculari ambitione, timore atque gratia, Apoſtolicæ Sedis vel Metropolitani ſui conſenſu Paſtorem ſibi ſecundum Deum eligat. Electionis vero poteſtas omnis in deliberatione Sedis Apoſtolicæ ſive Metropolitani ſui conſiſtat.* Ubi planum eſt, quanquam Clerus & populus pleniſſima pro ſuo modulo libertate fruerentur ſuffragiorum, eminuiſſe tamen mirandum in modum Metropolitani poteſtatem, quod omnium arbiter ipſe & judex eſſet cum Epiſcopis Provinciæ.

Poſt illa duo Concilia Romana ſub Gregorio VII. anno 1078. & 1080. ubi inveſtituræ prohibitæ ſunt, damnatis & Epiſcopis qui ſuſcipiebant, & Principibus, qui dabant manu laica ſacræ poteſtatis inſignia: quo non aliud quam executioni mandabatur Canon. II. & XXII. Concil. VIII. quibus & Canon Apoſtolicus prælucebat. Idem ipſum Decretum confirmatum fuit a Victore III. anno 1087. & ab Urbano II. anno 1095. in Concilio Claromontano (2): *Interdictum eſt ne Reges vel alii Principes aliquam inveſtituram de Eccleſiaſticis honoribus faciant.* Cum in Galliis habitum ſit hoc Concilium, hinc probabile fit, Francos Reges ceteris Chriſtianis Principibus præiſſe in ejurandis inveſtituris, quas & ipſi aliquando ſaltem dediſſent (3): *Regi præſentatus, & inde cum virga paſtorali a Rege mihi intruſa, ad Eccleſiam Carnotenſem adductus.* Verba ea ſunt Epiſtolæ Ivonis Carnotenſis Epiſcopi, quo deinceps non alius perſpicacior aut diſertior fuit in excuſandis inveſtituris, ſi qua illis excuſatio reliqua facta fuiſſet per Germanos Imperatores, tam immaniter iis abutentes.

Iis Galliæ Reges ut modeſtiſſime utebantur, ita & facillime abſtinendum ſibi imperarunt. Inde nimirum Paſchalis II. in Gallias, tanquam in tutiſſimum ſe ſubduxit portum, adverſus Henrici V. Imperatoris infeſtationes, qui vi expugnare nitebatur novam in ipſa urbe Roma inveſtiturarum conceſſionem. Non ſeceſſiſſet Pontifex in Gallias, ſi Regem Ludovicum Craſſum ſenſiſſet earundem inveſtituram cupidum & tenacem. Ex Comite Flandriæ poterit aliquid conjecturæ duci. Gratulatus eſt enim per litteras Anſelmus Comitiſſæ Flandriæ, quod Comes Flandriæ conjux ejus inveſtiendis Abbatibus abſtineret: *Nullam manu ſua daret inveſtituram.* Voluit Anſelmus certiorem ſe fieri (4), idque per litteras a Paſchali Papa datas conſecutus eſt, nunquam conſenſuros in inveſtituras Romanos Pontifices. Dedit & ipſe tandem congratulatorias ad Comitem Flandriæ litteras ejuſdem argumenti, quod inveſtitutis nuntium remiſiſſet.

Anno 1107. Catalauni Pontificem convenerunt Legati Imperatoris præſente Galliæ Rege Ludovico Craſſo. Principem inter Legatos locum qui tenebat Archiepiſcopus Trevirenſis, id moris priſci fuiſſe coteſtatus eſt, ut electio non ante publicaretur, quam ad Imperatorem relata fuiſſet: ut ubi eam probaſſet Imperator, tum a Clero, populo & Nobilibus publica fieret electio & canonica; tum accederet electus ad Imperatorem, temporali Eccleſiæ ditione ab eo inveſtiendus per annulum & virgam, eique ſacramentum fidei præſtiturus: cum æquiſſimum ſit his ſubjectionis argumentis revereri eum, cujus beneficio obtineantur caſtra, urbes, & Imperii Provinciæ variæ, & in confiniis etiam poſitæ. Decerpta ſunt hæc ex Abbate Sugerio, qui audiendus jam ipſe nobis eſt (5): *Temporibus Anteceſſorum noſtrorum, Sanctorum & Apoſtolicorum virorum, Magni Gregorii & aliorum, hoc ad jus Imperii pertinere dignoſcitur, ut in omni electione hic ordo ſervetur: Antequam electio in palam proferatur,*

(1) Can. 6. (2) Can. 16. (3) Epiſt. 8.
(4) Anſelm. L. 3. Ep. 59. 73. 74. 88. 140. 152. 153. L. 4. Ep. 3.
(5) Suger. in vita Ludovici Craſſi p. 289. Du-Cheſne t. 4.

tur, ad aures domini Imperatoris proferre, & si persona deceat, assensum ab eo ante factam electionem assumere, deinde in conventu secundum Canones, petitione populi, electione Cleri, assensu honoratorum proferre: consecratum libere, nec simoniace ad dominum Imperatorem pro regalibus, ut annulo & virga investiatur, redire, fidelitatem & hominium facere. Nec mirum. Etenim Civitates & Castella, Marchias & Telonea, & quaque Imperatoriæ dignitatis nullo modo aliter debere occupare.

Pontificis nomine responsum est ab Episcopo Placentino: Conclamatum esse Ecclesiæ libertatem, illam quam suo illi Christus consignavit sanguine, si a versatili Imperatoris voluntate penderent electiones: *Si Ecclesia eo inconsulto Pralatum eligere non posset, cassata Christi morte ei serviliter subjacere:* Manus suas Imperatorem sacrilego ausu temerare, si investiret per annulum & virgam, quæ pignora sunt spiritalis potestatis: *Si virga & annulo investiatur, cum ad altaria ejusmodi pertineant, contra Deum ipsum usurpare.* Ea responsione Principes Germani exulcerati sunt, tam immerito, ut innuit Sugerius Abbas, quam merito Galli in illos succensebant: *Cum hæc cervicosi audissent Legati, Teutonico impetu frendentes tumultuabant, &c.*

Cum ait Eadmerus in limine ipso Historiæ suæ Novæ: Reges Angliæ omnes Neustriæ Ducum gentis, investitura donasse Episcopatus & Abbatias omnes ad Anselmi usque tempora, præter duos Episcopos Roffenses, quos investierat Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus, peculiari jure ejus Ecclesiæ: vel eo uno Scriptor ille designat, quam profana esset investitura, quam consecratori Episcopo cum Canones vendicarent, laica manus traderet. Redeo ad Germaniam.

Cum non processisset ea congressio Pontificis Imperatoriis Legatis: cumque præferret Imperator cessurum se investituris, si modo Præsules quoque cederent feudis & dominiis, quæ beneficio Imperatorum obtinuerant: ei conditioni assensus est Papa, Romæque Imperatorem investituras ita ejurantem, Imperii diademate cæterisque insignibus exornavit. Audi ut rem ediderat Chronicum Cassinense (1): *Convenit, ut Imperator die coronationis sue omne male usurpatum Ecclesiasticum jus, astante Clero & populo, per scriptum deponeret, cum id Thomas. Tom. V.*

ipsum Papa de negotiis Regalibus faceret, idque sacramento firmaret; dimitteret Ecclesias cum oblationibus & possessionibus suis, quæ ad regnum non pertinent. Prolixius rem executus est Pontifex in Epistola, quam ea de re ad Imperatorem exaravit, in qua & illud expressius confirmavit, Præsules Imperatori resignaturos, quidquid Imperatorii juris erat, temporibus Caroli Magni, Ludovici, Othonis & successorum: ac vicissim Imperatorem nunquam se electionibus interpositurum, quod in se dum coronaretur receperat (2): *Sicut in die coronationis tuæ omnè potenti Domino in conspectu totius Ecclesiæ promisisti.*

Compendiosissima fuisset Imperatoribus ea concordia, si investituras cohibuissent, ut vere cohiberi debuerant, in exteriori quadam formula & pompa, investiendi de feudis & beneficiis Imperii, inserto in digitos annulo, pedo pastorali in manus Præsulum. Hoc imaginario honore sese exuentes, recuperassent, sceptroque suo redintegrassent innumera prædia & dominia. Verum manifestissime tunc demonstratum est ab Imperatore, quam non ea tantum umbratica honoris pompa inescati antecessores sui, tandin de investituris decertassent: sed quam vere obtentu investiturarum vendicassent sibi Ecclesias omnes, Episcopales & Abbatiales, quas pro arbitrio darent, quarum vacantium reditus involarent, quas quandiu libere vacare sinerent, atque ita ditioni suæ adscerent, non prædia tantum & dominia feudalia Imperii, sed & quidquid præterea agrorum opumque privatorum munificentia in Ecclesias illas collatum esset.

Non alia certe contemplatione potuit idem mox Imperator ab eo fœdere, quod inisset, resilire, tyrannicam vim inferre Pontifici, & ab eo denique contumeliosissime habito novam extorquere investiturarum concessionem. In eo privilegio, quod vix tandem extundi sibi passus est Pontifex, quo ipse Cleruſque suus carcere & vinculis eximeretur, incolumes tamen & integras pacisebatur electiones servatum iri: ut testatum ipse fecit litteris ad Guidonem Viennensem Episcopum datis (3): *Ut electione libera facta sine vi & simonia, consensu Regis, facultatem habeat Rex investiendi per virgam & annulum, & electus a Clero & populo non consecretur, nisi a Rege investiatur.* Id ipsum constat ex ipsis Privilegii verbis, quod histo-

(1) L. 4. c. 37. Ann. 1110. (2) Ep. 24. (3) Ep 24.

riæ ſuæ intexuit Willelmus Malmesburienſis (1). Hoc illud eſt quod pro Privilegio *Pravilegium* appellitarunt, quodque idem ipſe Papa damnavit in Concilio Romano anni 1112. Linguis calamiſque certatum eſt, an ea hæreſis dicenda eſſet. Diximus ſupra quam rationem ſecutus ſit Ivo. Illum enim cenſuimus mediam tenuiſſe viam, & pulcherrimo rem temperamento tractaſſe. Ceterum ſi minus auſpicata fuere Paſchalis cum Germanis certamina, felicius illi ceſſit res, non in Gallia ſolum, ſed & in Anglia, a qua profligatas omnino fuiſſe inveſtituras narrat Eadmerus in Hiſtoria nova, quam ita concludit: *Præſente Anſelmo, aſtante multitudine, annuit Rex, & ſtatuit, ut ab eo tempore in reliquum nunquam per dationem baculi Paſtoralis, vel annuli, quiſquam Epiſcopatu, vel Abbatia per Regem, vel quamlibet laicam manum inveſtiretur in Anglia.*

IV. Paſchali II. ſucceſſit Gelaſius II. el Caliſtus II. qui anno 1119. Concilium Remis coegit, cui & Ludovicus Craſſus Rex affuit. Ibi porro conſtitutum eſt, ut liberæ poſthac eſſent electiones Præſulum & conſecrationes; inveſtitura per annulum & baculum daretur ab Epiſcopo conſecratore: *Ut per inveſtituram Paſtoralis virgæ & annuli, per oſtium, id eſt, Chriſtum ingrediantur:* nec poſthac Laici inveſtituris dandis ſe interponerent: *Et inveſtituram rerum Eccleſiaſticarum nihil omnino ſibi laicalis exigat perſona.* A Rogerio id narratur, qui & addit Henricum Imperatorem, qui non procul aberat, ceteris Concilii Decretis annuiſſe, ab iſto de inveſtituris vehementer abhorruiſſe, atque a Concilio demum anathemate confixum eſſe. Hinc rurſus firmantur, quæ ſupra ſemel & iterum diximus de Galliæ Regum abſtinentia facillima ab inveſtituris, ut quas nunquam aut raro opprimendis electionibus prætexuiſſent.

His aſſo, qui ei Concilio affuit, multa addit, quæ multum juvet obſervaſſe. Ait enim initio damnatas univerſim eſſe a Pontifice inveſtituras quaslibet rerum ſacrarum, manu laica factas. Tum vero Laicos Clericoſque longe plurimos inſurrexiſſe, contumaciter repugnaſſe, & tumultuatos eſſe uſque adeo dum adveſperaſceret, veritos nimirum ne Decimæ infeudatæ periclitarentur: ut compulſus fuerit Pontifex ad mitiora ſe reflectere conſilia, & poſtera die pronuntiare damnatas a ſe non fuiſſe niſi Epiſcopatuum & Abbatiarum inveſtituras: *Inveſtituram Epiſcopatuum & Abbatiarum per manum laicam fieri omnimodis prohibemus.* Conſultiſſimum id fuit temperamentum: *Decretum illud unde murmuratum fuerat, ſaniori conſilio temperavit*, ut ait idem Scriptor, qui rerum ſe oculatum teſtem fuiſſe profitetur, quas ſcripſerit: *Quod vidi & audivi, ſcripſi.* Nec eo uno caritatis & indulgentiæ documento idem Pontifex pacem Eccleſiæ reddere tentavit.

Rurſus enim Romæ congregato Lateranenſi Concilio anno 1122. ſedata ſunt prorſus diuturna hæc Sacerdotii & Imperii diſſidia; annuente Pontifice. 1. Ut in Germania electiones Imperatore præſente celebrarentur, citra vim, citra ſimoniam. 2. Si diſſenſiones exorirentur in electionibus, eas ipſe pacarer, adhibito in conſilium Metropolitano cum Epiſcopis Provinciæ. 3. Daret inveſtituras feudorum tantum Imperii Epiſcopis & Abbatibus, non jam per baculum & annulum ſacrum, ſed per ſuum ipſius ſceptrum. 4. Epiſcopi jura & officia feudorum illi exſolverent. 5. Extra Germaniam electi Epiſcopi conſecrarentur primum, atque intra ſex menſes ei ſe ſiſterent inveſtiendi. Decretum hujuſmodi exſcripſit Ottho Friſingenſis Epiſcopus, nos ex eo hic aſcribemus (2): *Concedo electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici regni, quæ ad regnum pertinent, in præſentia tua fieri, abſque ſimonia & aliqua violentia. Ut ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & Provincialium conſilio & judicio, ſaniori parti auxilium & aſſenſum præbeas, Electus autem Regalia per ſceptrum a te recipiat, exceptis omnibus quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur. Et quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperii conſecratus infra ſex menſes Regalia per ſceptrum a te recipiat.*

Viciſſim ſpopondit Imperator abſolutiſſime liberas fore electiones & conſecrationes, nec Præſulum quenquam annulo & baculo ſacro poſthac a ſe inveſtitum iri: *Dimitto Deo & Eccleſiæ inveſtituram omnem per annulum & baculum, & concedo in omnibus Eccleſiis, quæ in Regno vel Imperio meo ſunt, canonicam fieri electionem, & liberam conſecrationem.* Ex quo rurſum liquet reſtituendæ electionum libertati tandiu certaſſe Eccleſiam, quæ inveſtiturarum

(1) Malmesb. l. 5. de Geſt. Reg. Angl. (2) Chron. l. 7. c. 46.

ram obtentu penitus obtritæ fuerant.

V. Eo temperamento in auctoritatem recepto, Pontificique & Synodo approbate, investituris uſi ſunt Galliæ Reges, ad Eccleſiæ has leges accommodatis, ut docet Bernardus (1), ubi de Epiſcopo electo hæc habet: *Feſtinavit ad Regem, Regalium inveſtituram accepit.* Nec ſceptro tamen forſan, ſed reſcripto Regio inveſtiebantur, quod videtur adnotaſſe Ivo Carnotenſis (2): *Inveſtire manu, unctu, lingua.*

VI. Redeo ad Germaniam, ubi Imperator concordiam cum Pontifice initam confirmavit in Conventibus Virtsburgenſi, Vormacienſi, & Bambergenſi, ut legere eſt in hiſtoria Abbatis Uſpergenſis & Willelmi Malmesburienſis. Commemorat porro Scriptor vitæ S. Bernardi Claravallenſis Abbatis, ut anno 1131. Lotharius Germaniæ Rex apud Leodienſem civitatem, quo maximo potuit honore & cultu veneratus Innocentium II. inſtare rurſum cœperit quo ſibi reſtitueretur inveſtituræ. Non facile extricaſſet ſe Pontifex hoc diſcrimine, ut qui Anacleti Antipapæ inſeſtatione in ſummas jam adductus eſſet angustias, niſi Bernardus ſingulari quadam & divina prope eloquentia Lotharium a propoſito deterruiſſet (3): *Nec conſilium ſuppetebat, donec murum ſe oppoſuit ſanctus Abbas. Audaciter enim reſiſtens Regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compeſcuit.*

VII. Nec diuturna Imperii & Sacerdotii pax illa fuit. Cum enim Magdeburgenſis vacaret Eccleſia, & Capituli vota Præpoſitum inter & Decanum ejuſdem Eccleſiæ fluctuarent, ſuaſit Fridericus Rex, ad quem confugerant, Decani ſectatoribus, ut in Guicmannum Epiſcopum ſuffragia ſua conferrent, quem & mox inveſtivit: *Eique accerſito Regalia ejuſdem Eccleſiæ conceſſit*, ut ait Otho Friſingenſis Epiſcopus, Fridrici Regis conſanguineus. Quo conſanguinitatis nexu videri poteſt Otho in Fridericum tuendum propenſior, ubi ait, Aulicis omnibus perſuaſiſſimum fuiſſe, fœdere illo inter Callixtum II. & Henricum V. inito convenille, ubi ſcinderentur ſuffragia, Principum ſuorum adhibito conſilio judicem fore Imperatorem: *Tradit enim Curia, & ab Eccleſia eo tempore, quo ſub Henrico V. de inveſtitura Epiſcoporum deciſa fuit inter Regnum & Sacerdotium controverſia, ſibi conceſſum autumat, quod obeuntibus Epiſcopis ſi forte in eligendo partes ſiant, Principis arbitrii eſſe, Epiſcopum quem voluerit, ex Primatum ſuorum conſilio ponere; nec electum aliquem ante conſecrandum, quam ab ipſius manu Regalia per ſceptrum ſuſcipiat.*

Ad Guicmannum Epiſcopum & Fridericum Germaniæ Regem revocanda oratio eſt. Scripſit Eugenius III. ad Epiſcopos Germaniæ, reniti eos debuiſſe, ne ea canonicis regulis contumelia aſperge retur, & ne Epiſcopus ex Eccleſia una transferretur in aliam (4), maxime *Clero nolente, immo ut dicitur, magna ex parte reclamante.* Paucis poſt annis Capitulo ſimiliter Colonienſi in duos æmulos vota ſua partiente, Fridericus ad quem relatum fuerat, *conſilio & judicio Epiſcoporum aliorumque Principum*, auditis partibus litem diremit. Illud poſtea multo audacius, & hinc tamen profectum, cum idem Fridericus I. Eccleſia ſimiliter Romana inter duos competitores diſſidente & alternante, ſuarum eſſe partium duxit, ut Concilium congregaret, & litem dirimeret. Redeo ad Germaniam.

Vigebant in ea electiones: ſed ex ea quam Callixtus II. Imperatoribus conceſſerat facultate rei dijudicandæ, ubi eſſent aliquæ diſſenſiones, quæ erant utique frequentiſſimæ, diſſenſiones aliæ emergebant difficiliores. Alterum profero nunc exemplum. Trevirenſes Canonici, alii in Volmarum, alii in Rodulphum ſuffragia ſua contulerant. Prior ille ad Pontificem retulit, a quo ejus electio canonica pronuntiata eſt; poſterior ad Imperatorem, qui cauſam ei adjudicavit, contendens in ea diſſidii cauſa ſuas eſſe jactitandi partes: *Apoſtolicus affirmabat partem Volmari, propter canonicam electionem: Imperator pro Rodulphio erat, propter electionis diſſenſionem.* Ita Arnoldus Lubecenſis, qui addit, poſſeſſionem Archiepiſcopatus ex ſententia Imperatoris adjudicatam fuiſſe; qui rurſus ſimultates cum Urbano III. ſuſcepit, ex occaſione Regaliæ vacantium Eccleſiarum. Cum autem in Italiam profectus eſſet, a filio ejus contumelioſiſſime exceptum idem narrat fuiſſe Epiſcopum, qui ingenue profeſſus eſſet, ſe nonniſi a Pontifice inveſtitu-

(1) Epiſt. 364. (2) Epiſt. 60. (3) Baron. an. 1131. n. 7.
(4) Baron. ann. 1152. n. 7. Otho Friſing. L. 2. c. 6. Id. l. 2. c. 31. 32. Rad. l. 2. c. 54. 55. 56.

ſtitoram accepiſſe Epiſcopatus, quod nihil omnino haberet feudorum Regalium (1) : *A quo Pontificalem inveſtituram ſuſcepiſti? A Papa. Nihil de Regalibus poſſideo, nec miniſteriales, nec curtes Regias habeo, idcirco de manibus domini Papæ Prærochiam, cui præſum, teneo.*

Fridericus vero uſque adeo vacantium Eccleſiarum fructibus abſtinebat, aut prioribus uſurpationibus ſuis quibusliber, ut ex adverſo defenſoribus libertatum Eccleſiæ, uri probrum objecerit, quod reſtitutis electionibus jam Præſules Germaniæ multo obſcurioris eſſent & peritiæ & ſanctimoniæ, quam cum ante ab Imperatoribus nominarentur. Quod argumento rurſus eſt Germanicas inveſtituras labefactandis electionibus prætextas ſemper fuiſſe.

VIII. Omnium auſpicatiſſime Innocentius III. in ea incidit tempora, quibus Imperatores facile compulerit, ut eo decederent conſentiendi jure, quo hactenus niſi fuerant in electionibus, & quo via pandebatur innumeris moleſtiſſimiſque Imperii & Sacerdotii diſſenſionibus. Cum enim de Imperio decertarent Philippus Sueviæ, & Otthо Saxoniæ Duces, qui partitis elipentium ſtudiis electi fuerant, non adjunxit ille ſe ad Otthonis partes tuendas anno 1209. niſi poſtquam ab eo expreſſit hujus conſenſus abdicationem. En ipſiſſimæ verba (2) : *Illum volentes abolere abuſum, quem quidam prædeceſſorum noſtrorum exercuiſſe dicuntur in electionibus Prælatorum, concedimus & ſancimus, ut electiones Prælatorum libere & canonice fiant, quatenus ille præficiatur Eccleſiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major & ſanior pars ipſius duxerit eligendum, dummodo nihil ei obſtet de canonicis inſtitutis.* Ita duplex ea abdicabatur poteſtas, & aſſentiendi electionibus, quæ concordes fuiſſent, & dijudicandæ litis, ubi controverſæ. Ubi Fridericus poſtea II. electus eſt Rex Romanorum, anno 1213. quo Pontificem eundem ſuis partibus conciliaret, eadem ſe ſponſione obligavit, & iiſdem verbis (3).

Iſta ergo fuit in Germania electionum pleniſſima libertas. Ad Pontificem recurrebatur, ubi poſtulationes, vel neceſſariæ diſpenſationes ita cogebant, ut ex Gregorii IX. litteris patet (4). Cum in manus Clementis IV. Papæ Eccleſiam ſuam reſignaſſet Archiepiſcopus Salisburgenſis, quod ætas ingravelcens, quod frequens etiam ægritudo non ſineret Epiſcopali amplius fungi officio; Clemens eum Archiepiſcopatum Præpoſito Viennenſi contulit (5), vetito ante Capitulo, ne ad eligendum pergeret. Erant ergo uſitatiſſimæ electiones, extraordinariæ & rariores Pontificiæ nominationes.

Rodulphus ubi primum ad Imperii clavum acceſſit, quem & deinde ad clariſſimam Auſtriacam gentem ſuam tranſtuliſſet (6), Gregorio X. Papæ anno 1275. recepit in fe & ſpopondit illud ipſum, quod ante Otthо IV. & Fridericus II. Cum exinde eodem ipſo tempore renuntiaverint iidem Auſtriacæ profapiæ Imperatores jure Regaliæ, ut nec jam neceſſe eſſet, ut res Eccleſiæ temporales electis redderent, minime neceſſarius quoque fuit eorum deinceps conſenſus.

IX. Veſtigari facilius potuit finis, quam initium inveſtiturarum. Eo quidem privilegio quod Paſchali II. expugnatum eſt, illo jure profitebatur ipſe Prædeceſſoribus ſuis fuiſſe donatos priores Imperatores (7): *Illam igitur dignitatis prærogativam, quam prædeceſſores noſtri veſtris Catholicis prædeceſſoribus Imperatoribus conceſſerunt, nos quoque dilectioni tuæ concedimus, &c.* Sed vel ea ipſa confeſſio, peræque ut privilegium Pontificî tyrannica vi extorquebatur. Nec enim uſquam vel probatio, vel memoria Pontificiæ hujus conceſſionis. Perdiu quidem ante Gregorium VII. Imperatores Otthones & Henrici in Germania, Reges Italiæ, Galliæ & Angliæ, per baculum Præſules inveſtiebant: at quandin eo jure & ritu Reges longe ſanctiſſimi utebantur, Præſulibus ſanctitate & eruditione ſacra florentiſſimis, non religio hinc, non ſcrupulus ullus injiciebatur. Robertus Franciæ Rex, Eduardus Angliæ, Otthones, & Henrici Germaniæ tam religioſæ utebantur ea poteſtate, ut ſilentio ſaltem ſuo inbens acquieſceret Eccleſia. Tam profunda ex bellorum & calamitatum voragine enatabat Eccleſia, ob Caroliнæ Regiæ ſtirpis excidium, ut nihil rei Chriſtianæ conducibilius eſſet, quam illos roborare Principes & fulcire, per quos roborabatur ipſa, & convalelcebat. Electionibus nihil officiebant inveſtituræ horum Imperatorum. Novum propono exem-

(1) Baron. an. 1185. n. 3. 1186. n. 3. & ſeqq.
(2) Rainald. ann. 1209. n. 10.
(3) Id. an. 1213. n. 23.
(4) Ep. 15.
(5) Epiſt. 2.
(6) Rainald. ann. 1275. n. 38.
(7) Malmesb. l. 5. de geſt. Reg. Angl.

plum in Lieberto Cameracenſi Epiſcopo, (1) qui a Clero populoque electus, Henrico III. Imperatori anno 1050. præſentatus eſt, ab ipſo rurſus & Principibus ejus electus, tertio denique ab Archiepiſcopo Remenſi & Provinciæ ejus Epiſcopis electus fuit.

Cum Pontifex ipſe Leo IX. ſucceſſorem ſibi deſignaſſet in Epiſcopatu Tullenſi, quem ante ſummum Pontificatum adminiſtrarat, ad Imperatorem illum ablegavit, ut ejus aſſenſu confirmaretur. Qui vero potuiſſent Imperatoribus Pontifices de eo uſu controverſiam facere, ſi in creatione ipſa Romanorum Pontificum illos ea ipſa inſtruxerant facultate? Id non diſſimulat Petrus Damiani, cum in eo libello, ſive Dialogo, quem conſcripſit de hoc ipſo argumento, altero hinc Pontifici, altero hinc Imperatoris cauſæ patrocinante, Advocatum Regium inducat, aſſeverantiſſime confirmantem, a Romanis Henricum III. Imperatorem creatum eſſe Patricium Romanorum, & ea poteſtate donatum, ut primaria ſemper auctoritate eſſet in creatione Pontificum: denique a Nicolao II. eandem poteſtatem filio ejus confirmatam, curatumque, ut & in Concilio confirmaretur (2): *Henricus Imperator factus eſt Patricius Romanorum, aquibus etiam accepit in electione ſemper ordinandi Pontificis principatum. Huc accedit quod præſtantius eſt, quia Nicolaus Papa hoc domino meo Regi privilegium, quod ex paterno jam jure ſuſceperat, præbuit, & per Synodalis inſuper Decreti paginam roboravit.*

Præſidere & principem auctoritatis locum obtinere in Romani Pontificis electione amplius quid & admirabilius eſt, quam Epiſcopatuum inveſtitoras dare. Is tamen qui & ſapientiæ laude & Eccleſiaſticæ expurgandæ diſciplinæ ſtudio præcipuus erat, id neceſſarium exiſtimavit fore præſidium, ad arcendas, vel comprimendas barrunciorum molitiones, qui electiones Pontificum jamdiu diſturbabant. Henricus pater ea poteſtate uſus eſt ita temperanter, ut tam inauditi privilegii a ſe conceſſi Eccleſiam tum non pœnituerit. At Henricus filius tam impudenter eo jure uſus eſt, ut eo excutiendus neceſſario fuerit, quo in ſuam & Eccleſiæ ignominiam ac perniciem abuſebatur.

Nec aliter inveſtituræ revocatæ fuere, quam quod iis abuterentur ii, quorum majoribus illæ non ex privilegio conceſſæ, ſed uſurpatæ, & in necdum abutentibus tolerataæ fuerant. Quanquam enim minime malitioſa fuiſſet ea primum inveſtituraram uſurpatio, minus advertentibus tum ſeu Principibus temporalibus, ſeu Præſulibus Eccleſiæ, quid præpoſterum in illis, quid obliquum eſſet; erat tamen res ipſa per ſeſe & honori ac libertati Eccleſiæ ejuſque ſanctiſſimis legibus inimica: ut a terreno Principe acciperet in Aula Antiſtes, quod non poſſet niſi in templo, & inter ſacra Myſteria a Conſecratore ſuo. Ideo & Gregorius VII. & Urbanus II. & Paſchalis II. qui diutius invictiuſque adverſus inveſtituras certarunt, ne memoraverunt quidem, vel in Epiſtolis ſuis, vel in Conciliis, privilegium unquam ullum, aut Canonem, quo ea ad tempus permitterentur: ſed abuſum tantum rei ſacræ perſpicuum, & Eccleſiaſticarum legum conculcationem.

X. Illud arcanæ Numinis Providentiæ non poſſumus non magnopere mirari conſilium, quod cum in Germania electiones & audacius fuerint & diutius oppugnatæ: ea ipſa nunc ſit earum retinentiſſima, & una propemodum Chriſtiani Orbis Provincia, in qua adhuc vigeant. Nec illud forſan minus ſtupendum, quod ut prius Romani Pontifices invictiſſima conſtantia fregerunt contumaciam Principum Germanorum electiones impugnantium: poſt Germani Principes ſtrenue certarint, ut Concordata ſibi ſua ad tuendas electiones conſederentur a Pontificibus, adverſus Pontificias maxime reſervationes.

XI. Edita ſunt hæc Germanica Concordata anno Chriſti 1448. inter Nicolaum V. Papam, & Fridericum III. Imperatorem, ſeu Nationem Germanam. Illis Pontifex integra ſibi ſervat Beneficia omnia morientium in Curia, vel duabus non longius diztis: omnium ſimiliter Cardinalium, vel Officialium & Miniſtrorum Curiæ Romanæ, quocunque obeant loco. Electio canonica celebranda eſt in Eccleſiis omnibus Epiſcopalibus & Abbatialibus. Quoad alia Beneficia, ſex Pontifici alternatim menſes tribuuntur, initio ducto a menſe Januario: ita certe, ut ſi tertio poſt menſe quam vacare cœpit Beneficium, non innoteſcat Pontificia proviſio, ad Ordinarium ea revolvatur, annatæ Epiſcopatuum & Abbatiarum

Apo-

(1) Spicil. t. 9. p. 684. & ſeq.

(2) Petr. Damian. Opuſc. 4.

Apoſtolicæ Sedi exſolvuntur.

Summa quidem ea capita ſunt Germanici Concordati. Sed enarrandæ omnino hic ſunt Reſervationes aliæ, quæ in eo confirmantur, præter ſuperiores duas. Hoc eſt, 1. Præter Beneficia quæ vacant in Curia, vel duabus prope diætis: 2. & præter Beneficia Cardinalium, & Officialium Papæ, quocunque loco obeant. 3. Reſervantur & Papæ Beneficia quæcunque vacarint, depoſitione, privatione, translatione, quæ fiat per auctoritatem Sedis Apoſtolicæ. 4. Eorum etiam quorum reſciſſa fuerit electio, aut recuſata poſtulatio, aut admiſſa per Pontificem reſignatio. 5. Omnium eorum, quibus conferuntur a Papa Eccleſiæ Patriarchales, Metropolitanæ, Epiſcopales & Abbatiales. 6. Beneficia omnia incompatibilia cum iis, quæ pacifice poſſideri incipiunt per Apoſtolicæ Sedis collationem. Reſervationes hæ omnes continentur Benedicti XII. Extravaganti *Ad regimen*. 7. Poteſt adhuc Pontifex Epiſcopatus & Abbatias conferre niſi canonicæ earum electiones ad ſe referantur tempore præfinito a Nicolao III. in Decretali *Cupientes*, *in Sexto*. 8. Quantumvis Canonibus conſentaneæ fuerint electiones, penes Pontificem illibata ſemper poteſtas eſt, digniorem & utiliorem Eccleſiæ nominandi, ex cauſa rationabili & manifeſta, & de conſilio Cardinalium: *Si canonicæ fuerint electiones, confirmabimus, niſi ex rationabili & evidenti cauſa, ac de fratrum conſilio, de digniori & utiliori perſona duxerimus providendum*.

Ut uberior lux affundatur, obſerva duo cum primis commoda Concordatis his accreviſſe Germanis, quibus ante fruſtrabantur, cum Regulis regebantur Cancellariæ. Primum eſt, quod Eccleſiæ omnes Epiſcopales & Abbatiales Pontifici reſervatentur per Regulas Cancellariæ, cum Concordatis reſtituantur electiones, nec reſerventur Pontifici Epiſcopatus & Abbatiæ, niſi cum earum Præſules in Curia obeunt, vel Cardinalatu, aut officio aliquo in Curia Romana gaudebant, dum eſſent ſuperſtites. Alterum eſt quod juxta Regulas Cancellariæ, quæ per ſex menſes Beneficia Papæ reſervantur, a ſolo Pontifice poſſint dari, quantumvis cunctetur Papa in eorum collatione. At ex Concordatis niſi intra tres menſes provideat Pontifex, poſtquam vacare Beneficia reſciverit, jam tum mirabilis fiat juris devolutio ad Epiſcopum, vel ordinarium, a ſuperiori ad inferiorem. Certe quibus etiam illis menſibus elapſis penes Pontificem ſupereſt jus præventionis: & ſi tum etiam ante Ordinarium nominet, valet ejus nominatio, ut declaratum eſt a Gregorio XIII. quanquam Pontificia nominatio, non innoteſcat, niſi poſtquam Epiſcopus nominavit. Ante Gregorium XIII. aliud jam diploma publicaverat Clemens VII. ad tuenda jura Sedis Apoſtolicæ convenienter Concordatis, & ad cohibendas uſurpationes Germanorum Præſulum, poſtquam urbs Roma a Teutonibus fuerat expilata.

XII. Cum unum in id ſtudioſiſſime conniteretur Nicolaus, ut Germanis perquam gratiſſima eſſent Concordata, gnarus eos jamdiu amariſſime conqueri de ſuis libertatibus oppreſſis, & din alternaſſe inter Pontifices & Concilium Baſileenſe: hinc facile conjicitur Reſervationes eas omnes, non ab eo innovatas non tunc primum invectas, ſed jam olim uſitatiſſimas, & in jus commune receptas fuiſſe. Earum veſtigia ſparſim ſuperius obſervavimus. Hic unum in locum juvabit omnes conjeciſſe. Una eſt de qua altum hactenus fere ſilentium, & quæ plurimum admirabilitatis habeat, ubi poteſt Pontifex electionem vel maxime Canonicam non confirmare, & præſtantiorem ipſemet ſubrogare Præſulem.

Verum vel ea ipſa reſervatio ſi penitius introſpiciatur, cum iis quibus ſepta eſt clauſulis, non erit forſan quod magnopere ſtupeamus. 1. Cauſam neceſſe eſt ſubeſſe juſtam & rationabilem. 2. Immo & evidentem. 3. Idque fiat ut Paſtor dignor ſubrogetur. 4. Et ex quo major in Eccleſiam redundet utilitas. 5. Denique conſilio Cardinalium rem trucinari opus eſt.

Expoſtulante Friderico III. quod Romani minus obſervantes eſſet Concordatorum, quodque Germanicæ electiones contemptui haberentur: Reſponſum eſt a Calliſto III. electiones omnes eas confirmatas fuiſſe, quæ canonicæ viſæ eſſent: nec uſum, & nec uti velle Pontificem, niſi ſumma & ineluctabili neceſſitate coarctatum, ea poteſtate, quam Legibus divinis & humanis, & ipſo Concordato obtineret, Epiſcopum digniorem nominandi, eo qui canonice etiam fuiſſet electus: *Poteſtate autem illa quæ nobis ex divino atque humano jure, ſimulque concordatis ex prædictis competit, providendi Eccleſiis de perſona magis idonea, etiamſi canonica in illis electio facta reperiatur, adhuc non ſumus uſi, nec uti proponimus, niſi ex magna & urgentiſſima cauſa.*

Has

Has querelas refellens Æneas Sylvius (1), qui Conventibus illis nomine Imperatoris affuerat, in quibus Concordata concinnabantur: eam fuiſſe confirmat Pontificis voluntatem, ut nihil admitteretur Baſileenſium Decretorum; eam ex adverſo Germanorum, ut nihil eorum prætermitteretur; mediam tandem illam placuiſſe viam & rationem, ut aliis daretur locus, aliis occluderetur: *Propter Decreta enim Baſileenſis Concilii inter Sedem Apoſtolicam & Nationem veſtram diſſidium cœpit; cum vos illa prorſus tenenda diceretis, Apoſtolicæ vero Sedes omnia injiceret. Itaque fuit denique Compoſitio facta, in qua nos Imperatorio nomine interfuimus. Ea certam legem dedit deinde inviolabiliter obſervandam, per quam aliqua ex Decretis Concilii prædicti recepta videntur, aliqua rejecta.*

Fidem faciunt Annales Hiſtorici ejuſdem rei (2), quam hic affirmat Æneas Sylvius, Concordatis Germanicis medium quoddam temperamentum contineri, quo nec omnia includantur Baſileenſium placita, quod urgebant Germani: nec omnia excludantur, quod Romana Curia geſtiebat, Pragmaticæ Sanctionis Gallicanæ idem ſcopus, eadem mens fuerat. Sed cum opera data non ſit, ut interveniret ei Sedes Apoſtolica, cujus permagni intererat: hinc nec tam felix exitus, nec tam diuturnus fuit ejus fructus, quam optatum fuerat; & eo tandem res exiit, ut electiones deinceps ad Prælaturas in Gallia fere conticeſcerent, in Germania retinerentur.

Reſtat id nobis obſervandum, quantumvis liberæ, & canonicæ ſint electiones in Germania, eas a Papa confirmandas eſſe ex Concordatis; quo nom prohibetur, quin Epiſcopi ita confirmati & proviſi a Pontifice, in potellate ſint ſui quiſque Metropolitani. Verbis conceptis id ſtatuunt Concordata. Inde ergo conjicitur ante Concordata Bullis Pontificiis & Proviſionibus Romanis inſtitutos fuiſſe Epiſcopos & Abbates omnes. Scripſit anno 1484. Sixtus IV. Papa litteras acerbiſſimas Epiſcopo Conimbricenſi in Lulitania (3), quod a Conimbricenſi Eccleſia ad Braccharenſem Metropolin translatus, ſpiritalem & temporalem novæ hujus Eccleſiæ adminiſtrationem capeſſiverat ante ſuſceptas Pontificias Bullas.

XIII. Nec multum diverſa fuit ratio electionum in Eccleſiis Regnorum ad Septentrionem projectorum, a Germanicis moribus. Innocentius IV. Papa anno 1250. perverſas damnavit Sueciæ electiones, ubi *per potentias Regis & Baronum, & ad clamorem tumultuantis populi*, Præſules eligebantur; juſſit autem ut in poſterum electio fieret a Canonicis in Capitulo. Ulterius ſi Annales ejus Regni revolvamus, occurret electio Lincopenſis Epiſcopi ſub Alexandro III. a quo & confirmata eſt, cum a Clero & populo celebrata fuiſſet, cum aſſenſu Archiepiſcopi, Regis & Ducis (4): *Clerus & populus ejuſdem loci, de aſſenſu Archiepiſcopi & Regis atque Ducis terræ, te in Epiſcopum elegerunt.* Ea tum erat electionum forma, cum nec dum ad ſolos Canonicos coarctatæ fuiſſent.

Anno 1273. in Norvegia definita eſt cauſa momenti longe maximi, cum hæreditario ſibi jure Rex Regnum vindicaret, at Archiepiſcopus Nidroſienſis contenderet electione Reges ibi creari, & penes ſe eſſe prærogativam ſuffragii. Poſtremo tandem Archiepiſcopus eligendi jus Regis abdicavit, abdicavit & Rex jus omne in electiones. Epiſcoporum & Abbatum: (5) *Conceſſit quod in electionibus Epiſcoporum vel Abbatum Nidroſienſis Provinciæ nulla vis, nulla potentia, nulla auctoritas Regis vel Principis interveniat.*

Ladislao Poloniæ Reges anno 1429. contendente, ſuum eſſe, non Papæ, Epiſcopos Regni Polonici nominare & inſtituere: ut illum ab ea ſententia avocaret Martinus V. monuit, Chriſtianis Regibus ab omnibus ſe interpellari, ut Epiſcoporum eorum alumnis & cariſſimis miniſtris conferret; ſe vero ad eorum preces prorſus obſtructuroſcere, niſi illis obſequii caritas & utilitas Eccleſiæ ſuaderet; ſe non ita pridem quinque in Anglia Epiſcopos creaſſe, duos in Gallia, præter Regum preces, qui acquieviſſent tamen; nec aliter a ſe in Regnis Caſtellæ & Aragoniæ factitari (6): *Supplicant ſæpe Reges & Principes, & nos eis interdum complacemus: interdum aliter diſponimus, quam Reges & Principes ſupplicant. Nuper ſiquidem quinque proviſiones in Regno Angliæ fecimus, alio modo quam ipſe Rex ſcripſerat. Magis enim conſideravimus*

(1) Inter Ep. Æneæ Sylvii, Ep. 371.
(2) Spondan. ann. 1437. n. 5. Rainald. ann. 1437. n. 47.
(3) Rainald. ann. 1484. n. 4. 5.
(4) Rainald. ann. 1250. n. 40.
(5) Rainald. ann. 1273. n. 20.
(6) Rainald. ann. 1429. n. 14.

vimus perſonarum merita & commoda Eccleſiarum, quam Regiam voluntatem. Hoc ſimiliter alias fecimus in regno Caſtellæ, & noviter in regno Franciæ, in dubius Eccleſiis ; fuerunt que proviſiones noſtræ reverenter, ut dignum erat, a regibus acceptatæ. Nec Aragonum Rex, licet ſua culpa alienatus a nobis extiterit, unquam adverſatus eſt proviſionibus Eccleſiarum, quas arbitrio noſtro in Regno ſua fecimus.

Quanquam hæc jam ſuperius alicubi relata fuerant, non abs re tamen hic rurſus ineulcanda viſa ſunt, ut hinc perſpicue intelligatur, parum diſcrepare illam, quæ tum obtinebat conſuetudinem, ab ea quæ per Concordata nunc invaluit in omnibus Catholicis Regnis, excepta Germania. Non quo non Reges ipſi quandoque electionibus Capitulorum ſuffragarentur, adverſus Pontificias nominationes, ut in Polonia contigit anno 1460. cum Cracovienſem Epiſcopum nominaſſet Pius II. unaque Capitulum ſolemnem ſuam celebraſſet electionem. Eo tandem res erupit, ut indelexæ Regis voluntati cedendum fuerit, (1), ita ut deſignatus a Papa cum electo Capituli paciſceretur, & jure ſuo illi decederet. Sed rariores erant illæ diſſenſiones, & facilem in concordiam Reges Pontificeſque mutua ultro citroque utilitas adducebat.

CAPUT XXXIX. *P. 4. l. 2. c. 47.*

De electionibus ad Abbatias poſt annum Chriſti milleſimum.

I. Ut Epiſcopales electiones conſentirent eum electionibus ad Abbatias.

II. In quibus rurſum ea diſſentirent?

III. Electiones ad Abbatias liberæ erant, ab Epiſcoporum & Pontificum parte.

IV. At Comites ac Duces dandis Abbatiarium inveſtituris, earum electiones perturbabant, Abbatias ipſimet dabant.

V. Ea poteſtate temporales domini piiſſime alii, alii perverſiſſime utebantur.

VI. Nominationes ad officia Clauſtri.

VII. Exempla Abbatum, qui eligerentur quidem, ſed non a Monachis ſuis.

VIII. Peculiaris conſuetudo Cœnobii ſancti Albani in Anglia.

IX. Regulæ electionum ab Innocentio III. delineatæ.

I. AB electionibus ad Concordata deſuxeram : de quibus extra Germaniam quoque dicere hoc capite pergeremus, niſi extrema hic manus admovenda viſa eſſet electionibus Cœnobiorum. Quanquam enim electiones, nominationes & reſervationes Abbatiarum, ejuſdem fere ſemper modi fuerint, atque Epiſcopatuum : unde & ad Abbatias pertinent, quæ de Epiſcopatibus diſputata ſunt hactenus omnia : erunt tamen nonnulla de Cœnobiis, quæ non pœniteat peculiariter obſervaſſe, & in unum hoc caput conjeciſſe.

II. Nullum capitalius diſcrimen inter electiones ad Epiſcopatus & ad Abbatias, quam quod longe maxima pars Epiſcopalium Eccleſiarum ab Epiſcopis ipſis & a fidelibus laicis jam inde ab exordio Chriſtiani nominis exædificatæ & dotatæ fuerint : cum Abbatiæ contra multis poſt ſæculis ploratque excitatæ ſint, atque utpluriumum larga Principum munificentia.

Ab origine ergo ſua id conſecutæ ſunt Epiſcopales Eccleſiæ, ut electione ſuos ipſæ ſibi præficiant Paſtores : at Abbatiæ plerumque a Principibus & Patronis opulentiſſimis fundatæ, iis obnoxiæ fuerunt, vel nominationibus, vel conditionibus aliis, quas fundatores inter ipſa earum initia præſcripſerant. Exemplo res illuſtrabitur. Anno 994. Hugo & Robertus Galliæ Reges a fundamento excitarunt Abbatiam Burgolienſem, interpellante Emma Comitiſſa Pictonum, quæ fiduciario ab iis Regibus jure eam regiunculam obtinebat. Epiſcopi & Barones aſſenſi ſunt (2) : *Cum conſilio & aſſenſu tam Epiſcoporum, quam Optimatum.* Addita eſt porro ea clauſula, ut ad electionem Abbatis Comitiſſæ aſſenſus requireretur & filiorum ejus : *Ut decedente Abbate, alium conſtituendi a fratribus electum, reſpectus ad prædictam Comitiſſam ejuſque filios habeatur.*

Cluniacenſis, Vizeliacenſis, Corbienſis, & nonnullæ aliæ Abbatiæ minus obnoxiæ erant Laicorum poteſtati, ut quæ ſolius Papæ confirmatione indigerent. Robertus Rex ex adverſo & Concilium ad Calam congregatum anno 1008. Abbatiam ſancti Dionyſii, non expectata electione, ſpectatiſſimæ virtutis homini contulerunt, quod non

(1) Rainald. n. 45.

(2) Conc. T. 9. p. 742. 779. 787. 997. 999. 1002.

non alia affulgeret ſpes, ejus Cœnobii miſerrime labefactati diſciplinæ in integrum reſtituendæ.

III. Jure communi examinabant Epiſcopi, & confirmabant electiones Abbatum, intaminata prorſus earum libertate, ut Gregorii VII. Epiſtolis declaratur ad Archiepiſcopum Remenſem ſcriptis (1), & ad Epiſcopum Metenſem. Pleniſſima libertate Gregorius volebat gaudere Italicas in electionibus ſuis Abbatias, quæ immediate ſubeſſent Sedis Apoſtolicæ juriſdictioni. Vizeliacenſi Abbatiæ Abbatem donavit Innocentius II. ſed cogente neceſſitate, poſtquam ex Abbatis abſentia Cœnobium illud *in ſpiritualibus & temporalibus maximum ſuſtinuit detrimentum*. Alexander III. nec Abbatiæ ſancti Victoris apud Lutetiam, nec Bonævallenſi Abbates dedit, (2) quanquam electiones utrobique factæ eſſent poſt ceſſionem priorum Abbatum.

IV. Æquum non erat, ut tanta ſemper ſobrietas & moderatio a ſæcularibus Principibus expectaretur. Antequam Epiſcopalibus ornamentis fulgeret beatus Fulbertus, ad Abbonem Floracenſem Abbatem perſcripſit graſſationes Theobaldi, (3) cognomento Fallacis, Comitis Bleſenſis & Carnotenſis, in vacantem Abbatiam ſancti Petri apud Carnutos. Ambitioſulum ante Abbatia donaverat Monachum, quam Abbas animam egiſſet. Extincto Abbate, permiſit quidem electionem fieri, ſed a duobus, tribuſve Monachis ſceleſtiſſimis deluſus, quaſi unus ex iis electus fuiſſet, *ſtatim eum Paſtorali baculo publice donavit*. Quanquam denique reſciſſet, necdum electum quenquam fuiſſe, advolavit tamen ut ſuum illum intruderet, quem & ibi retinuit, quamvis Monachi omnes auſugiſſent.

Ubi vero poſtea Fulbertus Carnotenſem Eccleſiam adminiſtrare cœpit, in ejus manus abdicavit ſe Abbas Bonævallis. Monachi alium elegerunt, quem & Odoni præſentarunt Comiti, ab eo inveſtiendum, antequam ab Epiſcopo ordinaretur. (4): *Obtulerunt Odoni Comiti Abbatia illa donandum, ut mos erat, mihique deinde conſecrandum*. Inter Epiſtolas denique alias ejuſdem B. Fulberti illa quoque occurrit, qua narratur electio Abbatis Cellæ in Epiſcopatu Tricaſſino, cui mox Comitiſſa cum filio temporalia contulit Abbatiæ, antequam ſpiritalem Epiſcopus conferret juriſdictionem (5): *A Comitiſſa donum rerum temporalium ſuſcepit, &c. A Tricaſſinorum Præſule animarum curam ſuſcipi oportuit, &c.*

In his porro exemplis multa advertere fas eſt. 1. Qua vi, qua nonnunquam truculentia ſævirent temporales iſti domini, quorum expectabatur aſſenſus; & quam facile a recti orbita variis cupiditatibus aberrarent. 2. Jam tum datas fuiſſe inveſtituras in Gallia. 3. Nec ab Imperatoribus tantum eas, & a Regibus datas fuiſſe, ſed a Ducibus quoque & Comitibus. 4. Quod eo facile tolerabatur, quod ut hic perſpicis, electiones ſuam vim retinerent, & ſatis intelligeretur, quo diſtarent temporalia, quæ ab inveſtiente, a ſpiritualibus, quæ ab ordinante conferrentur. 5. Suo infra loco dicemus, ut lapſu temporis temporales iſti domini quibuſdam in Provinciis fructus ſibi vacantium Abbatiarum vindicarint, quæ a nobis Regalia dicitur: eumque ea eſſet eorum feudorum conditio, ut extinctis ſine prole temporalibus his dominis, eorum ſucceſſio ad ſummos Principes & ad Reges tandem devolveretur, in ea demum Regaliæ jura Reges ipſi Italiæ ſucceſſerint.

Suppeditat & Glaber exempla donatarum a Comitibus & minuſculis aliis Principibus Abbatiarum, ubi verba facit de celebratiſſimo omnium tunc laudibus Willelmo Abbate, cui certatim Reges, Comites & Epiſcopi Cœnobia quæ vacaſſent omnia ſubjiciebant, ut ea regeret, ac ſanctioribus Regulæ Monaſticæ imbueret inſtitutis (6): *Quodcunque Monaſterium proprio viduabatur Paſtore, ſtatim compellebatur, tam a Regibus, vel Comitibus, quam a Pontificibus, ut melioranda gratia illud ad regendum ſuſciperet*.

Idem emicat ex Duce ipſo Aquitaniæ Willelmo, qui Malleacenſe (7) Cœnobium reparavit, fundavit Burgolienſe (8), præſtantiſſimoque ſubjecit Abbati (9). Jure ſuo, id eſt, fundatoris utebatur. Jus roborabat pius juris uſus. Fuerunt & quædam temporum graviſſimæ difficultates, quæ Cœnobia compulerint, ut ab Imperatoribus,

(1) L. 2. Ep. 52. 53. Lib 2. Ep. 27.
(2) Ep. 20. Append. 2. Ep. 45. 54.
(3) Epiſt. 207. (4) Epiſt 38.
(5) Epiſt. 207. (6) L. 3. c. 5. (7) Malleacenſis.
(8) Bourgueil. (9) Baron. ann. 1024. n. 6. 1025. n. 3.

aliisque Principibus ſæcularibus Abbates depoſcerent: ut conſtat exemplo Caſſinenſium Monachorum (1), qui Conrado Imperatori enixiſſimis precibus extuderunt, ut Abbatem ſibi præficeret, cum ipſe omnino repugnaret, urgeretque, ut conſentaneæ Regulæ B. Benedicti eligerent ipſi ſibi Paſtorem.

V. Si hos Conradi mores imitati eſſent ceteri Principes, ne in mentem quidem unquam veniſſet abſtinendi eos inveſtituris, immo vero nec forſan nominationibus. Sed horum temporum laudatiſſimus Scriptor Lambertus, ſub Pontificatu Alexandri II. & Gregorii VII. Aulam Imperatoriam velut emporium fuiſſe teſtatur, ubi Abbatiæ venales proſtarent (2): *Ut-Abbatiæ publice venales proſtituantur in Palatio, nec quiſquam tanti venales proponere queat, quin proximus emptorem inveniat.* Quis de jure inveſtituræ vel nominationis litigaſſet cum Willelmo Duce Normanniæ, mox & Angliæ, Rege Gallicæ gentis primo, qui appetente morte, cum confeſſione & pœnitentia reliquos anteactæ vitæ nævos expiaret, profeſſus eſt vocatos a ſe ſemper fuiſſe ad Eccleſiaſticas dignitates, & ad Regia Conſilia, quos noviſſet digniſſimos: id ex Lanfranco, Anſelmo aliisque ſanctiſſimis Abbatibus conſtare; a Majoribus ſuis fundatas in Normannia Abbatias decem fuiſſe, a ſe fundatas unam ſupra viginti, & iis ſe inexpugnabilibus propugnaculis ditiones ſuas communiſſe (3): *In electione perſonarum vitæ meritum & ſapientia doctrinam inveſtigavi, & quantum in me fuit, omnium digniſſimo Eccleſiæ regimen commendavi. Hoc nimirum probari poteſt veraciter in Lanfranco Cantuarienſium Archipræſule, hoc in Anſelmo Beccenſium Abbate, hoc in Gerberto Fontanellenſi, & Durando Troarnenſi, & in multis aliis Regni mei Doctoribus, &c.*

Non diſpari forſan ſanctimonia Henricus III. Imperator & inveſtiturarum & nominationum conſuetudine utebatur; & alicubi tamen ne ipſe quidem diſſimulavit, invadere leſe quodammodo in Sacerdotii munia. Cum enim Abbas quidam dono ei equum dediſſet, & is cui furto ſublatus fuerat idem ipſe equus, ad ipſummet de illato ſibi damno conqueſtas eſſet, dum equo eodem ſeſſitaret, juſſit Henricus, ut baculum Paſtoralem is Abbas reſignaret, quem mox ipſe in manus Chriſti, ſeu ſtatuæ ejus ibidem ſacræ retiuit, ut ab eo Abbas eum illico reciperet, & perdiſceret a Chriſto ipſo ſe, non a terreno Principe inveſtitum ea Abbatia fuiſſe (4): *Depone baculum regiminis Paſtoralis, quem credis largitione mortalis hominis debere geſtari. Cujem cum a ſe projeciſſet, ſuſcipiens Rex, impoſuit dexteræ imaginis Salvatoris: Vade, inquiens Abbati, & ſuſcipe illum de manu omnipotentis Regis, ne ſis ultra pro eo debitor alicujus mortalis, & libere utere eo, ut decet culmen tanti honoris.* Hactenus Glaber. Nec minus luculenta, quæ ſupra retulimus de B. Romualdo, quem Otthe Imperator Abbatem conſtituit. Hugo Capetius Francorum Rex Regumque proſapiæ longe toto Chriſtiano orbe clariſſimæ & certe antiquiſſimæ parens & auctor, Burchardum Comitem Pariſienſem donavit Abbatia Regia ſancti Mauri Foſſatenſis, ut Monaſticam diſciplinam ibi collapſam reſtauraret: quod ab eo præſtitum eſt ſancti Majoli opera. Data eſt & a Roberto Rege Capetii filio eadem Abbatia Monacho Cluniacenſi (5). *Donum Abbatiæ dedit.*

Eadem, ut apparet, ratione qua Capetius, dedit & Rodulphus Rex anno 988. Abbatiam Romanenſem Diœceſis Lauſanenſis, ſorori ſuæ Adelaidi, ut ſuperſtes ea potiretur, morienti cui vellet hæredum legaret. Cum enim præſtantiſſima ea domina Abbatias alias excitarit, dotarique, quas Majolo Abbati Cluniacenſi ſubjiceret (6); hinc apparet qua pietate dono ſibi datam Abbatiam regeret, protegeret, reformaret, & eos demum ex ea pulcherrimos fructus caperet.

Poſſent & coacervari exempla datarum a Principibus Abbatiarum, integra & incolumi electione. Sed & exemplis contrariis plena eſt hiſtoria. Narrat Ordericus ab Duce Normanniæ datam Abbatiam, occupata electione, utque color aliquis reiaudaci affingeretur, inveſtitum eſſe Abbatem baculo Archiepiſcopi Rothomagenſis (7): *Ki Nihil tale ſuſpicanti per Cambutum Maurilii Archiepiſcopi in Synodo Rothomagenſi curam Uticenſis Abbatiæ commendavit.* Paucis ante annis cum ejuſdem Cœnobii Monachi Abbatem ſibi elegiſſent, illum Dux confirmarat per baculum Epiſco-

pi

(1) Id. an. 1038. (2) Baron. an. 1072. n. 3. (3) Baron. an. 1087. n. 29.
(4) Glaber. l. 3. c. 4. (5) Bibl. Clun. p. 299. 301. (6) Ibid. Notæ p. 71.
(7) An. 1059. Ann. 1063. Script. Nor. p. 303. 310. 481. 477. 494. 676. Sais.

pi Sagiensis. *Per Canonicum Ioanis Episcopi Sagiensis exteriorem Abbatiæ potestatem tradidit; Willelmus vero Ebroicensis Episcopus interiorem animarum curam commendavit.* Si Theologorum, vel Canonistarum doctrina imbutus fuisset Dux, & temporalia a spiritalibus dúcreviſſet, eccur Pedo Episcopali usus esset, ut temporalium administrationem commendaret? Diximus jam, ubi perpacatæ fuere lites de investituris, convenisse, ut Imperatores per Sceptrum regiis Feudis Episcopos investirent. Ea ergo distinctio Orderici calamo & ingenio tribuenda, qui posterioris ætatis lumina, & decreta in superiores retorquet ætates. Refertur ab eodem Scriptore (1) ad annum 1122. diploma Henrici I. Angliæ Regis, quo anno 1120. Abbatiam in Normannia sitam contulit; & quanquam cuiusset ipsemet electionem celebrari, dono tamen a se dari Abbatiam significabat, temporalium tantum facta mentione.

Ab ipso Suggerio Abbate perhibetur, ut absens electus fuerit ipsemet a Monachis Abbas Cœnobii sancti Dionysii, utque Monachi a Rege mox confirmationem flagitantes, in carcerem contrusi fuerint, quod non ante popolciſſent eligendi licentiam. Dubius animi pendebat Sugerius, & percontari Papam decreverat, quid opus facto sibi esset (2): cum Rex eam illi eximit mentis anxietatem confirmata paulo post ejus electione, & Monachis carcere absolutis. Regens inde & Administrator Regni declaratus Sugerius a Rege Ludovico Juniore in Palestinæ Bellum sacrum proficiscente, Burgolienſis Abbatis electionem confirmavit (3), quod Aquitaniæ Ducatus, in qua sita erat illa Abbatia, in Regum rursus ditionem rtaducta fuerat: *Ad Regem Ducatus Aquitaniæ translatus est.* Eodem Sugerius jure regia vice usus est in compluribus aliis Abbatiis: cumque esset religione & virtutum præstantia nulli non exploratissima, eo sane nomine abstergebat invidiam & obliquas omnes suspiciones, quæ illini potuissent his electionibus Regiæ consensioni obnoxiis.

VI. Paulo alia erat ratio Prioratuum, & aliorum Claustri Officiorum. Cum enim Eugenius III. Papa, & Ludovicus VII. Rex Galliæ in locum Canonicorum sæcularium sanctæ Genovefæ subrogassent Canonicos Regulares, e Cœnobio sancti Victoris accitos anno 1147. designatus primo suus illis Abbas est. At cum mox Prior quoque instituendus esset, is in quem Abbas & Conventus oculos & vota sua convertebant, contestatus est Regiam illam esse Abbatiam, ideoque constituendos ibi a Rege ipso esse Officiales (4): *Dicens in Regia Abbatia merito per Regem debere constitui Officiales.* Obtulit enimvero se ipse Regi, qui Claustralium minus gnarus Constitutionum, Priorem illum instituit: *Eique in Regis Palatio ab ipso Rege Ordinis constitutiones ignoranter, factus Prior.* Abbati & Conventui vehementer doluit, res ad Pontificem delata est, qui postliac Officiales definiit ex Ordinis Constitutionibus creandos esse: *Mandat Pontifex fevertſſime, ne deinceps Officiales contra Ordinis institutæ eligantur.*

VII. Quam primam supra laudavimus B. Fulberti Epistolam (5), fidem facit solitos fuisse Canonicorum aliquos interesse electioni Abbatis sancti Petri Carnotensis, una cum Monachis. Inter Epistolas Ioannis Salisberiensis illa jacet (6), quam nomine Archiepiscopi Cantuariensis ipse exaravit, & ex qua illud intelligitur, Archiepiscopum ne diutius vacaret Abbatia quædam, electionis faciendæ licentiam a Rege exoratse: cumque adesse ipse non posset, vice sua delegasse Epitcopos duos, & Abbates duos, qui interesſent, & quorum ex consilio fieret electio.

Cum B. Goffridus Ambianensi possea Episcopatu augendus, electus primum fuit Novigenti (7) Abbas, conspiravit Dominus Cuciaci cum Episcopo Laudunensi, Episcopis Provinciæ & Archiepiscopo Remensi ad eam electionem: cui nec electus, nec Abbas sancti Quintini assensum præbituri fuissent, nisi eam Philippus Rex non assensu tantum confirmasset suo, sed & interposita auctoritate Regia (8): *Communicato cum Archiepiscopo Remensi ceteristque Episcopis consilio, &c. Cum Regis voluntati & Episcoporum postulationi reluctari non auderet, &c.* Ita Scriptor suppar vitæ hujus sanctissimi viri. Qui beati Laurentii Dubliniensis Archiepiscopi vitam litteris mandavit, illum perhiber Abbatiæ primum

(1) lb. p. 874 931.
(2) Du-Chesne t. 4. p. 310.
(3) Sugerii. Ep 3. 4. 5. 1.
(4) Baron an. 1147. n. 4. Sutius die 6. Aprii.
(5) Ep. 21.
(6) Ep. 37.
(7) Novigent.
(8) Sutius die 8. Nov. c. 18.

præfuiſſe, ubi ea vigebat conſuetudo, ut a Clero & populo Abbates eligerentur. Tum voluiſſe Regem eam conferre ſuo nutu, cum Laurentius Abbas creatus eſt: ſed non multo poſt Clero ſuum, populoque jus redintegratum fuiſſe (1) : *Jus conſuetudinis quo tam Clerus quam populus ibidem Abbatem eligere conſueverat, &c. Clero & populo in jus eligendi reſtituto, &c.*

Odo Bajocenſis Epiſcopus, Angliæ Regis frater, Abbatem & Capitulum ſancti Benigni Divione donavit Cœnobio ſancti Vigorii, in finibus Diœceſeos Bajocenſis ſito (2); ea cautione, ut ſi quando hujus excreſcerent Cœnobii opes, ut Abbatem habere ſibi ſuum poſſet, tum is novus Abbas ab Abbate & Capitulo ſancti Benigni perpetuo jure eligeretur, ejuſque imperio ſubeſſet.

Etcito inter Canonicos Turonenſes ſancti Martini & Monachos Cormericenſes diſſidio, finem dedit Urbanus II. Papa, juſſo Abbate Cormericenſi ſubeſſe Capitulo B. Martini, a quo eligeretur, baculumque Paſtoralem ſuſciperet e tumulo B. Martini (3); quod ii Canonici Abbatiam a fundamentis excitaſſent. Anno 1036. electus eſt Abbas ſancti Albini Andegavenſis a Monachis ille quidem ſuis, ſed de conſenſu Epiſcopi, Comitis Fulconis, Cleri, populi, Nobiliumque utriuſque ſexus: *Per aſſenſum Huberti Præſulis, per favorem Fulconis Comitis, aſſentientibus quoque Nobilibus, Clericis & Laicis, ac utriuſque ſexus ingentibus perſonis.*

Glaſtembuvienſium in Anglia Abbatiam narrat quidem Willelmus Malmesburienſis (4) a Rege Edgaro fundatam, plenaque libertate donatos Monachos creandi Abbatis, qui ab eo Pedum acciperet: *Sibi vero fuiſque hæredibus poteſtatem retinuit, tribuendi baculum paſtoralem electo.* Sed cum mox ſubjiciat ſtatutum ab eodem Rege fuiſſe, ut non ſolum Monachi, ſed & Clerici ſub Titulo illius Abbatiæ ordinarentur: hinc anſa porrigitur inquirendi, an hujuſmodi eſſent Clerici, vel Canonici, qui ad electiones Abbatum admittebantur, ut ſupra relatis patet exemplis. Ut ante calcem ſæculi XII. arceſſebantur Abbates cum Epiſcopis, Clero & populo, ad electiones Epiſcoporum: mirum non eſt, ſi & Clerici admitterentur viciſſim ad electionem Abbatum ex parte ſaltem aliqua, & quibuſdam in Provinciis.

Omnes pene Epiſcopos Angliæ auctor eſt Rogerius anno 1175. omnesque Abbates Provinciæ Cantuarienſis convenire ad electionem Epiſcopi Norvicenſis, & ad Abbates deſignandos omnibus Angliæ Cœnobiis vacantibus: *Venerunt etiam illuc omnes Abbates Cantuarienſis Diœceſis, & magnum celebraverunt Concilium, de Paſtore eligendo ad Sedem Pontificalem Norvicenſis Eccleſiæ; & de Paſtoribus eligendis ad Abbatias quæ tunc vacabant per Angliam.*

VIII. Admirabilis cum primis eſt ratio eligendorum Abbatum Sant-Albanenſium in Anglia, a Matthæo Paris memorata ad annum 1235. Qui enim tres vel quatuor erant a Confeſſionibus ejus Cœnobii Monachis, quibus omnium patebant cordis penetralia, duodecim deſignabant, qui mox eligerent, vel unum ex ſeipſis, aut e Cœnobio, aut ex Cellulis ei obnoxiis (5): *Confeſſores tres, vel quatuor, utpote qui cognoſcunt corda & renes ſingulorum; eligant duodecim peritos, &c.* Reſcripto Pontificio ea conſuetudo firmabatur, & Gregorius IX. Papa ipſemet confirmavit ejus generis electionem.

IX. Valuere eæ eligendorum Abbatum diverſiſſimæ rationes ante Innocentium III. qui formam præſcit accuratiorem electionibus in Concilio Lateranenſi IV. anno 1215. & in C. *quia propter, De electione*, quod ex eo Concilio decerptum eſt. Non quod tres illæ electionum formulæ, quæ ibi delineantur, inuſitatæ hactenus fuiſſent, *Scrutinium, Compromiſſum, Inſpiratio*: ſed quod eas ſæpe diſturbarent atque adulterarent alieniſſimæ circumſtantiæ, & præcipites electiones.

Cœpit & Innocentius electiones abſolvere a neceſſitate conſenſus Principum ſæcularium, ubi expugnare id potuit illæſo pacis publicæ vinculo; qua in re illi convenit cum Galliarum quibuſdam Regibus, qui eo privilegio Epiſcopatus & Abbatias quaſdam donaverant. Cum primum Ludovicus VI. Rex Canonicos Regulares Benedictinis Monachis ſubſtituit in Eccleſia ſancti Victoris apud Pariſios: licentiam illis fecit ut Abbatem eligerent, nullius, ac ne

Re-

(1) Surius 14. Nov. c. 16.
(2) Recueil pour l'hiſtoire de Bourgogne p. 217.
(3) Spicil. T. 6. p. 23. 436.
(4) De geſtis Reg. Angl. l. 2. c. 37.
(5) Conc. To. 11. pag. 481. & ſeq. Ep. 4.

Regis quidem expectato assensu. Concessum est id Privilegium in Conventu Episcoporum & Baronum Regni apud Catalaunum, ann. 1115. (1) *Ita ut pro illa Abbatis electione, nec Regis assensum quæ-rerent, nec Regis auctoritatem ullatenus expectarent, nullusque alterius personæ voluntatem, vel laudem attenderent, sed quem Deus eis concederet, inconsulto, ut dixi-mus, Rege, vel qualibet alia persona canonice eligerent, & Parisiensi Episcopo irrefragabiliter consecrandum afferrent.* Ceterum potestati Episcopi & Archiepiscopi Abbas permittebatur: *in supradictis omnibus salva auctoritate, salvo jure, salva debita obedientia Senonensis Archiepiscopi, & Parisiensis Episcopi.*

CAPUT XL. *P. 4. l. 2. c. 48.*

De Nominationibus, & Electionibus in Gallia post Concordata.

I. Capita Concordatorum circa Nominationes ad Episcopatus.

II. De Nominationibus ad Abbatias.

III. De Cœnobiis Privilegio quopiam mu-nitis.

IV. De Expectativis, & vacationibus in Curia Romana.

V. De indulto Armoricæ & Provinciæ.

VI. Collatio temporum anteriorum & po-steriorum Concordatis. Spiritalia Episcopa-lium Ecclesiarum nequaquam sæcularibus Principibus permitti per Concordata.

VII. In Comitiis Aurelianensibus Electio-nes expetuntur, & restituuntur.

VIII. Cur invalescere non potuerit Caput illud Comitiorum Aurelianensium. Edictum Blesense Concordatis sese accommodavit, & Concilio Tridentino, cui non displicuere Nomi-nationes Regiæ ad Episcopatus & Abbatias.

IX. Episcopatus Metensis, Tullensis & Virdunensis Concordatis Germanicis non im-plicantur. Eorum Indultum exosari avebat Ossatus; quod & postea factum est.

X. De Indulto aliorum Episcopatuum, qui nuper ab invictissimo Rege regno adjuncti sunt.

XI. De Indulto Ducum Sabaudiæ.

XII. Quorundam Conciliorum Decreta, ad-versus Episcopos, consecrationem suam diu-tius protrahentes.

XII. Puellarum Monasteria Concordatis non includebantur.

XIV. Indulto Clementis VII. eorum nomi-natio Francisco I. concessa est. Prolixius de eo Indulto.

I. MUlta supersunt, eaque magni prorsus momenti de Concordatis dicenda, & quæ vix satis aut dici possint, aut capi, nisi eorum quæ superius contexta sunt, ali-qua hic obiter retexantur. Concordatis er-go iis, quæ Bononiæ in Italia Leo X. iniit cum Francisco I. Gallorum Rege, & quæ confirmata mox sunt in Concilio Latera-nensi V. anno 1516. declaratum est, eo de-venisse jamdiu electiones, ut *plerisque per abusum sacularis potestatis*, tumultuosæ & violentæ essent, vel simoniacæ, vel carnis & sanguinis pluribusque aliis cupiditatibus sordidatæ, vel implicatæ perjurio, quod elec-tores quamquam juramento constricti ad eli-gendum *idonejorem*, privatis nihilominus in-dulgerent affectibus, vel precibus & blan-ditiis amicorum delinirentur: quod plus satis constabat ex innumeris absolutionibus, quæ Romano ex tribunali expetebantur post ea perjuria: ideo Pontifici & Regi convenisse, ut cessarent electiones in omnibus Ecclesiis Me-tropolitanis, aut Cathedralibus Regni & Del-phinatus, Comitatuique Diensis & Valentini. Sed ubi vacarent posthac illæ Ecclesiæ, no-minaretur a Rege Doctor, vel Licentiatus in Theologia, vel Jure, annos natus viginti & septem, sex saltem mensibus postquam vacare cœpisset Ecclesia, a Pontifice vero Romano Bullæ & Provisiones darentur. 2. Si a Rege nominaretur is, qui his careret dotibus, penes Pontificem potestas esset il-lius repudiandi, Regi tres alii menses ad novam Nominationem condonarentur. 3. Elapso trium mensium spatio, si nullus a Rege nominatus esset, eam nominandi fa-cultatem ad Papam devolvi. 4. Si Prælati moriantur *in Curia*, Pontificis unius erit nominare. 5. Principes Regiæ stirpis, & natalium splendore clari Proceres, nomina-ri & provehi poterunt, nullos Gradus in Universitatibus assecuti. 6. Sicut & Regu-lares doctrinæ præstantia insignes, iis intcri-pti Collegiis, vel Ordinibus, ubi ad Gra-dus non aspiratur.

II. In Monasteriis vero, seu Prioratibus vere

(1) Hist. Univ. Paris. T. 2. p. 37.

vere electivis, ſive in quibus electiones fiunt juxta Caput *Quia propter*, ubi morte, vel reſignatione vacarint, nominabit Rex intra ſex menſes ejuſdem Ordinis Regularem, natum ſaltem annos viginti tres, qui Papæ Reſcripto inſtituetur, aut Bulla. 2. Si nominetur vero a Rege, vel Presbyter ſæcularis, vel Regularis alterius Ordinis, vel minor annis viginti tribus, vel certe minus idoneus, repulſam a Pontifice patietur, Regique fas erit intra menſes tres alios alium nominare. 3. Si intra novem menſes nemo ſit a Rege nominatus, jus ad Pontificem devolvetur. 4. Nec alia his Beneficiis via poterit Pontifex providere, ubi morte, vel reſignatione vacaverint.

III. Hinc eximes Epiſcopatus, Abbatias & Prioratus quibus ſpeciali privilegio conceſſerat Papa, ut Prælatos eligerent. In his enim electiones ſemper fient juxta formam Capitis *Quia propter*, dummodo litteris Sedis Apoſtolicæ authenticis hæc privilegia approbentur.

IV. Nullæ jam poterunt a Pontifice Gratiæ dari Expectativæ, nulla ſervari Beneficia antequam vacent.

Ceterum non ait Molinæus obreptione factum eſſe, ut Epiſcopatus in Curia vacantes Papæ reſervarentur. 1. Cenſet tantum illud eſſe novi juris additamentum; quod a vero non abhorret, ſi ad jus antiquum oculi retorqueantur. Verum a nobis ſuperius abunde patefactum eſt, inter novi Juris decreta antiquiſſimum iſtud videri poſſe. 2. Addit idem Molinæus, cum Pontifex hic integros ſibi ſervarit eos tantum Epiſcopatus qui vacabant in Curia per obitum: ad vacantes per reſignationem id exporrigi non poſſe; quod indubitatiſſimum ſane eſt. 3. Ait denique intelligi id debere de tempore, quo vacua non eſt Sedes Apoſtolica. Dum enim ea vacat, dici non poteſt ſtricto jure, quod ii Epiſcopatus vacent *apud Sedem Apoſtolicam*, quæ verba ſunt Concordatorum.

V. Inde rurſus efficies nihil ea quidem in re obreptum eſſe, quod cum eodem anno 1516. Rex idem Franciſcus I. impetrarit ab eodem Leone X. indultum ſibi uni ſuffragaturum, ad nominationes Armoricæ & Provinciæ, quas Concordata non complectebantur, eadem clauſula & reſervatio iterata ibidem eſt, ſi Prælati mortem obirent *apud Sedem Apoſtolicam*. Adde denique, quod cum ea reſervatio nec Baſileenſi Concilio, nec Pragmatica Sanctione expuncta fuiſſet, de ea Galli admittenda ne ambigebant quidem.

Verum quoad Armoricæ, ſeu Britanniæ Minoris & Provinciæ Indultum, cujus alibi propagationem ad noſtra hæc uſque tempora narravimus, paucula rurſus hic veniunt obſervanda. 1. Eo contineri tantum Epiſcopatus & Abbatias, non Prioratus. Nam *Monaſteria*, ſeu Abbatiæ, & *Prioratus* in Concordatis ſejunguntur, hic vero ſola memorantur Monaſteria. 2. Sed & hic conceditur Regi, ut ſi quæ Abbatiæ ſuo in gremio non habeant, qui Abbatis perſonam & munus obire poſſint, nominet vel Clericos ſæculares, vel Monachos alterius Ordinis, etiam Mendicantium, dum ejuſdem Ordinis veſtem induant, & in ea profiteantur. Exinde tamen Pontifices æquo animo paſſi ſunt a Regibus nominari ad Prioratus Conventuales & Electivos Britanniæ & Provinciæ, & ad eorum nominationes Bullas conceſſere.

VI. Vir illuſtriſſimus & optime de Eccleſia meritus Spondanus, (1) Epiſcopus Apamienſis, in Annalibus Eccleſiaſticis, miratos, ait, fuiſſe Gallos, quod cum Pontifices Romani a Cardinalibus eliganur, ceterorum electiones Capitulorum reſciderint: & ſervatis ſibi temporalibus, ſpiritalia Eccleſiarum jura Regibus permiſerint. Denique Genebrardo viro docto viſum eſſe, eo maxime labefactatam fuiſſe Eccleſiæ Gallicanæ diſciplinam, quod tota ratio præficiendorum Eccleſiis Paſtorum demutata ſit. Verum ſi religioſiſſimus Antiſtes oculos conjeciſſet in poſteriores quinque aut ſex retro ſæculorum electiones, plerumque impacatas, vitioſas, nefariis cupiditatibus inquinatas; ſi ſpectaſſet quoties jamdiu & quantis in Regnis vel Pontifices vel Reges Prælatos nominaſſent, & quam pene neceſſario ad id compulſi fuiſſent, populi Clerique & Monachorum diſſenſionibus quibuſdam infinitis; ſi denique æqua lance ponderaſſet merita & virtutes Prælatorum, atque obſervantiam caſtioris diſciplinæ ante & poſt Concordata: longe aliter, ut reor, ſenſiſſet, & reflorescenti forſan applauſiſſet nuperæ hujus ætatis Prælatorum complurium ſanctimoniæ.

Quoad temporales Eccleſiæ res, & ſpiritalia jura Antiſtitum, horum omnium poteſtas & adminiſtratio penes Pontificem eſt ſumma

(1) Spond. an. 1515. n. 10.

ſumma eadem, quæ prius; penes Reges eſt Patronatus & præſentationis jus. Sicut & penes Epiſcopos ſemper eſt poteſtas ſumma in minora Beneficia, maxime quoad jus ſpiritale, quanquam ea conferant ad nominationem Patronorum Laicorum. Nec alia de his unquam fuit Eccleſiæ ſententia ante mille amplius annos, ex quo locus nimirum fuit laico Patronatui.

Jam vero eligitur quidem ipſe Papa a Cardinalibus, nec aliter ea quidem in re fieri potuit; cum nuſquam ullus ſit, aut eſſe poſſit Antiſtes ſuperior, qui Papam nominet. Eſt autem Antiſtes unus ſummus Papa ipſe, qui Epiſcopos nominet, ſicut Chriſtus nominavit Apoſtolos, ſicut Apoſtoli ſingull Epiſcopos elegerunt & ordinarunt, non qui a gregibus electi ſuiſſent, ſed qui greges ipſi ſibi novos procreaturi eſſent; denique ut in toto hujus Operis noſtri contextu tot indigitavimus Epiſcopos, & quidem ſanctiſſimos, non electione inſtitutos, ſed vel ab aliis Epiſcopis, vel ab Archiepiſcopis, vel a Conciliis Provincialibus, a Patriarchis, a ſummis Pontificibus. Poſtremo tandem non fruſtra eſt, quod ſuperius in texenda electionum hiſtoria non potuimus non iterum iterumque animadvertere & admonere, non alia tum perſæpe ratione factas eſſe ante Concordata electiones, quam poſt Concordata.

VII. Clerus, Parlamenta, Univerſitates Concordatorum promulgationi interceſſerunt ardentius, quam felicius. Auctor eſt Spondanus (1) ſub Carolo demum IX. integram eis auctoritatem ſuam conſtare cœptam. Sed & poſtea interpellati fuere adhuc Reges a Conciliis Provincialibus, Rothomagenſi anni 1581. Remenſi ann. 1583. Burdigalenſi annı ejuſdem 1583. ſed & a Conventu Melodunenſi anni 1579. (2) electiones ut Epiſcopales in integrum reſtitutas vellent.

In Comitiis Aurelianenſibus Clerus, Nobiles, populus reſtitui electiones vehementiſſime expetiere: peroravit & Senatus Pariſienſis ad Regem Carolum IX. ut eatdem ab eo exculperet. Tum editum eſt Edictum Regium Aurelianenſe, cujus hoc primum Caput, quod e vernaculo ſermone Latinæ conſuetudini ita tradidimus: *Archiepiſcoporum poſthac & Epiſcoporum electiones fiant & nominationes. Nimirum Archiepiſcopi ab Epiſcopis Provinciæ, & Capitula Eccleſiæ Metropolitanæ. Epiſcopi ab Archiepiſcopo, ab Epiſcopis Comprovincialibus & a Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, arcitis præterea duodecim Nobilibus, quos elegerit univerſa Nobilitas Diœceſeos, & duodecim honoratis Civibus, qui & ipſi electi fuerint in publicis adibus Civitatis Metropoliticæ aut Epiſcopalis. Hi nimirum omnes a Capitulo vacantis Eccleſiæ convocati, ternos eligent iis moribus, ea doctrina & experientia inſtructos, quam Canones deſiderant, quam Decreta Pontificum præſcribunt: natos ſaltem annos triginta; hos ita electos præſentabunt nobis, ut ex iis judicio & arbitratu noſtro unum deligamus, qui vacantis Eccleſiæ adminiſtrationem adgrediatur.* Senatui placuit, ut interpellaretur denuo Rex, quo Abbatiæ quoque eo libertatis Edicto includerentur.

VIII. Vix quidquam poterat eo Decreto luculentius excogitari, quo pulcherrime priſcorum Canonum ſanctitas inſtaurabatur, & libertas; quo denique electiones nominationibus Regiis miro quodam temperamento conjugabantur. Sed iſtud perpendendum ſerio fuerat, Eccleſiam Catholicam, unam, unicam & uniformem ab origine ſua fuiſſe, non in fidei tantum decretis, ſed & in Diſciplinæ etiam præcipuis placitis, quanquam in aliis temperata & ſobria varietas non diſpliceret. Canones, quibus hoc Edictum accommodare ſe videbatur, a Conciliis, a Pontificibus & Epiſcopis Orbis univerſi commendatos olim & probatos fuiſſe, non a Gallis tantum, quibus tunc nihil erat antiquius, quam ceteras ſequi, atque imitari Eccleſias, ſicut & Eccleſiis aliis curæ erat Gallicanam imitari, ut quæ omnes unum conſtent Chriſti corpus, in unam coagmententur Chriſti ſponſam. Unam hactenus fidem, unam legem, unum Jus canonicum viguiſſe in omni Eccleſia Occidentali, ab ipſis uſque Eccleſiæ incunabulis. In ipſis electionibus effinxiſſe & conformaſſe ſe Eccleſiam Gallicanam ad Gregorii IX. Decretales, peræque ut alias Occidentis Eccleſias. Ne a Carolo quidem VII. & a Congregatione Bituricenſi anno 1438. conſarcinatam fuiſſe Pragmaticam Sanctionem, niſi ex Conſtantienſis & Baſileenſis Concilii Decretis; ſi quæ autem his clauſulæ & modificationes addi-

tæ

(1) Spond. an. vers. n 4.

(2) Conc. Rot. T. de Epiſc. & de Mon. Conc. Rem. T. de Epiſc. Conc. Burd. T. 16.

tæ eſſent, id ea ſpe factum, ut a Baſileenſi Concilio probarentur. Longo ſæculorum lapſu ſenſim ſine ſenſu, & inopinato pene exoleviſſe antiquas conſuetudines, nec reſtitui ealdem poſſe niſi eadem prorſus ratione lentiſſima, & quæ oculos fallat: abruptis enim & præſcitinis mutationibus nihil exitialius eſſe publicis rebus & Imperiis. Ne libertates quidem Gallicanas conſtare ſtatutis adproperatis, & præcipiti deliberatione uſurpatis, ſed conſuetudinibus Regni antiquiſſimis, enque robuſtiſſimis. Si ſingulæ denique Eccleſiæ Provinciarque ſuum ſibi jus canonicum privatim conderent, brevi collapſuram Chriſtiani nominis unitarem, vim, majeſtatem, diſſidentibus partibus a corporis compage, & ea ſeceſſione debilitatis. His rationibus revocatum mox eſt Aurelianenſe Edictum, promulgato Bleſenſi, & ad Concilium Tridentinum atque ad Concordata adprime contemperato.

Cum enim poſt publicatum Aurelianenſe Edictum ſtatim cœperit Concilium Tridentinum continuari, donec ad exitum optatiſſimum proveheretur, ejus ſaltem ſilentio & tacito conſenſu confirmatæ ſunt Regiæ ad Epiſcopatus nominationes, quæ toto jam Occidente convaluerant. Tanti enim ponderis res, tantaque per orbem fama & auctoritate, non poterat a Concilio taceri & diſſimulari, quin confirmaretur. Non aliter fas eſt tanti Concilii, & ad omnia arrecti armatique, quæ emendari egerent, ſilentium interpretari, quam ut pro conſenſu habeatur. Adde quod in Tridentino nominationes Regiæ ad Epiſcopatus manifeſtiſſime apponuntur & approbantur (1), cum jubentur inquiſitiones de vita & moribus eorum qui ad Epiſcopatus cooptantur, Romam mitti ad Pontificem, a Legatis vel Nuntiis Papæ per Provincias ſparſis, vel ab Ordinario, vel ab Ordinariis vicinis. Adde quod ibidem anathemate percelluntur, qui dixerint Epiſcopos a Papa creatos, vere Epiſcopos non eſſe (2): *Si quis dixerit Epiſcopos, qui auctoritate Romani Pontificis aſſumuntur, non eſſe legitimos ac veros Epiſcopos, ſed figmentum humanum, anathema ſit.* Denique hujus Concilii Epiſcopi, qui plerique a Regibus fuerant nominati, de creatione Epiſcoporum agunt, cujuſmodi nunc eſt, quando obteſtantur tam enixe omnes, quibus ab Apoſtolica Sede indulta fuerint privilegia dnnandorum Epiſcopatuum, ut iis donent, qui divini miniſterii ſanctitatem non dedécorent (3): *Omnes vero & ſingulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcunque jus quacunque ratione a Sede Apoſtolica habent, hortatur & monet ſancta Synodus, &c.* Agitur mox de examine Epiſcoporum nominatorum, vel electorum, & deſtinanda ad Pontificem ejus examinis charta.

Regio vero in Galliis Edicto anni 1629. ſancitur: *Ut Monaſteria & Abbatiæ Capita Ordinum eo jure electionis fruantur, ſicut & alia Monaſteria, quibus ea nunquam excuſſa poſſeſſio eſt, dummodo electiones ſint ex norma Juris Canonici, juxta Edictum Bleſenſe.*

IX. Anno 1601. pro ea qua pollebat ſapientia & integritate ſcripſit Cardinalis Oſſatus (4) ad Regem Henricum IV. abolendis electionibus nequaquam prius ſuffragaturum ſe fuiſſe; ſed ne nunc quidem ſuaſurum ſe Pontificibus, aut Regibus, ut ea ſe abdicent poſſeſſione, quam in Eccleſia præſcriptam invenerint, & in Regno. Cœpiſſe enim Joannem XXII. gente Gallum reſervare ſibi Epiſcopatus & Abbatias Chriſtiani Orbis totius; eaſdemque reſervationes tueri ſtuduiſſe ſucceſſores ejus. A Leone X. collatam fuiſſe Galliæ Regibus nominationem ad Epiſcopatus, ad Abbatias, & ad Prioratus electivos in Regno, & Delphinatu anno 1516. Itaque ea conceſſione includi necdum potuiſſe Epiſcopatus Metenſem, Tullenſem & Virdunenſem, qui non venere in poteſtatem Galliæ Regum niſi anno 1552. Cum hæ Eccleſiæ Concordatis ſe Germanicis contineri contenderent, Epiſcoporum ejus & Abbatum electiones retinuiſſe. At cum Geographi eas civitates non Germaniæ adſcribant, ſed Galliæ, aut Lotharingiæ: cumque definitum ſit a Rota Tractum Metenſem Germaniæ non includi finibus, quanquam Imperator & Rex Italiæ pro virili certarint, ut is Concordato Germanico accenſeretur: Pontificem Romanum illis Epiſcopatibus & Abbatiis Paſtores hactenus ſemper præfeciſſe, nihili habita Capitulorum electione. Hortabatur ergo Oſſatus compellari Pontificem, ut Indultum annueret ad Tractum Metenſem; ſed donec Reges id ab illo precibus expugnaſ-

(1) Ann. 1562. Seſſ. 22. c. 2.
(2) Seſſ. 23. c. 1.
(3) Seſſ. 24. c. 1.
(4) Tom. 2. Ep. 136.

gnaſſent, ne Pontificiis nominationibus adverſarentur, quocunque obtentu electiones defenſitandi. Nec alia mens erat Oſſati de Breſſia, quam non ita pridem Sabaudiæ Dux Regi conceſſerat. Nam & ad Epiſcopatum Bellicenſem, & ad Abbatias ejus tractus nominabat Pontifex, etſi eos tantum fere deſignatet, quos Dux indicaverat. In lucem poſtea exiit, & in Magni Conſilii Curia ſæpius oſtentata eſt Bulla Pontificia, qua Concordata Germaniæ ad Epiſcopatum Metenſem prorogantur, quod Metropoli Trevirenſi is ſit obnoxius.

Quanquam autem jam tum conniteretur Oſſatus ad extundendum illud Indultum: certum eſt tamen indultum non fuiſſe Regibus privilegium nominandi ad eos tres Epiſcopatus, Metenſem, Tullenſem, & Virdunenſem, niſi anno demum 1664. quo illud Alexander VII. Ludovico XIV. contulit, quandiu ſuperſtes eſſet Rex invictiſſimus. Sine ſingulari enim nominis encomio nunquam memorandus eſt nobis Rex ſupra omnem admirationis aleam poſitus, etſi noſtris obſcurari encomiis magis poſſint quam illuſtrari ejus virtutes & facinora ſole ipſo illuſtriora. Anno 1668. Clemens IX. Pontifex hoc Indultum ad ſucceſſores prorogavit (1), cui & implicuit Abbatias, Prioratus Conventuales, & alia Beneficia, quæ ſoleret Pontifex conferre ex reſervatione ſex menſium, quæ obſervatur in tribus illis Epiſcopatibus, aut vi Concordati Germanici, aut uſu & poſſeſſione. Solemni Monaſterienſis pacis fœdere tres illi Epiſcopatus Francico Regno aſſerti fuerant.

X. Ab eodem Clemente IX. donatus eſt idem Rex Chriſtianiſſimus nominatione Epiſcopatus Elnenſis, aliorumque Beneficiorum Comitatus Ruſcinonenſis (2): Epiſcopatus item Atrebatenſis, aliorumque Conſiſtorialium Beneficiorum in illis regiunculis, quæ armis nuper partæ Regno Francico acceſſerant; Epiſcopatus denique Tornacenſis, aliorumque Beneficiorum earum ditionum, quæ Fœdere Aquiſgranenſi eidem Regi permiſſæ ſunt.

XI. Quod ad Sabandiæ Ducis ditiones pertinet, cujus jura voluit Henricus IV. Rex ſibi exponi, ut inde lucis aliquid mutuaretur ad tuendam ſuam jam Breſſiam: per litteras illum certiorem fecit Oſſatus idem (3), Nicolaum V. Pontificem Ludovico Duci Sabaudiæ conceſſiſſe primum eximia quædam privilegia, quæ deinde confirmata ſint a Sixto IV. ab Innocentio VIII. a Julio II. Leone X. Clemente VII. Julio III. Gregorio XIII. & Clemente VIII. Nec tamen proprie jus nominandi a Pontificibus his indultum fuiſſe Sabaudis Ducibus: unde & ſtylo ſolemni Bullarum conferant Pontifices pure & ſimpliciter, mentione nulla nominationis Ducis. Sed eodem pene res redit, cum ſpoponderint Pontifices, non conferre Epiſcopatus & Abbatias, niſi explorata prius voluntate & conſenſione Ducum, circa eos qui his gerendis dignitatibus pares & idonei ſint. Quoad vero primas Capitulorum Dignitates, Prioratus conventuales, & alia Beneficia Regulis Cancellariæ Pontifici reſervata, ea non conferebat Pontifex niſi Sabaudicæ ditionis hominibus, aut extraneis, quos Dux probaſſet. Alioqui irritæ erant Pontificiæ Proviſiones iſtæ omnino omnes. Additur & illud ab eodem Oſſato, cum Henricus II. Sabaudiam & Pedemontium ſuæ ditioni ſubjeciſſet, illud quoque a Pontifice impetraſſe, ut & Indulta Sabaudiæ Ducibus conceſſa ſecum communicarentur.

XII. Nec diſſimulat idem Cardinalis bene multa eſſe, in quibus ab obſervantia Concordatorum deſcitum ſit. Ideo & in Concilio Rothomagenſi ann. 1581. ſtatutum eſt (4), ut ſi intra tres menſes poſt Pontificia Diplomata non conſecratentur Epiſcopi, fructibus Eccleſiæ ſuæ ſpoliarentur. Si Abbates & Priores a Rege nominati, intra ſex, aut ut ſummum novem menſes proviſionis ſuæ Bullas non impetraſſent, jure ſuo excideret. Ut Priores & Abbates, etiam Exempti, etiam Commendatarii, intra annum Presbyteratu initiarentur, poſtquam eam attigiſſent ætatem, quam Canones præſcribunt: ne poſſet venia ætatis Pontificiis diſpenſationibus facta, ultra annum prodeſſe, eo elapſo Beneficiis exuerentur. Concilium Burdegalenſe anni 1585. volvit (5), ut Epiſcopi ex præcepto Concilii Tridentini intra tres menſes ordinarentur, poſt ſuſceptas Pontificias Chartas: at ſi ultra tres alios menſes rem protraherent, Epiſcopatu ipſo privarentur.

XIII. Quod ad Monaſteria Monialium, certum eſt Concordatis nihil juris Regibus conceſſum eſſe ad eorum Nominationes,

(1) Pinſon. Traité de Indults. (2) Idid. (3) Oſſat. T. 2. Ep. 141.
(4) Tit. de Epiſc. c. 4. Tit. de Monaſt. c. 2. 4. (5) Can. 16.

ex Caroli Molinæi ſententia. Diſertis verbis ita ille pronuntiat, & ex eo etiam probat: 1. quod in odioſis maſculino fœmineum non contineatur: *Et certe Concordata nullo modo extenduntur ad Moniales: tum quod in odioſis maſculinum non concipit fœmininum* (1). 2. Ex eo quod Concordatis non tribuantur Regi nominationes ad Monaſteria, niſi ubi electiones fiebant ad formam Capitis *Quia propter*. Atqui nullo prorſus in Monialium Cœnobio ea electionum forma uſurpata fuit: *Tum quod verba Concordati non congruunt, immo repugnant. Quia ubi textus Concordati loquitur de Monaſteriis & Prioratibus Conventualibus & vere electivis, reſtringit ſe in ea in quibus forma Capitis* Quia propter, *De electione, ſervari conſuevit. Sed nunquam ſervari conſuevit in Monaſteriis Monialium, in quibus non forma dicti Capitis* Quia propter, *ſed forma Capitis* Indemnitatibus, *De electionibus in Sexto, attribuitur & ſervatur.* 3. Addit Molinæus Senatum Pariſienſem, & Magnum Concilium cœpiſſe inſurgere adverſus executiones nominationum illiuſmodi ad puellares Abbatias, quæ Conſilio Regis Privato ſurreptæ fuiſſent: *Ita tandem contra Moniales nominatas a Rege judicari cœptum in magno Regis Conſilio, & in hoc ſupremo Senatu, &c.*

XIV. Eo ſupponitur Franciſcum I. id jam ſibi ſumpſiſſe, ut ad Cœnobia Sanctimonialium nominaret. Nec de eo controverſia eſt ulla. Sed fatendum eſt, non ante id ab eo tentatum fuiſſe, quam a Clemente VII. Indultum elicuiſſet eo tempore, quo Henrico II. ejus filio neptim ſuam idem Pontifex elocabat. Eo enim Indulto, quod ann. 1531. conceſſum eſt, & publicatum regiſtratumque Magno in Conſilio ann. 1533. ſuſpendebantur privilegia olim conceſſa Eccleſiis Metropolitanis vel Cathedralibus & Monaſteriis, ſuos ſibi eligendi Prælatos, exceptis Ordinum Capitibus. Regi nominationes eæ condonabantur; denique non ultra Regis vitam prorogari poterat id Indultum: *Suſpendi privilegia Capitulis Metropolitanarum, & aliarum Eccleſiarum Cathedralium, & Conventibus Monaſteriorum, præterquam eorum quæ per Generales ſuorum ordinum regi conſueverunt, eligendi ſibi Prælatum conceſſa, quandiu vixerit Rex Franciæ nunc exiſtens.* Hæc Rebuffus in Concordata (2). Eccleſiæ omnes Cathedrales, Abbatiales, ſeu Conventuales, quæ non jure tantum communi nitebantur ad eligendum, ſed Privilegiis etiam Apoſtolicis, eæ Concordatis ipſis ſubducebantur nominationi Regiæ, & juri ſuo, ſeu privilegio adſerebantur. Hoc Indulto ſuſpenſa ſunt ea Privilegia, Regique Franciſco I. conceſſum, ut eas ad Eccleſias nominaret. Sed luculente Rebuffus demonſtrat, ad quæ illud pertineret Indultum, ad Eccleſias nimirum Metropolitanas, vel Cathedrales, ad Abbatias, vel Prioratus Conventuales.

Illud tamen ampliavit ad Cœnobia puellarum Franciſcus I. quorum Abbatiſſas nominare cœpit anno 1535. ut ex Molinæo colligitur. Senatus Pariſienſis & Magni Conſilii Arreſta his ſe Regiis accommodavere Nominationibus. Quin & Roma illis ipſis ſeſe attemperabat, hoc tantum diſcrimine, quod Indulto ipſo exprimitur, nimirum quod cum in ceteris Pontificiis Bullis exprimatur totum fieri *vi & virtute Concordatorum* (3): illæ quæ ex hoc Indulto concedebantur, hanc præ ſe ferebant clauſulam: *Pro quo Rex Chriſtianiſſimus ſcripſit.*

Cœpit Paulus III. reniti huic ampliationi Indulti, anno 1543. juxta eundem Molinæum (4): *Paulus III. Papa refragari cœpit.* Romæ jam non amplius pro Abbatiſſis diplomata Pontificia, niſi cum ea ordinaria clauſula expediebantur (5): *De conſenſu majoris partis Conventus dicti Monaſterii, vel de conſenſu medietatis Monialium.*

Poſtquam vivis exceſſit Franciſcus I. Henricus II. teſte eodem Molinæo, *Illico habuit prorogationem dicti Indulti.* Sed multo inexorabilior fuit Julius III. quam Paulus III. circa Nominationes Monialium: *Papa Julius III. præ ſuo deceſſore valde contra Regem exarduit, eo quod Rex attentaret in Monaſteria Monialium.* Narrat Molinæus idem cum Altiſiodori vacaſſet Abbatia Monialium, Moniales quidem elegiſſe Abbatiſſam, ac Regem aliam nominaſſe, cui & Bullas cum hac clauſula impetravit, (6) *cum clauſula: Proviſo, quod majoris partis, aut dimidiæ Monialium conſenſus accedat.* Exinde Rex nominavit, & diplomata Pontifi-

(1) Molinæus de Infirm. Reſign.
(2) Rebuff. De regia ad Præſent. Nomin. §. Per Præmiſſa. Verbo, præjudicare.
(3) Molin. De Infirm. Reſign. n. 313. (4) Ibid. n. 316. (5) Ibid. n. 314. (6) Ibid. n. 318.

tificia executioni mandari fecit, pro nihilo reputata ea clausula, quasi meri Curiæ styli res esset, nullius alioqui momenti, periculi nullius.

Obeunte Henrico II. Francisci II. Regni brevitas, ejusque germani & successoris Caroli IX. minor ætas variis rerum vicibus & mutationibus Regnum objecit. Illud de quo agimus Indultum antiquatum haud dubio erat: quin adeo non in mentem veniebat, ejus innovationis petendæ, ut & ipsa emarcuisse Concordata, atque expirasse jactarentur. (1) Inde est quod in Comitiis Aurelianensibus restitutæ sunt electiones ad Episcopatus & ad Monasteria. Sed cum temere prorsus & insulse diceretur emarcuisse Concordata, electiones ita restitutæ brevi rursus conciderunt.

Alia erat ratio Indulti, cujus tempus vere elapsum erat. Cantata ea occasio est in Comitiis Aurelianensibus (2) restituendæ electionis Abbatiarum & Prioratuum, quando & illud constitutum est, ut triennales omnes essent, quo nominatio Regum penitus excluderetur: *Abbatiæ & Prioratus posthac eligentur a Monialibus cujusque Cœnobii, quod triennio tantum administrabunt, innovanda semper post tertium quemque annum electione.* Senatus ipse Parisiensis ann. 1560. Francisco II. Regem admonuerat: *Nominationes ad Cœnobia Puellarum Concordatis non contineri.* Ferrerium Præsidem Carolus IX. ad Pium IV. Papam delegavit, ut ei causas exponeret Edicti Aurelianensis: sed ejus Legationis fructus nullus omnino fuit, nec aliter res se habuere post illud Edictum atque prius, ut habetur in Historia Pragmaticæ & Concordati (3).

Non displicuisset utique Pontifici aboleri nominationes omnes Regias ad Abbatias puellarum; sed non poterat non illi magnopere displicere abrogatio jactata Concordatorum. Apparet dimissis Comitiis, non illiberaliter Carolum IX. rursus nonnisi ad Episcopatus, & ad Monasteria vi Concordatorum, immo & ad Cœnobia Monialium vi prorogationis Indulti, quam & impetravit, ut in eadem habetur Historia Concordati (4): *Pius IV. anno 1564. diploma annuit Carolo IX. quo suspensis privilegiis eligendi, quibus gaudebant quædam Monasteria, Regi concessit ut ad eas nominaret Prælaturas in Gallia & Delphinatu, Britannia & Provincia.* Duo hic Indulta designantur, alterum ad Britanniam minorem & Provinciam, alterum ad Monasteria privilegio eligendi munita.

Postremum ergo hoc Indultum prorogatum fuit ad Carolum IX. & ad Henricum III. aliosque deinceps Franciæ Reges horum successores, qui & ampliatione ea quam ipsi fecerant hujus Indulti, ad Cœnobia quoque Sanctimonialium nominationes suas porrexerant. Consule, si lubet, Indulta a Pinsonio clarissimo Jurisconsulto publicata (5), & incides in eam quam fecit Henricus II. abdicationem juris nominandi Abbatissas; incides & in eam quam verbo tenus fecit Henricus III. declarationem penitus contrariam, quam etsi verbalem, regitrari tamen voluit in Consilio Magno; unde & secundum eam deinceps in ejus generis causis pronuntiatum est.

Exinde sequuta sunt Comitia Blesensia, quorum in Placitis Edicto Blesensi insertis, multa præclare sancita de Regiis ad Episcopatus, ad Abbatias, & ad Prioratus Conventuales Nominationibus: quo perspicue revocabantur statuta & Comitia Aurelianensia. Sed de nominatione ad Monasteria Puellaria, ne littera quidem ibi fit ulla. Hinc conjicies, si voles, restituras tum illis fuisse aliquantisper electiones, ex vi etiam Edicti Aurelianensis, quo restauratæ fuerant. Eodem certe propemodum tempore Gregorius XIII. pio fervebat studio ad extinguendam perpetuitatem Abbatiarum, omniumque apud Moniales Prælaturam, quo & Tridentino vehementer ille Concilio obsecundabat. Radiat ejus Bulla anni 1583. qua jubet omnium Monialium Abbatissas seu Præpositas triennales esse in Italia. Optatissimum illi fuisset, ut & extra Italiam ea triennii Abbatiarum lex propagaretur: cui cum adversarentur nominationes ad eas Regiæ, hinc ejus Pontificis mira morositas & alienatio circa Abbatiarum nominationes. Eam sibi tamen auctoritatem vindicavit Henricus III. per Arresta Magni Consilii, eo quem paulo ante dixi modo. Plura non dicam, ne altius me in ea inferam, quæ hujus mei non omnino sunt instituti.

(1) Ibid. n. 316. (2) Art. 3. (3) Pag. 172. 179.
(4) Pag. 160. & seq. (5) Tom. 2. pag. 656.

CAPUT XLI. *P. 4. l. 2. c. 49.*

De Electionibus in Oriente, poſt annum Chriſti milleſimum.

I. Ut fieret electio Patriarchæ Conſtantinopolitani?

II. Ut eligerentur Epiſcopi?

III. Singularia quædam in electione Patriarchæ.

IV. Simeonis Theſſalonicenſis obſervationes in electiones hujuſmodi, & in Inveſtituram Patriarchæ per Imperatores. Nec Patriarchæ, nec Epiſcopi poteſtatem ſpiritalem ab Imperatoribus derivabant.

V. An uſus iſte a Novellis Juſtiniani manaſſet?

VI. Quo tempore cœperit?

VII. Continuatur hiſtoria electionum Orientalium.

VIII. Ut in electione Patriarchæ Imperator Epiſcopo ludificaretur?

IX. De electione Patriarcharum poſt occupatam a nobis Conſtantinopolin, & poſt eandem rurſus a Græcis receptam.

X. De electione aliorum ſive Patriarcharum, ſive Epiſcoporum.

XI. De electionibus ſub Cantacuſeno Imperatore. Tres ab Epiſcopis Imperatori proponebantur, quorum ille unum in Patriarcham deligeret. De inveſtituris. De numero duodecim Epiſcoporum ad electionem Patriarchæ.

XII. Ut conſonarent & diſſonarent Orientales electiones ab occidentalibus?

XIII. De electionibus Græcorum, poſt occupatam a Turcis Conſtantinopolin.

XIV. Obſervationes aliæ de Græcorum electionibus.

I. THeſſalonicenſem Archiepiſcopatum eo tempore adminiſtrabat Simeon is, qui elegantiſſimum de Ordinationibus Tractatum edidit, quo Franci Conſtantinopoli & Græcia tota potiebantur ineunte ſæculo decimo tertio. Terni eligebantur, ut docet ille, in Epiſcoporum Conventu, e quibus unum Imperator in Patriarcham cooptaret. Quoad alios vero Epiſcopos, terni rurſum in Epiſcopali eligebantur Conventu, ex quibus ſuo Metropolitanus arbitrio unum in Epiſcopalem ſedem aſciſcebat; tumque omnes ad illius inaugurationem confluebant.

II. Summatim hæc idem ille habet de ritibus Epiſcopalis electionis. Omnes, quafieri poſſit, Epiſcopos Provinciæ convocat Metropolitanus. Tres ſaltem coire neceſſum eſt, cum aliorum teſtimoniis & ſubſcriptionibus. Vicem Chriſti, qui Apoſtolos primus elegit, ſuſtinet Metropolitanus: Epiſcopi vero perſonam gerunt Apoſtolorum, qui Matthiam elegerunt. Si tres vero tantum conveniant Epiſcopi, per eos illi repræſentantur Apoſtoli tres, qui eximio quodam amoris privilegio potiſſimis quibuſque Chriſti Myſteriis conſcii & teſtes futuri ab eo ſeligebantur. Subducit ſe Metropolitanus, poſtquam Epiſcopos in unum coegit, quorum Conventui Cartophylacem ſuum præſidere jubet. Id eo fit, ne in ſuffragiis conferendis Epiſcoporum libertati ſua officiat præſentia, utque tanto decentius & ipſe poſtea unum eorum poſſit deligere, quos illi ſibi præſentarint. Soli Epiſcopi jus habent ſuffragii, ſoli etiam huic interſunt Conventui cum Carthophylace & Amanuenſi ejus, ut ne quid in publicum exeat eorum, quæ ibi de quibuſlibet ultro, citroque dicuntur (1). Poſtquam ternos Epiſcopi delegerunt, ſecedunt; eorum vero electionis decretum refertur ad Metropolitanum cum ſuffragiorum circumſtantiis, ut eligat ipſe ex iis unum, nullo Epiſcoporum tum præſente. Eadem habet & Matthæus Blaſtares in Alphabetica ſua Juris Compilatione (2), nec aſſuiſſe Patriarcham Conventui, ubi eligeretur Metropolitanus, ſed unum ex tribus ſibi nominatis delegiſſe: nec Metropolitanum cœtui Epiſcoporum interfuiſſe, ubi tres deſignarentur, ſed ex tribus illis unum præpoſuiſſe ceteris.

III. Patriarchæ vero Conſtantinopolitani electio ita habet. Poſt obitum Patriarchæ non accedunt Epiſcopi ulli ad eam Eccleſiam, ne eminentiſſimam illam videantur ambire ſedem. Imperator ipſe tunc Conventum illum Epiſcoporum convocat, tum eorum qui in urbe degebant, tum aliorum: & eo munere fungitur Imperator, ſibi a ſanctis Patribus commendato, ut Eccleſiæ defenſori (3): *Imperator Synodum convocat, ea utens auctoritate ſibi antiquitus a divinis Patribus, ut Eccleſiæ defenſori conceſſa.* Epiſcopi ita adunati ternos eligunt cum Car-

(1) Simeon Theſſ. c. 6. (2) Blaſtares L. 3. c. 11. (3) Simeon Theſſ. c. 9.

Cartophylace, qui electorum nomina ad Imperatorem perfert, adjunctis ſibi duobus Epiſcopis. Ex illis tribus Imperator unum eligit, tanquam hanc poteſtatem nactus a ſanctis Patribus, propter cœleſtis unctionem chriſmatis, quo delibutus fuit, & propterea quod tres illi jam a Concilio Epiſcoporum electi ſint, dignique viſi, qui Pontificalem implerent dignitatem: *Unius de tribus a Concilio nominatis electio, antiquitus Imperatori; ut unctio, a Patribus permiſſa eſt, eo quod omnes ſunt a Synodo electi, & digni eo honore judicati.*

IV. Ut vero electo electio & nominatio ſua ſignificaretur, ſic rurſus ex eodem Simeone. Ad illum dignitatis ſacræ apicem vocari declarabatur ab Imperatore & Epiſcopali Concilio. En verba ipſiſſima: *Fortis & ſanctus dominus noſter & Imperator, & divina ſacraque & magna Synodus, advocant ſanctitatem tuam ad excelſiſſimum thronum Patriarchii Conſtantinopolitani.* Vidit Simeon horum verborum ambiguitate quadam deludi & in errorem poſſe agi lectorem, cortici hærentem, & ſuaderi Patriarchas ab Imperatore creari. Occurrit ergo ille obliquiori huic interpretationi, docetque non aliud Imperatoris hic eſſe munus, quam ut Decreti Synodici executor ſit, cum unum ex tribus deligit, quos Synodus tantæ dignitati non impares judicavit, & ne tum quidem ea poteſtate utitur, niſi ut ab Eccleſia ea donatus, tanquam ejus defenſor & Patronus: *Teſtantur quod Imperator, non a ſeipſo, ſed quæ Synodus ſtatuit, ſimul cum Synodo pronuntiat, & ſolum miniſterium hic præbet. Quapropter nugantur quidam rerum novarum inventores, invidia impulſi, cum dicunt, Imperator creat Patriarcham. Nullo modo id facit Imperator, ſed Synodus miniſtrante Pio Imperatore* ἐχειροτονία ἐκκλησίας.

Pergit Simeon in concerpenda eorum doctrina, qui nugabantur Patriarchas ab Imperatoribus creari, & ſacra donari dignitate, idque ſatagebant ex eo colligere, quod baculum Imperator illi Paſtoralem in manus infereret. Contra Simeon nititur non dari ab Imperatore ſacram virgam, niſi ut ab Eccleſiæ miniſtro quod vel ipſe mox teſtificabatur, cum ad eum illico accederet, ei caput inclinaret & aperiret, ejus benedictione impertiretur, oſcularetur denique manum: *Non igitur creat illum Patriarcham, neque illi dat aliquid, ſed operi jam facto conſentit & obſequitur. Clarum eſt enim quod nihil ei dat, ſed potius ab eo accipit, & veluti miniſter eſt rerum Eccleſiaſticarum. Nam cum electo ſacram virgam propria manu tradidit, ad eum accedit, & illi caput inclinat & ſicut moris eſt, benedictionem accipit, oſculaturque electi Patriarchæ manum.* Colligit & alia ejuſdem rei ex eo argumenta, quod Imperator ad Patriarcham Pallium mitteret & crucem pectori appendendam, *quæ ut pignus veluti miniſter & cuſtos conſervat.* Ait denique juſſu Imperatoris mox ſolitum adduci equum magnificentiſſime inſtructum, quo Patriarcha ſederet. Unus ex Comitibus eum habenis deducebat uſque ad Palatium Patriarchale *vice Imperatoris*, qui & gloria perfundebatur & gaudio, quod in veſtigia ingrederetur Conſtantini, qui eodem honore perfunctus eſt in Sylveſtrum Papam: *Ut olim ſanctio Sylveſtro ſecit magnus Imperator Conſtantinus.* Hactenus ex Simeone.

V. Nec facile divinari poteſt, quibus ab initiis orta ſit hæc eligendi nova ratio. Statuerat quidem Juſtinianus, ut ex tribus ſibi præſentatis unus a Metropolitano deligeretur: ſed 1. ediderat, ut dignior eligeretur (1): *Ex tribus electis melior eligatur electione & judicio ordinantis.* 2. Jubebat ille ut tres illi a Clero & Populo eligerentur, hic eliguntur ab Epiſcopis. 3. Minus probabile eſt hoc Decretum Juſtiniani in mores paſſim deductum eſſe, quod rariora ejus occurrant exempla in Eccleſiaſticis monumentis.

VI. Non tantopere ſuccenſuiſſet Synodus VIII. Oecumenica his electionibus in quibus Imperatores plurſculum ſibi ſumebant, quam par fuiſſet, ſi jam tum invaluiſſet ea conſuetudo, ut Imperator inveſtituram daret Patriarchatus Conſtantinopolitani per Pedum, Pallium & Crucem. Habita eſt ea Synodus anno 869. Tradunt autem Zonaras & Cedrenus circa annum 963. flagrante inter Patriarcham & Epiſcopos diſſenſione circa jus & modum electionum; Nicephorum Phocam Imperatorem arrepta ea occaſione, in eos invaſiſſe, & vetuiſſe ne præter ſuum conſenſum Eccleſiarum ſuarum gubernacula capeſſerent Epiſcopi: *Imperator ex hoc ſumpta occaſione, & omni auctoritate defigendi Epiſcopos ſibi vindicata, edixit, ne quiſquam injuſſu ſuo in eam*

(1) Juſtin. Nov. 123. 137.

eam Eccleſiam mitteretur.

Hæc, ut ſuſpicor, exordia fuere novæ hujus Diſciplinæ. Qui in locum Nicephori Phocæ ſucceſſere Imperatores, nec remittere prorſus quæ ab eo uſurpata erant voluere, ſed nec eam incurrere infamiam, quæ Nicephori Phocæ impietatum ſectatoribus adhæreſcebat; itaque in hanc facile inclinarunt ſe quaſi mediam & temperatam rationem, ut Epiſcopi ternos ex omnibus, Imperatores unum ex ternis jam electis eligerent (1). Tzimiſces qui impium Nicephorum vita & Imperio ſpoliaverat, conſtantiſſime negavit Polyeuctus Patriarcha ſe Imperiali diademate redimiturum, donec illud abrogaſſet Nicephori Decretum, Eccleſiæ libertatibus adeo infeſtum. Illud forſan ea rerum & temporum opportunitate temperamentum circa electiones Epiſcopales excogitatum invectumque eſt.

VII. Baſilius & Conſtantinus Romani Imperatoris filii, cui Nicephorus Phocas ſucceſſerat, ſucceſſere & ipſi Tzimiſcæ (2), cumque Conſtantino germano ſuo ſuperſtes fuiſſet Baſilius, ſua unius voluntate Alexin Patriarcham Conſtantinopolitanæ præfecit Eccleſiæ. In Imperatoria ei ſede ſucceſſit Romanus, qui & ſucceſſorem cum accepiſſet Michaelem Paphlagonium, tum vero a Metropolitanis & Epiſcopis conſpiratum eſt in Alexis Patriarchæ exauctorationem, ut Imperatoria poteſtate intruſi, ſine Epiſcopalibus ſuffragiis, ſubrogationem vero fratris Imperatoris novi, qui ejus erat cupidiſſimus dignitatis. Sed veterator Patriarcha Alexis Epiſcopis ſignificavit, ubi exauctoratus ipſe ſuiſſet, abdicandos utique mox fore Metropolitanos, quos ordinaſſet, & Imperatores ipſos quos cinxiſſet Imperatoria Corona, toto Pontificatus ſui curriculo, annorum undecim, vel duodecim. Eo audito Epiſcopi a conjuratione reſilierunt. Audi ipſa Alexis Patriarchæ verba (3): *Quando, ut aſſeritis, non ſuffragio Archiepiſcoporum, ſed Imperatoris juſſu ad ſedem aſcendi contra Canones, abdicentur ii quos ego Metropolitanus elegi, dum &c.* Hinc perſpicis intruſos habitos fuiſſe Patriarchas, quos Imperator citra Metropolitanorum ſuffragationem promoviſſet.

Ex ea vero Epiſtola, quam Theophylactus Archiepiſcopus Acridæ in Bulgaria ad Ducem quendam dedit, a quo interpellatus fuerat, ut ex amicis unum Epiſcopatu decoraret: ex ea, inquam, perſpicuum fit, perſuaſiſſimum tunc fuiſſe Græcis, non poſſe temporales Principes inferere ſe Epiſcopatuum diſpenſationi, ne precibus quidem ſuis, nedum dono ipſo Epiſcopatus (4): *Nec tibi, Domine mi, in iſta fas eſt te ipſum ingerere, quæ magna ſunt & formidanda.* Verba mox facit Theophylactus, tanquam qui Epiſcopatus dandos in poteſtate habeat, ſed qui nunquam donet, niſi diutius in ſuo Clero probatis, aut qui diutius Conſtantinopoli vel concionibus ſacris, vel lectionibus præfuerint, aut qui denique inſtitutionum Monaſticarum diuturno claruerint decurſu.

Leo IX. in Epiſtola ea, quam viciſſim Petro Antiocheno Patriarchæ ſcripſit, ſubinnuit illum a Clero Populoque electum fuiſſe (5): *Promotionem tuam ad Epiſcopale faſtigium electione Cleri & Populi, ſicut aſſeris, factam, &c.* Sed poterat Patriarcha eam poſteriorem intellexiſſe Cleri & Populi electionem, vel potius aſſenſionem, poſtquam aut Principes, aut Epiſcopi eligendi, vel nominandi partes ſuas implerunt. Habes ejus rei exemplum in Patriarcha Latino Hieroſolymitano, anno 1100. Datis enim hic ad Principem Boamundum litteris ſignificare videtur, ſe prius ab eo Principe fuiſſe deſignatum, & tum demum Cleri & Populi aſſenſionem acceſſiſſe (6): *Scis, fili cariſſime, quoniam me ignorantem in Patriarcham elegeris, electum communi tam Cleri ac Plebis, quam Principum aſſenſu in hujus dignitatis ſedem locaveris.* Scribit tamen Paſchalis II. in Epiſtola quadam ſua Gibelinum Metropolitanum Arelatenſem electum fuiſſe in Epiſcopum Hieroſolymitanum Cleri & Populi ſuffragiis (7): *Quod eum Clerus & Populus communi deſiderio & unanimi voto in Paſtorem ſibi elegerunt.*

Sed illud proxime a vero abeſt, Latinas eo ævo in Oriente Eccleſias, Occidentali ſe potius, quam Orientali aptaſſe diſciplinæ. Docet Cinnami hiſtoria (8), dum in Oriente bellarent & vincerent Latini, id contendiſſe Græcos Imperatores, ut Patriarcha ſemper Antiochenus Conſtantinopoli mitteretur.

(1) Anno 969. Cedrenus pag. 694.
(2) Cedrenus, Zonaras. Ann. 1025.
(3) Baron. ann. 1036. n. 5. Curopalat.
(4) Baron. ann. 1091. n. 22.
(5) Epiſt. 5.
(6) Baron. ann. 1101. n. 31.
(7) Epiſt. 15.
(8) Cinnamus L. 4. p. 14. 107. &c. L. 5. p. 136.

mr. Affirmatur & illud ibidem Kioviensem Ruſſiæ Metropolitam ſemper Conſtantinopoli creatum & eo miſſum fuiſſe. Hoc eſt, electum eum uſitatiſſime fuiſſe ab Imperatore, a Patriarcha, & ab Epiſcopis, qui Conſtantinopoli morarentur. Alexiados ſuæ libro XIII. profert Anna Comnena fœdus cum Boamundo Antiocheno Principe percuſſum, quo hic ſpondebat nullum fore Antiochiæ Latinum Patriarcham, ſed ſuſceptum iri eum quem mitteret Imperator Conſtantinopoli, ex gremio aſſumptum ipſius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. At id quidem minus obſervatum fuiſſe fatetur.

VIII. Ut ad Græcos rurſus me recipiam, ubi refert Nicetas Choniates electionem Michaelis Patriarchæ anno 1141. quo Manuel Comnenus Imperium auſpicabatur; illum, ait, electum fuiſſe ſuffragiis Imperatoris, Principum ejus Regiæ ſtirpis, Senatus, & Epiſcoporum, & majori ſuffragiorum numero rem perfectam fuiſſe (1): *Proinde ſententiam ſuam cum cognatis, Senatoribus & Sacerdotibus communicat, &c. Eorum ſententia vicit, ceteris fere omnibus aſſenſis, qui &c.*

Non ea animi moderatione uſi ſunt, qui ſucceſſere in Imperium, ubi creandi fuere Patriarchæ. Horrori potius eſſet, quam vel voluptati vel utilitati enarratio ulurpationum & intruſionum frequentium, quas idem Scriptor, aliique non pauci ſcriptis mandavere. De eo vel uno ab hoc exemplo conjicias. Cum diutius Patriarchis illuſiſſet Iſaac Angelus Imperator, eos nunc deſtituens, nunc reſtituens, ſola animi ſui libidine & levitate incitatus; ſtatuit denique Patriarchatum Conſtantinopolitanum in Doſitheum transferre, Patriarchatu Hieroſolymitano jam gaudentem. Sed cum non neſciret inimiciſſimas eſſe translationibus Canonicas regulas, Theodoro Balſamoni Patriarchæ Antiocheno verba dedit, *viro ea ætate conſultiſſimo*, & ipſem fecit Patriarchatus Conſtantinopolitani, ſed ei translationi non aſſenturos forſan Epiſcopos, ut Canonibus adverſæ. Facile fuit Balſamoni Synodo Epiſcoporum perſuadere, utiles quandoque eſſe Eccleſiæ translationes Epiſcoporum, adeoque & neceſſarias, & in iis rerum ac temporum anguſtiis conſentaneas canonicis inſtitutis. Ergo attentiri Synodum translationi ubi primum reſcivit Imperator, protinus Doſitheum Conſtantinopolin tranſtulit. Illum ejecerunt Epiſcopi, ejectum Imperator armata manu reſtituit. Sed rurſum poſtea abdicatus fuit, & utraque privatus Eccleſia Patriarchali, quam non vitæ minus & moribus, quam intruſione fœdaverat. Hactenus ex Niceta.

IX. A Gregorio Acropolitano conſcripta eorum temporum hiſtoria eſt (2), quibus Franci Conſtantinopoli imperitabant. Ex ea non minus manifeſte declaratur ſumma Imperatorum & arbitraria poteſtas in Patriarchis ſua ſponte eligendis, & iis eligendis, quos aut cupiditas, aut quædam animi hebetudo ſequaces faceret ad omnia eorum imperia. Si eodem tempore ſcripſit Simeon Theſſalonicenſis, ut conjecit Morinus noſter, illud ſtatuendum erit, fluxam & ſubinde labefactatam fuiſſe eam, de qua ille agit, Imperatoris & Epiſcoporum concordiam ad Patriarchæ electionem. Nemo neſcit quam frequentes ſint hæ canonicarum inſtitutionum concuſſationes.

Poſtquam vero depulſis Latinis Michael Palæologus Conſtantinopolin ſibi Græciſque ſuis recuperavit, dubium eſt an religioſius canonicæ diſciplinæ concinuerint electiones. Georgius Pachymeres Palæologi hujus Michaelis res ſtylo elegantiſſimo proſecutus, narrat (3), ut a ſolo Patriarcha Conſtantinopolitano conſtituti ſint Epiſcopi Theſſalonicæ, Sardibus & Dyrrachii, ut ne veſtigium quidem ullum exiſtat electionis, vel Epiſcopalium ſuffragiorum. Fuerat quidem Patriarcha ille ipſe creatus ſuffragiis Synodicis, conſenſu Imperatoris, qui acquievit tunc ut Epheſo Conſtantinopolin transferretur, quamvis ante prohibuiſſet, ne ab eadem Synodo ex Archidiacono Patriarcha crearetur. Sed in his duabus electionibus, quarum priorem irritam fecit Imperatoris interceſſio obſtinatior (4), nos verbum fit nullum de eo Simeonis Theſſalonicenſis ritu, ut ex tribus ſynodice electis unum Imperator ſuo nutu deligeret. Quinimmo flagrantiſſima indignatio, qua eſterbuit Nicephorus Archidiaconus in Imperatorem, qui electionem Synodicam ejus in irritum miſerat, ex Pachymere: apertiſſime prodit electionem a ſola Synodo factam fuiſſe (5): Nicephoro huic ſucceſſit Arſenius ſenior, qui Patriarchali ſede olim ejectus fuerat, & qui in eam revocatus tandem eſt Synodi & Imperatoris ſuffragio.

Arſenius ſenio ſuo nihilo ſegnior factus, in

(1) L. 1. Ep. 34. (2) Pag. 35. 58. (3) L. 2 c. 22.
(4) L. 2. c. 16. (5) L. 3. c. 12.

in eundem ultor exarſit Imperatorem, eumque ſacris ſummovit, quod legitimum Imperii hæredem, impuberem adhuc oculis orbaſſet; cumque hæc anathematis vincula exſolvere conſtanter abnueret, quantumvis ab Imperatore interpellatus, a Synodo Epiſcoporum abdicatus eſt tandem. Tunc Epiſcopos pleniſſima libertate donavit Imperator, ut eligerent (1) quem mallent, & tum *univerſi convenerunt in Germano Hadrianopoleos Epiſcopo*. Et hunc ſimile veri eſt Patriarcham nil deſciviſſe a præceſſoris ſui invicta fortitudine, cum nullas non machinas adhibuerit Imperator, ut ad voluntariam abdicationem eum vi alliceret, vel pertraheret. Id aſſecutus, rurſum prorſus liberis, ſaltem in ſpeciem, ſuffragiis eligi voluit Patriarcham. Perſpicaciores quidam penitiora ejus conſilia rimati, ſuffragia inclinarunt in Iolephum, qui in Aula a puero meruerat, Aulæque faciles & flexibiles animos induerat. Haud ægre igitur ille Imperatorem nodis anathematis abſolvit. In his porro exemplis ne ſubodorari quidem eorum quidquam potuimus, quæ a Simeone Theſſalonicenſi narrata ſunt.

Hic Patriarchæ docilis verſatiliſque animus non paulo oppurtunior fuiſſet, cum Palæologus Græcam Eccleſiam Latinæ conſociavit, ſubjiceitque ſummo utriuſque Capiti. Ille indomita reſtitit contumacia, eoque ſede exturbato, rurſus Imperator canonicam fecit Epiſcopis eligendi ſucceſſoris poteſtatem. Cum vota ſua contuliſſent in Patriarcham Antiochenum alii, alii in Veccum Chartophylacem, permiſſa eſt Imperatori alterius eorum electio. Ille Veccum digniorem cenſuit. Tunc cœtere in Eccleſiam Archiepiſcopi, Veccum Patriarcham elegerunt (2): *Primis, ſecundis, terſiſque ſuffragiis Veccum unum Patriarcham declarant*. Πρῶτοι, καὶ δεύτεροι, καὶ τρίτοι τὸν, καὶ τὸν τὸν. Vides quam hæc accedant ad ea quæ ſuperius dicta ſunt non ſemel de electione ejus ipſius a Clero, vel Epiſcopis, quem Imperator jam nominaſſet.

X. Quoad alios, vel Epiſcopos, vel Patriarchas nullo prorſus argumento conſtat, vel conſuetudinis fuiſſe, vel voluntatis Imperatorum, ut ipſorum conſenſus, vel ante, vel poſt electionem expoſceretur. Si enim hic idem Pachymeres narrat (3) mortuo Conſtantinopoli Antiocheno Patriarcha, rimari voluiſſe Imperatorem & explorare eum, qui ſucceſſor illi ab Epiſcopis deſtinabatur: ejus rei, ut novæ & inuſitatæ novæ etiam ab eo propalatur cauſa, quod vereretur ne immerito Imperator, ne quis ampliſſimam illam invaderet Sedem, qui factæ cum Latinis unioni clam adverſaretur. Obiter illud quoque adverte, Conſtantinopoli factam Patriarchæ Antiocheni electionem, & tot Epiſcopos ex ejus Patriarchatu arceſſitos, quot neceſſarii erant, ut electio canonica foret. Numerum non declarat hoc loco Pachymeres, at illum poſtea retegemus.

Si quis autem nobis objectet Decretum Cœleſtini III. *Cum terra, De Electione*, quo permittitur, ut canonica electione celebrata, flagitetur poſtea conſenſus Principis, vel Patriarchæ, quod capi niſi de Orientalibus Eccleſiis non poteſt. Reſpondemus ad Latinos tum Patriarchas, tum Principes in Oriente trahi neceſſario debere id decretum. Latinam illis Pontifex Diſciplinam præſcribit (4), prohibetque quod Græcis uſitatiſſimum erat, ne id imitentur, ut plures eligant, quorum Patriarcha vel Princeps unum deſignet, vel ut ne malitioſe & veteratorie indignos eligant, ut eligendi poteſtas ad Patriarcham devolvatur.

XI. Narrat Cantacuſenus, quo flexuoſo anfractu & qua arte Epiſcopos ipſemet circumvenerit, ut in Patriarcham Conſtantinopolitanum eligerent Joannem Presbyterum, Capellanum ſuum, quemque ipſemet Clero Palatino inſcribi feciſſet. Faſtidioſius primum Epiſcopi abjecerunt rem ab illo propoſitam: ſed cum exoraſſet tandem eos, ut Epiſcopatum ſaltem illi aliquem annuerent, illis annuentibus Archiepiſcopatum Theſſalonicenſem: facile mox demonſtravit (5), qui Epiſcopatu quolibet dignus haberetur, quamvis minimo, majori indignum reputari non poſſe: atque ita inopinos induxit ad ejus electionem, quem ipſe cupiebat.

Magni tunc adhuc Domeſtici munere ille fungebatur. Ubi poſt adeptus eſt Imperium, non minus cupide ad Patriarchalem ſedem provehere curavit, quoſcunque ſibi collibuiſſet. Verum blanda ſemper quadam arte & induſtria illos Epiſcopis conciliabat. Cum Calliſtum Monachum Patriarchali dignitate augere (6) animo ſuo conſtituiſſet,

(1) l. 4. c. 9. 10. 12. (2) L. 5. c. 24. (3) L. 6. c. 5.
(4) Pachym. Andronic. L. 2. c. 13. 27. 28. L. 5. c. 67. L. 4. c. 11.
(5) L. 2. c. 20. (6) L. 4. c. 16.

ſet, ex Atho monte illum arceſſivit, quamvis alienatas ab eo Epiſcoporum mentes delinivit, permuliſit, & perfecit tandem, ut non illubentes eum eligerent.

Sed quando poſtea Calliſto huic Patriarchæ deſignandus fuit ſucceſſor, ingenue profeſſus eſt Cantacuſenus, improbe & indificatorie omnino ſuperiores Imperatores, & ſe ipſum eorum exemplis ſervientem, poſtquam clam, ſed certo & indeflexo propoſito ſecum ipſi ſtatuiſſent, quem vellent Patriarchali ſedi intrudere, adhortatos eſſe Epiſcopale Collegium, ad Numen precibus tundendum, & ab eo extundendum divinum lumen, quo dignoſcere poſſent, quis ſacro eo miniſterio & Pontificatu exornandus ſibi eſſet. Nec mora, jam tum pronuntiavit Imperator, leges poſthac canonicas in electionibus ſibi & Epiſcopis mordicus ſectandas, ut ab Epiſcopis terni eligerentur digniſſimi, unus ex eis ab Imperatore (1): *Eligant Epiſcopi, tribuſque propoſitis, qui in primis digni videntur, Imperatori unius electionem concedant.* Hanc Imperator tunc appellavit canonicam & antiquam libertatem: *Veterem vobis libertatem reſtituo, ego unum ex tribus, ut mos eſt, decernam.* Elegere mox Epiſcopi Philotheum Epiſcopum Heracleæ, Macarium Epiſcopum Philadelphiæ, & virum doctiſſimum Nicolaum Cabaſilam. Ex his tribus Imperator primum delegit.

Ex ea narratione dilucidum eſt, eam deligendi rationem rarius uſurpatam fuiſſe; eam conſuetudine, ſed paucis exemplis nixam fuiſſe; minime omnium approbatam ipſis Imperatoribus fuiſſe, ut quæ nec expedita ſatis, nec tuta eſſet, ut quos ipſi vellent, ii ad Patriarchatum venirent. Matthæus Blaſtares, quem probat Morinus (2) ſub Andronico Seniore floruiſſe, id ipſum teſtatum facit, ſecundum Canonicas ſanctiones penes Epiſcopos ſolos liberam eſſe electionem Patriarcharum & Epiſcoporum, nulla neceſſaria interventione Imperatoris. At reapſe Canonicis regulis quantumvis adverſantibus, ab Imperatoribus creari ſolitos, tum Patriarchas, tum Epiſcopos, etiam inconſultis Epiſcopis (3): *Licet Canones reſervent Epiſcopis Provinciæ ſuffragia in Epiſcoporum electionibus, prohibeantque ne aliquid ejuſmodi cum quovis Principe communicetur; Imperatores tamen ſine Epiſcoporum ſuffragiis, & Patriarchas & Epiſcopos eligunt & promovent.*

Sub Cantacuſeno eodem ætatem agebat Nicephorus Gregoras, qui in illum ipſum non ſemel calamum ſtrinxit. Arſenii ſenioris Patriarchæ electio ab eo narratur in hunc modum (4): *Patriarcha creatur communi Pontificum ſuffragio, Imperatore maxime approbante, & Pontificium illud ſuffragium, ut moris eſt, approbante.* Ex quo ſuſpicari quis poſſet, ubi in unum aliquem omnium vota conferebantur, tum Imperatorii fuiſſe juris & officii, ut electionem confirmaret. Sed ubi in plures dividebantur ſuffragia, tum Imperatores id ſibi arrogaſſe, ut ex numero, quem mallent præponerent. Vidimus ſupra, ut hac ſibi ſpe blandiretur Imperator Germaniæ. Idem vero mox Gregoras referens electionem Joſephi Patriarchæ, ait Imperatorem id primo iniſſe conſilii, ut illum promoveret, tum perfeciſſe ut ab Epiſcopis eligeretur, electum autem inveſtiſſe per baculum, quem illi porrexiſſet, throno ſublimis Imperatorio (5): *Eſt tamen ab Imperatore poſt debita ſuffragia & teſtimonia deſignatus, & paſtorale pedum in Imperatorio ſuggeſtu veteri more ab Imperatore porrectum accepit.* Simillima fuit & electio Patriarchæ Joannis Sozopolitani, *Decreto Imperatoris, & ſuffragiis Sacerdotalis Synodi.* Proniſſimum facillimumque erat Imperatori, quantos vellet emereri & ſibi adjungere Epiſcopos, ut Patriarcham crearet quem cuperet, ſi ex tribus Epiſcopalibus calculis electis, ipſe quem maluiſſet eligebat. At ſatis ſuperque prodebat Andronicus Senior, nec ſe, nec anteceſſores ſuos eo ſe limite cohiberi voluiſſe, ſed electionibus imperioſius dominari (6): *Sic acciderat, ut Imperium olim Eccleſiæ privilegia dediſſet, ea quæ etiamnunc cernuntur; ac viciſſim Eccleſia id Imperio conceſſiſſet, ut quem vellet e deſignatis Patriarcham declararet, &c.*

Electionum Græcarum formula, quam capiti xx. intexuit Codinus, manifeſte ſignificat, duodenario non amplius Epiſcoporum numero opus fuiſſe, ad Patriarchæ creationem, ſive eorum qui jam in Urbe demorarentur, ſive qui ex Provinciis arceſſerentur aliis & civitatibus. Subditur denique in eadem Formula, ſeu Rituali libello, Archimandritas & Abbates, poſtquam

(1) L. 4. c. 17. (2) Morinus. De ſacroſ. Ordin. T. 1. p. 105. (3) Littera k. c. 32.
(4) L. 3. c. 26. (5) L. 6. c. 77. 88. (6) L. 9. pag. 101.

Patriarchali Benedictione fuerant ordinati, ab Imperatore Paſtoralem baculum ſuſceperiſſe, a quo & ipſe ſuſceperat Patriarcha. Narrat & Phranzes, ubi primum electus fuerat Patriarcha, ad Imperatorem acceſſiſſe, & ab eo Virgam auro gemmiſque radiantem accepiſſe, cum Imperator interim his illi verbis imprecaretur (1) : *Sancta Trinitas quæ mihi Imperium donavit, te in Patriarcham novæ Romæ deligit.* Nemo tam rudis eſt rerum ſacrarum, nemo in hiſtoricis Annalibus tam hoſpes, cui non exploratiſſima ſit fœdiſſima ſervitus, qua Græci Imperatores poſteriores obtrivere, tam Patriarchas, tum Eccleſiam & Electiones.

XII. Jam vero ad collationem ingrediamur electionum Græcarum & Latinarum, Orientalium & Occidentalium : conſonare nobis permulta citra dubium videbuntur, ſorſan & plura diſſonare. Utrobique enim 1. electione creati ſunt Epiſcopi. 2. Electores, vel ſoli, vel primarii ipſimet fuere Epiſcopi. 3. In partem aliquam venerunt Principes temporales. 4. Epiſcopi ab iis inveſtiti ſunt. 5. Immo & Abbates. 6. Principum auctoritas in electionibus pene ſemper dominari viſa, ſive per cuniculos, ſive ſimplici & aperta vi, inverecunda Canonum oppugnatione. 7. Conſtantia unius Diſciplinæ, & obſervantia Canonum fuit rariſſima inter tantas morum corruptelas, & in re tam lubrica, humaniſque cupiditatibus proliciendis tam idonea, hoc eſt proviſione Eccleſiaſticarum omnium dignitatum, opumque. 8. In tanta rerum inconſtantia nihil conſtantius, nihil laudabilius fuit, Principum quorundam cauta & provida moderatione; qui Eccleſiæ, qui Imperio conſultum ſimul voluere; & res ultro citroque ita temperavere, ut utrique conſultum eſſet; qui denique ita ſua ipſi humanitate & obſervantia in Eccleſiam, in Canones, in Epiſcopos & caritate, Epiſcopos adduxere, ut & ipſi illis viciſſim plerumque aſſentirentur. Ea haudubio fuit, & diuturnior diſciplinæ ſacræ ratio & felicior. Nec enim diutius unquam potuit retineri, & nedum perpetuari, vel ſtrictiſſima Canonum obſervantia, nec atrocior Principum auctoritas, in iis rebus, quæ natura ita comparatæ ſunt, ut indulgentia plurima, plurimis egeant delinimentis.

Nec minus conſpicabiles fuere diſſonantiæ utriuſque Eccleſiæ. 1. Populo non parum poteſtatis fuit apud Latinos aliquandiu. 2. Cleri longe ſemper major poteſtas quam populi, quod non æque apud Græcos obſervari potuit. 3. In electionibus Latinorum fere ſemper dominati ſunt Epiſcopi cujuſque Provinciæ : at in Oriente fere Conſtantinopoli eligebantur Epiſcopi Provinciarum, & quidem ab Epiſcopis in urbe Regia degentibus, additis pauciſſimis, qui ex Provinciis arceſſebantur. 4. In Occidente electionibus interveneruntſummi Principes, conſenſu & ante, & poſt dando, nihil obſtrepentibus vel Concilis, vel Pontificibus, quando ita ferebat uſus. At vero nihil ſiſtuſmodi apud Græcos. 5. Et tamen ſummi Principes in Occidente impenſius reveriti ſunt electiones, quam in Oriente. 6. Callidius vero obumbrabantur utiurpationes Imperatorum Græcorum, ubi ex tribus quos Epiſcopi dignos judicaſſent, unum ipſi deligebant. 7. Adde quod nec unquam in mentem viciſſim venerit Imperatoribus Græcis, ut ad Epiſcopatus omnes cum Patriarcha nominarent. 8. Non litem, non controverſiam moverunt Græci Imperatoribus ſuis, de Patriarchæ & Abbatum Inveſtituris. 9. Nec Inveſtitura illa Imperatoria ſpectabat, niſi ad Patriarcham & ad Abbates, qui ab eo benedicerentur. Nec enim ceteri toto orbe Orientali Epiſcopi & Abbates Paſtorali baculo ab Imperatore donabantur. Niſi forte ad inveſtituras detorqueat, quod ait Simeon Theſſalonicenſis (2), impoſuiſſe, & fucum feciſſe Imperatoribus Aulicos aſſentatores, ut auderent *promovere Epiſcopos, & translationes facere*. 10. Rariſſime in occidente uiurpatum illud Orientalium, ut ex tribus, quos elegiſſent Epiſcopi, unum Imperator eligeret. Contra nunc in Occidente factitatur, ut Principes Pontifici præſentent, ille eligat aut inſtituat.

XIII. Illud porro injuria ſtupendum, reſtitutas tam demum fuiſſe Conſtantinopoli electiones, in diſſipati ejus ac dilacerpti Imperii miſerandis ruderibus, poſquam barbara Turcorum & truculenta natio Imperium olim longe ſplendidiſſimum obtrivit. Contulit Patriarchæ Græco Germano Mahumetes II. expugnata Conſtantinopoli, quidquid reſcivit conferri ſolitum a priſcis Imperatoribus Chriſtianis, Mitram pretioſam, Pallium, Equum album ad ſolemnem

(1) L. 3. c. 91.

(2) De ſacris Ordinat. c. 8.

mnem in Urbe pompam, denique virgam ipſemet Paſtoralem in manus ejus inſeruit (1). Germani ſucceſſor Iſidorus *ſuffragiis Antiſtitum, Clericorum, totiuſque populi Patriarcha factus eſt*. Quatuor priores Conſtantinopolitani Patriarchæ poſt occupatum a Turcis Imperium, ad eundem modum creati fuere, Sultanis, ſeu Imperatoribus Turcis conferentibus munera, nedum quidquam exigentibus. Primi omnium cives Trapezuntini, ut ſuæ gentis homini Patriarchatum pararent, ingentem pecuniæ vim Sultani fiſco refuderunt, quæ & in dies major poſtea collata eſt, non tam Sultanorum avaritia, quam Græcorum turpiſſima licitatione, ſanctiſſimæ dignitatis infulas nundinantium. Sed quod ad electionum libertatem attinet, nihil de ea decerptum eſt; Epiſcopi, Clerus, Abbates, Nobilitas, populus jure ſuffragii fruebantur (2): *Coacta fuit frequens Synodus, Metropolitis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Clericis, Abbatibus, Prioribus, & aliis Sacerdotibus necnon Nobilibus viris, & quos intereſſe referebat, concurrentibus, denique plebeja multitudine.*

Electio Niphonis Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, quam in eadem Turcograecia ſua publicavit Cruſius, hoc eſt in Eccleſiaſtica Græcorum hiſtoria, poſt occupatam a Turcis Conſtantinopolin; electio, inquam, Niphonis argumento eſt pari libertati ſuffragiorum locum fuiſſe in ceterorum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum electionibus (3): *Congregati Epiſcopi Theſſalonicæ cunctis, Metropolin ingreſſi ſunt. Ubi Synodo facta, præſentibus Clericis & aliis ſacrorum Ordinum viris, Primatibuſque civitatis & cuncto populo, elegerunt Niphonem, &c.* Ceteræ denique deinceps Patriarcharum electiones pari ſemper & liberrima Epiſcoporum, Cleri, Nobilium & Populi ſuffragatione celebratæ ſunt.

XIV. Sanxerat jam pridem Alexander IV. (4) ut Epiſcopi Græci inſulæ Cypri a Clero eligerentur, & a Latino ejuſdem Diœceſeos Epiſcopo confirmarentur, cujus illi veluti Suffraganei habebantur, aut Vicarii Generales ad Græcorum curam gerendam. Potuerant quidem Græcorum electiones emendari, & Canonicis inſtitutis propius admoveri, exemplo Latinorum per Orientem longe lateque ſparſorum. Sed non ea tamen ratione, ut reor, adducti ſunt Græci labefactato Imperio ad eam electionum formam, quæ modo a nobis delineata eſt. Perſecutioni & captivitati imputandum illud potius fuerit, qua compulſi ſunt, ut ſe ſibi mutuo recolligerent, & ad jacentis Eccleſiæ ſuæ tuitionem conſpirarent, uti fieri ſolet, quandocunque aut primum efflorefcit, aut ex cineribus poſtea revivifcit Res aliqua publica.

Leoni X. Marouitæ ſuam eamque valde ſtupendam expoſuere eligendi Patriarchæ rationem (5). Duodecim Presbyteros virtutis & ſapientiæ laude ſpectabiles ſingulis ſingulos Cellulis includebant, & ſejunctim quotidie eorum ſuffragia ſcrutabantur. Ubi omnium calculi in unum aliquem conſenſerant, is erat Patriarcha. Abyſſinorum quæ paſſim circumferuntur hiſtoriæ recentes (6), confirmant electiones Patriarchæ a Monachis, Epiſcoporum a Rege fieri.

CAPUT XLII. *P. 4. l. 2. c. 51.*

De Confirmatione Epiſcoporum a Metropolitano, poſt annum Chriſti milleſimum.

I. Jure Decretalium permittitur adhuc Metropolitano confirmatio electionum Epiſcopalium.

II. Metropolitani Gallia, Angliæ, Germaniæ, poterant Eccleſiæ ſuas adminiſtrare, cum primum electi fuerant unanimi ſuffragiorum conſpiratione.

III. Nec aliter ſe res habebat in Epiſcopis longinquis, qui & ipſi omnium conſenſione calculorum electi fuiſſent.

IV. Vitio datum eſt, ſi qui de confirmatione ſua minus ſolliciti, interim Eccleſiæ vel ſpiritualia vel temporalia adminiſtrare adgrederentur, obtentu Oeconomatus ſibi adjudicati.

V. Quo temporis ſpatio electioni aſſentiri, quo confirmationem depoſcere teneantur?

VI. An Epiſcopi electi federe inter Epiſcopos poſſint ante confirmationem?

VII. Ubi confirmati fuere, necdum ordinati juriſdictionem ſuam exercent.

VIII. Cur olim non ita, uti nunc, ſecernere-

(1) Cruſii Turco graecia. p. 108. 120. 124.
(2) Ibid. pag. 131.
(3) Ibid. pag. 139. 141. 142. 146.
(4) Conc. Gen. T. II. pag. 2355.
(5) Rain. ann. 1514. n. 92. 107.
(6) Conc. Gen. T. 14. pag. 349.

tur Confirmatio a Consecratione ?

IX. De privilegiis administrandi ante Confirmationem.

X. Quam necesse sit, ut Pontificias ante Bullas obtineant, quam Ecclesiam administrent.

XI. Memorabilia Conciliorum Galliæ Provincialium statuta post Concilium Tridentinum, & post abolitas electiones.

XII. Provinciales hæ Synodi Tridentinis inhærere Decretis, in pœnis adversus eos decernendis, qui cunctantur, & ultra tres, aut sex etiam menses consecrationem suam procrastinant.

XIII. Ubi vocabat Metropolitana Sedes, Episcopales electiones examinabat & confirmabat Capitulum Metropolitanum.

XIV. Quid Bellarminus de Ecclesiis diutius vacantibus præclarissime, & dixerit, & scripserit ?

I. INformes erant & steriles electiones sine confirmatione, quæ earum veluti cumulus & absolutio erat. Hinc factum necessario est, ut aspergerentur multa de Confirmatione superioribus de Electione dissertationibus. Jure hodierno Decretalium Metropolitanis antiquum vindicatur jus suum ad examen vocandi, & confirmandi, infirmandique, tum electionem, tum etiam electum ipsum (1). Sunt & canonicæ in eos pœnæ, qui vitiolas confirmaverint, aut electiones, aut personas. Sed cum Metropolitano confirmationem abnuente ad Papam provocaretur: cum ipsi non raro Metropolitani spinosis caularum perplexitatibus implicati, nec inde facile se expedientes, rem ad Papam referrent: hinc sensim via sternebatur recentiori disciplinæ, quæ soli Pontifici reservavit Episcoporum omnium confirmationes. Qua de re Capite sequenti.

II. Si quis Metropolitanus consentientibus omnium calculis electus fuisset, poterat jam tum ille Ecclesiæ suæ clavum & administrationem capessere, si longo terrarum tractu distaret ejus Ecclesia a superioris Patriarchæ sede, penes quem jus erat eum confirmandi. Ita decrevit Innocentius III. eo quod in Decretalibus radiat statuto, quo ait Pontifex jam necesse non esse, ut Apostolicæ Sedis confirmationem expectent Metropolitani Angliæ, Galliæ, & Germaniæ, qui electi fuerint conspirantibus omnium votis, sed jam tum posse eos moderari Ecclesiæ suæ gubernacula, ne viduitatis Ecclesiæ diuturnitas aliquid importet detrimenti (2): *Cum de Metropolitanis Angliæ, Franciæ, Alemaniæ, & aliarum partium remotarum, qui concorditer fuerit electi, Romana Ecclesia patiatur statim ministrare, Ecclesiarum utilitate pensata. Quia si tanto tempore, quousque posset electus confirmationem cum Pallio a Sede Apostolica obtinere, Regalia non reciperet Ecclesia, quæ interim administratione careret, non modicum incurreret detrimentum.*

III. Eadem libertate gaudere jubentur Episcopi extra Italiam, si qui egeant immediata Papæ confirmatione (3): *Si electi fuerint in concordia, dispensative propter necessitates Ecclesiarum & utilitates, in spiritualibus & temporalibus administrent, sic tamen ut de rebus Ecclesiasticis nihil penitus alienent.* Tanta suffragiorum consensio argumento erat, electionem infirmari, confirmationem recusari non posse. Ita & in Romani electione Pontificis constitutum est, (4) ut quoniam a Superiore nullo ea vel examinari potest, vel confirmari, ad eam desiderentur suffragia duarum saltem partium.

IV. Extra speciales has causas, in nullam partem inflorere se poterant electi Episcopi sacræ administrationis ante confirmationem suam. Cum vero legi huic canonicæ illuderetur ab electis, Ecclesiæ ejusdem Oeconomatum, Procurationem, vel Vicariatum eblandientibus, sinuosæ huic & fraudulentæ sive avaritiæ sive ambitioni obviavit Gregorius X. in Concilio Lugdunensi II. edito hoc Decreto, quod & sexto Decretalium libro intextum est (5): *Avaritiæ cæcitas & damnandæ ambitionis improbitas, &c. Ecclesiam sibi tanquam Procuratoribus & Oeconomis committi procurant, &c. Sancimus, ut nullus de cetero administrationem dignitatis, ad quam electus est, priusquam celebrata de ipso electio confirmetur, sub œconomatus vel procurationis nomine, aut alio de novo quæsito colore, in spiritualibus vel temporalibus, per se, vel per alium, pro parte, vel in totum gerere, vel recipere, aut illis se immiscere præsumat. Omnes illos qui secus fecerint, jure, si quod eis per ele-*

(1) Extrav. De elect. c. 20. 32. 44.
(2) Extrav. De elect. c. 28. Ant. Aug. Collect. 3. Tit. eodem c. 13.
(3) Extrav. De elect. c. 44.
(4) Conc. Later. IV. Can. 26. An. 1215.
(5) De elect. in Sexto c. 5.

electionem quæſitum fuerit, decernentes eo ipſo privatos.

V. In eodem Concilio Lugdunenſi II. juſſi ſunt electores operam dare, ut quamprimum electus de electione ſua certior fiat. 2. Menſtruum tantum ſpatium adſignatum eſt, quo electioni conſentiret, alioqui eo jure fruſtraretur, niſi ſi electus Superiori abſenti vel longinquo obnoxius eſſet, cujus aſſenſio quoque neceſſaria eſſet. Tum enim protrahendum utique eſſe ſpatium illud. 3. Denique ubi electus aſſenſum ſuum præſtitit, intra tres menſes confirmationem poſtulet neceſſe eſt (1): *Confirmationem electionis petere non omittat. Quod ſi juſto impedimento ceſſante intra trimeſtre tempus omiſerit; electio ipſo jure viribus vacuetur.* Cum vero loca aliis alia longinquiora ſint, definita ſunt a Nicolao III. (2) in Decretali *Cupientes* tempora conſentanea diſtantiæ, intra quæ confirmatio petatur.

Raimundus de Penna-forti non compilatione Decretalium, quam ſanctimonia clarior, Regulas juris ad hæc tria capita revocat: Intra tres menſes celebrandam eſſe electionem, intra tres alios conſecrationem, denique intra tres alios Pallium poſtulandum (3): *In ſumma ergo nota, quod electio Epiſcopi debet fieri infra tres menſes, a tempore vacationis computandos. Conſecratio debet peti ſimiliter intra tres alios menſes, a tempore electionis computandos. Pallium debet peti infra alios tres menſes; & hoc, niſi juſto impedimento differatur.* Quæ dicta ſunt autem de tempore electionis, ſervanda ſunt etiam in Regularibus Prælaturis: *Quod dictum eſt de electione Epiſcopi, quod debeat fieri intra tres menſes, extenditur hodie ad Prælaturas Eccleſiarum Regularium.* Reliquis Beneficiis infra ſex menſes providendum eſt.

VI. Ab Helmodo & Alberto Abbate Stadienſi narratum eſt, ut electus Archiepiſcopus Bremenſis Alexandro III. ſe præſentem exhibuerit, ut ab eo confirmaretur & ordinaretur. Conſeſſim illum Pontifex inter Archiepiſcopos ſedere juſſit cum Mitra & ornatu Pontificio (4): *Ipſi omnem honorem deferebat, ita ut in Concilio Prælatorum Cathedram ſuam inter ſummos Pontifices collocaret, & eum infulatum coram ſe reſidere faceret.* Illum poſtea ſummovit abjecitque Pontifex, quod non ultra Acolythorum gradum tunc conſcendiſſet, cum ad Archiepiſcopatum electus fuerat. Sed vel hinc tamen illud certo arguitur, ex Pontificis judicio ante conſecrationem ſuam gaudere illum debuiſſe & fede & ornatu Epiſcopali.

VII. Qui ſupra vero vetabant Canones, ne electi Epiſcopi ante confirmationem ſuam intraderent ſe, vel illaberentur utcumque, & quavis prætexta cauſa, quovis palliato nomine, in adminiſtrationem, ſeu temporalem Eccleſiæ, ſeu ſpiritalem: ii certe Canones perſpicue innuebant, poſſe ab illis, immo & debere poſt confirmationem ſuam ante conſecrationem, Epiſcopales functiones obiri omnes, quæ ad juriſdictionem ſpectant, non ad Ordinem ipſum Epiſcopalem. Prohibuit tamen Beatus Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, ne Epiſcopum Scotiæ Sant-Andreanum conſecrari ſuæ in Eccleſia faceret Archiepiſcopus Eboracenſis, niſi ſe prius ipſe conſecrari curaſſet, adſignato ad id trimeſtri ſpatio, ex Canonum norma. Eam vero promit Anſelmus rationem, quod cui necdum ulla incumbit animarum cura, is ejuſmodi cura neminem onerare poſſit (5): *Quia non pertinet ad vos dare, vel concedere alicui curam animarum, quam nondum acceptiſtis.*

Non abhorret a vero necdum ſatis diſtinxiſſe Anſelmum conſecrationem a confirmatione, quod uno eodemque fere tempore ore tunc plerumque celebrarentur. Cum enim minetur Anſelmus perfunctorum ſe tota Eboracenſis Eccleſiæ adminiſtratione, niſi adproperaret Eboracenſis intra tres menſes petere a ſe conſecrationem: *Quod ſi non feceritis, ad me pertinet, ut ego Curam habeam; & faciam quæ pertinent ad Epiſcopale officium in Archiepiſcopatu Eboracenſi:* abunde vel eo innuit, ab Eboracenſi adminiſtratam fuiſſe ſuam Eccleſiam ante conſecrationem.

Nec a vero etiam diſſidet, ne Epiſcopum quidem Catalaunenſem confirmatum adhuc fuiſſe, cum diceret nihilo plus ſibi juris eſſe, quam Canonico cuilibet alteri, ad gratificandum de Præbenda aliqua puerulo illi, qui a Rege Ludovico Juniore commendaretur (6). Is etiam nunc viget uſus in Decretalibus, ut promoveri quis dicatur,

(1) De elect. in Sexto c. 6.
(2) In Sexto.
(3) Summa l. 3. p. 132.
(4) Baron. an. 1170. num. 7. 8.
(5) Anſelm. L. 5. Ep. 149.
(6) Du Cheſne T. 4. p. 668.

catur, cum conſecratur; utque non aliter quam electus dicatur, quiſquis necdum conſecratus eſt, quanquam confirmatus, & vel ab ipſo Papa propoſitus ſit. Ne Pontifex quidem Romanus ipſe ante conſecrationis ſuæ ſolemnia Pontifex Romanus dicitur, nec numerat annos Pontificatus ſui (1).

VIII. Ea ſunt antiquiſſimæ Diſciplinæ veſtigia, quæ confirmationem a conſecratione minus ſecernebat, quod eas nec ſejungeret; & ubi rarius de confirmatione agitur, quod ea partim electioni, partim ordinationi permiſceretur. Quod & apud Græcos etiamnunc obſervatur, qui confirmationem non disjungunt ab electione, vel ab ordinatione, quod non alii quam Epiſcopi eligant, conſecrentque. Cum ex adverſo in Eccleſia Romana cœperint aliquando tandem electiones frequentari, nullis præſentibus Provinciæ Epiſcopis, ſolius Cleri & Populi ſuffragiis, mox & Cleri ſolius; atque ita demum arctior neceſſitas emerſerit, earum a Metropolitano confirmandarum, ſerio examine præeunte. Ex ipſis B. Fulberti Epiſtolis (2) liquidum eſt, uno eodemque tempore confirmatos & conſecratos fuiſſe Epiſcopos; & cum terreni Principes electionibus diſturbandis ſe intricabant, tum frequenter Metropolitanos conſtantiam ſuam & invictam animi fortitudinem oſtendiſſe, donandis vel fruſtrandis optata confirmatione electis.

IX. Non ambigunt Canoniſtæ, quin potuerint Ciſtercienſes eo Pontificum munire privilegio, ut electi eorum Abbates incunctanter adminiſtrent, non expectata confirmatione. Haud dubio id manavit a judicio Pontificum, & exiſtimatione, atque admiratione hujus Ordinis inter ipſa ſua recentis inſtitutionis & ſtupendæ regularitatis primordia. Inde enim fiebat, ut ne examinandas quidem cenſerent eorum electiones. Quo quidem privilegio eadem fere de cauſa donari potuere complura alia pia Sodalitia, dum primigenius eorum fervor miraculo adhuc eſſet orbi Chriſtiano.

Sed non omnes forſan Canoniſtæ iis aſſentirentur (3), quibus viſum eſt, potuiſſe Epiſcopum Luſitaniæ Eccleſiam ſuam adminiſtrare necdum confirmatum, cum abeſſet Metropolitanus triginta dierum itinere. A probabili tamen non recedit ea ſententia, cum conſentanea uſque adeo ſit Decretalibus paulo ſupra allegatis, & eadem licentia donantibus, tum Metropolitanos, tum Epiſcopos a Pontifice longis & difficillimis Alpium jugis, terrarumque tractibus ſummotos.

X. Publicata eſt a Bonifacio VIII. Decretalis *Injuncta*, inter Extravagantes communes locata; qua prohibentur Prælati promoti & confirmati, immo etiam, ſi velis, Romæ, ne ſe quantulumcunque immiſceant adminiſtrationi Eccleſiarum, niſi Pontificiis inſtructi ſint Bullis; alioqui parto jure excutiantur (4). Ab Alexandro V. & Julio II. ſtatutum eſt, ut Epiſcopi & Abbates quos promovit Pontifex, intra annum Pontificia diplomata impetrent: alioqui eadem privationis pœna afficiantur. Bonifacius ea ratione fulciebatur, quod etſi diplomata non conferant ad promotionem faciendam, at totum conferant ad eam approbandam. Atqui uſus ille tota Eccleſia & antiquiſſimus, & etiam nunc uſu receptiſſimus eſt, ut ſine Chartis & Proviſionibus ſcripto editis, nulli unquam admittantur Clerici ad Beneficia, ad officia & munia Eccleſiaſtica. Quærunt Canoniſtæ, an extrema quapiam urgente neceſſitate, & locorum maxima diſtantia, poſſit aliquid diſpenſationis adhiberi. Ea quidem in re ſunt opiniones, ſed laudi datur Archiepiſcopo Goano, qui nunquam interponere ſe voluit in regimen Eccleſiæ ſuæ, quanquam certo ſciret conſignatas fuiſſe, ſed caſu aliquo interceptas Bullas, maluitque toto quinquennio Eccleſiam ſuam Paſtore vacare.

XI. Conſtantienſe Concilium, ne jam amplius Bajouenſis Eccleſia duobus ſubeſſet Epiſcopis, alteri hujus, alteri alterius obedientiæ, ſæviente adhuc ſchiſmate, prohibuit (5), ne altero eorum extincto Capitulum ad novam pergeret electionem: ſi quis eligeretur, vetuit ne a Metropolitano Auxienſi confirmaretur. Poterat illa peſtilentiſſimi ſchiſmatis importunitas opportuna videri, ad reſtituenda Metropolitanorum jura, vacillante Sedis Apoſtolicæ a duobus Pontificibus ſciſſæ auctoritate, & frequenti Eccleſiarum ſeceſſione a Pontificum obedientia. Sed quovis malo exitialius remedium erat ſchiſma.

Poſt Concordata, quibus Epiſcoporum & Ab-

(1) Fagnan. in L. 1. Decret. part. 1. p. 203. & ſeqq.
(2) Ep. 28. 131.
(3) Fagnan. ibid. pag. 166. & L. 1. part. 2. pag. 105.
(4) Fagnan. in L. 1. Decret. part. 2. p. 66. 106. 107. 108.
(5) Seſſ. 31.

& Abbatum nominatio in Reges, promotio & confirmatio in Pontifices confertur, jam confirmandi jure excidiſſe videntur Metropolitani. Sed a Concilio tamen Taronenſi anno 1583. reſtituta utcunque eſt conſenſio antiqua, & conjunctio arctiſſima Metropolitani & Suffraganeorum (1), datuto hoc promulgato, ut ne poſſet Metropolitanus conſecrari, niſi a Primate, vel a Seniore Suffraganeorum, cui Suffraganei alii duo a Metropolitano ipſo adjungerentur. Epiſcopi autem ſuffraganei ordinarentur a Metropolitano, & duobus aliis ejus Provinciæ Epiſcopis, & in propria Eccleſia, ſi fas ſit; ſaltem in aliqua Provinciæ Eccleſia. Ne differri poſſet eorum conſecratio ultra tres menſes a die proviſionum datarum. Denique nec ſpiritale, nec temporale attingeret Metropolitanus regimen Eccleſiæ ſuæ, donec Pallio donatus fuiſſet. Primi autem vel ſecundi anni ſui Pontificatus partem impenderet viſitandis Suffraganeis ſuis, ut conferre cum illis poſſet in Concilio Provinciali, de abſtergendis expiandiſque morum corruptelis, quas in ſuis quilque Parochiis obſervaſſent.

In Concilio Rothomagenſi anni 1581. (2) decretum eſt, ut datis ad Pontifices litteris, rogaretur, ut ne ullis provideretur Provinciæ Epiſcopis, neu Bullæ concederentur, niſi acceptis teſtimoniis Metropolitani, & Epiſcoporum Comprovincialium; ſuper doctrina, vita & moribus promovendorum. Decretum eſt etiam, ni Epiſcopi poſt tres a ſuſceptis Proviſionibus menſes ordinarentur, ne Eccleſiæ fructus ſuos facere poſſent.

XII. Ex rigore Canonum ſævierat olim Alexander IV. in Philippum Carinthiæ Ducem, electum Salisburgenſem Archiepiſcopum, quod novem annos ei præfuiſſet Eccleſiæ, eamque adminiſtraſſet, mira quadam contumacia adverſus Pontificis hujus ſtatutum, quo Eccleſiæ adminiſtratione ſuſpendebat eos (3), qui ultra tres menſes confecrationem ſuam prolatarent; & ea prorſus ſpoliabat, ſi intra ſex alios ſaltem menſes non ordinarentur. Spoliatus eſt Archiepiſcopus Eccleſiæ ſuæ, eique a Capitulo ſucceſſor datus. Obiter vero hic obſervandum eſt in hujus Pontificis Epiſtola, ſpectari ab eo confecrationem, tanquam ſpiritalis Epiſcopi cum Eccleſia ſua conjugii conſummationem (4): *Eccleſiarum Cathedralium ſponſis, contractum hinc inde ſpirituale conjugium differentibus conſummare, differendo munus conſecrationis recipere, &c.*

Scripſerat olim Innocentius III. Epiſcopo Tripolitano, ſi Epiſcopus electus ultra quinque menſes retarderet conſecrationem ſuam, jam per Canones nullam ei reliquam fieri ſpem recuperandi Epiſcopatus (5): *Quia licet inveniatur in Canone, quod ſi electus ultra quinque menſes poſt ſuam electionem retinuerit Eccleſiam viduatam, nec ibi, nec alibi conſecrationis donum percipiat; non tamen intelligitur Eccleſia viduata, quaſi ſponſum non habeat, ſed quia cum ſponſus ejus nondum ſit conſecratus, adhuc quoad quædam manet viri ſolatio deſtituta.* Pluribus in aliis ejuſdem Papæ Epiſtolis eorum quoque fit mentio quinque menſium. Eam in rem laudat ille Decretum, (6) quod Pelagio Papæ tribuit poſt Gratianum & Ivonem Carnotenſem; quanquam illud Burchardus & Anſelmus Damalo tribuant. Non annuebant Canones niſi tres menſes, at hoc Decreto ſimile veri eſt contineri inducias etiam eas, quæ electo condonabantur, dum aſſentiretur electioni. Eæ autem erant unius aut alterius menſis.

Non hic ſermonem inſtituam de eo, cujus eſt Epiſcopos conſecrare. Nemo neſcit principatum auctoritatis Canones reſervaſſe Metropolitano, ad eligendos, mox & ad conſecrandos Epiſcopos. Pragmatica Sanctio in Paragrapho: *Quod ſi quis, De electionibus*, centum Philippæis mulctabat eum, qui extra Romam conſecraretur, nec a Metropolitano conſecraretur ſuo, quantumvis Pontificium venditaret Reſcriptum: *Etiam in vim cujuſcunque commiſſionis Apoſtolicæ.* Sed illud in ea verba animadverſum eſt a Gloſſa, cum id quidem Caput in Concilio Baſileenſi firmatum non fuerit, non potuiſſe illud uſu convaleſcere, aut vim debilitare Reſcriptorum Pontificis contrariorum.

Remeandum nobis ergo eſt ad tempus conſecrationis. In Tridentino Concilio jubentur Epiſcopi, qui intra tres priores menſes conſecrari non fuerint, fructus reſtituere; ſi tres rurſus alios menſes procraſtinent, eo ipſo ſancir illos Epiſcopatu excidiſſe (7). Si tam neceſſaria ſtatuta minus nunc obſervantur, ingenti ſane piaculo ſe obligant, per quos fit,

(1) Cap. 12. (2) Tit. de Epiſc. n. 3. 4. (3) Rainal. an. 1257. n. 9. 10.
(4) Seſſ. 23. c. 2. (5) Regeſt. 2. Epiſt. 217. 447. 502. 532.
(6) C. Quoniam D. 100. (7) Seſſ. 23. c. 2.

ſit, ut tandiu viduatæ gemant Eccleſiæ.

XIII. Nil dicam de confirmatione, quam Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ expectant a Capitulo Eccleſiæ Metropolitanæ, quandiu Metropolitana vacat Sedes. Examini ſubjiciebat Capitulum, tum electionem, tum electum ipſum, & perinde ut ſuaderet æquitas, Canonumque norma, confirmationem annuebat, aut abnuebat. Hujus rei exempla alibi prolata a nobis ſunt illuſtria cum primis, ubi de Capitulis Cathedralibus diſputatum eſt. Poſſent & alia corradi ex Eccleſiarum particularium Chronicis (1): in quibus & illud obſervare eſt, in irritum miſſa ab Archiepiſcopo electione Abbatiſſæ, & Cœnobio interdicto, ne ea vice eligeret, nominatam ab Archiepiſcopo ipſo Abbatiſſam.

XIV. Capitalia inter illa monita, quæ ſanctiſſimus Pontifici ſanctiſſimus ſuggerebat, & doctiſſimus idem Cardinalis, Clementi VIII. Bellarminus: primo loco inculcabatur longa viduitas Eccleſiarum Cathedralium. Nec diſſimulavit Pontifex in ea re a ſe peccatum eſſe, & peccari adhuc: *In hoc primo Capite fatemur nos peccare, & peccaſſe.* Sed ejus errati cauſam contulit in difficultatem inveniendi idoneos viros geſtandæ Epiſcopali farcinæ; hallucinari perſæpe eos, qui idoneos ſibi ſuggererent; imponi ſibi ab illis, & illis ab aliis; juſtum metum aberrandi in re tanti diſcriminis, injicere ſibi moras, ne Apoſtolo obſtreperet, monenti, Nemini cito manus imponendas: denique Gregorio ipſi Magno familiare fuiſſe, ut Epiſcopatus aliquos diutius vacare pateretur, quos aliis interim Epiſcopis regendos commendabat. Si quæ nunc perſæpe vacant Eccleſiæ, tam juſtæ vacarent cauſis, facile querimoniis ſuperſederemus, nec ægre ignolceremus erratis, a quibus ne Clemens quidem VIII. purum ſe profitebatur.

CAPUT XLIII. *P. 4. l. 2. c. 51.*

De confirmatione Epiſcoporum & Metropolitanorum a Papa, poſt annum Chriſti milleſimum.

I. Jure Decretalium Papæ reſervabatur confirmatio Metropolitanorum electorum.

II. Variæ in Provinciis cauſæ & neceſſitates, quæ impulerint, ut ad Papam referretur confirmatio Metropolitanorum, adeoque & Epiſcoporum, quin & utrorumque ordinatio.

III. De eodem rurſus. Exemplum Ivonis Carnotenſis.

IV. Quod ſibi ſumeret juris Archiepiſcopus Lugdunenſis, idemque Legatus Pontificius? Quam ſtrenue illi repugnarit Ivo Carnotenſis?

V. Novæ cauſæ recurrendi ad Pontificem.

VI. Conciliorum Provincialium ceſſatio in cauſa fuit, ut jure confirmandi caderent Metropolitani.

VII. De eodem. Ubi cœpere Reges Epiſcopos nominare, neceſſario Metropolitanorum confirmatio a Pontifice repetenda fuit, cum nulla jam Concilia Provincialia haberentur.

VIII. Ubi deſierunt Epiſcopi Provinciæ intereſſe electioni Metropolitani, deſtere & ab eo Synodice confirmando.

IX. Appellationes, injuriоſæ nonnunquam Metropolitanorum recuſationes, anſam præbuerunt Romam recurrendi.

X. Nequaquam id ſibi jus reſervavit Papa, nec aſtrui illud poteſt neceſſitate petendi Pallii.

XI. Reſervationes Pontificum & Nominationes Regum hoc totum denique jus ad Papam traduxerunt.

XII. Quid ſuper hac re conſtitutum ſit in Conſtantienſi & Baſileenſi Conciliis, in Pragmatica & Concordatis.

I. EXpediri non potuere cauſæ illæ implicatiſſimæ & diverſiſſimæ, quæ electiones tandem fere omnes & promotiones Epiſcopales, ad unum Pontificem ſummum retulere: quin una eademque opera pateſaceremus eandem neceſſario fuiſſe ſortem juris & poteſtatis confirmandorum, tam Epiſcoporum, quam Metropolitanorum; cum Pontificia nunc diplomata id totum perficiant conferantque, quod ante electione & confirmatione illi ſua conſequebantur.

Obſervandum illud tamen eſt, jus Decretalium, quod annis ab hinc quadringentis, aut quingentis arcem auctoritatis obtinuit, Metropolitanis priſcam vindicaſſe poteſtatem confirmandorum ſuæ Provinciæ Epiſcoporum: quo & illud innuitur, Metropolitanos ipſos nonniſi a Pontifice confirmandos fuiſſe; tametſi neceſſaria ex indulgentia permitteretur ſuas ante adminiſtrare Eccleſias, quam confirmarentur, ſi ex ultra montes, adeo-

(1) Bi bl. MSS. Labbei tom. 1. p. 376.

adeoque longinquiores eſſent, & unanimi conſenſione electi fuiſſent. Sed jam de eo ſuperius.

II. Cum permagna hæc quæſtio momenta habeat ad illuſtrandam Eccleſiaſticæ Diſciplinæ factam poſterioribus his ſæculis mutationem, non abs re erit eam paulo penitius perſcrutari, & in antiquioribus hiſtoriæ monumentis cauſas veſtigare, & ſenſim emergentes ſerpenteſque fibras hujus innovationis.

Cum Imperator Otho a fundamentis excitaret Eccleſiam Metropolitanam Magdeburgenſem (1), hoc illi & ipſe conceſſit, & a Pontifice confirmari fecit privilegium, ut ſolus illum Metropolitanum Pontifex conſecraret. Joannes XVIII. Papa anno 1003. Legatum in Germaniam delegavit ad Tagmonis Magdeburgenſis Archiepiſcopi conſecrationem. Ita enim Ditmarus: *Quia is a ſolo ordinandus Apoſtolico*. Perſpicuum eſt ea Conſecratione Confirmationem contineri. Nec diſſimili privilegio Bambergenſis Epiſcopalis Eccleſia Ordinationi Papæ integra ſervabatur. Perhibuit jam ſupra Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus (2), Epiſcopo Pariſienſi abdicante Epiſcopatum, ejus in locum electum alium fuiſſe, confirmatamque a Papa electionem. Quippe cum metueretur, ne prior Epiſcopus mutata ſententia reſtitui vellet; Papæ confirmatione poſterior hæc electio irretractabilis fiebat: *Eligente Clero, ſuffragante populo, dono Regis, approbatione Romani Pontificis*.

Ubi Clemens II. & Leo IX. Metropolin Salernitanam confirmarunt, ſolemniter profeſſi ſunt, jam non ultra a Pontifice Romano conſecratum iri Epiſcopos novæ illi Metropoli obnoxios (3): *Non habeant poteſtatem ſucceſſores noſtri in cunctis Epiſcopatibus, quos vobis Apoſtolica auctoritate conceſſimus, deinceps in perpetuum Epiſcopos conſecrare*. Si tam humane & liberaliter agebant ſe Pontifices in eas Metropoles, quæ a Romana tum primum Metropoli truncabantur: hinc apertiſſimum fit, aliorum Metropolitanorum ſuffraganeos, nec ordinatos ab iis, nec confirmatos fuiſſe, niſi juſtæ & neceſſariæ intercederent cauſæ, utputa privilegii, de quo paulo ante, & aliæ de quibus infra, aut de quibus jam ſupra delibatum aliquid eſt.

Anno 998. Concilium Romanum ſub Gregorio V. exauctorato Epiſcopo Aniciensi, ſuſpenſoque Archiepiſcopo Bituricenſi, qui illum ſuperſtite priori Epiſcopo ordinaverat, non expectata Cleri & Populi electione: conſtituit novum eligi Epiſcopum, eumque a Papa conſecrari (4): *Ut electus a domino Papa conſecretur in Epiſcopum, judicatum eſt*. Audaci Bituricenſis Præſulis facinore & ſuſpenſione jus conſecrandi ad Pontificem devolvebatur.

Romæ Gregorius VII. Hipponenſem Archiepiſcopum conſecravit, quem Mauritaniæ Rex, Clerus & Populus ea de cauſa Romam miſerant (5): *Servandum Archiepiſcopum, quem a vobis electum, ad nos conſecrandum miſiſtis*. Abbatem quendam Hiſpanum idem Pontifex Epiſcopum ordinavit, ab Hiſpaniæ Rege exoratus: *Sicut Rex Hiſpaniæ rogavit, Epiſcopum conſecravimus*. Cum Clerus autem & Populus Aurelianenſis Samſonem Epiſcopum, in Renerii locum electum, Romam conſecrandum ad Gregorium miſiſſent, ut ejus electionem confirmaret; de Renerii ante cauſa cognoſcere voluit Pontifex, quem illi abjecerant (6): *Poſtea electionem veſtram ſecundum Deum confirmare, & corroborare ſecundum canonica inſtituta curavimus*. Rogatus idem Pontifex a Roberto Comite, ut Melitenſem conſecraret Epiſcopum, tandiu diſtulit, donec conſtaret, ejuſmodi conſecrationem Rhegienſis in Calabria Archiepiſcopi juri vindicandam non eſſe (7): *Non aliter poſtulationi tuæ annuendum perpendimus, niſi diligenter examinata juſtitia, Melitenſem Eccleſiam ad Rhegitanæ Parochiæ conſecrationem non attinere conſtiterit*.

Longinus, qui & Dlugoſſus, Poloniæ ſcriptor hiſtoriæ, a quo & ſeries contexta eſt Epiſcoporum cujuſque Metropoleos, necnon & cujuſque Cathedralis Eccleſiæ, is ubique fere poſt canonicam electionem & aſſenſionem Regis, Apoſtolicæ meminit confirmationis. Et tum quidem ex regulis juris minime neceſſe erat Epiſcopos a Pontifice confirmari, cum ex partes eſſent Metropolitanorum. An ergo gens ea bellatrix nuper Chriſti jugo ſubjecta ab Apoſtolicis Concionatoribus, parenti ſuæ Eccleſiæ Romanæ amantius arctiuſque cohærere gaudebat, nec niſi ab ea Paſtore nanciſci? Sane longe plurimi eorum, quos Longinus com-

(1) Baron. an. 1003. n. 11.
(2) Fulbert. Ep. 8.
(3) Baron. an. 1047. n. 12. 1051. n. 8.
(4) Can. 7.
(5) L. 3 Ep. 19. 20. 21. L. 5. Ep. 21.
(6) L. 6. Ep. 23.
(7) L. 39. c. 24.

memorat Epiſcoporum, Italicæ gentis erant, omnes fere aliunde arceſſiti. An in eo Regno cum necdum fingi formarique potuiſſent, qui Epiſcopali oneri ferendo eſſent, poſtulationes ſæpius, quam electiones fiebant, eoque neceſſe erat ad Pontificem recurri? Memorat ſane Longinus poſtulationes aliquas, & a Polonis factas, & a Pontifice admiſſas. Poterant & electionum diſſidia ea eſſe, quæ Romam referri neceſſe eſſet. Certe cum anno 1072. conſentientibus omnium ſuffragiis electus fuiſſet Epiſcopus Cracovienſis, incunctanter illi & confirmationis munus impenſum eſt ab Archiepiſcopo Gneſnenſi, & conſecrationis: *Et electio ſua quoniam uniformis erat, & illi præſens aderat, a Petro Gneſnenſi Archiepiſcopo confirmata, & conſecrationis munus ſuis illi ab eodem impenſum.* Cum anni 1087. vivis exceſſiſſet Epiſcopus Ploſcenſis, in ejus locum electus eſt Polonus. Nil non tentavit Victor III. Papa, ut Italus potius ſubrogaretur; at pervicit tandem Regis pro Polono conſtantia. Probabiliter tamen creditur, etiam tum cum Poloni eligebantur, a Pontifice confirmatos eos fuiſſe. Hinc Longinus ait anno 1104. cum a Legato Pontificio Galone Epiſcopo Bellovacenſi Epiſcopi Poloniæ duo gradu dejecti fuerint, alterum eorum videri fuiſſe Czeslaum, qui Cracovienſem Epiſcopatum ſola Principis auctoritate aſſecutus fuerat, nulla Pontificis interventione: *Qui Cracovienſem Epiſcopatum nulla ſummi Pontificis auctoritate, ſola Ducis Uladislai donatione detinebat.*

III. Goſſrido Carnotenſi Epiſcopo Epiſcopatum, quem aliquandiu moribus ſuis contaminaverat, abdicante in manus Urbani II. Papæ, copiam fecit Pontifex Clero & Populo Carnotenſi alterius eligendi. Electus eſt ab illis Ivo, Præpoſitus ſancti Quintini apud Bellovacum. Richerius Archiepiſcopus Senonenſis, cujus erat eum ordinare, munere ſuo fungi detrectavit. Tum Carnotenſes Ivonem Romam deduxerunt, quo a Pontifice ipſo ordinaretur, a quo & ad Archiepiſcopum Senonenſem datæ ſunt litteræ in hæc verba (1): *Noſtra licentia ſulti Carnotenſes, Ivonem in Epiſcopum elegerunt. Cum autem a te conſecrationis gratiam pro more Eccleſiæ petiiſſent, tua fraternitas imponere manum recuſavit. Ad nos igitur ipſis venientibus & conſecrationis ejuſdem gratiam poſcentibus, petitioni juſtæ deeſſe nequivimus. Conſecratum igitur ſalva tuæ Eccleſiæ obedientia emittentes, &c.* Scripſit & Richerius ad Ivonem litteras contumeliis & probris refertas, quaſi proſciſſa ab eo fuiſſet Senonenſis Metropolis (2): *Demembratorem Metropolitanæ Sedis non apte ſatis appellatis.* Reſpondit Ivo, quam a Pontifice & Cardinalibus accepiſſet conſecrationem, poſthaberi ei non poſſe, quam Metropolitanus conferret, cum Eccleſiæ Romanæ ſit confirmata, vel irritare conſecrationes alias quaſcunque Epiſcoporum & Archiepiſcoporum, canonica videlicet appellatione, vel devolutione ad ſe relatas (3): *Iereverentiſſime os veſtrum poſuiſtis in cœlum; cum benedictionem per manus impoſitionem Papa datam & Cardinalium Romanæ Eccleſiæ, non ſimpliciter benedictionem, ſed qualemcunque hoſtili irriſione appellatis; cum ad ipſam principaliter & generaliſſime pertineat, tam Metropolitanorum, quam ceterorum Epiſcoporum conſecrationem confirmare & infirmare.* Hinc certe Ivoni Richerius invidiam conflavit, quaſi Regni jura minuiſſet, qui Romæ inauguratus fuiſſet (4): *Dicens me in Majeſtatem Regiam offendiſſe, quia a Sede Apoſtolica conſecrationem præſumpſeram accepiſſe.* Cum autem is Goſſridi reſtitutionem moliretur, ac proinde ejectionem Ivonis: Ivo interpoſita appellatione conatus ejus repreſſit, atque pro virili parte ſuffragantium ei Pariſienſis, Meldenſis & Tricaſſini Epiſcoporum. Vides ut Metropolitanorum injurioſa detrectatio aut tergiverſatio Capitula Epiſcoporumque compulerit, ut ad Pontificem confugerent, & Apoſtolicæ Sedis jura ad quorumlibet conſecrationem vel confirmationem Epiſcoporum roborarent. His enim exemplis clareſcit, non multum diſcriminis tum interjectum huic atque illi fuiſſe.

IV. Ubi Richerio autem in Archiepiſcopatum Senonenſem ſuffectus eſt Diambertus, tum Hugo Archiepiſcopus Lugdunenſis & Pontificius Legatus contendere cœpit, non poſſe eum conſecrari, niſi prius ei ſe præſentaſſet, & obedientiam ſpopondiſſet, quam Primati ſuo Archiepiſcopi profiteantur. Novæ huic ſpei & molitioni vehementiſſime reluctatus eſt Ivo Carnotenſis (5):

Vete-

(1) Ep. 8. 9. (2) Ivo Ep. 8. (3) Baron. an. 1092.
(4) Epiſt. 120. (5) Epiſt. 65.

veteres conſuetudines removere contenditis, præcipiendo ut Senonenſis electus ante conſecrationem ſuam vobis præſentetur, & jure Primatus veſtri ſubjectionem & obedientiam profiteatur. Quod hactenus nec in Senonenſi Provincia, nec in aliis Provinciis antiquitas inſtituit, nec conſuetuda ſervavit. Voluerat & idem Lugdunenſis Primas, ordinari non ante debuiſſe Epiſcopum Aurelianenſem, quam certior ipſe factus fuiſſet, & reſcripſiſſet (1), *Ut tunc eum demum conſecraremus, cum quod vobis bene placeret, agnoſceremus.* Exploſit & hanc Ivo novitatem, reſponditque ſi quo ejuſdem privilegio Archiepiſcopum Theſſalonicenſem Leo Papa ornaſſet, *perſonale hoc fuiſſe privilegium, non generale decretum.* Denique cum tempeſtivam occaſionem aucupatus Primas ſuſpenſi Senonenſis, Auguſtoduni Epiſcopum conſecrari Nivernenſem feciſſet, eoque convocaſſet Epiſcopos Provinciæ Senonenſis, non paruit Ivo, quod juxta Canones in Provincia ipſa Senonenſi conſecrandus fuiſſet Nivernenſis ab Epiſcopis ejuſdem Provinciæ, Metropolitani tum vice fungentibus (2): *Cum Metropolitana Sedes ad præſens ab hoc officio ſuſpenſa ſit, poſſemus nos pro Sede Metropolitana cum fratribus noſtris ſecundum conſuetudines noſtras intra Diœceſin hoc ſacramentum confirmationis implere, confirmata per miniſterium veſtræ Legationis prætaxata perſonæ electione; quam aliter facientes, quam cum ea, vel pro ea, vel confirmantes, videremur prælatam nobis Cathedram quodammodo ſubvertere.*

Hic Ivo ſejungit confirmationem a conſecratione. Seu Legato enim, ſeu Primati concedit Ivo jus confirmandi Epiſcopi Nivernenſis, dum Metropolitanus Senonenſis eſſet ſuſpenſus: at conſecrandi munus Comprovincialibus vindicat Epiſcopis. Hinc autem patet, quam non incurioſus fuerit Ivo tuendi ejus Metropolitarum juris, ut ab iis potiſſimum Provinciæ ſuæ Epiſcopi ordinentur. Liquet hinc etiam tum Metropolitanos necdum a Pontifice neceſſario confirmandos fuiſſe in Galliis; ſi res enim ita ſe habuiſſet, non id ſibi Primas, vel Legatus vindicare tentaſſet.

V. Ex canonicis quidem inſtitutis, ubi in plures ſuffragia ſe effuderant, Metropolitani erat eum præponere, *qui majoribus ſtudiis juvaretur, & meritis.* Et ſi non ſatis expeditum id eſſet, aut facile judicium, Diamberto ſuadebat Ivo, ut ad Provinciale Concilium rem differret (3): *Differendum mihi videtur uſque ad futuram Synodum.* Sed in his tamen non raro cauſis ad Pontificem convolabant, qui litem dirimebat, Epiſcopum confirmabat. Scribens Ivo ad Epiſcopum Aurelianenſem electum, negat illum a Senonenſis Provinciæ Epiſcopis ordinatum iri, niſi Papa jubeat, aut ipſemet criminationes diluat, quibus impetitus fuit (4): *Nemo Condiſcipulorum manum tibi audebit imponere, niſi aut Papa præceperit, aut te immunem ab his criminibus legitima diſcuſſio monſtraverit.* Dolenſis Eccleſiæ Romam deſtinati Legati, Vulgrinum ibi Cancellarium Eccleſiæ Carnotenſis in Epiſcopum ſibi elegere. Electionem Paſchalis II. Papa confirmavit; at illum per litteras interpellavit Ivo, ne toto ſummæ auctoritatis ſuæ pondere abuteretur, & ne cogeret eum illi acquieſcere dignitati (5): *Dolenſis Eccleſia deſtinatis Legatis eum ſibi in Epiſcopum ſub præſentia veſtra elegit, & huic electioni ad petitionem eorum veſtra Paternitas aſſenſum præbuit.* Reſcribens denique Ivo ad Hugonem Primatem Lugdunenſem, oranſque ut Pontificem urgeret ad maturandam electi Bellovacenſis confirmationem, & annuendam diſpenſationem qua opus erat: hinc nos monet confirmationes quandoque a Papa flagitatas eſſe quod diſpenſatione opus eſſet.

Ut quidquid erat Epiſtolarum Ivonis una contexeremus, huc diſtulimus electionem Lamberti Epiſcopi Atrebatenſis, poſt diutinum ejus Eccleſiæ interregnum, quæ Cameracenſi interim Epiſcopo obſequebatur. Ejus confirmationem recuſavit Reginaldus Remenſis Archiepiſcopus, ne Cameracenſem a ſe abalienaret, disjungeretque, quod ea nimirum eſſent Imperii & Galliæ confinia. Atrebatenſes ad Pontificem retulere, a quo juſtus eſt Archiepiſcopus aut Lambertum conſecrare, aut recuſationis ſuæ cauſas aperire. Communicato cum Epiſcopis Comprovincialibus conſilio Remenſis, Electum ad Pontificem tranſmiſit, remque totam ejus permiſit arbitrio (6): *Ut eum*

(1) Epiſt. 64. (2) Epiſt. 66. (3) Epiſt. 230 Ivonis.
(4) Epiſt. 200. Epiſt. 219. (5) Epiſt. 55. ult. edit.
(6) Poſt. Ep. 26. Urbani III. in Append.

vobis tranſmitteremus, & quidquid inde altitudinis veſtræ ſolertia faciendum decerneret, arbitrio veſtro relinqueremus. Lambertus Romæ conſecratus eſt.

VI. Pariſienſem Epiſcopum ipſa Pariſienſi Eccleſia interpellante conſecravit Urbanus II. nec derogatum quidquam voluit obedientiæ, qua is Metropolitano Senonenſi teneretur (1): *Eccleſiæ preces duximus audiendas, &c. Salvo in omnibus Senonenſis Eccleſiæ jure, &c.* Sub hoc eodem Pontifice cum Ambianenſes Goffridum, virum humilitate & ſanctitate clariſſimum Epiſcopum ſibi elegiſſent, iſque conſtanter abnueret, electionem illi hanc ſuam in Concilio Tricaſſino confirmari curarunt anno 1104. præſidente Legato Pontificis. Quanquam autem nullus præfuiſſet Legatus, eam tamen, ut apparet, Synodus electionem confirmaſſet, ut in Chronico Malleacenſi legitur, in Concilio Inculiſmenſi anno 1118. confirmatum fuiſſe Archiepiſcopum Turonenſem, cum aliis duobus Epiſcopis.

Poteſt & in ceſſationem Conciliorum Provincialium conferri cauſa electionum ad Pontifices toties relatarum, ut ab eo confirmarentur. Si enim ſemper Synodice coiſſent Epiſcopi ad electiones Epiſcoporum Provinciæ, ſi primarii ſemper ipſi & principes fuiſſent electores, primigeniam quoque ſuam retinuiſſent illibatam auctoritatem, ſuoque judicio lites omnes diremiſſent, ſedaſſent purgia, electos conſecraſſent, atque triplex illud conſertumque jus ſibi ſuum adteruiſſent, Epiſcopos eligendi, confirmandi & conſecrandi. Sed ubi convenire ad electiones deſtitere, ubi eam omnino Clero permiſere & populo, ubi unum e ſuo Collegio ad eas delegavere Viſitatorem, viam munierunt frequentioribus ad Pontificem appellationibus, & confirmationibus Roma expetendis. Si annua ſaltem Concilia, ut edicunt Canones, Epiſcopi celebraſſent; pronum fuiſſet illa in eam convocare Civitatem, quæ orbata eſſet Paſtore, & ad eos, non Romam relatum fuiſſet, ut his duobus exemplis manifeſtatum eſt. Hæc ergo diſciplinæ mutatio profecta ex parte eſt a ceſſatione Conciliorum Provincialium, cui tanto æquius eſt nos indoleſcere, quod & ipſe dolor infructuoſus eſt.

VII. Erant tamen certiſſimæ cauſæ, quæ cogerent ſummam Apoſtolicæ Sedis auctoritatem implorari, tum propter neceſſarias qualdam diſpenſationes, tum ob impendentia diſcrimina, quæ non aliter declinari poſſent. Abdicatus Epiſcopus Virdunenſis in Eccleſiam Catalaunenſem impetum feciſſet, niſi Beatus Bernardus interpoſuiſſet auctoritatem Honorii II. Papæ, ut ab eo confirmaretur alterius electio, Cleri Populique ſuffragantibus calculis facta, & ubi tamen nonnihil diſpenſationis deſiderabatur (2): *Sentimus pacem turbandam, ſi electioni Clarus & populus veſtræ pietatis aſſenſum impetrare nequiverint*. Et mox: *Veſtræ diſcretionis eſt judicare, an merito flagitetur a vobis facienda diſpenſatio, unde talis poteſt ſperari recompenſatio.*

Hinc elnceleit Synodicos Conventus ad electiones ſingulas non amplius tum habitos fuiſſe, cumque illi in dies magis rareſcerent, crebrius Romam commigrandi inoleviſſe morem. Jam diximus ſupra vacante Lingonenſi Eccleſia, cum Romæ una verſarentur Archiepiſcopus Lugdunenſis & Beatus Bernardus (3), utrique gratiſſimum fuiſſe, ut electionis modum præſcriberet Innocentius II. ex quo contigit, ut aliis Abbatem Vizeliacenſem eligentibus Ordinis Cluniacenſis, aliis Priorem Claravallenſem, commiſſis inter ſe Bernardo & Petro Cluniacenſi Abbate, neceſſe tandem fuerit, ut de utraque electione Pontifex cognoſceret.

Potuit & hæc ſortan Conciliorum Provincialium ceſſatio aut infrequentia animos addere ſacularibus Principibus, & licentiam exaggerare, ut in Electiones & nominationes Epiſcopales ante ſe inſererent, quam ab Eccleſia eo privilegio ornarentur. Proclivius utique ipſis fuit in Canonicorum Capitulum, quam in Epiſcoporum Concilium inſurgere & præpollere. Sed illud indubitatiſſimum eſt, ubi uſurpatæ primum ſunt a Principibus nominationes Epiſcoporum, ſpeciali tum ea ratione nominatos Epiſcopos confluxiſſe Romam, ut confirmarentur a Pontifice, promoverentur, ſæpe etiam conſecrarentur: atque ita emacularetur & firmaretur promotio, cujus primordia vacillabant.

Ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem, alioſque plures Epiſcopatus nominavit Henricus II. Angliæ Rex, quantumvis intercederet Henricus Junior filius ejus, & Rex, atque ad Pontificem appellaret. Qui tum nomi-

(1) Ep. 33. (2) Baron. an. 1129. n. 3. Bernard. Ep. 13.
(3) Baron. an. 1138. n. 8. Bernard. Ep. 164. 166. 167.

nominatus fuit Archiepiſcopus, & Bathenſis Epiſcopus Romam approperavere, ut ſuam ceterorumque confirmationem impetrarent (1): *Romam profecti ſunt pro electione ſua & aliorum electorum Angliæ confirmatione*. Hæc ſunt verba Rogerii. Pontifex minus ſollicitus de Henrici filii obnuntiatione, confirmavit electionem Archiepiſcopi Cantuarienſis, illum conſecravit, illum Pallio donavit, & Primatia, tribus quatuorve diebus continuatis, ut patet ex Epiſtola Bathenſis Epiſcopi ad Regem Henricum Senioremn data: *Tandem ad inſtantiam veſtram domini Papæ duritia eſt emollita, adeo quod domini Cantuarienſis electi electionem ſolemniter in præſentia omnium confirmavit, eumque confirmatum Dominica ſequenti conſecravit, conſecrato Pallium tertia die adhibito, & modici ſpatio temporis intercurrente Primatum addidit*.

De aliis Epiſcopis nominatis Pontifex, Alexander III. ſi erat, definire abſtinuit, donec inter ambos Reges pax coaluiſſet. Addit Bathenſis ſpem ſibi affulgere, fore ut Pontifex cauſam, examen & confirmationem aliorum Epiſcoporum judicio Cantuarienſis Archiepiſcopi permitteret: *Speramus quod mea & electorum aliorum promotio Cantuarienſis Archiepiſcopi providentia committetur*.

Ita gradatim deventum eſt ad neceſſitatem adeundæ Sedis Apoſtolicæ ad confirmationes Epiſcopales. Ita confirmatio ſejungi cœpta a conſecratione. Ita Metropolitanorum confirmatio univerſim a Romano Præſule expectanda fuit. Cum enim nec ad Metropolitani electionem conveniret Provinciale Concilium, ad Superiorem neceſſario confugiendum erat, qui examinaret & confirmaret electionem ab Eccleſia Metropolitana factam. Poterat Metropolitanus Suffraganeorum omnium, nullus Suffraganeorum poterat electionem Metropolitani confirmare. Imputanda eſt ergo ea diſciplinæ immutatio deluetudini Provinciales Synodos convocandi.

VIII. Hinc Jure canonico novo confirmatio Epiſcoporum Metropolitano, Metropolitani Pontifici vindicatur. Si appellationes ad Pontificem hanc pontificum invexiſſent innovationem, æque Epiſcoporum confirmatio Jure canonico ad Papam rejecta fuiſſet. Nam & ab eorum electionibus creberrime Romam appellabatur. Adde quod inter varias cauſas hoc Capite conglobatas adeundæ Sedis Apoſtolicæ, pauciora appellationum exempla hic relata ſint. Denique recolenda hic & animo replicanda ſunt ea quæ ſuperius diximus de judicio Innocentii III. & de Conſtitutione canonica, quæ hinc manavit, de electione Metropolitanorum a Capitulo, prætientibus vel abſentibus Epiſcopis Comprovincialibus. Quæ ibi diſcepta ta ſunt, fidem faciunt, pauciſſimas tum ſuperfuiſſe Provincias, in quibus usus adhuc conſtaret, convocandorum Comprovincialium ad qualeſcunque electiones. Provincias reliquas per omnes a Capitulis ſolis eligebantur Metropolitani. Non quo ab electionibus Epiſcopi abigerentur, aut priſco jure exuerentur. Qui enim fieri id potuiſſet? qua vi? qua ratione? Sed quod cum ſe diutius electionibus ſubduxiſſent, contrariæ conſuetudini locum dederant, ealque diuturnitate vires addiderant, quibus jam fieret, ut jure excluderentur.

IX. Fateor equidem appellationibus novis quandoque electiones fuiſſe divexatas, & antiquam tranquillitatem obnubilaram. Sed nihilominus quandoque electos ordinabat Metropolitanus, & appellationi id dabatur tantum, ut a Pontifice peteretur non confirmatio tantum electionis, ſed & confirmationis ac conſecrationis a Metropolitano datæ. Ita enim Innocentium II. per litteras obteſtatus eſt Petrus Cluniacenſis Abbas, ut electionem confirmaret Arnulphi Lexovienſis Epiſcopi, & conſecrationem ab Archiepiſcopo Rothomagenſi factam, ſpreta appellatione malitioſa Comitis Andegavenſis (2): *Ut ejus electio & conſecratio a Sede Apoſtolica confirmetur, nec contra eum, non ſolum ejus, ſed & totius Eccleſiæ Dei, quæ in partibus illis eſt, hoſtis, Comes Andegavorum aliquatenus audiatur. Certum eſt eum appellaſſe, non ut gravatum ſed ut gravare volentem, &c.*

Compellavit & Eugenium III. idem Petrus pro Epiſcopo Inculiſmenſi, cujus electio unanimis *canonice confirmata* fuerat ab Archiepiſcopo Burdegalenſi, ſed ludificatoriis cauſationibus conſecrationem eodem in dies protrahente, recurrentium randem fuerat ad Apoſtolicam Sedem. Eundem generis fuit & conſecratio Artaldi Eniſcopi Alectenſis apud Gratianum (3); conſecrationis munus illi impendit Urbanus II. Pœn, quod officio eo fungi contumacius recuſaret Metropoli-

tanus

(1) Baron. an. 1173. 1174. (2) L. 4. Ep. 7. Bibl. Clun. p. 819. 885. (3) 8. q. 3. c. Artaldus.

tanus Narbonenſis, nulla probabili ratione deprompta.

X. Quanquam non infrequentes eſſent hæ Metropolitanorum tergiverſationes; non tamen ſibi Pontifices unquam reſervatas voluere, vel confirmationes Epiſcoporum, vel conſecrationes. Etſi enim reſervationes iſtæ poſtea increbuerint, non tamen Decreto primum factæ ſunt ullo; ſed lento & inopino progreſſu, ut ante pene factas eſſe, quam fieri eas animadverſum ſit.

Nec Pallii petendi neceſſitas fecit, ut Archiepiſcoporum confirmatio ſoli tandem Pontifici tribueretur. Ejus rei expedita & in promptu eſt ratio. Complures Archiepiſcopi in Provinciis ſuis conſecrati, Pallium poſtea conſequi nequiere. Inter eos numerabis Malgerum Archiepiſcopum Rothomagenſem, Pallii repullam paſſum, quod gulæ & venationi deditus eſſet (1): *Tota vita Pallii uſu caruit, quod negaret Sedes Apoſtolica honoris hujuſce privilegium homini, qui ſacratum negligebat officium.* Pari pœna vitam ſæculari pompa & vanitate infamatam luit Seigandus Archiepiſcopus Cantuarienſis: *Nunquam Pallium a Roma meruit, quanquam & ibi venalitas multum operetur.* Hæc ex Willelmo Malmesburienſi (2). Idem perhibet Willelmus Neubrigenſis de Turſtini ſucceſſore in Eboracenſi Archiepiſcopatu; a Vintonienſi Epiſcopo fuit ille quidem conſecratus, ſed Romanæ Curiæ Pallium extundere nunquam potuit, & exactoratus tandem fuit. Elisabantur ergo tunc, confirmabantur, & ordinabantur Archiepiſcopi ab Epiſcopis Synodice congregatis, & tunc demum ad Pallii impetrationem ſeſe accingebant. Non ergo Pallii impetrandi neceſſitas fecit, ut eorum confirmatio ad Pontificem devolveretur.

XI. Fateamur ergo neceſſe eſt, antiquas Decretales, a Gregorio ſciiicet IX. publicatas, æquo illas quidem & provido uſas eſſe temperamento, permiſſa Metropolitanis confirmatione Suffraganeorum, Metropolitanorum autem confirmatione Pontifici vindicata; ut quorum electio examinari jam & confirmari non poſſet a Conciliis Provincialibus, quæ nulla amplius haberentur: at non facile eandem laudem in poſteriora ſæcula refundi poſſe. Frequentius reſervati a Pontificibus Epiſcopatus, frequentius nominati a Regibus Epiſcopi, Regum & Pontificum conſenſio ad iſta omnia, veriſſimæ hæ tandem fuere cauſæ, revocandi ad Sedem Apoſtolicam Epiſcoporum confirmationis. Nec enim vel quos Papa promoverat, vel quos nominaverant Reges, ii confirmari poterant niſi a Pontifice.

Per Legatos Pontificem adiit Eduardus III. Angliæ Rex anno 1337. ut abſtineret deinceps a reſervandis ſibi Angliæ Epiſcopatibus, ſineretque electiones prifco more, antiqua libertate celebrari, & confirmari a Metropolitanis: *Rogans ut ſuper reſervatione Beneficiorum de cetero in Anglia ſuperſederet, & ut etiam Clerici ad Epiſcopales dignitates ſuis electionibus pleno jure gauderent, & ut a ſuis Metropolitanis, prout antiquitus fieri conſuevit, idem Clerici confirmari valerent.* Addit Vallinghamus, a quo hæc decerpta ſunt, de reſtituendis electionibus Decretum a Parlamento Angliæ tunc eſſe factum, utque ne Rex eas poſthac diſturbare pergeret, ſed conſpiraret potius, ut confirmarentur. Verum præclariſſimos conatus irritos prorſus cecidiſſe: *Hoc anno in Parlamento erat Decretum, quod Eccleſiæ Cathedrales ſuis gauderent electionibus, & quod Rex de cetero contra electos non ſcriberet, ſed per litteras ſuas ad eorum confirmationem juvaret. Sed tamen hoc ſtatutum in nullo profecit.* Ex quo elucet, utcunque fingeret & ſimularet Edwardus, nunquam ſerio voluiſſe eum nominationum Regiarum fructu ſemet ſpoliare, aut a Pontificis concordia recedere, utrinque ut ipſi quidem opinabantur conducibili. Unus prædeceſſorum ejus Henricus III. cum obſtinatius renueret aſſentiri electioni Monachorum Dunelmenſis Capituli anno 1226. quod renuiſſent & ipſi eligere Capellanum ejus, nullo virtutum Epiſcopalium, nullo meritorum præſidio ſubnixum: experiit Capitulum a Papa confirmationem electionis ſuæ, qua Regius ſuppleretur aſſenſus (3): *Ut electionem factam, auctoritate Apoſtolica confirmaret.* Rex datis ad Pontificem litteris, & miſſo Epiſcopo, pios Monachorum conatus intercipere conatus eſt. Vides hic porro ut Parlamentum Angliæ percuperet, ne Eduardus III. Rex electionibus adverſaretur, datis Romam adverſus Epiſcopos litteris, & confirmari eos prohibens.

XII. In iſtiuſmodi autem rebus, quas nec

(1) Malmesb. p. 199. 204.
(2) L. 2. c. 17. York. Vinchester.
(3) Ann. 1226. Math. Paris.

nec laudare fas nobis eſt, quod legibus Eccleſiaſticis vehementer obſtrepant; nec earum auctores vituperare, quod eos Numinis Providentia in ſummo quodam majeſtatis & amplitudinis faſtigio locatos nobis imminere voluerit; præſtantiſſime a Concilio Conſtantienſi declaratum eſt, qua judicii trutina, qua animi moderatione uti debeamus. Hoc enim Concilium raras habuit proviſiones & confirmationes Epiſcopatuum a Pontificibus factas, quos mox gradu dejecit, & abdicavit: juſſit & nomine Concilii conſignari Bullas, quæ conſignatæ nondum fuiſſent, cum abdicati ſunt ii Pontifices: ſed eodem ipſo tempore Decretum edidit (1), quo urgetur futurus Pontifex multa & magni omnino ponderis in meliorem formam revocare, maxime circa reſervationes, & confirmationes electionum: *De reſervationibus Sedis Apoſtolicæ. De confirmationibus electionum.*

Quod commentata fuerat Conſtantienſis Synodus, id a Baſileenſi profligatum, perfectumque eſt. Reſciſſæ ſunt enim reſervationes tam generales, quam particulares, ſancitumque ut in poſterum electiones & confirmationes fierent ex Canonum præſcripta forma (2): *Ut electiones in Eccleſiis ſine impedimento omnino fiant, quæ cauſa cognita juxta juris communis diſpoſitionem confirmentur.* Fatetur tamen hæc Synodus recurri ad Pontificem adhuc poſſe, ad confirmandas electiones etiam Canonicas, ſi quo caſu ex iis grave aliquod diſpendium Reipublicæ, vel Eccleſiæ immineret: ſi modo tunc confirmatione Romæ recuſata, altera electio ad Capitulum referretur: *Si forte aliquando contingat electionem aliquam, etiam alias canonicam fieri, quæ in perturbationem Eccleſiæ, aut patriæ, vel boni publici vergere timeatur, ſummus Pontifex, ſi ad ipſum confirmatio delata fuerit, ſi talem &c.*

Baſileenſi Concilio in Gallia & Germania plus honoris & reverentiæ quam alibi impenſum eſt; & tamen ne ibi quidem ejus Decreta tum admiſſa ſunt, niſi complurimis limitibus circumſcripta. In Synodo Diœceſana Friſingenſi anno 1440. affirmatur plures Principes nuperi Conventus Moguntini, tum Eccleſiaſticos, tum ſæculares, Decretis Baſileenſibus aſſenſos eſſe, cum additamentis tamen quibuſdam, Germanicæ diſciplinæ neceſſariis (3): *Cum certis tamen reſtrictionibus modificationibuſque, temporum qualitatibus, ac Germanæ nationi accommodis.* Eadem ratione illis ſubſcripſit hæc quoque Synodus, addiditque in votis ſibi eſſe, ut quos etiam Papa promoveret, ii confirmarentur & ordinarentur ab immediato Superiore, cui Sacramento obedientiæ adſtringerentur.

Prolixe ſupra de Pragmatica & Concordatis Galliæ. Ne fieri quidem poterat, ut Pragmaticæ, ſeu Concilii Baſileenſis placita diu obſervarentur, præter voluntatem Pontificum, penes quos erat poteſtas confirmationis Metropolitanorum, & ipſorum etiam electionis Epiſcoporum, quando diffidere quis poterat, ne alterutra exitio foret publicæ rei & paci. Auctor eſt Gobelinus, fuiſſe Epiſcopos, qui non contenti confirmatione electionis ſuæ a Metropolitano juxta Pragmaticam Sanctionem, Romam pergerent, novamque confirmationem a Pontifice flagitarent, certiſſimi nullam ſe paſſuros repulſam (4): *Carnotenſis electus ſecundum Pragmaticam Sanctionem a ſuo Metropolitano confirmatus, non tamen ſatis tutum ſe exiſtimabat, niſi a Romano Præſule approbaretur.*

De Sacramentis, quæ Metropolitano, & Papæ præſtabantur.

CAPUT XLIV. *P. 2. l. 2. c. 41.*

De Sacramento, vel promiſſione Obedientiæ & fidei ab Epiſcopis præſtandæ Metropolitano & Papæ, ſæculo VI. VII. & VIII.

I. Theſſalonicenſis Archiepiſcopus primus videtur ab Epiſcopo extorſiſſe promiſſionem obedientiæ, ſcripto confignatam. Eam novitatem Leo Papa damnavit.

II. III. Varia hujuſmodi ſacramentorum exempla, nunquam tamen in uſum & legem recepta.

IV. In Hiſpania primum Conciliis ſacramenta hæc in auctoritatem recepta.

V. VI. Nova & varia ejus rei documenta.

VII. VIII. Epiſcopi maxime Schiſmatici hæc

(1) Seſſ. 20. 36 40. (2) Seſſ. 23. (3) Cap. 25.
(4) Comment. Pii III. c. 3. pag. 85.

hæc ſacramenta frequentarunt. Plura eorum exempla alia, nulla tamen adhuc certa lege.

IX. Primus in Gallias ea invexit Bonifacius Germaniæ Apoſtolus, quo noſtros Epiſcopos Apoſtolicæ Sedi arctius devinciret.

X. XI. XII. His ſacramentis Epiſcopi in ſe recipiebant, ſpondebantque religioſiſſime Canones obſervare, nec ab unitate Sedis Apoſtolicæ unquam diſſilire. Qua neceſſitate hæc invecta ſint?

XIII. Probabile eſt, tum quidem hæc ſacramenta uſu perpetuato fuiſſe.

I. COnfirmationi ſubnectuntur ſacramenta, juramenta & promiſſiones, ſeu fides, ſeu obedientiæ, quibus Clerici Epiſcopis, Epiſcopi Metropolitanis, Primatibus, Papæ obligari fuere. Primus omnium videtur hæc expreſſiſſe ſacramenta Anaſtaſius Theſſalonicenſis Archiepiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Vicarius in Illyrico Orientali. Cum enim Theſſalonicam pertrahi feciſſet Metropolitanum Epiri Atticum, vi ac poteſtate Regiorum Judicum & Provinciæ Præſidum uſus, promiſſionem obedientiæ ſcripto ab eo extorſit (1): *Chartulam de obedientiæ ſponſione. Legebatur in litteris tuis quod frater Atticus chartulam de obedientiæ ſponſione conſcripſerat, in qua ſignum probebatur injuriæ.* Ita Leo Papa I. datis tum acerbioribus ad hunc ipſum Anaſtaſium litteris, quem & commonefacit, abſtinendam ab Epiſcopo eam vim fuiſſe, & contumeliam: nec extundendam ſcriptis obedientiam, quam reipſa jam præſtitiſſet: *Non enim neceſſarium fuerat ut obligaretur ſcripto, qui obedientiam ſuam ipſo jam voluntatis adventus probabat officio.* Hinc concluditur ad Pontificatum uſque Leonis Magni, & ad annum Chriſti 450. inauditas fuiſſe has obedientiæ promiſſiones ſcripto editas; nec vel ab Epiſcopis, vel a Clericis, ſive ordinandis, ſive confirmandis, aliud expeimi ſolitum, quam Fidei confeſſionem, & ſervandorum univerſim Canonum pollicitationem.

II. Vigilium Diaconum ſucceſſorem ſibi eligi voluit Bonifacius II. Clerumque omnem ei electioni ſubſcribere, etiam cum juramento (2): *Cum chirographis ſacerdotum & juraejurando, ante confeſſionem beati Apoſtoli Petri.* Sed fui mox erroris puduit ipſum, pœnituitque Pontificem, cujus etiam juſſu, ſpectante Synodo, chirographa illa omnia igni conſumpta ſunt.

III. Vigilius autem ipſe Apoſtolicæ tandem Sedi invectus, etſi non exegit, ſuſcepit tamen ſacramentum fidei & obedientiæ a Sebaſtiano Diacono, cujus hic neceſſario adſcribenda nobis Formula eſt, quod ea ſe poſtea armaverit idem Pontifex ad condemnationem ejuſdem Sebaſtiani, in parentem & Pontificem ſuum rebellantis. Intexuit autem Vigilius eam præſtiti ſibi juramenti chartulam ei Epiſtolæ, quam ad Sebaſtianum ipſum ſcripſit, & quæ in V. Synodo Oecumenica recitata eſt (3): *Abſentibus filiis noſtris Diaconis Anatolio atque Stephano, poſtulaſti a nobis, ut ad tempus pro implendo officio, abſentium loco, Diaconum te interim faceremus. Quod ideo tibi ad præſens ſperanti conceſſimus, quia ante ordinationem tuam cautionem mihi propria voluntate legeris emiſiſſe, quam & teſtibus roboraſti, & tactis Evangeliis juramentum corporaliter præſtitiſti, ut quidquid tibi a nobis pro Eccleſiaſtica utilitate fuiſſet injunctum, fideliter & ſine aliqua fraude compleres: officium vero locumque Diaconi ſine aliquo vitio, ſine aliqua ſuperbia, ſine aliquo negletu, donec reverteremur Diaconi memorati, aut quanto te tempore in Levitarum voluiſſemus ordinatione miniſtrare, cum omni humilitate & ſtudio, ſine omni negletu, modis omnibus impleturum. In eadem cautione rurſus adjiciens, quod ſi de his omnibus quæ cum ſacramento tactis corporaliter Evangelicis promiſiſti, aliquid minus impleſſes, tunc a ſancta communione eſſes ſuſpenſus; ita ut ſi a die exceſſus tui intra annum pœnitentiæ voluiſſes colla ſubmittere, tu tibi anathema manu propria ſcribendo dixiſti.* Habes hic fidei & obedientiæ ſacramentum ſcripto datum. Non illud expreſſit Pontifex, quod necdum is mos inoleviſſet. At oblatum ſuſcepit, ejuſque in Canonico judicio mentionem fecit, quod nihil in eo eſſet, quod non liceret.

IV. In Concilio Toletano IV. juſſi ſunt Presbyteri omnes & Diaconi, quos regendis Parochiis Epiſcopus præficiebat, eidem Epiſcopo polliceri, ac profiteri cathibatum, & Canonum obſervantiam (4): *Quando Presbyteri, vel Diacones per Parochias conſtituuntur, oportet eos profeſſionem Epiſcopo ſuo facere, ut caſte & pure vivant ſub Dei timore,*

(1) Ep. 84. c. 1.
(2) Collat. 7. Syn. VII.
(3) Anaſt. Bibliothe. in Bonif. II.
(4) Can. 17.

timore ; ut dum eos talis profeſſio religat, vitæ ſanctæ diſciplinam retineant.

Eam legem ad Metropolitanos & Epiſcopos ampliavit Concilium Emeritenſe, conſtituitque, ut Metropolitanus Epiſcopis Provinciæ omnibus, Metropolitano Epiſcopi ſinguli tempore Ordinationis ſuæ pollicerentur eandem continentiæ & ſtrictioris Canonum obſervantiam diſciplinæ : Si qui vero Epiſcopi ab alio quam a proprio ordinarentur Metropolitano, eam tum illos profeſſionem edituros, cum primum juxta Canones recens ordinati proprium adirent, ut illum venerarentur, & ab illo viciſſim ſacris inſtruerentur regulis & monitis (1) : *Tempore quo Metropolitanus in Eccleſia Dei fuerit ordinatus Epiſcopus, placitum in nomine ſuorum Comprovincialium Epiſcoporum faciat, ut caſte, ſobrie, rectèque vivat. Similiter & quando confinitimi Epiſcopi in Eccleſiis, quibus præeſſe potuerint, fuerint ordinati, placitum faciant in nomine Epiſcopi ſui Metropolitani, ut caſte, rectè & ſobrie vivant. Quod ſi juxta canonicam ſententiam per voluntatem Metropolitani, atque informationis ejus Epiſtolam, per Regiam juſſionem ab alio Metropolitano aliqui fuerint ordinati ; tempore quo ad Metropolitanum ſuum poſt ſuam venerint ordinationem, ſale placitum non differant facere.* Ea ſen fidei, ſeu obedientiæ profeſſio dici non poterat, niſi qua his per Canones aſtringebantur ; ex quo fiebat, ut eam non Parochi ſolum Epiſcopis, Epiſcopi Metropolitano præſtarent : ſed & Metropolitanus Provinciæ ſuæ Epiſcopis ſynodice congregatis.

V. Verum in Concilio Toletano XI. anno 675. confeſſioni fidei, & promiſſioni generali ſervandorum Canonum acceſſit profeſſio expreſſa obediendi Prælatis & Superioribus ; propterea quod quanquam ea jam lex & obligatio officiis implicata eſſet Clericatus ipſius ; conſultiſſimum tamen eſſet eam expreſſius inculcari, quo & conſtantius obſervaretur (2) : *Quanquam omnes qui ſacris mancipantur Ordinibus, canonicis regulis teneantur aſtricti, expedibile tamen eſt, ut promiſſionis ſuæ vota ſub cautione ſpondeant, quos ad promotionis gradus Eccleſiaſtica provehit diſciplina : ſolet enim plus timeri quod ſingulariter pollicetur, quam quod generali innexione concluditur. Et ideo placuit huic ſancto Concilio, ut unuſquiſque qui ad Eccleſiaſticos gradus eſt acceſſurus, non ante honorem conſecrationis accipiat, quam plociti ſui innodatione promittat, ut fidem Catholicam ſincera cordis devotione cuſtodiens, juſte & pie vivere debeat, & ut in nullis operibus ſuis canonicis regulis contradicat ; atque ut debitum per omnia honorem atque obſequii reverentiam præeminenti ſibi unuſquiſque dependat.* Ad hoc extremum caput conſtituendum ſimile veri eſt hunc potiſſimum conditum fuiſſe Canonem. Additur enim ea graviſſima ratio, qua Metropolitani & Epiſcopi implicantur, qui canonicam exigunt a ſubditis ſibi præſtandam obedientiam, illos eandem illis præſtare debere, quibus & ipſi ſubditi ſint : *Juxta illud beati Papæ Leonis edictum : Qui ſcit ſe quibuſdam eſſe præpoſitum, non moleſte ferat aliquem ſibi eſſe prælatum ; ſed obedientiam quam exigit, eam ipſe dependat.*

VI. In Hiſpania ergo prima ſe explicuere documenta expreſſæ ſeu promiſſionis, ſeu profeſſionis obedientiæ, qua fungi neceſſe eſt, Epiſcopis Clericos, Epiſcopos Metropolitanis in ipſa ſui ordinatione. Ex hoc eodem Canone illud etiam naſcebatur, ut cum Metropolitanis ſuperior non immineat, niſi Papa, hinc illi eandem profiterentur obedientiam. Sed cum ea de re in Conciliis Hiſpaniæ nullum fiat verbum, nec nos temere quidquam affirmabimus ; cum multo probabilius ſit viguiſſe Canonem Concilii Toletani IV. ſupra laudati, ut eam profeſſionem ederet Metropolitanus in Synodo omnium Comprovincialium, a qua & ordinabatur.

VII. Illa vero juramenti formula, quæ Regeſto Epiſtolarum Gregorii Magni intexta eſt, cum Epiſcopi ſit, qui cum Clero ſuo e ſchiſmate in ſinum ſe recolligit Eccleſiæ & unitatis Catholicæ, juratque nunquam ſe ab unitate Catholica & a communione Papæ ſeceſſurum : nihil ea ad rem noſtram pertinet, nec ulla ibi vel obedientiæ vel fidei cuiquam præſtandæ profeſſio emicat (3) : *Unde juranz dico, per Deum omnipotentem, & hæc ſancta quatuor Evangelia, quæ in manibus meis teneo, & ſalutem geniumque illuſtrium dominorum noſtrorum Rempublicam gubernantium, me in unitate, ſicut dixi, Eccleſiæ Catholicæ, ad quam Deo propitio ſum reverſus, & communione Romani Pontificis, ſemper & ſine dubio permanere.*

(1) Can. 4. (2) Can. 10. (3) L. 10. Epiſt. 31.

VIII. Qui Aquilejenſi Patriarchæ parebant Epiſcopi ſchiſmatici paulo ante annum Chriſti 600. ad Mauritium Imperatorem litteras dedere, quibus affirmabant ſe ordinationis ſuæ tempore ſpondere ſolitos Patriarchæ ſuo, eandem cum illo fidem ſe conſtantiſſime tenturos, nec a fide receſſuros Romani Imperii, cui vehementer ſubeſſe cuperent, excuſſo barbarico Longobardorum jugo. Quod a Patriarchæ ſui fide non deviaturos ſe unquam promitterent, ea erat ſchiſmatis pertinacia. Quod fidei Romani Imperii ſeſe arctiſſime aſtringerent, in id excitabantur tædio & impatientia Longobardicæ dominationis (1): *Suggerimus, pie dominator, quia tempore ordinationis noſtræ unuſquiſque Sacerdos in ſancta Aquilejenſi Sede cautionem ſcriptis emittimus, ſtudioſe de fide ordinatoris noſtri: nos fidem integram ſanctæ Reipublicæ ſervaturos: quod ipſe novit Dominus, nos fideliter toto corde & ſervaſſe, & huc uſque jugiter conſervare.*

Viderint alii an hæc dici poſſit profeſſio obedientiæ Metropolitano exhibendæ. Unum mihi exploratiſſimum eſt, nihil hinc manare potuiſſe in mores Eccleſiæ Catholicæ, ut ejuſmodi quidpiam æmularetur. Apparet ſchiſmaticos hos Præſules, quo partes ſuas munirent, has excogitaſſe ſcriptas fidei promiſſiones; ſicut & quondam Stephanus Epiſcopus Epheſinus, ut ſuos ſibi Presbyteros adverſus æmulum ſuum & ejuſdem Cathedræ competitorem devinciret, juramenta id genus ab illis extorquebat (2): *Veni, jura non diſcedere ab illo, ſed vivere cum eo, & mori cum eo, & non tradere eum.* Quantumvis detrectarent ea juramenta fidei, hi Presbyteri cogebantur ea exolvere.

Æquiora fuere ſacramenta fidei, quæ Gregorius Turonenſis Epiſcopus ad tumulum B. Martini exprimebat a Riculpho Presbytero ſuo, infido jamdiu ſibi, & ſubinde rebellanti, ut ipſemet perhibet (3): *Qui tertio aut amplius mihi ſacramentum ſuper ſepulcrum ſancti Martini dederat, in tantum me convitiis & ſputis egit.* Perſimile fuit & fidei ſacramentum, quo Dynamius Provinciæ Narbonenſis Præſes præſtare juſſus eſt Theodoro Epiſcopo Maſſilienſi & Regi, cum diutina & lævillima inſeſtatione illum Epiſcopum exagitaſſet (4): *Tunc Dynamius veniam petens, reddito etiam ſacramento, ſe fidelem Epiſcopo deinceps, Regique futurum, &c.*

IX. Bona ergo fide fatendum eſt, extra Hiſpaniam ſacramenta ea quæ vel Epiſcopi Metropolitano, vel Metropolitani Papæ præſtant, non ante uſurpata, quam Bonifacius Germaniæ Apoſtolus ſolemne juramentum Gregorio II. præſtitit Papæ, tempore ordinationis ſuæ. Ejus hæc præcipua capita & verba ipſa ſunt: *Promitto ego Bonifacius Dei gratia Epiſcopus, tibi, beate Petre Apoſtolorum Princeps Vicarioque tuo B. Gregorio Papæ, & ſucceſſoribus ejus, me omnem fidem & puritatem ſanctæ fidei Catholicæ exhibere, & in unitate ejuſdem fidei perſiſtere &c. fidem & puritatem prædicto Vicario atque ſucceſſoribus ejus per omnia exhibere. Sed & ſi cognovero Antiſtites contra inſtituta ſanctorum Patrum converſari, cum illis nullam habere communionem, aut conjunctionem; ſed magis ſi prohibere valuero, prohibeam; ſin minus fideliter ſtatim domino meo Apoſtolico renuntiabo, &c. Hunc indiculum ſacramenti ego Bonifacius ſcripſi ponens ſupra corpus ſanctiſſimum ſancti Petri, &c.* Ea certe profeſſio ſpiritualibus tantum vinculis Bonifacium obligabat, fideique formulæ Catholicæ non alia fere addebat, quam quæ neceſſaria erant Legati Apoſtolici officia, vel Primatis, & Vicarii ſanctæ Sedis, nimirum ut urgeantur Epiſcopi ad obſervantiam Canonum, Decretorumque Pontificiorum, & ſi quæ difficiles occurrent difficultatum moles, ut commoneatur Pontifex, qui eas auctoritate ſua amoliatur. Quidquid hactenus laudatum eſt a nobis Pontificiarum litterarum ad hos Vicariatus conſtituendos, vel Legationes demandandas, id totum ad hanc conſpirabat curandam Canonum obſervantiam.

X. Narrat idem ipſe Bonifacius in Epiſtola ad Gunbertum Epiſcopum data, eam ſe profeſſionem elicuiſſe ab omnibus Epiſcopis Concilii a ſe coacti, inconcuſſæ ſtabilitatis & conſtantiæ in fide in unitate & obedientia Sedis Apoſtolicæ, & Papæ, obſervantiaque ejus Decretorum (5): *Decrevimus in noſtro Synodali conventu, & confeſſi ſumus fidem Catholicam, & unitatem & ſubjectionem Romanæ Eccleſiæ, fine tenus vitæ noſtræ velle obſervare; ſancto Petro & Vicario ejus velle ſubjici; Synodum per*

(1) Apud Bar. ann. 590. n. 28.
(2) Conc. Calch. Act. 11.
(3) L. 3. c. 49.
(4) Ibid. l. 6.
(5) Epiſt. 105.

per omnes annos congregare; Metropolitanos Pallia ab illa Sede quærere; & per omnia præcepta Petri ſequi canonice deſiderare. Iſti confeſſioni univerſi conſenſimus & ſubſcripſimus.

XI. Eo in Decreto duo quædam certe innovantur, ſed ut novis morbis nova temperentur medicamenta. Ab ipſomet Bonifacio animadverſum eſt, annos jam admodum octoginta effluxiſſe, ex quo nullus in Galliis eſſet Archiepiſcopus; Epiſcopatus autem inſiderentur a Laicis, vel ab ejuſmodi Clericis, qui veſte magis quam vita a Laicis diſtarent: canonica denique labefactata prorſus eſſet diſciplina. Illæ erant ruinæ Clodovæi Regiæ illirpis concidentis, atque eodem impulſu Eccleſiæ Gallicanæ Reipublicæque peſſumdatæ. Ei calamitati medicinam ſe facere poſſe deſperavit Bonifacius, niſi in locum Arelatenſis Archiepiſcopi, qui Vicarius Sedis Apoſtolicæ, executor & cuſtos Canonum diu fuerat, ſubrogarentur Archiepiſcopi alii quibus Pallium Roma mitteretur, non ornatus ad pompam, ſed ſtimulus & incitamentum, impellendis Epiſcopis aliis ad religioſam canonicarum legum obſervantiam, & ad commonefaciendum Papam de iis morum & diſciplinæ corruptelis, quibus expurgandis ipſi quidem incumberent, ſed impares ſe experirentur.

Audi quid in eo Concilio a Bonifacio decretum ſit (1): *Decrevimus, ut Metropolitanus, qui ſit Pallio ſublimatus, hortetur ceteros & admoneat, &c. Statuimus quod proprium ſit Metropolitani, juxta Canonum ſtatuta, ſubjectorum ſibi Epiſcoporum inveſtigare mores, & ſollicitudinem, circa populos quales ſint, &c.* Et paulo poſt: *Eodem modo quo nos Romana Eccleſia ordinatos cum ſacramento conſtrinxit, ut ſi Sacerdotes, vel plebes a lege Dei deviaſſe viderim, & corrigere non potuerim, fideliter ſemper Sedi Apoſtolicæ & Vicario ſancti Petri ad emendandum indicaverim. Sic enim, ni fallor, omnes Epiſcopi debent Metropolitano, & ipſe Romano Pontifici, ſi quid de corrigendis populis apud eos impoſſibile eſt, notum facere.*

Ea ſunt, quæ olim Reges flagitaverant Arelatenſi Archiepiſcopo ab Apoſtolica Sede annui, & quæ nunc omnibus communicantur, aut pene omnibus Metropolitis, Pallium nimirum, & Pallii veluti contenanea quædam, & ſpeciale jus & officium excubandi in Epiſcopos & in populos, ad inculcandam Canonum obedientiam, & ad certiorem faciendum Pontificem de iis morbis, quibus ipſi curandis operam & induſtriam luſiſſent incaſſum. Archiepiſcopo Arelatenſi, & aliis Apoſtolicis Vicariis ea in commune incumbebant munia, omnibus uno vinculo conſtrictis, ut ſicubi ſuperaret vires ſuas vis mali, Pontificem admonerent (2): *Si qua vero inquiſitio de fide, vel forteſſe aliarum rerum cauſa emerſerit inter Epiſcopos, quæ diſcerni difficiliùs poſſit, collectis duodecim Epiſcopis ventiletur atque decidatur. Si autem decidi nequiverit, diſcuſſa veritate, ad noſtrum judicium referatur.*

Ea ſunt Gregorii Magni verba ad Virgilium Arelatenſem Archiepiſcopum ſcribentis, Palliumque & Legationem Apoſtolicam ad Childeberti Regis preces annuentis. Eandem legem indixerat & Vigilius Papa Auxiano Arelatenſi Epiſcopo, cum ejuſdem Childeberti Regis interpellatione Pallio illum & Legatione conſimili honeſtaret: *Si qua certamina, aut de religione fidei, aut de quolibet negotio, quod ibi pro ſui magnitudine terminari non poſſit, evenerint, relationis ad nos ſeriem deſtinantes, Apoſtolicæ Sedi terminanda ſervate.* Crebrum illud eſt in Conciliis Hiſpaniæ, ut Metropolitani Regis opem interpellent ad ſummovendas difficultates, ſi quæ Canonum cuſtodiæ adverſentur: quidni ergo ſummi Pontificis poteſtas inter ejuſmodi diſcrimina ab iiſdem Metropolitanis invocetur? Hactenus de prima Bonifacii innovatione.

XII. Altera eſt profeſſio Epiſcoporum retinendæ unionis & obedientiæ Sedis Apoſtolicæ, ſervandorumque ejus decretorum. Vetuſtiſſima ea erat obligatio, at expreſſa ejus profeſſio tunc cœpta fieri, Principum unanimi & Epiſcoporum conſenſione. Id enim Bonifacius ipſe conteſtatur, orantibus ipſis Francorum Principibus, eam a ſe Synodum convocatam (3): *Synodum congregandam juſſu Romani Pontificis, & rogatu Principum Francorum & Gallorum ſuſcepi.* Dux ipſe & Princeps Francorum Carolomannus in Concilio Liptinenſi conteſtatur, Epiſcoporum & Optimatum ſuaſione conſtitutis per civitates Epiſcopis, præfectum a ſe fuiſſe Archiepiſcopum Bonifacium, Sedis Apoſtolicæ Legatum (4): *Per eo-*

(1) Ibidem. (2) L. 4. Ep. 30. (3) Ibidem. (4) Conc. Lipt. c. 1.

conſilium Sacerdotum, Religioſorum, & Optimatum meorum ordinavimus per civitates Epiſcopos, & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopum Bonifacium, qui eſt miſſus ſancti Petri. Ex conceſſione ergo ſummorum Principum, Epiſcoporum & Optimatum Regni concinnata ſunt Decreta Concilii, de quo agit Bonifacius. Unio ſane & obedientia in Sedem Petri, Epiſcopatui ipſi agnata, coæva & concreta quodammodo eſt. Eodem enim ipſo tempore Chriſtus & Epiſcopos conſtituit, & Caput illis præfecit, & membra Capiti coagmentavit.

XIII. Etſi autem Bonifacius illo perfunctus ſit unionis & obedientiæ in Sedem Apoſtolicam ſacramento, etſi eodem ipſemet conſtrinxerit Epiſcopos Gallicanos in ſua Synodo: non tamen vel exemplum vaſuit in poſteros, vel ea lex ita perpetuata tum eſt, ut eorum ſucceſſores & ipſi quoque obſequerentur. Nec qui ſuffecti ei ſunt in Moguntina ſede, nec Epiſcopi poſtea Gallicani ejuſmodi ſe ſacramentis ullis vel profeſſioni illigarunt: quanquam ea profeſſio, ut permaneat quis individue cohærens & religioſe ſubjectus Vicario Chriſti & Eccleſiæ Capiti, non Clericis tantum & Epiſcopis, ſed & Laicis omnibus fidelibus, Eccleſiæ Catholicæ filiis intima & penitiſſime infita ſit.

CAPUT XLV. *P. 3. l. 2. c. 36.*

De ſacramentis & profeſſionibus obedientiæ & fidei in Metropolitanum & Pontificem ſub Imperio Caroli Magni.

I. Ea ſacramenta in Gallia proſcribuntur.

II. Ex Italia probabiliter in Gallias irrepſerant.

III. Uſitata tamen erat promiſſio vel profeſſio ſtabilitatis & obedientiæ.

IV. Ea obligantur Epiſcopi ipſi.

V. Solemni etiam cum pompa fiebat.

VI. Nulla ſe ſuffraganeis promiſſione obligabat Metropolitanus.

VII. Nec Epiſcopi, vel Metropolitani ullam obedientiæ profeſſionem Papæ præſtabant:

VIII. Eo tantum innectebat ſacramento Metropolitanus Epiſcopos quos ordinabat: Ne quid prorſus pro Ordinibus conferendis exigerent.

IX. Cauſæ erant juſtæ & peculiares, ut a Ravennatibus Archiepiſcopis profeſſionem obedientiæ Romani Pontifices exigerent.

X. Ne in dando quidem Pallio obedientiæ profeſſio exigebatur.

XI. In VIII. Synodo adacti ſunt complures promittere, non feceſſuros ſe unquam ab Apoſtolicæ Sedis unitate; ſed id nove & neceſſario tum cavebatur adverſus ſchiſma Photianum.

XII. Verſipellis Patriarcha Photius varias profeſſiones ſcripto extorſerat.

XIII. Illum ſanctiſſimus Patriarcha Ignatius ſimpliciter imitatus fuerat.

XIV. Has univerſim innovationes omnes exploſit VIII. Synodus.

XV. Nec ea tamen prohibitio profeſſiones omnes obedientiæ convellebat, ſed eas tantum quæ ſpectarent ad confœderationis tutelam.

XVI. Græcorum mores. Photii perverſitas.

I. COeperant alicubi jam Epiſcopi eos quos Ordinibus initiarent, hoc ſacramento adigere, fidos & devinctiſſimos ſemper fore canonicis regulis, Epiſcopo & Eccleſiæ. Quamvis ea eſſent antiquiſſima Clericatus officia, & univerſalia atque inconvulſa jura; ea tamen Concilio Cabilonenſi II. anni 813. diſplicuere juramenta, utpote nova, eoque periculoſa & omnino prohibenda (1): *Dictum eſt interea de quibuſdam fratribus, quod eos quos ordinaturi ſunt, jurare cogant, quod digni ſint, & contra Canones non ſint facturi, & obedientes ſint Epiſcopo, qui eos ordinat, & Eccleſiæ, in qua ordinantur. Quod juramentum, quia periculoſum eſt, omnes una inhibendum ſtatuimus.* Non ex his verbis, *quod digni ſint*, invidia his ſacramentis conflata eſt: nec enim aliud ſignificabatur, quam ab irregularitatum canonicarum labe quavis puros & expertes eſſe eos, quos hoc teſtimonio ornaſſent. Sed hanc jurandi novitatem damnavit Synodus; cum juramenta omnia minus neceſſaria Evangelicis literis proſcribantur.

II. Ex Italia, ut apparet, in Gallias ea conſuetudo influxerat, ea enim nominatim in Epiſcopis Longobardiæ fugillat Capitulare Ludovici Pii anni 816. (2) *De Epiſcopis vero in Longobardia conſtitutis, qui ab his quos ordinabant, ſacramenta & munera contra divinam & canonicam auctoritatem acci-*

(1) Can. 13.

(2) Cap. 16. Capitul. L. 1. c. 97.

accipere, vel exigere ſoliti erant, modis omnibus inhibitum eſt, ne ulterius fiat.

Cum his vero ſacramentis munera quoque copularentur, *ſacramenta & munera*; non inepte ſuſpicabitur quis ea fuiſſe ſubjectionis & veluti ſervituris quædam pignora: quippe tum a ſubditis ſuis Reges ut infra copioſe declarabitur, & ſacramenta exigebant, & dona annua.

III. Alias enim non permittuntur tantum, ſed & jubentur Presbyteri & Diaconi, quibus regimen Parochiarum concreditur, Epiſcopo ſuo profiteri obedientiam & accuratam Canonum obſervantiam (1): *Quando Presbyteri aut Diaconi per Parochias conſtituuntur, oportet eos profeſſionem Epiſcopo ſuo facere.* Titulo ipſo Canonis hujus in Capitularibus meliuſcule declaratur vis iſtiuſmodi profeſſionis, a Conciliis Toletanis hauſtæ, ut ex ſuperiori capite facile colligitur: *Stabilitatis & obedientiæ ſuæ, atque ſtatuta ſervare promiſſionem ſuo faciant Epiſcopo.*

IV. Eandem Epiſcopi Metropolitano profitebantur obedientiam juxta Canones, in ipſa ſui ordinatione. Subſcriptione etiam propriæ manus ligabantur, ſed nihil juramenti exprimebatur, uti nec a Presbyteris & Diaconis, de quibus modo dicebamus. Promemus hic eam profeſſionem, quam Adelbertus Teroanenſis Epiſcopus Hincmano Remenſi Metropolitano & ordinatori ſuo exhibuit (2): *Privilegio etiam Metropolis Remorum Eccleſiæ ac ejus Præſulis ſecundum ſacroſanctos Conciliorum Canones & Decreta Sedis Apoſtolicæ, ex ſacris Canonibus & legibus promulgata, pro ſcire & poſſe, abſque dolo & ſimulatione, vel indebita & pertinaci contradictione me obediturum profiteor.* Eadem ipſa verba ſunt profeſſionis Hincmari Epiſcopi Laudunenſis Hincmaro Remenſi factæ, & ab Aimoino commemoratæ, quam & ait in Concilio Attiniacenſi anno 870. ſubſcriptione ejus innovatam fuiſſe, ad diluendas quæ illi ingerebantur, inobedientiæ criminationes.

V. Docet nos Hincmarus ipſe Remenſis, ſolemni pompa eam obedientiæ profeſſionem a Suffraganeis ſolitam præſtari; eam ab Hincmaro Laudunenſi præſtitam fuiſſe poſt fidei confeſſionem, ſpectante Eccleſia Remenſi univerſa, aſtantibus Delegatis Eccleſiæ Laudunenſis, & Epiſcopis Comprovincialibus, vel eorum Delegatis. Eam propria ſubſcriptam manu profeſſionis chartam ſervabat in chartulario ſuo Metropolitanus, opportunum ſi fors aliquando futurum inſtrumentum. Unde Hincmarus Remenſis ad Laudunenſem nepotem (3): *Libellum profeſſionis tuæ de regulari obedientia tua, quem habeo, & tu negare non potes, quoniam ipſius exemplar de manu mea in eadem Synodo acceſiſti.*

VI. Popoſceratur & Hincmarus Laudunenſis a Metropolitano ſuo, ut & ipſe viciſſim ſcripto promitteret libertatem canonicam, eamque tuitionem, quam impendi Suffraganeis a Metropolitano, jus ſalque eſt. Vide ut eam profeſſionem commentatus eſſet & pene dictaſſet Laudunenſis (4): *Et ego Hincmarus Remorum Archiepiſcopus tibi Hincmaro Laudunenſi Epiſcopo tuum debitum ſacris Canonibus privilegium conſervabo, & in quibuſcunque Eccleſiaſticis negotiis indigueris, ſecundum ſacras regulas debitum tibi jure adjutorium Archiepiſcopali auctoritate adhibebo.* Verum hoc illum reſponſo abegit Metropolitanus: Benedixi inferiores a ſuperioribus, nec viciſſim ille benedictionem rependere: ita nec leges eis dictare poſſe ullas, ſed ab eis dictatas audire: *Sicut enim ſecundum Scripturam minor a majore benedicitur, ita prorſus minor a majore, & non major a minore judicatur, ligatur, & ſolvitur.*

VII. Necdum vel veſtigium uſquam exſtitit vel promiſſionis vel juramenti obedientiæ, quam Epiſcopi vel Metropolitani Papæ ſponderent. Sane ut & illorum & horum tam electio quam ordinatio Provinciæ ſinibus concludebatur, nnuſquam interveniente Pontifice, ne ad alteruirus quidem confirmationem; ita probabile cum primis eſt, nec juramento nec profeſſioni locum fuiſſe ullum obedientiæ Pontifici præſtandæ. Niſi ſi utriſque ſolemniter & cum ſubſcriptione propria pollicentibus obſervaturos ſtatuta ſummorum Pontificum & Sedis Apoſtolicæ, ea tanquam obedientiæ promiſſio haberetur. Accipe verba ipſa promiſſionis Adelberti Epiſcopi Teroanenſis, ſupra jam laudatæ (5): *A ſacris Canonibus, atque a Regularibus Decretis Apoſtolicæ Sedis, me per contemptum pertinaciter non deviaturum profiteor.*

Dictum eſt capite ſuperiori de ſacramento

(1) L. 6. c. 350. (2) Conc Gal. T. 2. p. 655. (3) Hincmar. T.2. p. 389. 412. 691.
(4) Ibid. p. 60. (5) Conc. Gal. T. 2. p. 655.

to per Archiepiſcopum Moguntinum Bonifacium præſtito Gregorio II. (1) Erat haud dubio longe alia ratio profeſſionis quam ederet Legatus & Vicarius Apoſtolicus, & ejus qua ligarentur Epiſcopi, vel quivis Metropolitani. Si in Conciliis Sveſſionenſi & Liptinenſi ejuſmodi aliquid eblanditus eſt Bonifacius Epiſcopis Gallicanis, ſemel id tentatum, ſemel uſurpatum eſt, tanquam neceſſarium tunc collapſæ jamdiu Diſciplinæ in priſtinum vigorem reſtituendæ munimentum.

Inter Formulas antiquas publici Juris fecit Sirmundus profeſſionem Metropolitani, ex Manuſcripto Bibliothecæ Floriacenſis decerptam: qua ſe Pontifici ſpondet Metropolitanus dicto audientem fore, & Suffraganeis ſuis nulla re, nullo officio defuturum (2): *Beato vero Petro & Vicario ejus debitam ſubjectionem & obedientiam: ſuffraganeis vero noſtris adjutorium me exhibiturum profiteor; & huic profeſſioni meæ coram Deo & Angelis, ſub teſtimonio quoque præſentis Eccleſiæ ſubſcribo.* Sed cum nota temporis nulla ſit, ſimillimum veri eſt, nihil iſtiuſmodi ſub Imperio Caroli Magni uſitatum fuiſſe. Tot Conciliorum interim & tot Scriptorum altiſſimum ea de re ſilentium, id apertiſſime vociferatur. Adde & hoc argumentum, quod non facile quis eludere, vel infringere poſſit, quod certiſſimos nos modo fecerit Hincmarus Archiepiſcopus, nulla ſe Metropolitanos Suffraganeis ſuis obligaſſe promiſſione: & dicteriis omnium inceſſendum objecerit nepotem ſuum Hincmarum Laudunenſem, cum ab eo elicere vellet eam auxilii pollicitationem, qua Floriacenſis Formula Metropolitanos Suffraganeis ſuis obligat.

VIII. Quoad ſummos ipſos Pontifices, non videntur illi ab Epiſcopis quos ordinarent, ſacramentum ullum popoſciſſe, niſi illud quod Epiſtola Hadriani Papæ ad Carolum Magnum continetur. Teſtatum enim facit Pontifex, ubi ordinandus Epiſcopus ſanctiſſime affirmaſſet, ſe nihil dediſſe ut eligeretur: ſacramento ſtatim & ſacramenti ſubſcriptione aſtrictum fuiſſe, ne Epiſcopus ubi ordinatus eſſet, quidquam ab ordinandis unquam acciperet (3): *Unde ſimili modo ſub juſjurandum in ſcriptis reſpondet, nunquam ſe accepturum de manus impoſitione.* Poterat hoc ſacramentum manaſſe ex Novella Juſtiniani, quæ illud exprimi præcipit ab Epiſcopo ordinando (4): *Juſjurandum ſuſcipere eum qui ordinatur, quod neque per ſe ipſum, neque per aliam perſonam dedit quid, aut promiſit; neque poſthac dabit, vel ordinanti ipſum, vel his qui ſacra pro eo ſuffragia fecerunt, vel alii cuiquam ordinationis de ipſo faciendæ nomine.*

XI. Erat autem illud omnino diverſiſſimum ſacramentum ab eo, quo Papæ obedientia deſpondetur. Ea Hadrianus Epiſtola ne meminit quidem promiſſionis ſervandorum Canonum, & Apoſtolicæ Sedis ſtatutorum, quæ utcunque videri potuiſſet obedientiæ promiſſio. Non ſiletur tamen in vita Nicolai Papæ I. profeſſio quam ſcripto edebant Pontifici Archiepiſcopi Ravennates tempore ordinationis ſuæ. Illigatum ei erat juramentum, erant & innexæ cautiones tam ſtrictæ, ut ejus vim eludere quandoque tentarint Archiepiſcopi, iis artibus quæ alienæ prorſus eſſent ab ampliſſimæ dignitatis ſuæ ſanctimonia. Cum Archiepiſcopum Joannem ab officio devlantem in ordinem redegiſſet Nicolaus Papa, ipſummet adegit expungere, quidquid falſi & adulterini inſperſiſſet priori ſacramento ſuo. Audiendus hic Anaſtaſius Bibliothecarius in ejuſdem Nicolai I. vita: *Tunc ille confeſtim apprehenſa charta repromiſſionis & juramenti ſui, Scripturas quas tempore conſecrationis ſuæ imperfectis confuſiſque repleverat dictionibus, propria manu ſcribens, juxta conſuetudinem anteceſſorum ſuorum compoſuit.* Non dilucide quidem exprimuntur hujus profeſſionis vel ſacramenti capita. Sed indubitatiſſimum eſt, principem interea locum tenuiſſe obedientiam & ſubjectionem Papæ exhibendam; cum id potiſſimum eſſet, quod concoquere non poſſent Ravennates Præſules: cum id Joannes ille ludificationibus ſuis declinare tentaſſet; cum eo jamdiu illos fræno coercere niterentur Romani Pontifices, & a frequentiſſimis cohibere defectionibus.

Horum plena eſt hiſtoria jurgiorum Pontifices inter Romanos & Archiepiſcopos Ravennates. Hinc apparet eo jugo eos duntaxat onerandos & ſubigendos fuiſſe, ne de ſede quondam Imperii in urbe ſua, ne de Exarchorum ibidem diutina commoratione ſibi blandirentur; & hinc ferocirent, quaſi nec Roma ſummum Principatus ſacri faſti-

(1) Poſt. Ep. 2. Gregor. II.
(2) Conc. Gal. T. 2. p. 656.
(3) Conc. Gal. T. 2. p. 97.
(4) Novel 137. c. 2.

faſtigium adepta eſſet, niſi ex eo quod Imperii & Imperatorum diutina & ſplendidiſſima ſedes quondam fuiſſet.

Ut ſummum de Italiæ Metropolitanis conjici aliquid poſſet, ut eam promiſſionem obedientiæ fecerint Papæ eos ordinanti, quam eliciebant ipſimet ſuo ſibi jure ab Epiſcopis, quibus manus imponerent. At nihil ejuſmodi vel conjectari poteſt, vel de Epiſcopis ipſis Italiæ, vel de ceteris per orbem Chriſtianum Metropolitanis.

X. In Pallii maxime conceſſione opportunitas ſe dabat exigendi has ſeu promiſſiones, ſeu ſacramenti formulas. At cum ſupra egerimus ſatis copioſe de Pallio, etiam temporibus Imperii Carolini, nuſquam veſtigium extitit, aut monumentum ullum, ex quo de iis conjectura duci poſſet.

XI. Fateor ſub Nicolao I. & mox ſub Hadriano II. miſſam fuiſſe Conſtantinopolin formulam profeſſionis, cui ſubſcribere juſſi ſunt Metropolitani, Epiſcopi, Clericique omnes Patriarchatus Conſtantinopolitani, Actione I. Concilii VIII. Oecumenici, qua profitebantur ſe indivulſe adhæſuros Sedi Apoſtolicæ, ejus parituros Decretis, ejus denique communioni immorituros: *Sequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, & obſervantes ejus omnia conſtituta, ſperamus ut in una communione, quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe mereamur.* Sed nihil hæc profeſſio ad ordinationes: unde & Monachi ei ſubſcripſere, ut in eam Actionem adnotatum eſt ab Anaſtaſio Bibliothecario: *Non ſolum diverſæ dignitatis Epiſcopi, ſed & religioſi Sacerdotes & Clerici ac Monachi, ſicut chirographum, ita & ſubſcriptionem hujuſmodi patraverunt.* Soli Patriarchatus Conſtantinopolitani Clerici & Monachi neceſſitati ſemel addicti fuere, ut e ſchiſmate tandem emergerent, in quod illos Photius tranſverſos egerat.

XII. Profeſſiones denique iſtæ orthodoxæ mederi videbantur ſchiſmaticis ſubſcriptionibus, quas ab Epiſcopis extuderat Photius, & a Clericis, quos ſpondere cogebat, ipſum habituros ſe ut Patriarcham Patriarcharum, & Archiepiſcopum Archiepiſcoporum; ſicut ipſimet confeſſi ſunt Actione II. eiuſdem Concilii, in qua receperunt ſe tanſlere in gremium unitatis Catholicæ: *Suaſi ut ſe chirographis terribilibus profiterentur eum habituros Patriarcham Patriarcharum, & ſummum Sacerdotem ſummorum Sacerdotum.* Notat & illud Anaſtaſius Bibliothecarius in hiſtoria Synodi ejuſdem VIII. ſubſcriptiones ab iis etiam omnibus Photium elicuiſſe, quos humanas litteras addocebat non aliam unquam, quam eandem ſecum fidem ſectaturos. Eas profeſſiones ſpeciali Canone (1) damnavit Synodus.

XIII. Orthodoxos quoque Epiſcopos inceſſit aliquando eadem cupido muniendæ auctoritatis ſuæ ejus generis ſubſcriptionibus: quo factum eſt, ut & a Clericis ſuis omnibus ſponſiones ſcriptas exigerent fide i & obedientiæ. Profcripta eſt & hæc novitas ab hac eadem VIII. Synodo, quia & illud præſcriptum eſt, mores retinerentur antiqui, & ab iis qui conſecrarentur, tum demum fidei exprimeretur confeſſio. Huc ſpectat ejuſdem Synodi Canon VIII. ex occaſione maxime editus Patriarcharum Conſtantinopolitanorum: *Quoniam ſanctæ ſynodo nuit, quod legitimi & orthodoxi Patriarcha a Sacerdotali catalogo propriæ manus ſcripta facere, ad propriam tutelam, ſavoremque ſuum, & quaſi ſtabilitatem exigant & compellant. Viſum eſt ſanctæ Synodo, nequaquam id ex hoc a quopiam fieri, excepto eo quod ſecundum formam & conſuetudinem pro ſincera fide noſtræ tempore conſecrationis Epiſcoporum exigitur.*

XIV. Ignatius ipſemet ſanctiſſimus Patriarcha has primus inuſitatas cautiones invexerat. Qua neceſſitate id ab eo factum ſit, & quo animi candore, eventu declaratum eſt. Perhibet enim Niceras in vita ejus, eum primum in exilium deportatus eſſet, miſſos ad eum Epiſcopos fuiſſe, qui pellicerent & ſuaderent, ut ſponte ſe abdicaret Patriarchatu: hos autem fuiſſe ipſiſſimos illos Epiſcopos, qui ſcripto juraverant, non conſenſuros ſe unquam ejus exauctorationi, niſi poſt canonicum judicium: *Et quinam bi? Qui antea illi per ſcriptum juraverunt, ſe prius ſupremam Trinitatis majeſtatem negaturos, quam ſine canonica damnationis ſententia, Paſtorem ſuum exauctorari paſſuros.* Quin & Actione III. Synodi VIII. teſtatus eſt Ignatius eos Epiſcopos ſua ſponte his ſe ſubſcriptionibus adtrinxiſſe in ejus gratiam & tutelam, cum Photius inbentes & illubentes ſubſcribere coegiſſet: *Enimvero cum duplex ſit ſacrarum hominum confeſſatio, aliorum quidem qui a nobis initiati ſunt, quique pro nobis ſponte chirographis conſcripſerunt: aliorum vero qui a ſceleſtiſſimo Photio con-*

(1) Can. 9.

conſecrati, chirographa vel lubentes, vel coacti ſubſcripſere : rogamus, ut de his omnibus decernatur.

Id ſaltem ponderis ineſſe his rationibus videbatur, quo ſubſcriptiones ex excuſarentur, in gratiam Ignatii. At non tam clementer illas interpretabatur Synodus; quod ſuo ſecum animo præſagire Ignatius ipſe videbatur, cum inſtantius expetiit, ut de ea re Synodus pronuntiaret. Actione VIII. exuri juſſæ ſunt ſubſcriptiones omnes, quas Photius extorſerat : prohibitumque eſt Canone VIII. nequid unquam iſtiuſmodi tentarent Catholici Patriarchæ in ſui defenſionem.

XV. Cum dominaretur quodammodo in hoc Concilio Pontificiorum Legatorum auctoritas, non illi utique octavum hunc Canonem promulgari paſſi eſſent, ſi in Romana vel Occidentali Eccleſia profeſſiones id genus uſitatæ aut probatæ fuiſſent. Ravennatum, ut diximus, Archiepiſcoporum peculiaris & propria erat cauſa, nec ad alias ſerpebat Eccleſias. Pluſculum aliquid in Gallia exigebatur, ſed quod nihil ad hunc Canonem pertineret. Non vetantur enim hoc Canone niſi ſubſcriptiones ad defenſionem & tutelam perſonæ confectantis. At Gallicani Epiſcopi Metropolitano non deſpondebant niſi reverentiam & canonicam obedientiam.

XVI. Inſinuare videtur Balſamon (1), ævo ſuo tenaciſſimos fuiſſe Græcos obſervandi Canonis hujus octavi octavæ Synodi. Perhibet enim ſolam fidei confeſſionem Epiſcopi novi manu conſcriptam fuiſſe in Chartulario Confectatoris. Sed cum ea fidei confeſſio in Jure Orientali habeatur, eique ad calcem affuta ſit promiſſio obedientiæ, Metropolitano devovendæ, vel Patriarchæ : hinc probabile fit Græcos peræque ac Latinos in id conſpiraſſe tantum, ut ſacramenta & ſubſcriptiones exploderent, quibus Confectatoris perſonæ tuendæ conſuleretur, non promiſſiones canonicæ obedientiæ, Eccleſiaſticis impendendæ Prælatis, & canonicis intexæ conſtitutionibus, quarum obſervantiam novi profitentur Prælati. Elucet id quidem in hac profeſſione Græca, ubi poſt fidei orthodoxæ confeſſionem, contextur approbatio Conciliorum, Canonum, Decretorum ſanctorum Patrum, denique profeſſio medullitus complectendæ pacis Eccleſiæ, & obedientiæ in Patriarcham (2) : *Præterea pacem Eccleſiaſticam ſpondeo me conſervaturum, nec toto vitæ tempore quidquam illi adverſum in animo habiturum, ſed in omnibus obſecuturum & conſenſurum Nicolao ſanctiſſimo & univerſali Patriarchæ. Scripta ſunt hæc manu propria N. Presbyteri, ac deſignati Epiſcopi, πρεσβυτέρου καὶ ἐπισκόπου.* Ita ſubſcribebant Epiſcopi electi, qui nunc fere ſubſcribunt ſe in Latina Eccleſia nominatos.

Nec illis ſe modeſtiæ & Canonum finibus continuit Photius. Affirmat enim Nicetas paulo ante finem vitæ Ignatii, rurſum cepiſſe eum ſacramenta & ſubſcriptiones exigere illis ab omnibus, quos ordinaret : *Atque ut peccatum ſteret ſupra modum peccans, ubique jurisjurandi ſacramenta, ubique chirographa exigebat; ſive initiaret, ſive honores, & dignitates Eccleſiaſticas conferret, ſive Epiſcopatus permutabat.*

(1) In Can. 29. Carthag.

(2) Juris Orient. t. 1. pag. 441.

CAPUT XLVI. *P.4. l.2. c.52.*

De obedientia & fide ab Epiſcopis promittenda vel juranda Papæ, Patriarchæ, Metropolitano; a ceteris Beneficiariis Epiſcopo, a Monachis Abbati, poſt annum Chriſti milleſimum.

I. Varia ſacramenta ab Archidiaconis & Abbatibus Epiſcopo, ab Epiſcopis Metropolitano, a Metropolitanis Primati, ſeu Patriarchæ, vel Papæ perſolvenda. De ſpecie & ritu hominii cohærente quandoque cum ſacramento aut promiſſione obedientiæ.

II. De profeſſione obedientiæ, quam Clerici majores Epiſcopo præſtabant.

III. Gregorius VII. primus omnium a Metropolitanis ſacramenta fidei, ſeu fidelitatis expreſſit. Ex neceſſaria ea id factum eſt occaſione, quod Germaniæ & Italiæ Principes atque Epiſcopi longe plurimi a Gregorio VII. & a ſucceſſoribus ejus centum amplius annis defeciſſent.

IV. Querimoniæ Polonorum & Hungarorum, quo Pontificis reſponſo ſedatæ?

V. De ſacramento Metropolitano ab inferioribus præſtando.

VI. De ſacramento quo Metropolitani ſe Primati obligabant.

VII. Quam vulgata hæc eſſent ſacramenta ſeculo XII.

VIII.

VIII. Defenſio ſacramentorum quæ a Gregorio VII. expreſſa ſunt.

IX. Continuatur hiſtorica narratio ſacramentorum obedientiæ & fidelitatis ſæculo XI. & XII.

X. De ſacramentis, quibus & elucidatio & auctoritas acceſſit a Decretalibus Gregorianis.

XI. Hiſtoria ſacramentorum inter Clericos, uſque ad annum milleſimum quingenteſimum.

XII. Abolefcunt pleraque hæc ſacramenta. De iis quæ reſidua ſuperſunt.

XIII. Nonnulla alia obſervantur in hæc eadem ſacramenta.

I. SUccenſuit quam juſte tam vehementer B. Fulbertus Carnotenſis, Epiſcopus, in Archidiaconum Pariſienſem Liſiardum, qui factioni adverſus Pariſienſem Epiſcopum rebellanti, non affuerat tantum, ſed & præfuerat, cujus tamen obedientiæ & fidei ſacramento erat obligatus (1): *Quid dicemus de juramento fidelitatis, quod ita contaminat, ut Epiſcopo ſuo, non corde, nec verbo, nec opere fidelis exiſtat?* Ad alium Epiſcopum ſcribens idem Fulbertus, illum dehortatur ab obedientiæ & fidei ſacramentis exigendis ab Abbatibus, ſatius ducens ſuadenſque, ut contentus ſit obedientiæ & ſubjectionis Canonicæ promiſſione (2): *Si Abbas ſancti Benedicti illam deinceps ſubjectionem promiſerit, quæ vobis canonice debetur, hortor & ſuadeo, ut recipiatis. Sacramenta vero & cetera quæ ad mundanam legem pertinent, propter amorem domini Regis miſſa faciatis; ut religionem magis quam ſæcularem ambitionem vos fectari cognoſcat.* Appicta erat ſacramentis ſpecies quædam & imago ſæcularis pompæ ex Fulberti judicio, eoque iis Abbates abſolvendos cenſebat.

Hæc ipſa olim de cauſa Clerici ipſi ab eildem immunes habendi ſacramentis videbantur. Argumento eſt illa affirmandi, vel negandi ſimpliciras, quam in Evangelio Chriſtus commendat. Sed ut hoc ipſo capite infra declarabitur, novis in dies morbis emergentibus nova quoque tentanda fuere medicamenta. Tullenſis Epiſcopus Bruno, qui poſtea Apoſtolico evectus faſtigio Leo IX. dictus eſt, cum a Trevirenſi Metropolitano ſuo urgeretur, ut juramento affirmaret, nihil unquam ſe, niſi ejus conſilio moliturum; quod in ordinandis Suffraganeis ſuis ſoleret Trevirenſis id generis juramenta exigere; conſtantiſſime renuit: *Sublato omni excepto, nihil extra ſuum præceptum aut velle, aut quaſi quidam ſervus agere præſumat.* Conradus Imperator litem eam compoſuit, mitigatis iis conditionibus, ut refertur a Scriptore vitæ hujus Pontificis.

Quam Archiepiſcopus Remenſis Gervaſius ad Nicolaum II. ſcripſit Epiſtolam, & qua illum *Patrem Patrum, Epiſcopum Epiſcoporum* ſalutat; ea inſinuare videtur, ſin minus Epiſcopos, certe Metropolitanos omnes Pontifici Romano obedientiam profiteri ſolitos (3): *Dicant adverſarii quantumlibet me infidelem & rebellem Magiſtratui veſtro. Ego ſubjectionem meam vobis profiteor. Et quicunque illam vobis negaverint, cujuſlibet ordinis ſint, mihi communicare non poterunt.*

Diſcrepabat utique hæc profeſſio ab eo ſacramento, cujus officia omnia luculente & prolixe deſcripſit Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus, in Epiſtola ad Ducem Aquitaniæ data (4). Sed ritus præ ceteris memorandus ille eſt, de quo Petrus Damiani in narratione Legationis ſuæ in civitatem Mediolanenſem; qua tum Archiepiſcopum, tum Clericos ſolemni ſacramento conſtrinxit ipſemet omnes, ut ab Eccleſia ſua ſimoniam proſcriberent, clericalique continentiæ addictiores in poſterum eſſent. Manibus ejus manus ſinguli ſuas interſeruere: *Archiepiſcopus ante ſanctum Altare juravit in manum meam, &c. Omnes alii qui aderant Clerici, ſimiliter manus ſuas in manum meam dederunt, & hæc eadem excommunicationis & anathematis verba dixerunt:* Juravit & Archiepiſcopi nepos, una manu manibus Archiepiſcopi inſerta, altera libro Evangeliorum impoſita (5): *Archiepiſcopi nepos, honeſtus Clericus, cujus unam manum Archiepiſcopus tenuit, alteram ipſe ſuper ſanctum Evangelium poſuit, & juravit, &c.*

Illi ſunt proprii, ut videtur, hominiorum ritus, juramento canonico conferti. Sed cum nova ea machinamenta non ſpectarent niſi ad puritatem & ſanctimoniam Eccleſiaſticæ diſciplinæ validius conſtabiliendam: quis gravate ferat, tam valida adhi-

(1) Epiſt 34. (2) Epiſt 42. (3) Du Cheſne Tom. 4. pag. 206.
(4) Epiſt. 101. (5) Petr. Dam. Opuſc. 9.


image
not
available

Epiſcopum exauctoratum fuiſſe ſcribit, & quicunque illi ſacramento fidelitatis innexi erant, eos a ſe abſolutos (1): *Quicunque ſibi fidelitatem juraverunt, ab omni vinculo ſacramenti abſolvimus.* Erant in eo numero Clerici utique aliqui. Certe nemo inficias ire poteſt, quin Canonicos Anicienſes idem Gregorius liberos eſſe juſſerit a ſacramento, quod Epiſcopo ſuo præſtiterant, poſtquam eum Pontificius Legatus Epiſcopali ſede movit (2): *Ab omni ſacramento & obligatione, quam præfato ſimoniaco contra Dominum feciſtis, ex parte ſancti Petri vos abſolvimus.* Concilium Rothomagenſe anni 1074. cui præerat Joannes Archiepiſcopus idem ipſe, ad quem ſupra ſcribebat Lanfrancus, ſanxit ut Clerici majores his obedientiæ profeſſionibus innecterentur, convenienter Canonibus Toletanis (3): *Quod Subdiaconi, ſive Diaconi, ſive Sacerdotes Parochiani. non ordinentur ſecundum confirmationem Concilii Toletani, abſque legitima profeſſione, quam coram Epiſcopo & omnium circumſtantium audientia faciant, qui ordinandi fuerint.*

III. Copioſius mox hac eadem de re; ne vero a temporum contextu & ſerie diſcedamus, dicendum nunc nobis de eo quo ſe Papæ Metropolitani obligant ſacramento. Pollicitationem ſervandæ fidei & canonicæ diſciplinæ, ſeu profeſſionem, a Bonifacio Legato & Germaniæ Apoſtolo invectam fuiſſe ſupra docuimus. Tempore Caroli Calvi ſpondebant præterea Metropolitani, obnoxios ſe & ſubjectos fore Apoſtolicæ Sedi; & ſuffraganeis ſuis auxilium exhibituros (4). *Beato Petro Vicario ejus debitam ſubjectionem & obedientiam, ſuffraganeis vero noſtris adjutorium me exhibiturum profiteor.* Ea vero obedientia circumſcribebatur ſcrupuloſa Canonum obſervantia, cujus ne ſummi tum quidem Pontifices immunes ſe volebant eſſe.

Primus omnium Gregorius VII. a Patriarcha Aquilejenſi in Concilio Romano anno 1079. expreſſit non obedientiæ tantum Canonicæ profeſſionem, *Canonice obediam;* ſed etiam juramentum fidelitatis, ejus ſimillimum, quod dominis ſuis vaſſi, ſeu vaſſalli & clientes præſtabant, ne quid unquam in eorum vitam, honorem & libertatem machinarentur: *Non eo in conſilio, neque in facto, ut vitam, aut membra, aut Papatum perdant, aut capti ſint mala captione.*

Ut rei tam novæ cauſa & origo nudetur, memoria revolvenda eſt Annalium Eccleſiaſticorum, quibus teſtatum ſit anno 1077. Epiſcopos omnes Longobardiæ in Gregorium hunc Pontificem inſurrexiſſe, ut qui plures eorum diro confixiſſet anathemate, vel Epiſcopali ſolio exturbaſſet, tanquam publice & manifeſte ſimoniacos & concubinarios. Horum eo tandem erupit vecors inſania, ut Legatos Pontificis ludibrio habuerint, ejus excommunicationes nihili a ſe fieri conteſtati ſint; vel in ipſum enim retortum fuiſſe anathema ab Epiſcopis Italiæ omnibus; cauſæ publicæ prævaricatorem teneri Henricum IV. Germaniæ Regem, qui in gratiam cum eo rediiſſet; certum ſibi fixumque eſſe Henricum juniorem, filium ejus, ſibi Regem præficere, eoque duce & anteſignano, Romam ipſos contendere, ubi alium Pontificem crearent. Coætaneus & diligentiſſimus ſcriptor Lambertus hæc omnia hiſtoriæ ſuæ intexuit (5): *Se excommunicationem illius nihil æſtimare, quem ipſum omnes Italiæ Epiſcopi juſtis ex cauſis jam pridem excommunicaſſent, &c. Adulta ſeditione, una omnium ſententia erat, ut abdicato patre filium ejus impuberem Regem ſibi facerent, ut cum eo Romam profecti, Papam alium eligerent, per quem ipſe protinus Imperator crearetur, & omnia Papæ hujus Apoſtolici geſta caſſarentur.* Ea defectione Epiſcoporum adductus eſt Henricus Rex, ut pacem jam coaleſcere cœptam cum Gregorio abrumperet, & fœdiſſimæ ſe ſeditioſorum Præſulum turbæ ducem præberet. Quin & conſilium iniit cum Archiepiſcopo Ravennate invadendæ ipſius Gregorii perſonæ & conſtringendæ. Anno 1078. infracti pectoris Pontifex Gregorius in Synodo Romana Epiſcopos illos omnes Italiæ, ea rebellione implicatos, anathemate implicuit, nominatim vero Mediolanenſem & Ravennatem Archiepiſcopos. Germani interim in fidem & tuitionem Pontificis concellerunt, Regemque ſibi pro Henrico Rodulphum adiciverunt. Eo probabiliter prohibitus eſt Aquilejenſis Patriarcha, qui Italiæ Germaniæque confinia inſidebat, ne defectioni ſe Italorum innecteret, utque fidelitatem Pontifici ſuam novo & hactenus inuſitato, ſed tum neceſſario ſacramento conſignaret.

Quibus perpenſis jam, ut opinor, mirari deſines, eccur Gregorius hæc ſacramenta exigere cœperit eo tempore, quo in

(1) L. 2. Ep. 54. (2) L. 4. Ep. 18 (3) Can. 5.
(4) Formula 13. in Append. Conc. Gal. Tom. 2. (5) Baron. ann. 1077. n. 26. 36.

ipſum Imperatores & Epiſcopi conjuraverant, vitæque & libertati ejus undique inſidiabantur. Anno 1080. Imperator Henricus Brixinone Conciliabulum congregavit, ubi triginta Epiſcopi aliorum undevigimti conſentientibus ſuffragiis muniti, depoſitionis ſententiam impiam irritamque dixerunt in Gregorium, ejuſque loco Papam ſibi elegere Guibertum Archiepiſcopum Ravennatem. Henricus Imperator Gregorium Romæ obſidione cinxit, quam ſolvere coactus eſt a Roberto Viſcardo gentis Gallicæ, ſeu Normannicæ, Apuliæ Duce. Caſſinum ſeceſſit Gregorius, inde Salernum, ubi anno 1085. ad cœlites mortali ſtadio functus commigravit.

Succeſſores ejus Victor III. & Urbanus II. adverſarios eoſdem reformidandos ſibi & oppugnandos habuere; ſed non aliis quam anathematum telis inſtructi, ſalutem fugæ commiſere. Antipapam Guibertum Romani urbe pepulerunt, quem & mox Henricus Imperator reſtituit. Auctor eſt Bertholdus anno 1089. in Germania quatuor non amplius Epiſcopos defectionis & ſchiſmatis immunes & exortes fuiſſe. Paſchalis II. Urbano II. ſucceſſor datus eſt, quem & ipſum cum tota Curia ſua Henricus V. Imperator cuſtodia & captivitate fœdiſſima affixit anno 1110. ut ſe ſuoſque libertati recuperare non potuerit, niſi reſtituto laicarum inveſtiturarum uſu. Succeſſit in Apoſtolicam Sedem Gelaſius II. in quem manus injecere Schiſmatici, & tam ſanctæ majeſtati carceres & vincula adhibuere. Anno quidem 1118. Catholici libertati eum reddidere; at mox Romam adproperavit Imperator Henricus, ubi Burdinum Antipapam excitavit, Braccarenſem prius Archiepiſcopum, tum Gregorii nomine ornatum. In Gallias ſeceſſit Pontifex, ubi & Cluniaci obiit anno 1119. Calliſtus II. loco ejus ſuffectus, Roma Burdinum exturbavit tandem ille quidem, ſed nonniſi valido inſtructus exercitu.

Subjiciendæ oculis neceſſario fuere diutinæ hæ calamitatum procellæ, per annos admodum quinquaginta poſt Gregorii VII. Pontificatum, ut perſpicuum & perſuaſiſſimum jam nemini non ſit, ſi eo tempore Pontifices a Metropolitanis expreſſerint illud idem fidei ſacramentum, quod Gregorius VII. ab Aquilejenſi Archiepiſcopo acceperat: adactos eo illos fuiſſe ineluctabili quodam neceſſitatis telo, deficientibus tot Principibus, tot Civitatibus, tot Epiſcopis, & in eorum libertatem ac vitam conjurantibus. Miſſum facio exitiale ſchiſma inter Innocentium II. & Antipapam Anacletum. Peſtifera item illa Imperii a Sacerdotio diſſidia ſub Friderico I. & Henrico VI. ejus filio Imperatoribus, itemque ſub Pontificibus Hadriano IV. Alexandro III. & Cœleſtino III. quibus diſſenſionibus fœdatum eſt reliquum ſæculi XII. tempus, impactaque his Pontificibus neceſſitas, ab his neceſſariis cautionibus & ſacramentis non diſcedendi. Narrat Albertus Stadienſis Abbas anno 1179. Archiepiſcopos Moguntinum & Colonienſem repudiato ſchiſmate, abjectiſque Friderici I. & Antipaparam partibus, recollegiſſe ſe tandem Alexandro III. anno 1179. in Concilio Lateranenſi III. novum ab eo Pallium accepiſſe, ac viciſſim fidei perfunctos eſſe ſacramento. Ducem ſe perdiu Archiepiſcopus Moguntinus ſchiſmaticis exercitibus ſigniferumque exhibuerat contra Alexandri III. defenſores. Paternas avitaſque adverſus Apoſtolicam Sedem inimicitias non minus ſtrenue innovavit exercuitque Fridericus II. Ita diutiſſime & neceſſario convaluit ſacramentum illud de quo agimus, ut non potuerit illud non conjici in libros Gregorianarum Decretalium, tunc temporis publicatos.

IV. Reſiſtebatur vehementer huic ſacramento a Polonis ſub Paſchali II. at eorum Archiepiſcopo reſcripſit Pontifex, muniendæ unitati Eccleſiæ, & religioſæ Canonum obſervantiæ, tot exhauſtis periculis, diſſenſionibus & rebellionibus, nulla ſatis tuta munimenta, nulla nimia comparari poſſe ſubſidia (1): *Nonne malum eſt ab Eccleſiæ unitate, & a Sedis Apoſtolicæ obedientia reſilire, & contra Canonum ſtatuta prorumpere? Quod multi etiam poſt ſacramentum præſtitum præſumpſerunt. Hoc nimirum malo & neceſſitate compellimur, juramentum pro fide, pro obedientia, pro unitate requirere.* Hujus Epiſtolæ verba hæc: *Numquid Hungarico Regi dictum eſt*, viris doctiſſimis non immerito locum dedere conjectandi, eam ad Metropolitanum Colocenſem in Hungaria præſcriptam fuiſſe, & Amanuenſium errore factum, ut *Polonenſi* ſcriberetur pro Colocenſi.

V. Confirmatum jam a nobis eſt, Metropolitanis & Epiſcopis familiare jam fuiſſe,

(1) Extrav. De jurejur. c. 4.

ſe, ut non obedientiæ tantum, ſed & fidelitatis ſacramenta exprimerent, non a Clericis tantum & Abbatibus, ſed & ab Epiſcopis ſibi obnoxiis. Archiepiſcopus Cantuarienſis ab Archiepiſcopo Eboracenſi invidioſiſſima exigebat juramenta, quibus vel ipſe Rex tantum non ad æmulationem excitaretur. Ne ergo ſtupeat quiſquam, ſi prælucentibus his exemplis eadem ſacramenta elicuerint & Romani Pontifices, Ait Anſelmus ſe dum Cantuariæ Archiepiſcopus inauguraretur, Pontifici obedientiam profeſſum fuiſſe, quanquam vel ipſi qui eum ordinabant Epiſcopum, ambigerent an verus Pontifex eſſet Urbanus II. (1) *Sub profeſſione obedientiæ Romani Pontificis me conſecrarunt.*

Ivo Carnotenſis Epiſcopus temere profſus & immerito ait a quibuſdam inſimulari Abbatem, quod obedientiam profeſſus eſſet Metropolitano ſuo. Sic enim ille ad Abbatem Majoris Monaſterii (2): *Quod calumniantur non rectè vos feciſſe, quod ante benedictionem promiſiſtis obedientiam Sedi Metropolitanæ, vana & nulla calumnia eſt.* Diſſiliet enim Eccleſiæ unitas, niſi Eccleſiaſticarum & Monaſticarum Congregationum apices eam exhibeant fidem & obedientiam Prælatis ſuis, quam ipſimet ab illis exigunt, quibus Prælati ſunt: *Quomodo enim ſibi connexa ad invicem poterunt eſſe membra corporis Chriſti, niſi diſpenſatores Monaſticarum vel Canonicarum Congregationum, eam obſolientiam exhibeant Prælatis ſuis, quam ſibi exhiberi volunt a ſubditis ſuis?* Poſt laudatum in eam rem Concilium Toletanum XI. tradit Romanos quoque Præſules dum conſecrantur, juramento conſtringi ad ſervandas Eccleſiæ Romanæ conſuetudines, & Decreta Prædeceſſorum: *Ipſe ſummus Pontifex antequam conſecrationis gratiam conſequatur, conſuetudines Romanæ Eccleſiæ & Decreta prædeceſſorum ſuorum ſe inviolabiliter ſervaturum profitetur.* Epiſcopos denique omnes alios dum ordinantur, Conſecratori ſuo obedientiam profiteri, Canonumque ſtrictiſſimam obſervantiam: *Sic reliqui Pontifices cum ante conſecrationem examinantur, omnem veterum morum honeſtatem & debitam obedientiam ſe exhibituros ſuis ordinatoribus pollicentur.*

Eccleſiaſticæ Adami Bremenſis Eccleſiæ Canonici Hiſtoriæ aſſuta ſunt, & publicæ lucicredita ſunt privilegia Eccleſiæ Hamburgenſis, & inter ea duplex ſacramentum Archiepiſcopo Bremenſi præſtitum anno 1247. ab Alberto Epiſcopo Lubecenſi, Sedis Apoſtolicæ Legato in Livonia, Eſtonia, Pruſſia. Eorum primo aſtringit ſe tantum, ut ne quid alienet, & ut omnia potius alienata pro virili parte recuperet Eccleſiæ ſuæ bona. Alterum vero his verbis exprimitur: *Ego Albertus Lubecenſis Epiſcopus, Livoniæ, Eſtoniæ & Pruſſiæ Apoſtolicæ Sedis Legatus, ab hac hora in antea fidelis ero tibi, & obediens in omnibus, tuiſque ſucceſſoribus in Bremenſi ſede conſtitutis. Mandatum tuum quodcunque mihi ore, ſive per certam Epiſtolam tuam manifeſtaveris, ſine malo ingenio adimplebo. Ad omnem terminum & locum quem mihi indicaveris, veniam, niſi corporis mei infirmitate, vel alia aliqua gravi neceſſitate detentus, venire non poſſim. Hæc omnia per fidem rectam ſine omni malo ingenio obſervabo, quandiu vixero.* Conſentanee huic ſacramento juſſus eſt ab Archiepiſcopo Epiſcopus polliceri, pollicituſque eſt, nihil ſe unquam moliturum, ut ab Archiepiſcopi Bremenſis obedientia recederet: auxilio ei futurum ad tuenda jura ejus omnia, in Hamburgenſes maxime: nihil ſe Legatione ſua illaturum detrimenti Metropoli Bremenſi; quin ex adverſo daturum operam, ut Primatus ei dignitas adderetur. Contexitur mox ibidem & hoc ſacramentum eidem Archiepiſcopo exſolutum anno 1248. a Willelmo Epiſcopo Suerinenſi: *Non ero in conſilio, nec in facto, ut vitam perdat, aut membrum; vel capiatur mala captione. Conſilium quod mihi per ſe, aut per litteras, aut per nuntium manifeſtabit, nulli pandam. Archiepiſcopatum Bremenſis Eccleſiæ, & Regulas ſanctorum Patrum & ſtatuta Conciliorum adjutor ero ad defendendum & retinendum ſalvo ordine meo, contra omnes homines. Vocatus ad Synodum veniam, niſi impeditus fuero canonica prapeditione. Legatum ipſius & Eccleſiæ Bremenſis, quem certum Legatum eſſe cognovero, in eundo & redeundo bene & honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo; & omnem fidelitatis formam, ad quam de jure teneor, fideliter obſervabo.* VI. Cum Lugdunenſis Primas electum Archiepiſcopum Senonenſem ordinari vetuiſſet, niſi ante ſibi obedientiam profiteretur: ſuper eo negotio adiit Ivo Carnotenſis

(1) L. 3. c. 36. (2) Epiſt. 57.

tensis Urbanum II. per litteras, non dissimulans ipse tamen, nullo consuetudinis, nullo legum Ecclesiasticarum præsidio niti eam spem ac voluntatem Primatis (1): *De Senonensi electo, cujus consecratio a Legato vestro Lugdunensis Archiepiscopo prohibetur ab hac, quid ei jure Primatus sui ante confecrationem suam obedientiam non profitetur, quid nobis agendum sit, referibat vestra Paternitas, &c. Cum de professione a Metropolitanis Primatibus facienda, nihil legamus consuetudine confirmatum, vel legibus institutum.* Inculcavit eadem ille prorsus omnia Primati ipsi, datis ad eum Epistolis, ubi & congestis pluribus testimoniis hæc subjicit (2): *Contenditis ut Senonensis electus ante confecrationem suam vobis præstetur, & jure Primatus vestri subjectionem & obedientiam profiteatur. Quod hactenus nec in Senonensi Provincia, nec in aliis Provinciis antiquitas instituit, nec consuetudo servavit.*

Cum Samson electus fuisset Episcopus Aurelianensis, Ivo Episcopus Carnotensis, aliique ejusdem Provinciæ Episcopi illum confirmarunt, expressa ante ab eo pollicitatione obediendi Primati (3): *Eum promissa vobis obedientia consecravimus.* Inde conjici potest eandem Primati suo obedientiam professuri Metropolitanum debuisse in ordinatione sua. Eo enim tandem res erupit, idque aliquando tandem Ivo persuasum voluit esse (4) Metropolitano Senonensi.

Hæ vero professiones omnes, sive ore tantum, sive scripto fierent, non aliam quam inexorabilem illam complectebantur legem servandorum Canonum, Prælatis Ecclesiasticis obsequendi, in eorum vitam & salutem nihil machinandi, jura & honorem eorum tuendi, quantum sineret Ecclesiæ lex, caritasque. Accipe hic sacramentum, quo Papa ipse fungebatur tempore ordinationis suæ, ex Diurno Ecclesiæ Romanæ depromptum, sive ex Rituali libro, ut ab Ivone Carnotensi refertur (5): *Nihil de traditione, quam a probatissimis prædecessoribus meis traditam & servatam reperi, diminuere, vel mutare, aut aliquam novitatem admittere, sed ferventer ut eorum discipulus, & sequipeda, totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonice comperio, observare ac venerari profiteor..*

At ubi Ivo Carnotensis contestabatur Primati professionem ab Episcopis & Metropolitanis exhiberi, nec consuetudinis esse, nec legis ullius Ecclesiasticæ, de Primatu Lugdunensi agebat inter ipsa sui exordia. Præter ea enim quæ de Lanfranco Anglix Primate disputata sunt, ipsa Anselmi historia non minus eidem professioni adstipulatur. Cum indignationem enim ille Regiam in se concitavit, quod Urbano II. Papæ assurgere Rex detrectaret, nonnulli Episcopi Angliæ ab ea obedientia recesserunt, quam illi desponderant in Concilio Angliæ anno 1095. (6) *Quidam ex Episcopis Archiepiscopo suo atque Primati omnem subjectionem, professamque obedientiam uno impetu abnegant.* Scripsit ad Gerardum Eboracensem Archiepiscopum Paschalis II. Papa, & præcepit eadem in Anselmum ut fungeretur professione, quam Lanfranco olim edere jussus fuerat ab Alexandro II. prædecessore ejus Thomas. Cum vero in Concilio Londinensi tergiversaretur Gerardus quod eam professionem jam edidisset, cum Herefordiensis ante Episcopus ordinaretur: pervicit Anselmi constantia, ut eam innovaret, cum hac singulari cæremonia, de qua supra: *Gerardus sua manu imposita manui Anselmi, interposita fide sua pollicitus est, se eandem subjectionem & obedientiam ipsi & successoribus suis in Archiepiscopatu exhibiturum quam Herefordiensi Ecclesiæ ab eo sacrandus Antistes promiserat.* Cum Gerardo successisset Thomas alius, vetuit Anselmus (7), ne ordinari se curaret, vetuit & ne qui Episcoporum eum ante ordinaret, quam eandem ac prius Thomas & Gerardus professionem exhibuisset. Ei officio satisfecit Thomas in Concilio Londinensi anno 1109. *Profiteor subjectionem & canonicam obedientiam Primati, &c. Salva fidelitate domini mei Regis.* Addebatur porro ea clausula, *salva fidelitate domini Regis*, quod ex professiones proxime accederent ad sacramenta fidelitatis.

VII. Clero Parisiensi rescribens Paschalis Papa vitio vertebat consuetudinem prorsus insolentem, ut Majores Præbendarii a minoribus hominia exigerent (8): *Illud quod apud quosdam Clericorum fieri audivimus, ut videlicet majores Præbendarii a minoribus hominia suscipiant, ne ulterius fiat*

(1) Epist. 58. (2) Epist. 65. (3) Epist. 122. (4) Epist. 118.
(5) Epist. 65. (6) Edmerus in vita Anfel. l. 2. Epist. 17.
(7) Anfel. L. 3. Epist. 155. (8) Epist. 77.

fas interdicimus. Non ergo a Metropolitanis exigebat hic Pontifex ejusmodi hominium, quo vassalli domino exolvunt: vel id genus sacramenti, quod hominium redoleret. Ad Hugonem Archiepiscopum Rothomagensem retorsit Innocentius II. (1) quanquam potuisset professionem & obedientiam juxta juris regulas ab Abbatibus exigere, eo jure tamen abstinere debuisse, cum eo Rex tantopere exulceratus fuisset.

Confirmata est ab Eugenio III. vetus consuetudo ut Capellani Ecclesiarum Romæ urbis obedientiam profiterentur Cardinalibus earundem Ecclesiarum (2): *Secundum antiquam & rationabilem consuetudinem, vestræ Ecclesiæ obedientiam promittere nullatenus contradicat*. Cum Tornacensem Episcopatum disjunxisset Eugenius III. a Noviodunensi, & ordinasset proprium Tornacensibus Episcopum: voluit ut qui obedientiam & fidem Noviodunensi Episcopo pepigissent, eo nexu solverentur, & iisdem obedientiæ & fidei vinculis Tornacensi Episcopo obligarentur (3): *Illos qui occasione Episcopatus Tornacensis Noviomensi Episcopo sacramento, vel fidelitate, seu obedientia astricti sunt, ab eadem fidelitate, & juramento, vel obedientiæ Apostolica auctoritate absolvimus, & ut Anselmo Tornacensi Episcopo eadem fidelitate & obedientia teneantur præcipimus*. Eadem fidei sacramenta præstabantur Metropolitanis & Episcopis Germaniæ ab eorum Clericis (4), ut liquet ex Epistolis Alexandri III. qui solvit Clerum Salisburgensem a vinculo Metropolitani, qui Episcopatu abierat, ut ineundæ inter Sacerdotium & Imperium concordiæ viam complanaret.

VIII. Undecimo ergo & duodecimo sæculo usitatissima erant sacramenta fidei, creberrimæ obedientiæ professiones inter varios Clericorum gradus. Ea exigebant Primates a Metropolitanis, ab Episcopis Metropolitani, Episcopi denique ab Abbatibus, Canonicis, aliisque Beneficiariis, quin & Parochi a Capellanis & Vicariis suis. Increbuerat is usus, antequam Gregorius VII. exigeret sacramentum fidei ab Archiepiscopis. Quis unquam puriori flagravit zelo, & a tyrannide ostentatione magis alieno fuit animo, quam Anselmus? Sed & quis unquam inflammatior ad tuenda Ecclesiæ suæ jura, & ad ea extorquenda ab Archiepiscopis & Episcopis obsequia, quibus eorum antecessores in antecessores suos perfuncti essent? Nemo cordatus ergo, nemo sanæ mentis zelum consimilem vituperabit in Gregorio VII. in Paschali II. aliisque Pontificibus, qui non alia ratione potuissent simoniam & incontinentiam Cleri effrænatissimam cohibere, aut Investituras Laicorum. Quæ nunc horum sit magnopere utilitas sacramentorum, non satis intelligere possumus: At illud utique animo augurandum est, tot Concilia, tot Pontifices, tot sanctissimos Episcopos Hispaniæ, Italiæ, Galliæ, Angliæ & Germaniæ huic stabiliendæ consuetudini non tantopere adlaboraturos fuisse, nisi conducibilem eam, & Ecclesiæ necessariam suo ævo intellexissent. Perversissimum est do statutis sæculis XI. judicare ex moribus sæculi XVII. Ut judicium feras de statuto ante sexcentos annos edito, mente tibi ejus ævi conditio, situs, mores, calamitates, infortunia revolvenda sunt. Si iis minus nunc forsan egemus sacramentis, eam illa pacem & securitatem peperere, qua fit ut minus egeamus. Satius est autem remediis minus necessariis uti, quam iis abstinendo in eadem revolvi calamitates, quibus rursum summopere necessaria sunt. Utque uno rem verbo conficiam: cum tam frequentia essent fidelitatis sacramenta inter ceteros Cleri ordines, cumque pervenulla jam tum essent tempore Gregorii VII. ab ipsis enim usque Tolerantis Conciliis repetebantur: nemo jure stupebit ipsum quoque Gregorium ea exprimere voluisse difficillimis iis temporibus, quibus ita utcunque mederi se posse sperabat.

IX. Cum vero non tam Gregorii VII. sejunctim, quam universæ hic causam defensitemus Ecclesiæ, quæ in jus suum Canonicum hæc juramenta, has professiones admisit: operæ pretium est, in Ecclesiæ mores paulo uberius effundi hæc sacramenta religiosæ exigentis. Cum Hildebertus Cenomanensis Episcopus unum ex Clericis suis cederet Episcopo Arverno, ad Archidiaconatum suum eum provehere cupienti, hæc ad eum scripsit (5): *Eum vobis & vestræ commodo Ecclesiæ, ab ea quam confessatori suo debet obedientia, liberum omnino & absolutum*. Tradit Arnulphus Lexoviensis Episcopus, hominio & fide ligia, hoc est stri-

(1) Synod. Rothom. pag. 133. Epist. 4. 5.
(2) Epist. 61. 64.
(3) Ep. 64. 65.
(4) Conc. Gen. Tom. 10. pag. 1500.
(5) Epist. 55.

strictissima ligatum sibi suum fuisse Archidiaconum. *Hominio & fide ligia tenebatur obnoxius.*

Pietate & zelo conspicuus Ecclesiæ Parisiensis Cantor Petrus, senescente sæculo XII. expostulabat de Episcopis, qui minus solliciti erant de crebris collationibus, quibus instruendi, & animandi fuissent ii, quos audiendis confessionibus præficiebant: nec curabant ab eis sacramentum fidelitatis exigere, ut eos constringerent non aliter quam ex sanctissimis pietatis legibus officio suo fungi (1): *Officialium Episcopi tria sunt genera. Confessor cui Episcopus vices suas in spiritualibus, in audiendis confessionibus, & curandis animabus committit, &c. Primus licet Deo dignior, Episcopo tamen est vilior. Cum ipse ei est rarus sermo, rara consultatio super reddenda villicationis suæ ratione, super regimine animarum, in quo patet quantum amabat eas, & Redemptorem, & summum Pastorem earum, &c. Sed & quod detestabilius est, primum mittit ad officii sui executionem sine magna fidelitatis ejus examinatione præhabita, sine sacramento jurisjurandi, de fidelitate ei servanda in regimine animarum, interposito.* Primus hic est Petro Officialis Episcopi, quem tritius nunc, & usitatius Pœnitentiarium appellamus. Duo alii ii erant, qui contentioſam ejus juridictionem in urbe exercebant. *Quæstor Palatii, Decanus, Archipresbyter, & hujusmodi, qui incrementis, & profectibus causarum & negotiorum Episcopi per fas & nefas invigilant.* Et qui turi eam exercebat *Præpositus ruralis*. Episcopi tunc terrenis cupiditatibus, quam cœlesti caritate flagrantiores, de quibus expostulat Petrus, hæc nulli demandabant officia, nisi expresso fidelitatis sacramento: etiam rationes reddi crebrius urgebant. *Quibus tutelam pecuniæ suæ sine juramento interposito non committit.* Ultro missas facio exactiones fordidissimas horum sive Episcoporum, sive Officialium. Non aliter enim tum temporis exercebatur Episcopi contentiosa juridictio, quam pecuniariis pœnis, emendis, & exactionibus creberrimis. Hinc sacramenta querebatur Petrus adhiberi exigique ad confirmandam eorum fidem, qui Episcopi pecunias, & reditus colligebant, non ab iis, qui animarum procurandæ præerant saluti.

Irrita pronuntiata est ab Innocentio III. electio Episcopi Pennæ in Italia, quod ante confirmationem suam Ecclesiæ administrationem occupasset, admisisseque usitatissima Clericorum & laicorum sacramenta (2): *Recipiendo tam a laicis, quam a Clericis juramenta.* Cum Episcopus Hildesheimensis sua semet auctoritate in Ecclesiam Visburgensem transtulisset, sub anathematis interminatione vetuit idem Innocentius ne plebs Cleruse illi obtemperaret, (3) *non obstante juramento fidelitatis.* Abdicandum censuit Honorius III. Archidiaconum Ambianensem quod quanquam fide & hominio obligatus esset Episcopo, illum negasset dominum sum esse, contra illum testimonium dixerat in sæculari judicio, hostibus ejus consilio & opera affuerat. Ea quippe omnia ejusmodi erant, quibus fides Vasalli vulneraretur (4): *Si constiterit Archidiaconum semel & iterum contra fidem homagii præstiti, ac reverentiam, Episcopum suum esse dominum negasse, vel in foro sæculari depoſuisse contra eum, &c.* Mitto Palchalis II. Epistolam ad Episcopum Panormitanum datam, quæ Decretalibus illigata est (5), quod simillima sit ei quam supra diximus scriptam ab eo fuisse ad Archiepiscopum Polonorum, sive Hungarorum.

Narrat Petrus Diaconus in Chronico Cassinensi, ut Honorius II. Papa, cum Cassinatem ordinasset Abbatem, *sacramentum fidei vehementer coperit exigutere*: Cum vehementissime contra Abbas & Monachi reniterentur, affirmavit Pontifex non aliud se ab Abbate exigere, quam quod sibi ab Archiepiscopis & Episcopis præstabatur (6), *Quod Episcopi & Archiepiscopi omnes facerent, id Abbatem quoque Cassinensem facere debere.* Responsum est ab Abbate & Monachis, eo necessario fræno coercendos fuisse Episcopos, qui exitiali se quandoque schismate ab Ecclesia Romana abstidissent; sed procul ab eo facinore semper fuisse Abbates Cassinenses. *Nostri e contra, illos hæresum causa merito jurare compelli, fidemque exigi, quia sæpius in hæresin lapsi, contra Romanam Ecclesiam fecissent. At vero Cassinensis Ecclesia nunquam in hæresin lapsa est, aut con-*

(1) Petr. Cantor De verbo abbreviato c. 24.
(2) Extrav. De transl. c. 3.
(3) Extrav. De Elect. c. 6.
(4) Spic. t. 12. pag. 268. Extrav. De Elect. c. 17.
(5) Extrav. De excess. Præl. c. 15.
(6) L. 4. c. 97.

contra Apoſtolicum ſenſit. Acquievit mollitus eo reſponſo Pontifex, tanto caritatis & indulgentiæ temperamento commendatiſſimus. Hoc vero reſponſo id videtur innui, fidei magis quam fidelitatis eſſe ſacramentum, quo Papam colunt Epiſcopi. Nec ſane illud ſacramenti frænum invexit Gregorius VII. niſi ut Epiſcopos Longobardos, Italos & Germanos ſtrictius illigaret unitati Eccleſiæ, & communioni Catholicæ cum Capite.

Ex illa fidei & pietatis in Pontifices ſuæ conſtantia aliquam inanis gloriæ auram hauſerant forſan Monachi Caſſinenſes, cujus non multo poſt pœnas dedere. Antipapæ enim adglutinarunt ſe Anacleto, adverſus Innocentium II. Pontificem, Honorii II. ſucceſſorem. Unde & cum mox eos Innocentius in ordinem redegiſſet, auxilio freetus Lotharii Imperatoris, cœpit tum demum ab iis id ſacramentum exigere, quod & ab Epiſcopis. *Per ſacramentum Innocentio Papæ ejuſque ſucceſſoribus obedientiam ac fidem polliceri*. Tuebantur ſe Monachi Regula ſancti Benedicti, quæ quocunque demum caſu jurare prohibet, & privilegiis Imperatorum Caroli Magni, Ludovici, Hugonis, Lotharii, Berengarii, Alberti, Otthonum trium, Henricorum quinque, & Conradi, quibus cavebatur, ne Monachi jurare unquam compellerentur (1): *Statuimus ut Monachi ad ſacramentum non compellantur*. His Lotharius Imperator Monachorum ſuffragabatur privilegiis, ſalvâ & intactâ Pontificis reverentia, qui illis infeſtus erat. Poſtremo denique re diu ultro citroque decertata, remiſit Pontifex, idque donavit Imperatori, ut ſacramento fidelitatis Monachos abſolveret: ſolo obedientiæ juramento contentus eſſet (2). *Ut fidelitate omiſſa, ſacramentum ſolummodo, obedientiamque requirat*. Sed eam poſtea indulgentiam ſuam revocavit Pontifex, voluitque ut juramento conſtringerentur Monachi, cum ſchiſmate illaqueati fuiſſent, jufſeritque Nicæna Synodus ſchiſmaticos in Eccleſiam non aliter, quam juramento admitti. Ita & Abbas & Monachi juramento conſtricti ſunt.

X. In Gregorianis Decretalibus (3) Monachi obedientiam nunc pollicentur, nunc jurant. Aliquando Archipresbyter Abbati ſacramentum obedientiæ & fidei præſtat: *Ut Archipresbyter fidelitatem & obedientiam præſbet Abbati*. Vetantur & Epiſcopi a Clericis ſacramentum exigere, niſi ab eis, quibus res Eccleſiæ adminiſtrandas credunt, hoc eſt a Beneficiariis. Cum enim primum penes Epiſcopos fuerit tota rerum Eccleſiæ adminiſtratio, quibus earum partem aliquam concredebant, ii demum Beneficiarii evadere (4). *Nullus Epiſcopus Clericos ſuos, niſi forte quibus Eccleſiaſticarum rerum commiſſa fuerit diſpenſatio, ſibi jurare compellat*. Cum Eccleſia quædam ſolo æquata fuiſſet, Canonici ſoluti ſunt ſacramento, quo ei tenebantur (5). *Canonicos ab obligatione præſtiti juramenti pro eo quod ibidem inſtituti fuerant, denuntiari præcipimus abſolutos*.

In Eccleſia Placentina Italiæ ſacramentum his verbis præſtabant Clerici (6). *Ego talis ab hac horâ in antea fidelis ero & obediens Placentinæ Eccleſiæ & domino meo Epiſcopo Placentino*. Papam percontati ſunt de ſenſu hujus ſacramenti, a quo reſponſum eſt, his verbis, *Eccleſiæ Placentinæ*, non contineri Clerum totius Diœceſeos, ſed Capitulum Cathedralis Eccleſiæ tantum, maxime autem Epiſcopum. Perſpicuum hoc eſt ſacramentum: *Cum Clerici juramentum præſtant*. Immo & ſacramentum fidei, adeoque & Vaſſalli, *Fidelis ero domino meo Epiſcopo*. A Vicariis idem Parocho exſolvebatur ſacramentum (7): *De Vicariis, qui perſonis fide & ſacramento obligati ſunt*. Ab Innocentio III. pronuntiatum eſt (8), a Monachis revocari non potuiſſe Parochum in Italia, quem Epiſcopo præſentaſſent, & qui fidei ſacramentum Epiſcopo exſolverat. Damnat Alexander III. C. *Ex diligenti*, *De ſimonia*, hominium & ſacramentum fidei, quod a Clero exprimebat Archidiaconus, ob annuam qua eum donabat penſionem. Erat id quidem inter laicos uſitatum, at a Cleri moribus alieniſſimum.

Vetuit Gregorius IX. ne Gradenſis Patriarcha aliud exigeret ab obnoxiis ſibi Epiſcopis ſacramentum, quam quod Pap præſtarent Epiſcopi immediate illi ſubjecti (9): *Contentus forma canonica, quam nos a Epiſcopis noſtris, nobis immediate ſubjectis recipimus*: quodque ſuis exhibent ceteri Epiſcopi Metropolitanis (10): *Formam Ce-*

(1) Ibid. c. 110.
(2) Ib. c. 114. 116.
(3) L. 1. T. 9. c. 14. l. 2. Tit. 33. c. 10. l. 2. Tit. 27. c. 13.
(4) L. 2. Tit. 24. c. 5.
(5) L. 5. Tit. 22. c. 2.
(6) L. 5. Tit. 40. c. 19.
(7) L. 5. Tit. 3. c. 6.
(8) R geſt. 13 Epiſt. 127.
(9) L. 1. Tit. 33. c. 13.
(10) L. 1. Tit. 24. c. 4.

nonicam, quam ceteri suffraganei Metropolitanis suis consuevere præstare. Hinc edoceamur eandem sacramenti formulam Episcopis omnibus communem fuisse, sive illi uni Pontifici, sive Metropolitanis quique suis parerent: nec aliam esse eam formulam, quam illam ipsam, quam a Patriarcha Aquilejensi expressit Gregorius VII. cujus hoc initium: *Ego N. Episcopus.* Et certe rubrica hujus Capitis declaratur, illud esse sacramentum quod *Episcopi* Papæ præstant, nulla Metropolitanorum mentione facta. Tribuitur hoc Caput Gregorio Papæ. Frustra fuere, qui illud in Registro Gregorii Magni quærebant. Excerptum enim est ex Concilio Romano sub Gregorio VII. Erat autem ea forsan formula sacramenti, quod tum Episcopis a suis eliciebant Metropolitani, quod exigere cœpit Gregorius VII. a Metropolitanis, quos ordinaret, aut confirmaret; quod denique expressit Papa ab omnibus etiam Episcopis, postquam solus ipse conferre cœpit omnes fere Orbis Christiani Episcopales Ecclesias, sive ad regias nominationes, sive quovis alio modo. Observatum est a Rainaldo (1), eundem Gregorium IX. idem sacramentum exegisse ab Edmundo Archiepiscopo Cantuariensi, ab Archiepiscopo Rothomagensi, ab Upsalensi, ab Episcopo denique Legionensi.

In concilio denique Lateranensi IV. ab Innocentio III. constituturn est, ut quatuor Patriarchæ alii Pallium acciperent a Papa (2), *Præstito sibi fidelitatis & obedientiæ juramento*; utque ipsi post Palliis donarent Metropolitanos quique suos, *Recipientes pro se professionem Canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab iisdem.* Aurea ea fuere & sacra vincula, quibus Innocentio III. & Concilio huic Lateranensi visum est constringi & ipso inter se debere, & cum Capite suo in individuam unitatem, principes orbis Episcopos. Quod autem a Patriarchis exigat sacramentum hic Pontifex, nec sinat eos a suffraganeis exigere nisi professionem Canonicæ obedientiæ, meminisse necesse est, formulam illam sacramenti fidei in Episcopatu Placentino usitati, & supra relati, meram fuisse obedientiæ professionem. Ea ergo ibi non disjungebantur: at cum alibi vehementer fecernerentur, visum est fortassis consultissime, tanto conjunctionem Patriarcharum cum Papa arctiorem & arctioribus vinculis constringendam esse, quanto si ea diffueretur, graviora Ecclesiæ incumberent detrimenta. Quod eventa certe ipsa approbarunt, non sine Reipublicæ Christianæ damno gravissimo.

Inter Gesta Innocentii III. reperire est Formulam sacramenti, quod Patriarchæ & Primates a Metropolitanis acciperent, prorsus continentaneam ei quam Gregorius VII. adhibuit, nisi quod Episcopos, quos ordinabunt, promittant se juramento obligaturos, ut in unione & obedientia Romani Pontificis perseverent (3). *Faciam illi jurare, ut Romano Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ perpetuam obedientiam & debitum honorem impendat.*

XI. Cum in Monasterio sancti Albani in Anglia, ani Apostolicæ Sedi obnoxio, curasset Gregorius IX. eligi Abbatem, fidei sacramentum mox ab eo elicuit (4): *Recepturi ab eo pro nobis & pro Romana Ecclesia fidelitatis solitæ juramentum.* Monachi mox Abbati obedientiam promisere. In Concilio Provinciæ Turonensis ad Castrum Guntherii habito anno 1231. statutum est (5), ut non ante ab Episcopo Parochus institueretur, quam juratum ab eo esset, nihil se vel donasse, vel promisisse pro obtinenda Ecclesia, quin abiturum etiam Ecclesia, ubi resciflet ab alio quidvis datum esse; denique ut institutus ab Episcopo Parochus, alio mox juramento constringeretur (6): *Juravit, quod Diœcesano, & aliis Magistris suis obediens erit, & ad mandatum suum se faciet ordinari, & jura Ecclesiæ defendet, & alienata revocabit bona fide.*

Statuta Synodica Odonis de Soliaco Parisiensis Episcopi, ejusmodi Decretum ponere videntur ut jamdiu usitatum (7). Guido Episcopus Altissiodorensis anno 1249. constituit Scholasticum Ecclesiæ suæ deinceps Capellanum suum fore, hoc est Vicarium suum in functionibus Chori: sed & nominem suum ligium, salva fide quam Capitulo deberet. *Frit homo ligius Episcopi, & ei fidelitatem faciet, salva fidelitate quam debet Capitulo, tanquam Canonicus.*

In Concilio Cicestrensi anno 1289. damnata sunt juramenta, quæ exigebant Abba-

tes

(1) Rainal. ann. 1233. n. 65. (2) L. 3. Tit. 31. c. 13. (3) Pag. 64.
(4) Epist. 4. (5) Can. 3. (6) Gall. Chr. Tom. 2. p. 303.
(7) Syn. Paris. p. 18. Gall. Chr. Tom. 2. p. 303.

tes a Parochis, qui ſibi inſtituendi præſentabantur, tanquam pactio quædam ſimoniaca. *Fidelitatis exigunt juramentum, &c. Nec exactores ſimimus impunitos, cum ſimoniacam contineant prævitatem.* Nimirum fidei ſacramento, quaſi ligius homo & vaſſallus quis evadebat; eo quoque ſe obligabant non raro, qui penſiones a quopiam annuas accipiebant, ut ſupra oſtenſum eſt: hinc ergo ſuſpiciones pactionis ſimoniacæ.

Prohibuit Baiocenſis Synodus, (1), anno 1300. ne quis Patrono ſacramentum ante præſtaret, quam ab Epiſcopo inſtitutus in eo Beneficio fuiſſet, Epiſcopo in ſe recipiente, poſt inſtitutionem illud quidquid eſt obſequii præſtitum iri (2), *Epiſcopus receptum faciat jurare, quod ad Patronos accedet, ut debitum faciat juramentum.* Concilium Rothomagenſe anni 1335. ſanxit (3), ut Parochi qui ab aliis inſtituti fuiſſent, quam ab Epiſcopis, aut eorum Vicariis Generalibus, intra quadraginta dies eis ſe iſterent, Chartas exhiberent proviſionis, & ſacramentum præſtarent fidei, obedientiæ, reſidentiæ, totiuſque Officii paſtoralis (4). *Præſtiturus Diœceſano de & ſuper obedientia, fidelitate, & reſidentia, & aliis conſuetis, debitum & ſolitum juramentum.* Anno 1218. cum tres in Eccleſia ſua dignitates crearet novas Epiſcopus Ambianenſis, & Parochias eis aliquas in dotem aſſignaret, Parochis juramentum præſcripſit exolvendum illis, qui eis dignitatibus inveſtirentur. Anno 1313. Archidiaconi Andegavenſes hominium ligium & juramentum fidelitatis Epiſcopo præſtabant. Cum enim fuiſſent Archidiaconi Vicarii Generales & velut Adminiſtri univerſales Epiſcoporum per plura ſæcula, non in ſpiritali tantum, ſed & in temporali rerum adminiſtratione, minime mirum eſt, quod eorum fidem his vinculis Epiſcopi ſibi aſtringerent.

Eccleſiæ Nicoſienſis Conſtitutiones in inſula Cypro, ab Apoſtolicæ ſedis Legato promulgatæ anno 1248. edicunt (5) ut Decanus electus, ſi Presbyteratu initiatus nondum eſt, joret intra annum ſe ordinatum iri, & hominium præſtet Epiſcopo. *Archiepiſcopo Nicoſienſi homagium facere tenetur.* Anno 1370. Urbanus V. voluit (6), ut Epiſcopi qui a Papa promoti fuiſſent, immo & conſecrati, vel ex ejus delegatione, & qui proinde illi ſacramentum perſolviſſent ultratitiſſimum fidei, *Ac fidelitatis vobis & eidem Sedi præſtant ſolitum juramentum*; nihilo tamen minus tenerentur ad præſtandum Metropolitanis quoque ſuis ſacramentum ſolemne. Edictum eſt hoc Decretum curante Metropolitano Tololano. Ex quo videre, quam tota hæc in Galliis vigeret Diſciplina. Quod & antea pateſactum fuerat ſub Innocentio III. cum Archiepiſcopus Burdigalenſis apud eum conqueſtus eſt de Epiſcopo Pictavienſi, qui ex quo ordinatus fuerat, ne ſemel quidem Eccleſiam inviſiſſet Burdigalenſem, quanquam eo incitatus & excitatus fuiſſet, ipſius ſacramenti ſui contemplatione (7). *Nunquam Metropolitanam Eccleſiam poſtmodum viſitavit, licet pluries vocatus fuerit in eandem in virtute obedientiæ, ac ſub debito juramenti, quo Eccleſiæ Burdigalenſi tenetur.*

In Concilio Salisburgenſi anni 1420. juſſi ſunt Parochi, vi ſacramenti, quod Epiſcopo dum ordinarentur perſolviſſent, ne alienæ Parochiæ cives admitterent ſuis in Eccleſiis (8). *Sub debito juramenti, quod Epiſcopo in receptione ſacerdotii præſiterunt, &c.* Synodus Friſingenſis anno 1440. in votis habuit, ut etiam tum eum Epiſcopus quis a Papa deſignaretur, ex Reſervationibus iis, quibus Baſileenſis ipſa Synodus ſubſcripſiſſet; ſolito nihilominus fungeretur ſacramento, quo ſe ſuo etiam altringeret Metropolitano (9): *Ut immediato ſuperiori præſtet debitum juramentum.* In Comitiis Bituricenſibus, ubi fabricata eſt Pragmatica Sanctio, anno 1438. idem expreſſum (10), ut quos Pontifex Epiſcopos promoviſſet, eos ad proprium amandaret Metropolitanum, ab eo conſecrandos: nili ſi Romæ eſſent, & ibi cuperent conſecrari. Quo etiam dato, tenerentur tamen poſtea Metropolitanos adire, eiſque ſacramentum obedientiæ exſolvere. *Debitæ obedientiæ juramentum.*

XII. Auctor Gloſſæ in Pragmaticam fidem facit, Epiſcopos adhuc aliquos a Beneficiariis omnibus ſacramenta exigere; ſed in dies exolelcere eam conſuetudinem, quod tacita inferatur ipſi Beneficiorum proviſioni ea promiſſio (11). *Sed mos iſte non eſt*

(1) Cap. 35. (2) Cap. 43. (3) Can. 9.
(4) Spicil. T. 12. p. 185. Ibidem Tom. 13. p. 219. (5) Can. 9.
(6) Rainal. ann. 1370. n. 20. (7) Regeſt. 13. Epiſt. 92. (8, Cap. 25.
(9) Ibidem. (10) Titulo De Elect. C. licet 3. Et nihilominus. (11) Ibidem.

communis, cum ille intelligatur tacite. Beatus Antonius Archiepiſcopus Florentinus, qui diem ſuum obiit anno 1459. auctor eſt in Summa hominium pro rebus ſpiritalibus improbari ab Eccleſia Romana, ad cujus formam reliquæ Eccleſiæ effingere ſe debent: propterea nimirum quod hominio contineatur ſacramentum fidelitatis, quod non exolvitur, niſi pro rerum temporalium adminiſtratione (1). *Homagium indignum eſt, & a Romana Eccleſia alienum, ut pro ſpiritualibus facere homagium compellatur quis, &c. Homagium dicitur juramentum fidelitatis, quod non licet facere pro aliquo ſpirituali, &c.* Eo ergo admodum tempore cœpit paulatim exoleſcere uſus ſacramentorum in minoribus Beneficiariis, ſoliſque integrum ſervari Epiſcopis & Abbatibus.

Nonnullis tamen in Eccleſiis ſubobſcura ſuperfuere veſtigia aliqua. Concilii Mexicani Actis Anno 1585. intextum eſt ſacramentum (2), quo Præbendarii Eccleſiæ, Capitulo & Epiſcopo ſubjiciebantur; multa ibi ad ſpiritale, multa ad temporale regimen pertinebant; nec aberant, quæ ſacramenti fidelitatis propria & peculiaria ſunt. In Concilio Avenionenſi anno 1594. juſſi ſunt Epiſcopi, ne quod unquam conferrent Beneficium, niſi expreſſo obedientiæ & fidelitatis juramento (3): *Juret fidelitatem & obedientiam*. Sunt & ſpecialia aliqua in ſacramento Parochorum. In Concilio Mediolanenſi I. commentati ſunt Præſules novam ſacramenti formulam, qua Beneficiarii devincianiur; ea vero non ſpectat niſi ad deteſtandam ſimoniam, & ad res Eccleſiæ temporales in tuto collocandas. Alia accuratior Parochis temperata eſt in Concilio Mediolanenſi III. (4) ut aſtringantur obtemperare Pontifici, & Epiſcopo proprio, reſidere, & temporalia Eccleſiæ non dilapidare. Eam conſuetudinem quibuſdam *jam* in Eccleſiis *vigere* ibi affirmatur: *Ut jam in nonnullis hujus Provinciæ Eccleſiis conſuetudo eſt*. Mallem dixiſſent *adhuc vigere*, antiquiſſima enim & vulgatiſſima ea fuerat.

Quid cauſæ autem fuerit, ut paulatim exoleſceret ea conſuetudo, non difficile eſt divinare, veternus ſcilicet & ignavia, qua tot alia extincta ſunt lumina antiquioris diſciplinæ. Ceterum aut laxatis, aut abruptis his vinculis, non jam Clerici, & Beneficiarii potiſſimum, ita ut quondam, conglutinari Epiſcopo ſuo, & toti ab eo pendere niſi ſunt: non ita Eccleſiæ ſuæ innecti, & in ejus ſinu reſidere: non ita denique priſcis addici Canonum conſtitutionibus. Sacramentis illis ſacratiſſima hæc omnia & ſanctiſſima vincula conſtringebantur. Illæſum ſupereſt ſacramentum, quo Epiſcopi omnes obligantur Papæ, quo certe Eccleſiaſtici Sacerdotii vinculo nihil ſanctius, nihil ad Eccleſiæ perpetuitatem invictius. Non pœnirebit, ſi vacat, conſuluiſſe Annales Eccleſiaſticos (5), & obſervaſſe, quam ægre potuerit ſceleſtiſſimus mortalium Chramnerus, ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem deſignatus ab auctore ſchiſmatis ipſo Henrico VIII. in eam irrumpere ſedem, per quos cuniculos, quibus artibus graſſatus ſit, cum id non poſſet, niſi exſoluto Papæ ſacramento, quo ſchiſmatis virus prævertebatur.

XIII. Ceterum præter duas formulas Epiſcoporum juramenti ſupra memoratas, ſuperſunt & aliæ duæ. Altera fuit Alexandri VI. Papæ, quæ brevi conticuit. Altera eſt Clementis VIII. in Romani Pontificalis reviſione, ſeu recenſione (6). Sacramentis his omnibus inſerta ſunt capita fidelitatis quædam, quæ ſuſpicantur aliqui ex natura & lege Feudorum manaſſe. Sed ea ſacramenta Feudis non paulo antiquiora eſſe, ſimillimum veri eſt, quanquam nec inter doctos conſtet de origine initiiſque Feudorum. Nec mei eſt ea quæſtio inſtituti, nec mearum virium. Sed proxime ad verum accedit, & ex antedictis ſubolet, ante in Eccleſia locum fuiſſe his ſacramentis, quam juramentis feudorum. Vix poteſt quiſquam inficiari, quin *Beneficia* primum laici obtinuerint ab Eccleſia, quæ vere Feuda dici poterant, antequam ulla alia eſſent Feuda.

De Eccleſia Orientali tacui, quod horum illa ſacramentorum expers fuerit. Unde & facile conjicitur ex conſuetudine & contubernio Latinorum profectum id eſſe, ut Patriarcha Maronitarum ſacramenta acciperet ab Epiſcopis omnibus Clericiſque ſuæ ditionis, forſan & a laicis Montis Libani. Perſpicua res eſt in litteris Maronitarum ad Leonem X. Papam (7): *Patriarcha confirmatur, & juratur, daturque ei obedientia ab omnibus Prælatis, totaque natione*. Periculo-

(1) T. 1. Tit. 20. p. 207.
(2) Cap. 11. §. 6.
(3) Can. 26.
(4) Acta Eccl. Med. p. 14. 98.
(5) Rainald. Ann. 1531. n. 90.
(6) Florens ad Tit. 8. Decretal.
(7) Conc. Genet. T. 14. p. 350.

culoſiſſima Photii molimina Synodum VIII. Oecumenicam impulere, ut ea proſcriberet ſacramenta, ad contutandam pertinentia Patriarchæ perſonam. Nulla tum ejuſmodi in Eccleſia Latina exigebantur. Quæ poſtea nefarie & truculentiſſime tentata ſæpius ſunt in vitam & libertatem ſummorum Pontificum, vel inuſitatis his medicamentis uti coegere. Conqueſtus eſt Ivo Carnotenſis ad Metropolitanum ſuum de Capitulo Carnotenſi, & de contumeliis ſibi ingeſtis, quanquam ſacramento ſibi Canonici eſſent omnes obnoxii. *Ipſi igitur, quamvis mei homines eſſent, & per manum & per ſacramentum, furioſe & clamoſe ſedem meam circumdederunt, &c.* Illud *hominium*, illud fidei ſacramentum erat, quo Canonici Epiſcopo ſuo conſtringebantur, & quo vix ſatis poterant contumeliæ & probra cohiberi. Ita in exemplis Photii & Ivonis, in Eccleſiæ ipſius Orientali & Occidentali Jure improbantur, & approbantur ea juramenta, pro locorum temporumque variis vicibus, pro multiplici Eccleſiæ neceſſitate.

De Sacramentis & Hominiis, quæ ſummis terræ Principibus exhibita ſunt a Præſulibus.

CAPUT XLVII. *P. 2. l. 2. c. 38.*

De Sacramento fidelitatis & Hominio, quod ſummis ſæculi Principibus Præſules Eccleſiæ præſtiterunt ante annum Chriſti octingenteſimum.

I. In Oriente, nec Patriarchæ, nec Epiſcopi Imperatoribus ſacramento ullo obligabantur: quin ab ipſis exprimebant quandoque juramentum non deſciſcendi a fide Eccleſiæ.

II. Vetuerat Juſtinianus, ne Epiſcopi jurare unquam adigerentur, etiam in judicio.

III. Cœpere in Hiſpania Epiſcopi Regibus fidelitatem jurare. Argumenta varia ex Conciliis Toletanis.

IV. Generalia tantum ea erant juramenta.

V. VI. Documenta alia ex Conciliis Toletanis.

VII. VIII. Nullus adhuc eorum uſus in Gallia, quanquam Regibus obſequentiſſimi eſſent Epiſcopi.

IX. X. XI. Græci a juramentis olim alieniſſimi, ut ad ea tandem deflexerint?

XII. XIII. De ſacramento quod Vandali Reges a Catholicis Epiſcopis exigebant. Cur jurare eorum alii non abnuerint, alii conſtantiſſime detrectarint?

I. CUm & electionibus Epiſcopalibus jamdiu conſtaret interveniſſe Reges, & nominatos etiam ab eis fuiſſe Epiſcopos: jam minus mirum erit, ſi hominia quoque ab eis, & fidei ſacramenta elicuerint. Vidimus jam Cyrum Patriarcham Alexandrinum inſcribentem ſe Epiſcopum miſericordia Dei, & voluntate Imperatorum, *per divinam ſanctionem*, κατὰ θείαν κύρωσιν. Ejuſmodi verbis locum fuiſſe ſuperiore etiam ævo, & ſanctiore, alibi diximus. Sed nihil hic uſquam, quod hominia, vel ſacramenta redoleret Principibus exhibita. Quin ex adverſo Euphemius Conſtantinopolitanus Patriarcha conſtantet negavit Anaſtaſium Imperatorem regia corona a ſe redimitum iri, donec ſcripto pollicitus eſſet, & firmaſſet ſacramento, tuiturum ſe fidem Concilii Chalcedonenſis (1). *Euphemius uſque eo conſentire noluit, quoad Anaſtaſius chirographum jurejurando confirmatum ei dediſſet, quo plane declararet, eum ſi ſceptra Imperii ſuſciperet, fidem ſinceram ſervaturum.* Hanc Imperatoriam chartam Patriarcha ſervandam dedit Cuſtodi ſacrorum vaſorum. Omni ope enixus eſt Anaſtaſius, ut eam reciperet, & extorqueret Euphemii ſucceſſori Macedonio, quaſi pudendum foret Imperatoriæ Majeſtati, ejus ſe fidei tuitioni ſacramento obligari, cujus ſalute ſalus Imperii contineretur. Maluit porro Macedonius ipſam ſibi Patriarchalem extorqueri dignitatem, quam iſtiuſmodi chartam, antiquæ fidei pignus. *Quippe dedecori eſt Imperio, ſi chirographum illud reſervetur, &c.*

Ejuſdem modi chirographum expreſſit Cyriacus Patriarcha a Phoca Imperatore, ut auctor eſt Theophanes (2), & ex eo Anaſtaſius Bibliothecarius. *Cyriacus Patriarcha ſponſionem a tyranno exigit, qua ſe rectam fidem retenturum, Eccleſiamque a turbis immunem conſervaturum promitteret.* Nec ab eo deinceps more deſcitum eſt; quocirca & idem Theophanes teſtatum facit Germanum Patriarcham iniquiſſimo animo feren-

(1) Theodorus Lector L. 1. Evagr. l. 3. c. 32.

(2) Theophanes in Chronolog.

rentem ſacrilegas innovationes Leonis Iſaurici Imperatoris, in memoriam illi revocaſſe, quo ſe ſacramento in capeſſendis primum Imperii gubernaculis obligaſſet, nihil novaturum in fide Eccleſiæ, vel in Apoſtolicis traditionibus. *Fidei vero cautionem ante ſuſceptum Imperium oblatam in memoriam Patriarcha revocavit, ut nimirum Deo in fidejuſſorem dato, nihil Apoſtolicarum & traditarum a Deo legum, circa Dei Eccleſiam penitus ſe innovaturum promiſiſſet.*

II. Qui veniſſet in mentem Imperatoribus, ut ab Epiſcopis qualiacunque exculperent juramenta, cum vetuerit Juſtinianus in Codice Legum, (1) nequis eos unquam jurare adigat, & ne in judicio quidem: quod Epiſcoporum verbis, quam aliorum ſacramentis plus fidei ſit, plus auctoritatis inſit. *Ut propoſitis ſacris Evangeliis, ſecundum quod decet Sacerdotes dicant ea quæ noverint, non tamen jurent.*

III. Non ergo in Oriente veſtigandæ ſunt origines ſacramentorum ab Epiſcopis ſæculari Principi exolutorum. Occurrent illæ potius extremis in Occidentis finibus, videlicet in Hiſpania. Cum eligerentur Reges, damnanda levitate, aut execrabili potius perfidia Clerici quandoque ipſi incitabantur, ut novis tyrannis fidem addicerent, legitimis jam priùem Principibus deſponſam. His ut malis obviam iretur, Clericis æque ut laicis impacta neceſſitas eſt, ut ſolemni ſacramento fidem ſuam Principibus aſtrigerent. In Concilio Toletano VII. commemoratur ea, tanquam vetuſtate jam roborata conſuetudo, cui communiendæ, pœnæ decernuntur novæ, adverſus eos qui & Eccleſiæ ſanctitati, & Reipublicæ incolumitati tam neceſſarium temeraverint juramentum. *Sed quia pleroſque Clericos inconſtantis levitatis, interdum pravitatis præſumptio ita elevat, ut prætermiſſa Ordinis ſui gravitate, ac polliciti ſacramenti immemores, conſtante Principe, cui fidem ſervare promiſerant, in alterius electionem temeraria levitate conſentiant.* Pœnæ ipſæ in rebelles ſancitæ eo ſacramento implicabantur, de quibus nihil unquam remittendum jurabatur, quantumvis Rex præciperet. *Quoniam poteſtati Principis nullus Sacerdotum in hoc præbere debet aſſenſum, unde vel perjurium videatur incurrere, &c.*

Concilii tamen VIII. Toletani Patribus levandas nonnihil eas eſſe viſum eſt (2); utque ne ſacramento ſuo obſtrepere viderentur, prolixe ante præfati ſunt, fidei clementiam nihil officere: *Ut nos nec juramenti teneat cautio reos, nec inhumanitas faciat execrandos:* denique commutanda neceſſario decreta, ut utilitati publicæ ſerviatur, cui niſi illis aliquando mutandis non ſatis conſulitur. *Etenim incommutabilis Dei natura, ſua ſæpe in ſacris litteris legitur mutaſſe promiſſa, & pro miſericordia temperaſſe ſententiam. Crebro Dei, quamlibet immutabilis & impaſſibilis, leguntur juramenta, & pœnitentia.* Epiſcopos, Clericos, Monachos eo ſacramento innecti ſolitos fuiſſe, & obligari Regibus: exauctoratos vero fuiſſe, ſi ejus violati crimine convincerentur; nec reſtitui unquam, niſi a Regibus ipſis potuiſſe, docet nos Concilium X. Toletanum (3): *Ut ſi quis Religioſorum ab Epiſcopo ad extremi uſque Ordinis Clericum ſive Monachum, generalia juramenta in ſalutem Regiam gentiſque aut patriæ data, reperiatur violaſſe voluntate profana, mox propria dignitate privatus, & loco & honore habeatur excluſus, & miſerationis obtentu ſolummodo reſervato, ut an locum, an honorem, an utraque poſſideat, concedendi jus licentiamque principalis poteſtas obtineat.*

IV. Obiter monebo hujus Canonis verbis inſinuari, *Religioſos* dictos ibi tunc fuiſſe non Monachos ſolos, ſed Epiſcopos, omneſque Cleri gradus, uſque ad minores Clericos, eoque in Ordine *Religioſorum* extremos fuiſſe Monachos. Non injuria autem vocantur hæc *generalia juramenta*. Cum enim ea jurandi lex Monachos etiam, & Clericos minuſculos complecteretur, non poterant ii omnes ſigillatim juramenta hæc Regibus præſtitiſſe. Neceſſe eſt ergo, ut vel in ſolemni Conventu Regiæ coronationis, vel in Comitiis Regni Generalibus, vel in Conciliis, Epiſcopi, & Clericorum, Monachorumque Prælati, in hanc ſe jurando inviolabilem obligarent fidem, ſuo & inferiorum ſuorum nomine. Etiamnunc enim Regum ſubditi omnes ſacramento fidei eis devinciuntur, ſed ejuſmodi quod eorum origini & naſcendi conditioni ſponte ſua implicatum eſt, quodque ſolemniter præſtatur in Regum inauguratione, non a præſentibus tantum omnibus, ſed & ab omnibus qui ibidem per alios repræſentantur.

V. In Concilio Toletano XVI. anno 693.

(1) Cod. L. 2. De Epiſc. & Cler. Leg. 7. (2) Can. 2. (3) Can. 2.

693. ejectus est sede Sisbertus Toleti Metropolitanus, tanquam violati sacramenti reus, inita adversus Regem conjuratione. Ne communio quidem concessa illi est, nisi ad exitum vitæ, nisi Regis clementia hanc mitigaret pœnæ acerbitatem (1). *Est quorundam secularium, & quod pejus est, Sacerdotum improbanda satis obstinatio animorum, ut fidem suis Principibus sub juramento firmatam observare contemnant. Sisbertus pro sui juramenti transgressione, facinorisque tanti machinatione, repellatur a communione, &c.* Eadem rursus pœna innovatur in Religiosos omnes, hoc est in Clericos, Monachosque.

VI. Sed cum generalia attigerimus sacramenta, Regibus Hispaniæ persolvi solita, in Regni Comitiis, vel in Conciliis Nationalibus: eorum prima constitutio & forma ex Concilio Toletano IV. exploranda nobis hic est. Quibus incomperta non est ratio, qua fiunt hæc etiamnunc juramenta, cum regia decorantur corona, vel Reges ipsi, vel iis jubentibus eorum filii, vel hæredes, illis hinc facile patebit illustria quædam in his superesse veteris Disciplinæ vestigia. Ergo in eo Toletano Concilio IV. anni 633. post confixos diris execrationum jaculis proditores Principis & Patriæ (2): *Tanta extat perfidia animorum, ut fidem sacramento promissam Regibus suis servare contemnant, & juramenti professionem.* Post præfixas Regnorum leges, quæ ad fidem Regiam veniri jubent, non violenta grassatione, sed Pontificum & Optimatum electione: *Nullus apud nos præsumtione Regnum arripiat, nisi mediantur interitus Regum; sed defuncto in pace Principe, Primates totius gentis cum Sacerdotibus succedorem Regni consilio communi constituant.* Post declaratam juramenti sanctionem, quo in summum Principem fungi debent subditi omnes: *Quicunque a nobis, vel totius Hispaniæ populis qualibet conjuratione vel studio sacramentum fidei suæ, quod pro Patriæ gentisque Gothorum statu, vel conservatione regiæ salutis pollicitus est, temeraverit.* His præmissis omnibus ter idem sacramentum a Concilio innovatus: *Hoc etiam tertio acclamamus, dicentes: Quicunque ex nobis sacramentum fidei suæ, &c. Et ideo si placet omnibus qui adestis, hæc tertio retexta sententia, vestræ vocis eam consensu firmate. Ab universo Clero, vel Populo dictum est: Qui contra hanc vestram definitionem præsumpserit, Anathema, Maranatha, &c.* Ita Clerus Populusque universus per delegatos suos religioso hoc se fidei vinculo Regibus obligabat. Hinc patet etiam usum hujusmodi sacramenti paulo vetustiorem hoc Concilio fuisse. In Concilio Toletano V. sancitum est (3), ut hoc deinceps Decretum in omnibus Hispaniæ Conciliis ad Regum Regnique defensionem innovaretur. Concilium Toletanum VI. & alia posteriora omnia ei paruerunt decreto, & tot tantisque consultissimis cautionibus, aperuerunt quantis vallentur periculis Regna ea, ubi electione Reges creantur. Ex vi autem Canonis hujus Toletani Concilii IV. damnatus est proditor Paulus cum consortibus perfidiæ suæ in Regem Vambam, quos inter erant & Episcopi, ut narrat Julianus Toleti Metropolitanus.

VII. Cum hæreditario jure ad Regum proles posteroque Galliæ Regnum devolveretur, non erat quod metueretur, non erat his cautionibus locus. Caduceus is quidem Episcopus Desiderius ad Sigebertum Regem scribens, ejus se beneficio & gratia Episcopum, servumque nuncupat (4): *Sigeberto Regi servus vester, Desiderius Cadurcæ urbis Episcopus, Sigeberto Regi Desiderius servus servorum Dei, atque per gratiam ejus Cadurcæ urbis Episcopus.* Sentio fore, qui *gratiam ejus* hoc loco referant ad Deum, nec *servi* nomine Vasallum designari sinant. Sed inficias ierit nemo, quin scripta mox ad Dagobertum Regem Epistola illud apertissime fonet quod volumus, & priores illas litteras ad hunc eundem sensum cogat traduci. *Dagoberto Regi servus servorum Dei, & vester fidelis &c. Ut de conditione Cadurcinæ Ecclesiæ, cui Deo auctore ex jussu vestro præsideo.*

VIII. Constat etiam S. Leodegarium Episcopum Augustodunensem, cum urgeretur accedere partibus Clodovæi Regis, quem in eum apicem factio temeraria quædam extulerat contestatum fuisse fidentissime, vita se ante, quam fide spoliari posse, quam Regi Theodorico devovisset (5). *Quicunque me Deus in hac vita jusserit superesse, non mutabor a fide, quam Theodorico promisi coram Domino conservare.* Nec tamen

(1) Can. 6. (2) Can. 75. (3) Can. 7.
(4) Epist. 3. 4. 5. Bibl. Pat. T. 3. pag. 412. 413. (5) Vita S. Leodegarii. Du Chesne To. 1. p 607.

tamen in his ulla juramenti memoria, ſed fidei tantum, quam ex officio dependere & deberent & vellent, ut ſummum polliciti eſſent, non jurati tamen. Beati Eligii Noviomenſis Epiſcopi vitam litteris mandavit B. Audoenus, ubi & illud præſtantiſſime commendavit, ut ſpectata ejus pietas & ipſa a juramentis religioſa mentis alienatio plus fidei & momenti habeat quibuslibet juramentis. Cum in Regio Palatio juveniæ fiorem tranſigeret Eligius, expetiit Rex ut ad ſanctorum Martyrum Reliquias fidei ſibi ſacramentum exſolveret. Ille pari vigore & modeſtia detrectavit, nec eo Regem ira, ſed admiratio inceſſit, atque non ſucata congratulatio, ſponſioque tanto ſe plus illi fidei injurato habiturum (1): *Pollicens ſe plus eum ex hoc jam creditum, quam ſi multimodo tunc dediſſet juramenta.* Æquum eſt ergo, ut eam exiſtimemus adhuc viguiſſe perſuaſionem Epiſcopotum fidei conſtantis & inconcuſſæ in omnium paſſim fidelium animis, ut eorum ſimplex promiſſio & affirmatio certior haberetur, quam iterata ceterorum ſacramenta.

IX. Si quæras autem cur tantopere a juramentis abhorrerent Orientales, reſpondebo ex Concilio ipſo Chalcedonenſi ei dubitationi elucidamentum arceſſi poſſe. In ejus enim Actis legitur Theodoſius junior Imperator flagitaſſe, ut Epiſcopi juramento firmarent fidem inſtrumentorum quorundam, quæ in medium proferebantur. At Baſilium Epiſcopum Seleucienſem conteſtatum protinus eſſe, novum eſſe & inauditum, cogi Epiſcopos ad jurandum: prohibita a Chriſto eſſe quæcunque juramenta, denique ſtabili jam conſuetudine firmatum eſſe, ut Epiſcopi non aliud quam ſancte affirmarent, ſiquid haberent comperti, religioſo illo tremore, quo ſacris operari ſolent (2). *Hactenus juramentum Epiſcopis neſcimus oblatum. Sed & præceptum eſt nobis a Domino Chriſto, non jurandum, neque per cœlum, qui thronus Dei eſt, neque &c. Unuſquiſque vero ſicut ante altare ſtans, Dei timorem habens præ oculis, & propriam conſcientiam mundam ſervans Deo, quod in memoria retinent, nullatenus debet intermittere.* Et ſane mox Thalaſſius Epiſcopus non aliud a Presbytero expreſſit, quam ut quod depoſuerat, ad Evangelicum Codicem affirmaret: *Sufficiebat quidem & opinio Joannis Presbyteri; quoniam vero Evangelium nobis omnibus eſt antepoſitum, rationabile eſt & ipſum ſuper his quæ dicit, coram Evangelio roborare.* In alia ejuſdem Concilii Seſſione querimoniæ perſonant Caſſiani Presbyteri, graviter expoſtulantis de quibuſdam Epiſcopis, quorum vi & impotentia compulſus fuiſſet ad Evangelia jurare, quod ne laicus quidem fecerat unquam, etſi Fori negotiis & moleſtiis implicatus tum eſſet (3). *Dixi, hodie viginti quinque annis communico, Conſtantinopoli negotium agens, & Deus eſt, qui novit, quia nunquam juravi alicui: & nunc dum Presbyter ſum, cogitis me jurare? Qui ſumentes Evangelium dederunt mihi, & juravi eis.*

X. In ſexta tamen Oecumenica Synodo (4) Georgius Diaconus, idemque Chartophylax & Bibliothecarius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ſacra Evangelia manu attingens, per eas divinas litteras, & per eum a quo ſunt inſpiratæ, juraſſe legitur, in nulla ſe incidiſſe Acta ex quibus obliquæ ſuſpicionis aliquid aſpergi poſſet fidei, memoriæ, & famæ Thomæ, Joannis & Conſtantini Patriarcharum Conſtantinopolitanorum: quo juridico teſtimonio contenta ſacra Synodus, ſecundum tres illos Patriarchas pronuntiavit, ſacriſque Diptycis, quæ inter ſacrorum ſolemnia recitantur, vetuit eorum nomina expungi. *Et tactis propoſitis ſacroſanctis Dei Evangeliis, juravit hoc modo: Per has ſanctas Scripturas & Deum, qui per eas locutus eſt, &c.*

XI. Remiſerat jam tum ergo Eccleſia Græca, priſcoſque Canones, & Civiles Leges ipſas molliori tractare pollice cœperat, conceſſo Clericis eo, ut Canonicis in Judiciis jurare poſſent, clementiuſque interpretarentur ipſa Evangelia, ſuper quibus juramenta diſerte prohibentibus jurabatur. Antea autem vel ſola Marciani Imperatoris Conſtitutio in Codicem Juſtiniani conjecta, argumento eſt, ad horum uſque tempora Imperatorum Evangelicos Codices, Eccleſiaſticos Canones, & ipſas leges Imperatorias unanimi conſenſu conſpiraſſe ad juramenta a Clericis non exigenda. Jubet Conſtitutio Marciani, ut Clerici, quibus lites intendentur, cautiones dent, quod jurare adigi nequeant, propterea quod priſci Canones jurare eos vetent (5). *Det cautionem ſuam, cui nullum tamen*

(1) L. 1. c. 6. (2) Act. 1. (3) Act. 11. (4) Act. 13.
(5) Codic. De Epiſcop. & Cler. leg. 25.

tamen Infortun erit jusjurandum, quia Ecclesiasticis regulis & Canone a beatissimis Episcopis antiquitus instituto, Clerici jurare prohibentur. Quin & suo ævo videtur Balsamon confirmare, Episcopis & Clericis relavari solita sacramenta, scripto data promissione, vicem obeunte corporalis sacramenti. Ex quo ille argumentatur temere, & contumelioſe fieri, ubi a Lectoribus juramentum exigitur, cum in Clero censeantur Lectores (1): *Prohibitus est omnino Episcopus, vel Clericus jurare. Properea enim etiam loco sacramenti corporalis, excogitata est inscriptio, quæ sacramenti locum obtinet, & implet omnia, quacunque sacramentum corporale facinrum est. Lectores itaque male cogunter dare juramenta corporalia: sunt enim Clerici.* Sacramentum vero Carthophylacis Constantinopolitani in VI. Synodo supra memoratum, videri potest minime conflictari cum Balsamone, cui, uti & Marciano supra Imperatori, sermo institutus est de iis tantummodo, quæ ad sæcularium Tribunalia Judicum gererentur.

XII. Venio ad Ecclesiam Africanam, ubi a Victore Episcopo, libro tertio de Persecutione Vandalica narratur, (2) Henricum Vandalorum Regem Episcopis Catholicis præcepisse, ut in id jurarent, quod præsenti Charta contineretur. *Festinabant extorquere ab Episcopis sacramentum.* Respondsum est a duobus Episcopis, ceterorum omnium nomine, non posse se, ceu brutos animantes, in ea jurare, quæ ignorarent. *Nunquid animalia nos irrationabilia sumus, ut nescientes quid charta contineat, facile aut temere juremus?* Renuntiatum est illis, sacramentum illud esse fidelitatis, quo testarentur, cupere se, ut Hildericus Hunerico parenti in Reguum succederet, nec quidquam se litteratum daturos, ad regiones trans mare positas; eo defuncti sacramento desponderetur, suis omnes Ecclesiis restituturum iri. *Si sacramentum hujus rei dederitis, restituet vos Ecclesiis vestris.*

Pia quadam simplicitate horum Episcoporum nonnulli opinati sunt sibi fas esse, illud persolvere sacramentum, quod non negabant illi quidem præceptis Evangelicis refragari: sed verendum esse existimabant, ne eo recusato fideles exprobrarent, in causa fuisse Episcopos, ut ne suæ Catholicis Ecclesiæ restituerentur. *Cogitavit tunc multorum pia simplicitas, etiam contra prohibitionem divinam sacramentum dare, ne Dei populus diceret, &c.* Cautiores alii, & fraudem in his verbis delitescentem subodorati, id sacramentum omnino repudiarunt, quæsito sibi ab ipsis Evangelicis verbis patrocinio, ubi proprio Christus ore, æterna & incorruptibilis veritas, jurare prohibet. *Alii quoque astutiores Episcopi, sentientes dolum fraudis, nequaquam jurare voluerunt, dicentes prohibitum fuisse Evangelica auctoritate, ipso Domino dicente, Non jurabis in toto.* In exilium mox acti sunt hi omnes Episcopi: alii quod præter Evangelicas præceptiones jurassent: *Jurantibus dictum est, Quare contra præceptum Evangelii jurare voluistis?* alii quod alieno essent animo a regii filii successione in Patris sedem.

XIII. Facile subolet ex hac narratione Victoris Vitensis Episcopi, in eorum numero fuisse Victorem ipsum, qui ab eo præstando sacramento abhorrebant, sed & illud emicat, sacramentum id præstituros fuisse Episcopos omnes, si nullam eo obtendi fraudulentiam, nec fucum sibi fieri certi fuissent. Namque 1. incunctanter statim omnes Episcopi, duorum sui Collegii ore & verbis testati sunt: Non posse se juramento assentiri, nisi aperiretur prius, quid illa charta sibi juranda contineretur. *Pro omnibus & cum omnibus dixerunt: Nunquid animalia nos irrationabilia sumus, ut nescientes quid charta contineat, facile aut temere juremus?* Quorsum illud expiscari, quid jurandum sibi præciperetur, si certi erant omnino jurari non posse: Generalis hæc exceptio minus Regem exasperasset, nec obliquis eos suspicionibus & criminationibus objecisset, quibus mox lacessiti fuere. Non ergo jurare abnuebant, sed temere & inconsulte jurare: *Ut nescientes, facile & temere juremus.* 2. Non insimulat Victor nisi *piam simplicitatem* eorum, qui jurandum censebant, quod malitiosas Arianorum artes non deprehenderent: prævaricationis in leges divinas reos egisset, si juramenta prorius omnia damnasset. 3. Qui vero juramentum detrectarunt, eo adducti sunt, quod impostturam eo verborum fuco obductam perviderent. *Alii quoque astutiores Episcopi, sentientes dolum fraudis, nequaquam jurare voluerunt.* 4. Nec in Christiana simplicitatem commissum est ab his Episcopis, cum ut captiosi sacramenti laqueos effugerent, responderunt, Evangelicis literis

(1) In Nomoc. Tit. 9. c. 27.

(2) In Histor. Vandal. persec.

omnino prohiberi juramenta: quanquam parati eſſent ad præſtandum juramentum, ſi fraudulentia abſuiſſet. Jurari enim ideo prohibet Evangelium, ut ne falſo, vel leviter & temere, ac citra neceſſitatem juretur. Liberum ergo licitumque juramentum eſt, ubi procul ſunt hæc jurandi vitia. Cum ergo Epiſcopis his Afris perſuaſiſſimum eſſet, eo juramento obumbrari fraudes & laqueos, quibus irretirentur, ut eventu ipſo plus ſatis comprobatum eſt: jurare utique illi tum nequibant, niſi leviſſime, temere, in ſuum & Eccleſiæ dedecus. Tunc ergo fas non erat eis jurare, ſi Evangelio obaudire vellent, unde & ſimpliciter, & pia tamen ſagacitate reſponderunt, Evangelica præceptione vetari juramenta, nimirum id genus circumſtantiis veſtita. Ex adverſo autem alii minime ſuſpicaces, quibus nihil ſubolebat fraudis, jurare poterant intemerata Evangelii reverentia, cum ſacramentum illud infucatum reputarent, & Eccleſiæ compendioſum.

Opinionum igitur diſſenſio in eo negotio inter Epiſcopos hinc ſcatebat, quod in variis & peculiaribus ejuſdem negotii circumſtantiis, alii ſapientius adverſariorum artes & machinas ſuſpicati declinarunt, alii ſimplicius ſecum agi, & agendum ſibi eſſe perſuaſi fuere: neutri vel ab Evangelicis de juramento regulis, vel a ſe mutuo in ea quidem re diſſentientes. Nec ſane poterant Africanos Epiſcopos fallere, quæ tam copioſe & luculente de juramentis ediſſeruiſſet Auguſtinus. Enimvero collaudat ibidem mox Victor invictiſſimæ patientiæ germanos duos Martyres, qui ſeſe mutuo cohortabantur, incendebantque renovata memoria juramenti, quod ſuper Chriſti corpore & ſanguine perſolviſſent. *Noli, noli frater, non ita juravimus Chriſto. Quia ſuper corpus ejus & ſanguinem juravimus, ut pro eo invicem patiamur.*

CAPUT XLVIII. *P. 3. l. 2. c. 37.*

De ſacramentis fidelitatis, quæ ſummis Principibus perſolvere Epiſcopi & Abbates ſub Imperio Caroli Magni.

I. Per octingentos annos Principes Catholici nulla a Clericis juramenta expreſſere, ob ſpectatiſſimam eorum religionem, & averſationem juramentorum.

II. III. Probationes ex Legibus Romanis & Longobardicis.

IV. Cæpere Carolus Magnus, & Ludovicus Pius exigere ab Epiſcopis ipſis ſacramenta & promiſſiones fidelitatis.

V. Quum juſtis ad id adducti ſint cauſis?

VI. Nihil hæc tunc ſacramenta pertinebant ad ordinationem Epiſcoporum. In ipſis Regni Comitiis ab omnibus Ordinibus id obſequii præſtabatur.

VII. Quando cæperint Epiſcopi hæc ſacramenta detrectare?

VIII. Nunquam major fidei labes, quam inter creberrima hæc fidei ſacramenta.

IX. X. Auctor hujus temperamenti videri poteſt Hincmarus fuiſſe, ut ab Epiſcopis promiſſio, a ceteris juramentum extorqueretur. Argumenta ejus rei varia.

XI. De Hominio.

XII. Argumenta alia promiſſionis Epiſcoporum, juramenti ceterorum. Rurſum tamen cæpere ante tempora Hugonis Capetii exigi ab Epiſcopis ſacramenta, non promiſſa tantum.

XIII. Quo differret promiſſio a juramento?

XIV. XV. Varii uſus, moreſque Germaniæ, Italiæ & Romæ.

I. COnſtabat adhuc Epiſcopis illa ſanctitatis integritas & fama, quæ eorum fidem vel ſuſpicionibus ipſis hominum ſubduceret. Itaque nullis adhuc ſubjiciebantur juramentis. Eodem pro modo ſuo Clerici alii fruebantur publico probitatis teſtimonio, ut ſimpliciter adirmantibus plus adjiceretur fidei, quam laicis fere ceteris jurantibus. Inconcuſſæ religionis famæ accedebat & alia ratio arcendorum a Clericis juramentorum, tum prohibitio ſciliset Evangelica jurandi, tum publica perſuaſio, viri probi & fidelis nuſquam verba a vero vel tantillum deviare.

II. Laudat Photius in Nomocanone leges Codicis (1), quæ vetent a Clericis uſquam juramenta extundi, quod jurare Clericos prohibeant Canones, & Leges. *Quoniam & Leges & Canones prohibent Clericum jurare.* In commentando hoc Nomocanonis textu declarat Balſamon, in Baſilicis prohiberi ſemper, ne Epiſcopi, & Clerici jurent: loco juramentorum Clericis permiſſas eſſe ſubſcriptiones; denique ne a Lectoribus quidem exigenda juramenta, cum & illi in Clero numerentur. Quod ſuperio-

ri

(1) In Nomoc. Tit. 9. c. 27.

ri jam capite prælibatum eſt.

III. Sartam tectamque hanc Clericis ſervavere prærogativam non jurandi Leges Longobardicæ (1). Carolum Magnum augurantur eas compilari juſſiſſe, vel poſterorum ejus aliquem. Superſunt, eminentque in Capitularibus ipſis (2) veſtigia religioni hujus tremoris, quo a jurando avocabantur. Concilio Meldenſi ſub Carolo Calvo anno 845. expreſſius prohibentur Epiſcopi jurare *ſuper ſacra*. Ea vero lege conſtringebantur, non tam Epiſcopi, quam qui ab eis ſacramenta aliqua elicere tentabant (3). *Ut nullus deinceps veritatis Epiſcopus, ſolita ſuper ſacra jurare præſumat. Non enim in hæſitatione & malitia exigentis, ſed in caritate non ficta fides ſervatur.*

IV. Sub Carolo tamen Magno emerſiſſe videntur ſacramenta fidei Regibus præſtanda ab Epiſcopis & Abbatibus. In Concilio III. Turonenſi anno 813. mentio fit ſaltem promiſſionis (4). *Admonuimus generaliter cunctos, qui noſtro Conventui interfuere, ut obedientes ſint domino Imperatori, & fidem quam ei promiſſam habent, inviolabiliter cuſtodire ſtudeant.*

Si ea tantum fuit promiſſio, at quæ mox erupere in Ludovicum Pium facinoroſiſſimæ conjurationes, quibus & Epiſcoporum nonnulli innexi fuere, in iis latis cauſæ fuit, ut Pius Imperator deinceps ab eis certam juramenti formulam exigeret. Verbis conceptis id confirmatur in Concilio Aquiſgranenſi II. anno 836. (5) *Statuimus, ut ſi quiſpiam Epiſcoporum, aut quilibet ſequentis ordinis Eccleſiaſtici, deinceps a domno Ludovico Imperatore defecerit, aut etiam ſacramentum fidelitatis illi promiſſum violaverit, proprium gradum canonica atque Synodali ſententia amittat.*

V. Magnis & piis Imperatoribus his duobus juſtiſſimæ fuere cautæ, ut ab Epiſcopis nova hæc elicerent antiquiſſimæ fidelitatis documenta. Sub illis, & ex eorum religioſa regnandi ratione, cœpere Epiſcopi artius inſinuari Reipublicæ adminiſtrationi. Conventuum Generalium ſemel iterumque anno quotlibet coeuntium, primam & ſummam ipſi Cameram implebant: ibi porro de ſumma Reipublicæ, & de Regni negotiis in commune conſulebatur. In Regiis Conſiliis primas fere ſedes Epiſcopi occupabant. Vaſſos & Vaſſallos habebant ſibi obnoxios, copiaſque militares, quas ad exercitus Regios nunc mitterent, nunc deducerent ipſi. Denique opima ora Regni Beneficia, ſeu feuda, Ducatus, Comitatus, Provinciæ, ditiones complures erant Epiſcopalis. Unum hic promo teſtimonium Wilelmi Malmesburienſis, nobiliſſimi inter Anglos Hiſtorici, ubi docet Carolo Magno, ut ſibi arctius devinceret provincias a ſe ſunctas, & Imperio ſuo adjectas, eam placuiſſe ſententiam, religionem, cautionem, ut amplitſima latifundia, opulentiſſimaſque ditiones Eccleſiis conferret; tum quod probatior ſibi eſſet Cleri fides; tum quod ſanctiori Epiſcoporum auctoritate & terrore cœleſtium Eccleſiæ fulminum ſperaret laicos ipſos intra limites fidei & obedientiæ facilius cohibendos. *Carolus Magnus pro contundenda gentium illarum ferocia, omnes pene terras Eccleſiis contulerat, conſilioſiſſime perpendens, nolle ſacri Ordinis homines, tam facile quam laicos, fidelitatem domini rejicere. Præterea ſi laici rebellarent, poſſe illos excommunicationis auctoritate, & potentiæ ſeveritate compeſcere.*

VI. Sed quod Ludovico Pio Epiſcopi ſacramentum, aliique exſolverant Clerici, ſejunctum id utique erat, & ſegregatum ab eorum ordinatione. Ut enim id ſumas; Epiſcopali conſecrationi conjunctum illud fuiſſe, an etiam cum aliorum Clericorum ordinatione cenſebis conjugatum fuiſſe? Si autem dum conſecrabantur Epiſcopi, eo juramento Regibus adſtringebantur: qui fieri potuit, ut inter tot formulas Promotionum Epiſcopalium nullum ejus rei veſtigium ſit reliduum? Finitimum ergo vero eſt, in Generalibus Regni Conventibus, vel in ſolemnitate inaugurationis Regiæ, illa præſtita fuiſſe ſacramenta. Suppetit eius rei argumentum ab ipſius Ludovici Pii exemplo, qui id ſacramentum præſtare fecit filio Carolo Calvo, ab omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus & Vaſſallis earum Provinciarum, quas in regnum Caroli Calvi compegerat (6). *Sicque juberet Imperatore, in ſui præſentia Epiſcopi, Abbates, Comites & Vaſſalli dominici, in memoratis locis Beneficia habentes, Carolo ſe commendaverunt, & fidelitatem ſacramento firmaverunt.* Confirmari & ipſi tunc Epiſcopi petiere libertates ſuas, ut anteceſſores Reges ſuis anteceſſoribus eas ſervaſſent intactas (7). *Ut jus Eccleſiaſticum, & legem canonicam nobis ita*

(1) L. 2. Tit. 51. L. 3. Tit. 1. (2) Capit. Car. Magn. L. 2. c. 38 L. 3. c. 42 L. 5. c. 197.
(3) Can. 38. (4) Can. 2. (5) Cap. 2. Can. 12. (6) Annales Bertini. Ann. 837.
(7) Cont. Belluaci anni 845. c. 2.

conſervetis, ſicut anteceſſores veſtri noſtris prædeceſſoribus conſervaverunt.

VII. Epiſcopos juvabat gratiam Regum colligere, hiſque fidei ſuæ pignoribus & teſtimoniis eos demereri, eoque delinimento conculcare ſtudebant non paucas amaritudines & difficultates cum his ſacramentis & hominiis devoratas. Ideo nec erumpere ſibi & prodi paſſi ſunt, quantum ſibi dolerent hæc humanæ ſervitutis vincula, niſi cum qui aliunde in eos irruebat, nec legitimus eorum erat Rex, Ludovicus Germaniæ Rex, eos ad ſe pellicere enixus eſt. Concilii enim Cariſiacenſis Epiſcopi omnes anno 858. animos addente, & ſtyli ſui facundam audaciam commodante Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi, ad Ludovicum hunc Regem ſcripſere. (1) Non parum diſcriminis interponi ab eo debere inter Epiſcopos & Vaſſallos, inter Eccleſias & Prædia Imperialia, Regiaque: quibus juramentis Evangelia & Canones Epiſcopis interdicunt, ea ab eis Reges exigere non debere; Manus cœleſti chriſmate delibutas, & Agno immortali quotidie immolando dicata, profanandas non eſſe juramentis & hominiis ſæcularibus; denique Sacerdotum linguas, quas in cœli claves conſecravit Chriſtus, contaminandas non eſſe ſacramentis iiſdem, quibus ſuper ſacra laici conſtringuntur; quanquam tum toleranda ſint juramenta Miniſtrorum ſacrorum, quando juxta Canones infamiæ eluendæ, & diſſipando ſcandalo, purgandæque juxta Canones innocentiæ famulantur (2). *Et nos Epiſcopi Deo conſecrati, non ſumus hujuſmodi homines ſæculares, ut in Vaſſallitico debeamus nos cuilibet commendare, ſeu ad defenſionem & adjutorium gubernationis, in Eccleſiaſtico regimine nos Eccleſiaſque noſtras committere, aut jurationis ſacramentum, quod nos Evangelica & Apoſtolica atque Canonica auctoritas vetat, debeamus quoquo modo facere. Manus enim chriſmate ſacro peruncta, quæ conficit Corpus & Chriſti ſanguinis ſacramentum, abominabile eſt quidquid ante ordinationem fecerit, ut poſt ordinationem Epiſcopatus, ſæculare tangat ullo modo ſacramentum. Et lingua Epiſcopi, quæ facta eſt per Dei gratiam clavis cœli, nefarium eſt, ut ſicut ſæcularis quilibet ſuper ſacra juret in nomine Domini & Sanctorum invocatione. Niſi forte, & quod abſit, contra eum ſcandalum accideret Eccleſiæ ſuæ, & inde ſic temperanter agat, ſicut Domino dicente conſtituerunt Rectores Eccleſiæ Synodali Concilio.* Subjiciunt denique magnanimitate prorſus Epiſcopali, ſi præter has cauſas Canonicis inſtitutis expreſſas, expreſſa ſint ab Epiſcopis aliqua ſacramenta, injuriam eam gravem divinis Eccleſiaſticiſque legibus, magis quam Epiſcopis fuiſſe irrogatam. *Et ſi quando ſacramenta ab Epiſcopis exacta, aut acta fuerunt, contra Deum & Eccleſiaſticas Regulas, quæ Spiritu ſancto dictatæ, & Chriſti ſunt ſanguine confirmatæ, acta ſanctæ Scripturæ paginis declarantur, & exigentes atque facientes medicamento exinde ſalutaris pœnitentiæ indigent.*

VIII. Quem ceperint Epiſcopi ex his querelis ſuis fructum, dicam, poſtquam uno hoc exemplo palam fecero, quam frequenter iteranda, atque adeo quam incurioſe ſervata fuerint hæc ſacramenta. Nuſquam enim crebrius & impunius violatur fides, quam ubi tot præſtruuntur in dies nova munimenta, ne violetur. Conqueſtus eſt Carolus Calvus Rex anno 850. ex Concilio Tullenſi ad Saponarias de Ganelonis Archiepiſcopi Senonenſis perfidia, qui ſacramento ſuam illi fidem obligaverat, ex quo Clericus fuerat ejus Capellæ (3). *Clerico meo, in Capella mea mihi ſervienti, qui more liberi Clerici ſe mihi commendaverat, & fidelitatem ſacramento promiſerat.* Sed præter hoc ſacramentum a Ganelone præſtitum, cum primum Regiæ ſe mancipaverat Capellæ, tria ejuſdem alia commemorant Epiſcopi hujus Concilii in Epiſtola ad eundem Archiepiſcopum data; nempe cum Archiepiſcopus creatus eſt, quando Imperium inter fratres Reges diviſum eſt, & quando Carolus ipſe Calvus Regia exornatus fuit corona. *Imputat quod cum juramento fidei a vobis accepto Senonum Præſulatum vobis largitus ſit, & in diviſione regni juramentum cum aliis feceritis, cumque veſtra electione & aliorum Epiſcoporum ceterorumque fidelium conſenſu, in Regem a vobis ſit divina gratia conſecratus, & chirographo, quod veſtræ fidei qualitatem & immobilitatem erga ſe continet, illius vero in vos firmam benevolentiam, ad omnes ſiniſtras ſuſpiciones utrinque abolendas, compoſite ſubſcripſeritis, quod omnes abſque recuſatione fecerunt duntaxat fideles. Poſt repetita toties ſacramenta, &c.*

IX. Invidioſa ergo tunc iſta ſacramento-

rum

(1) Cap. 15. (2) Conc. Gall. T. 3. pag. 229. 230. (3) Conc. Gall. t. 3. pag. 142. 145.

rum iteratio Epiſcopos forſan concitavit, Regeſque movit, ut pro ſacramentis promiſſiones ſubſcriberentur, & darentur fidelitatis. Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus, quo ſuſpectam jam fidem ſuam Carolo Calvo Regi purgaret, hanc illi ejus novam dedit & ſubſcripſit ſponſionem in Concilio Duziacenſi (1): *Ego Hincmarus Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus, amodo & deinceps domno Seniori meo Carolo Regi ſic fidelis & obediens ſecundum miniſterium meum ero, ſicut homo ſuo Seniori, & Epiſcopus per rectum ſuo Regi eſſe debet.* Cum vellent autem novo quopiam auctotamento ſuo Carolo Calvo fidem approbare omnes ejus ſubditi adverſus Ludovicum Germaniæ Regem: id perfecere Epiſcopi profeſſione, laici juramento fidelitatis, quæ utraque charta ad nos incolumis pervenit. Cum in offenſionem Caroli Calvi Impetatoris incurriſſet Hincmarus Remenſis, fidem illi rurſus ſuam profeſſus eſt, non alio tamen uſus quam promiſſionis verbo. *Sic promitto ego, quia fidelis, & obediens, & adjutor Seniori meo, &c.* Et ipſemet tamen juramenti nomine donavit hanc promiſſionem ſuam Hincmarus in eo libello, quo ultus eſt injuriam & vim ſibi factam (2): *Quod in iſto juramento abſolute poſitum eſt, &c.* Certe ea promiſſio ritu ſacramentorum facta fuerat, ſupra ſacra pignora Martyrum: *Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Patrocinia.*

In eo Tractatu, magni animi & doctiſſimus Præſul Hincmarus, ſacris Codicibus vetari juramenta affirmat; a Chriſto ipſo pronunciatum eſſe, quidquid ſimplici ſuperadditur affirmationi, malum eſſe, a malo eſſe; hoc eſt, ex ſententia ſanctorum Patrum, a vitio proficiſci, vel jurantis, vel juramentum exigentis: a Conciliis Nicæno & Chalcedonenſi, Pontificibus Leone & Gregorio ſuſceptos fuiſſe Arianos, Neſtorianos, Eutychianos ſola fidei profeſſione, ſine juramento; denique Ludovicum ab Epiſcopis, qui conjurationi adverſus eum initiæ, vel lubentes, vel illubentes implicati fuerant, non expreſſiſſe niſi profeſſiones ejuſmodi: & ne ab Ebbone quidem, qui ſigniſer & dux aliis præfuerat, amplius quidquam extorſiſſe. *Patres Nicæni, Synodus Chalcedonenſis, Leo, Gregorius, Epiſcopos, qui Arianæ, vel Eutychiana perfidiæ conſenſerunt, & Neſtorianos ſola profeſſione ac ſubſcriptione ſine juramento alio recipere in ſuis ordinibus decreverunt. Et piæ memoriæ pater veſter ab Epiſcopis, qui vel voluntarii, vel inviti in ſua dejectione conſenſerunt, ſed nec ab ipſo Ebbone, qui auctor & inventor ipſius dejectionis duntaxat inter Epiſcopos fuit, non aliud ſacramentum, niſi libellos profeſſionis a ſe ſubſcriptos quos ego habeo requiſivit.*

X. Cum ab Hincmaro Regiis primum inſignibus cinctus fuerit Ludovicus Balduus Rex poſt obitum parentis Caroli Calvi, hinc ambigi vix poteſt, quin auctor ille fuerit ejus diſcriminis inter Epiſcopos & Abbates ſervati. Quippe promiſſa ab Epiſcopis, ab Abbatibus jurata eſt fides (3). *Epiſcopi ſe ſuaſque Eccleſias illi ad debitam defenſionem & canonica privilegia ſibi ſervanda commendaverunt: profitentes ſecundum ſuum ſcire & poſſe, juxta ſuum miniſterium, conſilio & auxilio illi fideles fore. Abbates autem & regni Primores ac Vaſſalli regii ſe illi commendaverunt, & ſacramentis ſecundum morem fidelitatem promiſerunt.* Cum ante Epiſcopi Carolo Calvo ſuam oppignetarent in filium ejus eo mortuo fidem, ſtudioſiſſime laboraverant, ut emineret hoc diſcrimen promiſſionis Epiſcoporum, & juramenti Laicorum (4).

XI. Excerpta ſunt iſta ex annalibus Bertinianis, quibus intexta ſunt verba ipſa utriuſque Chartæ, quam uno & eodem tempore conſcripſerunt Epiſcopi, his verbis, *Commendatio, Profeſſio.* Priori ſcripto commendant Epiſcopi ſuas Eccleſias clientelæ & tuitioni Regiæ. Altero fidelitatem, obedientiam & auxilium pollicentur. Neutra ſacramenti ullius meminit, aut hominii. Vixdum hominia ſatis elucidata erant. Et veſtigia tamen eorum aliqua inſunt his verbis commendationis. *Me ac Eccleſiam mihi commiſſam vobis commendo.* Et in auxilii pollicitatione, copiarumque militarium: *Auxilio & conſilio fidelis & adjutor ero.* Hincmarus denique Laudunenſis Epiſcopus ad hominii vocem proxime acceſſit: *Obediens & fidelis ero, ſicut homo ſuo Seniori eſſe debet.* Hominem ſe Regis profite-

(1) Ann. 870. Du-Cheſne t. 3. p. 230. Conc. Duziac. Cello. p. 87. Du-Cheſne t. 2. p. 453. 462. Ann. 872. Ann. 876. Conc. Pontigon. Conc. Gall. t. 5. pag. 447.

(2) Hincmar. t. 2. pag. 834.

(3) Ann. 877. Annal. Berti. pag. 253.

(4) Du-Cheſne tom. 2. pag. 462.

ſtrebatur, ideoque & hominio obnoxium.

XII. Carolus Simplex ad Epiſcopos Regni ſui ſcribens, promiſſam tantum ſibi fidelitatem commemorat anno 921. *Propter Deum & debitam, quam mihi polliciti eſtis, fidelitatem.* Multa ſunt tamen quæ ſuadeant, poſteriores Carolinæ Profapiæ Reges, quo labanti auctoritati ſuæ præſidii aliquid & fulcimenti pararent, juramenta Epiſcopalia in integrum reſtituiſſe. Hugo enim Capetius Rex ad Romanum Pontificem ſcripſit, ab Arnulpho Remenſi Archiepiſcopo præſtitum ſibi fuiſſe ſacramentum, quod ſacramentis quibuſcunque aliis ante vel poſt præſtitis præpollere deberet (1). *Arnulphus Metropolis Remorum gratis donatus, juſjurandum præbuit, quod contra præterita & futura valeret ſacramenta.* Ex quo emicare illud videtur, poſtremis Regibus Carolinis Arnulphum ſacramento obligatum fuiſſe.

XIII. Nec illud hic ſilebo, quanquam malim hac in re, ut & in quacunque ejuſmodi alia, peritiores audire, quam meas ipſe in publicum elicere conjecturas: Inter juramenta & profeſſiones, ſeu promiſſiones haſtenus hic enarratas, vel indigitatas, illud potiſſimum interceſſiſſe diſcriminis, quod juraretur ſuper Evangelia, Crucem, ſanctorum Reliquias; cum nulla iſtiuſmodi ſolemnitas in profeſſione, vel promiſſione fere uſurparetur, præterquam quod juramenti, vel ſacramenti voces promebantur. Quanquam enim in promiſſionibus nunquam ſonaret juramenti vox, non eo tamen ea inter ſe diſcrimine dirimebantur. Nam & in compluſculis juramentis vox ipſa omittebatur. Nuſquam ea vox in juramento quod Carolus Calvus ab Hincmaro expreſſit in Concilio Pontigonenſi, de quo jam diximus Hincmarum tam amarulentas exinde & tam doctas effudiſſe querelas. Nec jurandi vel juramenti vox inerat ei ſacramento, quod Carolo Calvo ſubditi ejus omnes præter Epiſcopos exſolverunt, apud Caſtrum Gundulphi anno 873. Sed utrobique leguntur hæc verba, quæ pronuntiabantur in tangendis manu ſacris Pignoribus, (2) *Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta patrocinia.* Illum ſacrorum Pignorum contactum iniquiſſimo ferebant animo Epiſcopi Concilii Cariſiacenſis in Epiſtola ad Ludovicum Germaniæ Regem, ut qui Epiſcopali dignitati minime conſentiret: *Ut ſæculare tangat ullo modo ſacramentum, &c. Super ſacra juret in nomine Domini, & Sanctorum invocatione.* Ideo & corporale ſacramentum vocabatur, cujus & omnes Clericos immunes eſſe ſanxit Concilium Triburienſe anno 895. (3) *Laicus juramento, ſi neceſſe ſit, conſtringatur, Presbyter vero vice juramenti per conſecrationem ſuam interrogetur, quia Sacerdotes ex levi cauſa jurare non debent. Manus enim per quam Corpus & Sanguis Chriſti conficitur, juramento pollluetur? Abſit, cum Dominus dixerit, Nolite omnino jurare.*

XIV. Utque extra Gallias aliquantulum ſpatiemur, hæredimus veſtigiis Loiharii, nuper a parente ſuo Ludovico Pio ad Imperii ſocietatem aſciti. Ut primum ille Roma attigit, a Clero & Populo ſacramentum fidelitatis exculpſit (4). *Et hoc eſt juramentum, quod Romano Clero & Populo ipſe & Eugenius Papa facere imperavit: Promitto ego illi, &c.* Collaborabat & ipſe Eugenius Papa, ut hoc illi ſacramentum præſtaretur, cujus nec ipſe exors fuit. Ejus enim ſacramenti poſtrema clauſula ea eſt. Ne electio Papæ fiat niſi Canonica, & ne ordinetur ante electus, quam præſentibus Imperatoris Legatis idem præſtet ſacramentum, quod Eugenius Papa. *Et qui electus fuerit, ne conſentiente, conſecratus Pontifex non fiat, priuſquam tale ſacramentum faciat in preſentia Miſſi domini Imperatoris & populi, cum juramento, quale domnus Eugenius Papa ſponte pro conſervatione omnium ſactum habet præſcriptum.* Id certe datur hujus honori Pontificis, ut dicatur ipſemet voluiſſe jurare, publicæ incolumitatis ergo potius, quam Officii ſui neceſſitate: *Sponte, pro conſervatione omnium.*

Et ſub Joanne tamen IX. habitum Concilium Romanum anno 904. eadem neceſſitate adactum innovandi hujus Decreti, ad propulandas ab electionibus Pontificum frequentes tunc tumultuationes, ut ne electus Papa inauguraretur niſi præſentibus Imperatoriis Oratoribus; præcepit, ut ne ab eo aliud quodvis eliceretur ſacramentum, quam quod ullo & conſuetudine jam convaluiſſet, ne offendiculo ſit Eccleſiæ, & ne Imperatorios honores imminutum eat. *Nulliuſque ſine periculo juramentum, vel promiſſiones aliquas nova adinventione ab eo audeat extorquere, niſi quæ antiqua exigit conſuetudo,*

(1) Du-Cheſne t. 4. (2) Du-Cheſne t. 2. pag. 455. (3) Can. 21.
(4) Du Cheſne T. 2. pag. 207.

do, ne Eccleſia ſcandalizetur, vel Imperatoris honorificentia minuatur. Conſtitutione Otthonis I. poſtquam Joanni XII. Leonem Papam ſubrogaſſet, confirmatum eſt anno 962. hoc ipſum Decretum, ne electus Papa ante ordinetur, quam præſentibus Legatis Imperatoriis, eandem emiſerit promiſſionem ad Reipublicæ conſervationem, quam modo ſecerat Leo Papa Iubentiſſimus. *Faciat promiſſionem pro omnium ſatisfactione, atque futura conſervatione, qualem domnus & venerandus ſpiritalis Pater noſter Leo ſponte feciſſe dignoſcitur.* Mirifice ſane conſentiunt inter ſe tria hæc Eugenii, Joannis IX. & Leonis teſtimonia. Poſtremo ibidem Otthonis vehementiſſime excanduit in Joannem XII. Papam, qui cum Imperii & Eccleſiæ inimicis iniſſet fœdus, præter iuramentum fidelitatis, quo illaqueatus fuerat. *Oblitus iuramenti & fidelitatis, quam mihi ſupra corpus beati Petri promiſit.*

De ſacramento Gregorii IV. verbum fecit nullum, quod in reſponſione ad Epiſcopos Galliæ non omnino is fateatur illud a ſe elicitum fuiſſe. Objectabatur quippe illi ſacramentum ab eo præſtitum prius Ludovico Pio, cui tamen adverſatus fuiſſe videbatur, cum Lothario adverſus eum in Gallias proficiſcenti comitem ſe addiderat. *Bene ſubjungitis memorem me eſſe debere Juriſjurandi cauſa fidei factæ Imperatori. Quod ſi feci, in hoc volo vitare perjurium, ſi annuntiavero ei omnia, quæ contra unitatem & pacem Eccleſiæ & Regni committit. Quod ſi non fecero, perjurus ero, ſicut & vos. Si tamen juravi. Vos tamen quia proculdubio juraſtis & rejuraſtis, &c.* Cum illud a ſe præſtitum fuiſſe ſacramentum conſeſſus quidem non fit Gregorius, nec diſerte tamen negarit, non paulo probabilius eſt præſtitum ab eo fuiſſe, cum illud exprobrantibus Epiſcopis Gallicanis non negarit, & a ſucceſſoribus ejus præſtitum ſit. Non temere creditur ab eo primum expreſſum illud fuiſſe, eoque caviſſe eum, ne confeſſione ſua auctoritas ei pararetur innovationi.

XV. In hanc jurandi neceſſitatem facilius conceſſere Epiſcopi Italiæ, decimo ſaltem ſæculo (1). Manifeſte id patet ex Epiſtola Attonis Vercellenſis Epiſcopi ad alium Epiſcopum, quem teſtimoniis & argumentis validiſſimis nitebatur revocare ad eam Regibus fidem ſervandam, ad quam ſemet ipſe juramento aſtrinxiſſet (2). *Quapropter ad gratiam ſereniſſimi Regis & Domini noſtri reverti non dedignemini, recolentes qualem ei jurejurando polliciti eſtis fidelitatem.* Pio & docto Epiſcopo permoleſtum poſtea fuit, quando promiſſione & juramento Epiſcoporum non contenti Reges, obſides etiam popoſcerant. *Nec noſtris contenti pollicitationibus, nec de fidelitate juramento firmata confiſi, obſides inſuper a nobis accipere laborant.*

CAPUT XLIX. *P. 4. l. 2. c. 53.*

De fidei ſacramento & hominio, quod Epiſcopi & Abbates Regibus exhiberunt poſt annum Chriſti milleſimum.

I. De hominiis & ſacramentis Epiſcoporum in Reges. Qui eorum ritus?

II. In proſcribendis inveſtituris, data eſt opera, ut & hominia exploderentur.

III. Qui modus ei prohibitioni adhibitus? Sacramenta & hominia Epiſcoporum in Reges in Gallia & Anglia perpetuantur. Aſſentientibus denique ipſis Pontificibus.

IV. Reges Galliæ acquieverere tandem, ut ſolum fidei ſacramentum præſtaretur.

V. In Anglia & Germania ſacramento & hominio ſungebantur Epiſcopi.

VI. Qui uſus fuerit ſacramentorum & hominiorum extra Gallias poſt annum milleſimum ducenteſimum?

VII. Immo & in Gallia, ubi Epiſcopi & Abbates ſacramenta & hominia non præſtabant niſi Regibus, quamvis Ducibus, vel Comitibus ſubeſſent Provinciæ, in quibus ſitæ erant eorum Eccleſiæ.

VIII. Quando evanuerint hominia, & ſola fidei ſacramenta retenta ſint?

IX. De Eccleſia Græca.

I. CApite ſuperiori præſtructum illud eſt, ab Archiepiſcopis & Epiſcopis Galliæ periculum fuiſſe ſacramenta fidei poſterioribus Regibus Carolinis. Cum Arnulphus anno 989. electus eſſet in Remenſem Metropolin, eo ſe ſacramento obligavit Hugoni Capetio & Roberto filio ejus. Id probro illi datum eſt in Concilio Remenſi anni

(1) Ann. 945. (2) Spicileg. tom. 8. p. 105. 132.

ni 991. (1) *Certe in præſentia Regis, in præſentia Epiſcoporum, ante ora Cleri & Populi, ſacramento voluit obligatus eſt, ſe Principibus ſuis adjumento futurum, conſilio & auxilio, ſecundum ſuum ſcire & poſſe, contra Carolum itemque inimicis dominorum ſuorum, nec conſilium nec auxilium ſcienter ſe laturum ad eorum inſidelitatem, neque pro præterito aut futuro ſacramento ſe præſens relicturum.* Idem teſtatur Hugo ipſe Capetius Epiſtolis ad Papam datis. Ipſa ſacramenti verba leguntur in utroque Remenſi Concilio anni 989. & 991. (2) *Promitto me fidem puriſſimam ſervaturum, &c.*

Ritus ejus ſacramenti & hominii profectus fuerat a Carolinis etiam Regibus, ſique eleganter deſcribitur a Scriptoribus Hiſtoriæ Normannorum. Cum enim ægre tandem adductus eſſet Rollo Dux, ut eo obſequio Carolum Simplicem Regem veneraretur, quo Majorum ejus nullus in Galliæ Reges perfunctus fuerat, pollicitus eſt ſe ſub fidei & hominii nexu Normanniam & Britanniam ejus beneficio poſſeſſurum, inter manus Regias miſſis manibus ſuis (3). *Manus ſuas miſit inter manus Regis.* Cum poſtea Dux Robertus ditiones ſuas reſignaſſet Willelmo filio, ſacramento & hominio aſtringi illi voluit Proceres omnes ſuæ Curiæ, eodem ſervato ritu: *Inter manus Willelmi adoleſcentis manus ſuas mittentes Principes, colligavit illi conjurationis ſacramentum.* Et infra: *Juramento ſacræ fidei illi ſe colligaverunt, manuſque ſuas manibus illius vice cordis dederunt.* Et quando Dux Willelmus I. Richardum filium loco ſuo eligi fecit. *Ducem me ſuperſtite elegatis, & intentione cuſtodiendæ fidelitatis, & militationis, manus veſtras manibus ejus detis. Continuo Normanni & Britones commendaverunt ſe Richardo unanimes, ſacramento vere fidei illi ſeſe connectentes:* Et infra: *Manus veſtras vice cordis ejus concedatis manibus &c. Datis manibus ſubdiderunt ſe libenter illi, ut promiſerant olim Patri viventi, Pignoribuſque pretioſorum Sanctorum delatis, ſanciunt illi tenorem integerrimæ fidelitatis, & militationis, more Chriſtianæ conjurationis.* Et cum rurſus idem Dux eodem ritu eligi colique voluit filium ſuum: *Manibus illorum manibus ipſius vice cordis datis.*

Cum eodem ipſo ritu Epiſcopi Gallicani eodem ſacramento & hominio aliquandiu in Reges defuncti ſint; cumque poſtea Eccleſiæ ſubinviſa fuerint hæc hominia, ob illum etiam maxime ritum: non alienum a propoſito noſtro fuit eius originem penitius indagaſſe, & rationes quæ ineſſe poterant inveſtigaſſe. Nemo neſcit pervagatiſſimum fuiſſe apud Græcos & Romanos, ut ineundis fœderibus dextras jungerent, atque ita fidem mutuo obligarent. Sacramenta inter Clericos, de quibus ſupra, manuum contactu confirmabantur. In his modo accumulatis exemplis illud præterea additur, quod manuum contactu cordium & animorum conjunctio ſignificaretur: implicatis ſimiliter hinc, & hinc & interſertis digitis, virium armorumque ſocietas, & fidiſſima conjuratio ſanciretur ad Chriſtiani nominis gloriam. *Integerrimæ fidelitatis, & militationis, more Chriſtianæ conjurationis.* Tametſi militaris ritus, militaris ea interpretatio ſit, ad fidei tamen Chriſtianæ & religionis tuitionem illud pertinebat, unde & ad ſacras fiebat Reliquiarum Themas.

II. Incunctanter ergo tunc Epiſcopi hæc Regibus præſtabant ſacramenta & hominia, cum ab eis inveſtirentur. Sed ubi Germani Imperatores cœpere obtento Inveſtiturarum nomine abuti, electionum libertatem opprimere, libertates peſſumdare Eccleſiarum, ſuo nutu Epiſcopatus dare; tum vero in inveſtituras, quæ tolerari alias potuiſſent, deſtomachari cœpere Pontifices & Concilia, atque in earum abolitionem conſpirare. Eo factum eſt, ut & inveſtiturarum quaſi corollaria, ſacramenta & hominia eodem impulſu everterentur. Exemplo ſucceſſoribus præluxit Gregorius VII. cujus eſt hoc Decretum (4): *Ut Clericus a laico nunquam juſtificetur: nec pro terra, nec pro aliis rebus, quas ab illo tenet, nec ſibi hominatum faciat. Sed omnino, quæ ab eo tenet, ſibi antequam ullam patiatur injuriam, dimittat.*

Pauciori bus verbis, ſed diſertioribus damnavit illud idem juramentum & hominium Urbanus II. in Concilio Claromontano, anno 1095. (5) *Ne Epiſcopus, vel Sacerdos Regi, vel alicui laico in manibus ligiam fidelitatem faciat.* Erat ei Pontificicauſa ſpecialis, quæ eum ad id concitaret. Cum anno ſuperiori ab Angliæ Rege Anſelmus

(1) Du-Cheſne tom. 4. pag. 102.
(2) Ib. p. 107.
(3) Du Cheſne Scrip. Norman. p. 83. 86. 93. 102. 103 107.
(4) Citra de Concor. l. 8. c. 21. n. 4.
(5) Can. 17.

ſelmus Cantuarienſis Epiſcopus licentiam popoſciſſet Romam proficiſcendi, petendi Pallii ergo, abrupte retponderat Rex, Necdum ſe Urbanum pro Pontifice habere; eo vero infringi fidem ſibi debitam, everti regiam ſedem, diadema capite excuti, ſi ante ſui ſeſe ulli devoverent Pontifici, quam eum ipſe approbaſſet; Regni ſe denique ſui finibus ablegaturum, quicunque jubente ſe, Urbano nuntium remittere non eſſent parati. (1) *Si Urbanum, aut quemlibet alium ſine mea electione & auctoritate, in Regno meo, pro Papa ſuſcipis, aut ſuſceptum tenes; contra fidem, quam mihi debes, facis, nec in hoc me minus offendis, quam ſi coronam meam mihi tollere conaveris. Unde ſciæ in Regno meo nullum te participium habiturum, ſi non apertis aſſertionibus probavero, te omnis obedientiæ ſubjectionem Urbano pro voto meo negaturum.* Præpoſtero præjudicio hoc occupata tum erat hujus mens Regis: conjungi ac ſociari non ſatis poſſe fidem, quæ ſibi juraretur, & obedientiam Papæ ab omnibus impendendam. Acriter diſceptata ea quæſtio eſt in Concilio Angliæ Rochingenſi, anni 1094. Monuimus jam diſpliciuiſſe Regi, ideoque a Lanfranco relaxatum fuiſſe ſacramentum, quo Eboracenſis Archiepiſcopus Cantuarienſi tenebatur. Ab Epiſcopis & Principibus ſchiſmaticis ea paſſus erat Gregorius VII. quibus probabiliter creditur alienatus fuiſſe ab his juramentis, quæ Regibus ab Epiſcopis præſtarentur.

Auctor eſt Rogerius ab eodem Urbano II. ingeminatam rurſus fuiſſe eam prohibitionem in Concilio Romano, anno 1099. eamque ab eo ſubjunctam fuiſſe rationem, quod Epiſcoporum manus divinis Altaribus conſecratæ, eique cœleſti Agno immolando, qui pro Orbis univerſi ſalute offertur, non debere vilelcere & contaminari earum amplexu manuum, quæ toties humano ſanguine, toties impura ſordidantur libidine. (2) *Excommunicavit etiam eos, qui pro Eccleſiaſticis honoribus, laicorum homines ſiunt: dicens, nimis execrabile videri, ut manus quæ in tantam eminentiam excreverant, ut quod nulli Angelorum conceſſum eſt, ut Deum cunctæ creaturæ ſuo ſignaculo creent, & eundem ipſum pro ſalute totius mundi Dei Patris obtutibus offerant, in hanc ignaviam vel ſtultitiam detrudantur, ut ancillæ ſiant earum manuum, quæ diebus ac noctibus ob-*

Thomaſ. Tom. V.

ſcœnis contactibus inquinantur, ſive rapinis, ac injuſtæ ſanguinis effuſioni addictæ maculantur. Dictum alibi eaidem rationem ab Epiſcopis Galliæ ad hoc ipſum perdiu ante inculcatas fuiſſe.

III. Qui Concilio Claromontano aſſuerunt Provinciæ Rothomagenſis Epiſcopi, ii altero poſt anno, nempe 1096. Concilio affuere Rothomagenſi, ubi hunc Canonem edidere, quo Claromontanum roboraretur Decretum, ſed iis blandimentis temperatum, in quibus momenti eſſet plurimum, & quibus ſe Pontifices ipſi poſtea accommodavere. (3) *Nullus Presbyter efficiatur homo laici. Quia indignum eſt, ut manus Deo conſecratæ, & per ſacram unctionem ſanctificatæ, mittantur inter manus non conſecratas. Quia eſt aut homicida, vel adulter, vel cujuslibet criminalis peccati obnoxius. Sed ſi feudum a laico Sacerdos tenuerit, quod ad Eccleſiam non pertineat, talem faciat ei fidelitatem, quod ſecurus ſit.*

Concilii Claromontani his verbis: *Ne in manibus ligiam fidelitatem faciat*, hominium & ſacramentum una explodebantur. At contra Concilium hoc Rothomagenſe, 1. hominium tantum damnavit, quo Preſbyteri Laicis devincirentur. Ita tacite indultum Epiſcopis & Abbatibus, ut hominia Regibus præſtarent. 2. Presbyteris etiam conceſſit, & Parochis, ut ſacramentum fidei facerent Laicis, a quibus feuda laica haberent, & ad Eccleſiam nihil attinentia: ex quo id naſcebatur, ut Regibus idem fidei ſacramentum perſolvi poſſet. In votis fuiſſet Urbano II. & Gregorio VII. ut illis ſe feudis Clerici exuerent. 3. Concilio eodem Rothomagenſi innuitur, ſacras eſſe & manus Regum, cum eorum quoque fiat conſecratio. Inde fit, ut hominium illis perſolvi poſſit. Hoc vero Concilium Rothomagenſe ad annum 1095. prolixe retulit Ordericus Vitalis.

Cum poſtea Paſchalis Papa prædeceſſorum ſuorum Decreta confirmaſſet, & hominia prohibuiſſet ſub interminatione anathematis, quæ a Clericis exigebantur, Radulphus Remenſis Archiepiſcopus experiri voluit, an poſſet in Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem venire, nullo hominio a ſe prælato Regi Ludovico Craſſo. Verum in ſolemni Curia, ſeu Conventu Aurelianenſi anno 1115. eo in ſe defungi officio ab eodem Rege compulſus eſt. Aderat ei Curiæ Ivo Car-

(1) Eadmerus p. 26. (2) Rogerius n. 497. (3) Can. 8.

notenſis Epiſcopus, qui & Paſchalem Papam per litteras commonuit, ſerviendum tunc fuiſſe tempori & neceſſitati, cui tot ſanctiſſimi hactenus Epiſcopi ceſſiſſent; in his vero obſequiis, quæ æternæ & incorruptibili juſtitiæ legi non obſtrepunt, quamvis honori & dignitati, libertatique ſacerdotii ſubinfeſta ſint, conſultiſſimum, adeoque & neceſſarium eſſe; ut diſpenſatio adhibeatur, cum accuratiſſima mordicus retineri non poteſt Canonum diſciplina, quin Eccleſia in ſchiſmatis diſcrimen conjiciatur (1). *Sed reclamante Curia plenariam pacem impetrare nequivimus, niſi prædictus Metropolitanus per manum & ſacramentum eam fidelitatem Regi faceret, quam prædeceſſoribus ſuis Regibus Francorum antea fecerant omnes Remenſes Archiepiſcopi, & ceteri Regni Francorum quamlibet Religioſi & ſancti Epiſcopi. Quod perſuadentibus & impellentibus omnibus, etſi propter mandatorum rigorem minus licebat, factum eſt tamen, quia Eccleſiaſtica paci & fraternæ diſpoſitioni ſic expediebat.* Et infra. *Conſulendo & monendo rogamus, ut ibi conſilii & pietatis ſtudeatis viſceribus abundare, ubi fas non eſt debitam fortitudinem exercere.*

Inclementior fuerat Angliæ Rex Henricus in beatum Anſelmum, quem juſſerat Anglia exulare, aut ſolito fungi hominio; contumelioſus etiam in Decreta Pontificum, quæ in Regni ſui libertates intenſa interpretaretur (2). *Quid ad me de litteris Apoſtolicis? Jura regni mei nolo amittere.* Infregit ſe tandem ceſſitque ineluctabili neceſsitati Anſelmus, qua de cauſa & ipſe Pontifex ei congratulatus eſt. Dedit etiam ad Anſelmum litteras, ut ne gravaretur ordinare, & ſinere, ut & alii ordinarent eos electos Epiſcopos, qui Regibus hominia feciſſent, dum ne ab iis inveſtituras accepiſſent. *Si qui vero deinceps præter inveſtituras Eccleſiarum prælationes aſſumpſerint, etiamſi Regi hominia fecerint, nequaquam ob hoc a benedictionis munere arceantur.* Quam tamen nonniſi temporariam fore indulgentiam ſperabat Pontifex, dum nimirum molliretur a Deo Regis Angliæ cor, ut plenæ Eccleſiarum aſſentiretur libertati. (3) *Donec per omnipotentis Dei gratiam ad hoc omittendum, cor regium tuæ prædicationis imbribus molliatur.*

Sed ne ea quidem diſpenſatio porrigebat ſe, niſi ad Epiſcopos & Abbates. Idem quippe Pontifex variis reſpondens percunctationibus Anſelmi, ac præ ceteris, An poſſent Clerici Laicis hominia præſtare, eorumque homines fieri, ſeu vaſſalli: *Si nullus Clericus debet fieri homo laici, & aliqua beneficia, aut poſſeſſiones non laicus Eccleſiaſticas debet tenere de laico, nec laicus vult ei dare niſi fiat ſuus homo; quid faciet?* Reſponderat dimittenda hæc eſſe feuda, quod iis fœdiſſimæ Laicorum ſervituti manciparetur Clericatus nobilitas, & contaminaretur, nec poſſent liberæ & cœleſtii Clericorum profeſſioni concinere ea vincula humanarum obligationum (4). *Liberam eſſe Eccleſiam Paulus dicit. Indignum eſt igitur, ut Clericus, qui jam laicorum dignitatem exceſſit, pro terrenis lucris hominium faciat laico; ne forte dum reperitur ſervituti ſæculari obnoxius, vacet aut gravetur Eccleſia: Scriptum eſt enim, Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus.*

Quæ graviſſima difficultas conciliandæ libertatis Clericatus, qui a Deo totus pendere, & in cœleſtia totus arrigi debet, cum obligamentis hominii & feudariæ clientelæ, non paulo forſan majoris erat ponderis, quam quidquid hactenus in eam rem dictum fuerat a Pontificibus aliis & Conciliis. Et ſane mox Epiſcopi & Abbates, quaſi explicante ſe hominio quod præſtiterant, juſſi ſunt militares cuneos cogere, & ad exercitus regios ducere, vel delegatis eos committere Vicariis. Cum Epiſcopis, Abbatibus, Paſtoribus citra perniciem carere non poſſit Eccleſia, retinenda utique erant ea feuda, & in illis plurimo indulgentiæ tribuendum erat lenimento, quod non ita ſe habebant in aliis feudis, quibus abſtinere ſe Clerici & Eccleſiæ potuiſſent.

Cum tria ergo in controverſiam ducta eſſent, Inveſtituræ, Hominia, & Sacramenta, inveſtitura abdicarunt Reges, hominia Pontifices tolerarunt, atque ita ne controverſiarum quidem amplius eſt de ſacramento fidelitatis. In eam denique concordiam & juris æquabilitatem venere hinc Paſchalis II. & Anſelmus, inde Henricus Angliæ Rex. *Inveſtituras Eccleſiarum Anſelmo in perpetuum in manum remiſit Rex; eodem concedente ut propter hominium Regi factum nullus arceretur a benedictione.* Præmiſi jam fuerant in Angliam a Pontifice duo

(1) Baron. an. 1006. n. 50. Ivo Ep. 100.
(2) Malmesb. De geſtis Pont. Angl. L. 1.
(3) Ep. 16. Inter Epiſt. Anſel. l. 1. Ep. 140.
(4) Ep. Anſel. L. 3. Ep. 45.

duo Legati, per quos ad id temperamenti ultro citroque convenerant; ut ex eodem liquet Malmesburiensi, ex quo corrata sunt hæc omnia (1). *Controversiam tot annis agitatam singulari probitate sedarunt. Concessit siquidem Papa, ut Rex homagia de electis acciperet; sed nullum per baculum & annulum investiret.*

At ex litteris Anselmi constat, nonnisi post diutinas altercationes, in hæc demum Pontifices cum Regibus concordasse. Scripserat aliquando Anselmus ad Abbatem, certum sibi fixumque id esse, nunquam cujusquam hominem fieri, nulli per quodcunque fidei sacramentum obligari: (2) *Hoc autem scitote, quia voluntas mea est, ut adjuvante Deo, nullius mortalis homo fiam, nec per sacramentum fidem alicui promittam.* Hoc ipsum & Episcopo cuidam in aurem insusurravit consilium: *Nulla minæ, nulla promissio, nulla astutia a religione vestra extorqueat, aut homagium, aut jusjurandum, aut fidei alligationem. Si quid horum aliquis egerit, hæc sit vestra responsio, Christianus sum, Monachus sum, Episcopus sum, & ideo omnibus volo fidem servare, secundum quod unicuique debeo. Quidquid aliud vobis dicatur, his verbis nec addatis quidquam, nec minuatis, &c. Hoc ipsum de me dico, nec super hæc aliquid addere volo, &c.*

In ipso concertationis æstu hæc scriptitabantur, dum quasi consilii dubia & anceps penderet Sedes Apostolica, sive eo tempore, quo uno damnationis telo configebant Romani Præsules, tam hominia & sacramenta, quam investituras ipsas. Ex his enim Epistolis dilucide constat, Urbanum II. & Paschalem, atque Concilia quæ sub eis coaluerunt, nihil interjecisse discriminis inter hominia & fidei sacramenta. Hæc discriminare cœpit Concilium Rothomagense, sacramenta fidei persolvi sinens etiam minusculis dominis, hominia Regibus servans solis: sed ea nec Anselmus distinxit, dum ab iis abhorreret, nec Paschalis, cum hominia concessit. Et quidem Regis homines evadebant, non hominio solo, sed & fidei sacramento. Hinc enimvero religio fiebat Anselmo, qui eo vexatus scrupulo, sciscitatus est Archiepiscopum Lugdunensem, postquam etiam Pontifex Episcopis & Abbatibus permisit ut hominia præstarent (3): *Dubito quid me facere oporteat, si aliquis Religiosus electus, homo Regis pro Episcopatu vel Abbatia fieri respuat. Durum mihi videtur, ut hoc illi præcipiam per obedientiam, &c.*

In Concilio Pictavensi anno 1114. cui præerant Legati Paschalis II. prohibita sunt adhuc indiscriminatim hominia omnia pro qualibuscunque feudis (4): *Ut Clerici nunquam alicui laico hominium aliquo modo facere præsumant, &c.* Cum Henricus Rex Angliæ Willelmum filium designasset sibi successurum anno 1116. narrat Eadmerus Barones omnes sacramento ei se & hominio astrinxisse (5): *Facti sunt homines ipsius, fide & sacramento confirmati*: at Episcopi & Abbates *fide & sacramento professi sunt*, eum se Regem habituros patre obeunte, & tunc demum ei *hominia fideli mente facturos*.

IV. Quoad Gallias vero, ex Sugerii Abbatis Sandionysiani narratione, ubi colloquium memorat Paschalis II. & Legatorum Henrici Imperatoris, evincitur Galliæ Reges investituras incunctanter abjecisse, ejecisse etiam ex hominiis eum sæcularem ritum, quo Præsules maxime offendebantur. Audi ut ille Pontificem inducat Imperatorios Legatos alloquentem (6): *Si virga & annulo investiatur, cum ad altaria ejusmodi pertineant, contra Deum ipsum usurpare: si sacratas Dominico corpori & sanguini manus, laicis manibus gladio sanguinolentis obligando supponant, ordini suo & sacræ unctioni derogare.* Addit tunc furere cœpisse Germanos hos Legatos: *Cumque & hæc his similia cervicosi audissent Legati, Teutonico impetu frendentes tumultuabant, &c.* His verbis Sugerius abunde prodit, & Pontifici consentaneum se cum ceteris Gallis fuisse, & Galliæ jamdiu Reges invidiosum abjecisse hominii ritum, & investituras omnino abdicasse; vel sacramento fidei contentos, cui hominium tacite, non expresse implicatum esset; vel hominium suscipientes, cujus circumcisus erat ille ritus, quo dehonestari se Præsules augurabantur.

His adde Edictum Ludovici Crassi anno 1137. concessum Episcopis & Abbatibus Aquitaniæ, seu Provinciæ Burdigalensis, quæ Ludovico Juniori filio ejus obtin-

(1) Malmesb. De gestis Pont. Angl.
(2) Anselm. l. 3. Epist. 36. 40. 45. 77. 88. 90. 92.
(3) L. 3 Epist. 123. (4) Can. 3.
(5) L. 5.
(6) Du-Cleine Tom. 4. p. 290.

gebat poſt obitum Willelmi Ducis, cujus ille filiam duxerat Eleonoram. Eo Edicto contulit illis libertatem canonicam electionum, citra ſacramentum ritibus homagii veſtitum (1): *Canonicam omnino concedimus libertatem, abſque hominii, juramenti, ſeu fidei per manum datæ obligatione.* Videri poſſit alicui relaxatum hic fuiſſe, tam hominium, quam illum hominii ritum qui ſacramento quandoque adhæreſcebat, *fidei per manum datæ:* non autem ſacramentum ipſum fidei, ea hominii umbra exutum. Gradum revocabimus in Galliam, ubi obſervatum fuerit a nobis, quid interim rei in Germania gereretur.

V. Non ea erat Friderici I. Imperatoris in Eccleſiam ſive humanitas, ſive reverentia, non ea libertatum ejus cura. Hominium ille ab Epiſcopis extorquebat; & ſacramentum fidei, & manum inſertionem, qua maxime Præſules angebantur, & ad ſæculares ſe compedes & ſordes querebantur devolvi. Id illi probro dedit Hadrianus IV. Papa anno 1159. (2) *Quid dicam de fidelitate B. Petro & nobis a te promiſſa & jurata, quomodo eam obſerves, cum ab iis qui dii ſunt, & filii Excelſi omnes, Epiſcopis videlicet, homagium requiris, fidelitatem exigis, & manus eorum ſacratas manibus tuis innectis?* Cum tentarentur multa ad relarciendam Sacerdotii & Imperii concordiam, vilibus his vinculis expetiit Pontifex ut ſaltem Italiæ Epiſcopi abſolverentur, & fidei ſacramentum ſine hominio præſtarent (3): *Epiſcopos Italiæ ſolum ſacramentum fidelitatis ſine hominio facere debere domino Imperatori.* Aſſenſus eſt ei petitioni Imperator, dum Epiſcopi Italiæ omnibus ſe Imperii feudis exuerent (4): *Epiſcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium, ſi tamen & eos de noſtris Regalibus nihil delectat habere. Qui ſi gratanter audierint a Romano Præſule, Quid tibi & Regi? Conſequenter eos ab Imperatore non pigeat audire, Quid tibi & poſſeſſioni?*

Ex Epiſtolis Aitonis, qui ante annum Chriſti milleſimum Vercellenſem regebat Eccleſiam, liquidum fit Epiſcopos Italiæ Regibus ſolum fidei ſacramentum obtuliſſe. Petebantur & obſides a Regibus: ſed difficile ab Epiſcopis annuebantur.

Nec multo aliter in Anglia, ut ex Conventu patet Clarendunenſi anno 1164. quo admitti pervicit Henricus III. Rex capita XVII. Conſuetudinum Regiarum, nulla Epiſcoporum interceſſione, niſi unius Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis. Inter ea capita erat & iſtud de hominio Regi ab electis Epiſcopis ſolvendo (5): *Electus homagium & fidelitatem Regi, ſicut ligio domino ſuo, de vita ſua, & de honore terreno, ſalvo ordine ſuo faciet, priuſquam conſecretur.* Confitebatur & ipſe Thomas, Regi ſe fidelitatem juraſſe: *Quod fidelitatem ei juraverat, vitam ſcilicet, membra, & honorem terrenum, ſalvo ordine ſuo.* Præceplt per Epiſtolas Epiſcopis Angliæ Pontifex, ut ne quod aliud præſtarent ſacramentum, quam quod Regibus præſtare ſolerent Epiſcopi: *Præter id juramentum, quod Epiſcopi ſuis Regibus facere conſueverunt.*

Nec mirum eſt ſi indecoris ſe his Epiſcopi Angliæ & Germaniæ ſubjicerent ſacramentis, ſive hominiis, cum & feuda marſupii, ita enim vocabantur, hoc eſt annuas pecuniæ penſiones a Principibus ambirent, pro iiſque hominia ac fidei perſolverent ſacramenta. De his fidem facit Rogerius, ubi narrat Richardi Angliæ Regis e carceribus Germaniæ egreſſum, conceſſaſque ab eo ejuſmodi tum chartas feudorum, ſeu annuarum penſionum Archiepiſcopis Moguntino & Colonienſi, Epiſcopo Lodienſi, pluribuſque aliis Ducibus, Comitibus, & Baronibus Imperii, a quibus eo nomine hominia ſuſcipiebat & ſacramenta (6): *Rex Angliæ promiſit & chartis ſuis confirmavit quibuſdam Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & Ducibus, & Comitibus, & Baronibus de Imperio, reditus annuos pro homagiis & fidelitatibus & auxiliis eorum contra Regem Franciæ. Recepit itaque homagium de Archiepiſcopo Moguntino, &c. Salva fidelitate Imperatoris.*

VI. Eo loco res erant in omnibus Eccleſiæ regnis, cum ad ejus ſumma gubernacula ſedere cœpit Innocentius III. Itaque non potuit non ille oblique ſaltem confirmare ea ſacramenta toto orbe receptiſſima, ut & hominia, quando in Concilio IV. Lateranenſi anni 1215. unum id prohibuit, ut ne Laici a Clericis iis exigerent fidei ſacramentum, quibus temporalia nulla, ſeu Beneficia, ſeu feuda contuliſſent

(1) Bollan. Feb. Tom. 2. pag. 140.
(2) Baron. an. 1159. n. 4. 14. &c.
(3) Radevic. De geſt. Frider. I. 2. c. 30. 31.
(4) Spicil. to 8. pag. 99. 107. 132. 136.
(5) Baron. an. 1163. num. 20. 26.
(6) Roger. p. 734.

ſent (1) : *Nimis de jure divino quidam laïci uſurpare conantur cum viros Eccleſiaſticos nihil temporale detinentes ab eis, ad præſtandum ſibi fidelitatis juramenta compellunt. Sacri auctoritate Concilii prohibemus, ne tales Clerici perſonis ſæcularibus præſtare cogantur hujuſmodi juramentum.* Et hominiis tamen iſtis & ſacramentis Innocentius IV. anno 1250. Sueciæ regno interdixit, quod nec dum eo irrepſiſſent, aut uſu convaluiſſent (2) : *Ne aliqua ſæcularis perſona contra ſtatuta hujuſmodi quidquam attentare, aut a vobis vel ſucceſſoribus veſtris homagii vel fidelitatis exigere, ſeu oblatum recipere audeat ſacramentum.* Ex adverſo autem Alexander IV. reſcito jam in Scotia vetuſtate roboratam eſſe conſuetudinem eam, ut non ante Rex temporalia vacantium Eccleſiarum bona electis reſtitueret Epiſcopis, quam ab eis ſacramenta fidei accepiſſet : voluit ut Epiſcopus Glaſcovienſis, quem ad eam ipſe provexerat Eccleſiam, eo obſequio fungeretur anno 1260. (3) *Cum tibi, prout fieri conſuevit, fidelitatis debita præſtiterit ſacramentum, Eccleſiæ ſuæ Regalia ſeu temporalia de manibus tuis recipiat ſubſequenter.* Cum Carolus Andium Comes Siciliæ Regno inveſtitus eſt anno 1265. a Pontifice, permiſſus eſt ſacramenta fidei exigere ab Epiſcopis Siciliæ, qui ea priſcis Siciliæ Regibus exolviſſent juxta canonicas ſanctiones (4), *Sacramenta fidelitatis præſtabuntur, ſecundum antiquam & rationabilem conſuetudinem, prout canonica inſtituta permittunt, ab illis Eccleſiarum Prælatis, quorum prædeceſſores antiquis illa Siciliæ Regibus præſtiterunt.* Quæ eadem verba adhibita ſunt in conceſſione ejuſdem Regni anno 1501. (5) ab Alexandro VI. facta.

Hi erant ergo ceterorum Chriſtiani Orbis regnorum mores. 1. Si necdum conſuetudo Prælatos his in Regem obſequiis mancipaſſet, tunc eorum libertas & dignitas retinebatur, comperto Epiſcopos Ordinis & miniſterii ſui ſanctimonia arctiſſime illigari Dei Regiſque obſequio & fidei, eorumque verbis tantundem ineſſe ponderis, quantum aliorum ſacramentis. 2. Si vero jam uſu longo convaluiſſent Epiſcopalia fidei ſacramenta, ei conſuetudini non derogabatur, ut quæ nec ipſa inſtitutis derogaret canonicis. Sed nulla ſinebantur novæ ſervitutis fieri per hominium additamenta. 3. Modice ferebantur & hominia iis in Regnis, ubi ad eorum defenſionem Principes exarſerant, quod ibi necdum ceſſaſſet ea diſpenſationis & indulgentiæ neceſſitas, qua primum adducti fuerant Pontifices, ut ea ad tempus aliquod tolerarent. 4. Sed ne Regia Eccleſiaſtici Sacerdotii majeſtas dedecoraretur, non aliis quam Regibus Prælati hæc ſeu ſacramenta præſtabant, ſeu hominia. 5. Minorum gentium Beneficiarii minuſculis etiam dominis per eadem ſacramenta & hominia obligabantur. Anno 1214. cum Dux Burgundiæ in ſancta Capella Divionenſi quatuor novas inſtituiſſet dignitates, præſtandum ſibi hominium illis indixit (6) : *Cum oſculo pacis homagium facient.* Haud ſatis ſcio, an eo canonicis regulis aliquantulum obſtreperetur : at ex ipſo hominii ritu, ſeu ex oſculo pacis, non poterat invidia conflari.

VII. Gallia vero iis ſe moribus ſemper aptavit, qui Canonum menti & Eccleſiæ libertati magis conſentirent. Unde & pauciſſimis ejus Epiſcopis incubuit neceſſitas hominii exhibendi, reliquis omnibus uno in Reges fidei ſacramento defungentibus. Ad fidei ſacramentum anno 1291. ſuſceptus eſt Andegavenſis Epiſcopus Willelmus major, poſtquam a Metropolitano confirmatus fuerat. Accipe verba ipſa Chartæ ſeu Inſtrumenti, ex quibus ediſcas qui ritus ſunt uſurpati, quæ voces (7) : *Fecimus Regi Philippo juramentum fidelitatis in hunc modum ; videlicet quod ſtola nobis ad collum poſita in modum crucis ante pectus, & manu ad pectus miſſa, libro Evangeliorum coram poſito, dixit nobis de mandato Regis dominus de Chamberry Miles, Vos juratis domino Regi fidem & legalitatem, & filio ejus Regi Francorum poſt eum, & quod ſervabitis eiſdem corpora, & membra, & vitam, & jura ſua ; & honorem ſuum temporalem ; & ſi petat a vobis conſilium bonum & fidele, ſibi dabitis. Ita juratis. Et nos reſpondimus, Ita juro.*

Tum conceſſa eſt Willelmo Epiſcopo a Philippo Pulchro eadem declaratio quam anteceſſoribus ejus ſuperiores annuerant Reges, Philippus Audax, ſanctus Ludovicus, & Ludovicus VIII. Qua ſignificabatur, eo

ſacra-

(1) Extrav. De jurejuran. C. Nimis.
(2) Rainald. num. 40.
(3) Rainald. num. 14.
(4) Spicil. Tom. 9. pag. 220.
(5) Rainald. ann. 1501. n. 68.
(6) Recueil pour l'hiſt. de Bourgogne p. 315. 491.
(7) Spicil. tom. 10. p. 283. 285.

ſacramento nihil derogari antiquiſſimis libertatibus ejus Eccleſiæ; immunem ſemper fore Epiſcopum a Regia militia, & a copiis in eam mittendis: verum ut electus Andegavenſis, quamprimum a Metropolitano confirmatus fuiſſet, temporalium Eccleſiæ ſuæ rerum adminiſtrationem reciperet a Legatis quos Rex mitteret, cum diplomate confirmationis; intra quadraginta mox dies adventaret Epiſcopus ad Aulam Regiam ſacramentum præſtiturus Regi, niſi regno Rex abeſſet; alioqui temporalia Epiſcoparus bona rurſus a miniſtris Regiis occupatum iri, dum eo fungeretur Epiſcopus officio: *Quando electus confirmatus erit a Metropolitano, nos reddemus ei Regalia ſua, per nuntios deferentes litteras patentes confirmationis ejus. Ipſe tamen electus tenebitur bona fide nos adire, ſi fuerimus in Regno, infra quadrageſima dies poſt ſuſceptionem Regalium, nobis juramentum fidelitatis præſtare, &c.* Minime autem ſilentio prætereri fas eſt extremam ejus Declarationis clauſulam: Si Comitatus Andinus a Regia Corona & ditione aliquando ſejungeretur, nequaquam eo ſacramento fungi debere Epiſcopum in Comitem Andegavenſem (1): *Epiſcopus non teneretur facere hujuſmodi juramentum Comiti Andegavenſi.* Obſervatum jam a nobis eſt, Carolum Magnum & ſucceſſores cuſtodiam & tuitionem immediatam Epiſcopatuum & Abbatiarum ſemper ſibi integram ſervaſſe, quo demumcunque loco ſitæ eſſent ex Eccleſiæ.

Ex Decreto Bonifacii VIII. *in Sexto* colligitur, minus diſplicuiſſe ſacramentum & hominium, quo Abbatiſſæ & Prioriſſæ quædam Principibus ſæcularibus tenerentur, propter feudum Monaſterio innexum (2): *Quando Abbatiſſa vel Prioriſſa debet homagium vel fidelitatis ſacramentum, &c.* Anno 1274. Sinimurii domini Eccleſiam Collegialem in Diœceſi Auguſtodunenſi condidere, ſervato ſibi ſacramento & hominio Decani & Canonicorum (3): *Decanus & Canonici nobis & ſucceſſoribus noſtris dominis Sinimuri fidelitatem jurabunt.*

Edita eſt anno 1332. declaratio, qua Epiſcopi ſecernebantur, qui hominio & ſacramento eſſent obnoxii, ab iis qui ſolo ſacramento fidei tenebantur (4). Hos poſteriores pronum eſt eos conjicere, quorum Eccleſiæ nullo Regio feudo donatæ eſſent, aut quos Rex iis obſequiis abſolviſſet.

Conquerius eſt Carolus VII. Rex Galliæ, quod Eugenius IV. ad alios quam ad ipſum deſtinaret eas Bullas, quibus Epiſcopales Regni Eccleſias conferebat; ſcripſitque ad eum litteris, declaravit ab omnibus Regni Epiſcopis prælati ſibi fidei ſacramentum, ab aliquibus etiam hominium, ut iis quidem exceptis, quorum ſitæ eſſent Eccleſiæ in illis Provinciis, quæ ſuos ſibi peculiares Duces & Comites haberent; quod Prælati omnes illarum etiam Provinciarum immediate Regi ſubeſſent, qui & ipſe viciſſim cuſtos illorum eſſet & proprius defenſor; unde & ſuperiores hactenus Pontifices ad ipſos ſemper Reges miſerant Epiſcopatuum proviſiones (5): *Beatiſſime Pater, credimus Sanctitatem veſtram non ignorare, quod Prælati regni noſtri in Præſtitionit ſuæ primordio nobis præſtant & præſtare tenentur ligium plerique homagium, & alii omnes fidelitatis juramentum, pro ſuarum temporalitatibus Eccleſiarum, etiam illarum quæ noſtrum quorumcunque circundantur a terris ſubditorum, aut quæ ſitæ ſunt infra dominia ipſorum: ſive ſint Duces, ſive Comites, aut alii domini temporales, in ipſo Regno noſtro quovis honore, ſeu titulo fulgentes. Sumus enim unicus Prælatorum & Eccleſiarum hujuſmodi Princeps, protector & conſervator ſecularis: nec ſubditi ſunt ipſi Prælati, aut eorum Eccleſiæ aliis temporalibus aut ſæcularibus dominis, quam nobis, omneſque in & ſub Regalia continentur.*

Quæ Epiſcoporum prærogativa eo quoque inſignior eſt, quod ab illis maximi Duces fiduciario, & hominii jure terras aliquas & ditiones obtinerent. Anno 1258. Dux Burgundiæ cum Hiſpaniæ Regi ſacramentum fidei præſtaret, propter feudum marſupii, ſeu pecuniarum, eos excepit, quibus jam ut dominis obligabatur, Regem, Reginam & Epiſcopos Auguſtodunenſem, Lingonenſem & Cabilonenſem (6): *Salva fidelitate Regis, Reginæ, & aliorum dominorum dicti Ducis, videlicet Lugdunenſis, Lingonenſis & Cabilonenſis Epiſcoporum.* Hortatus eſt Bernardus Theobaldum Campaniæ Comitem, hominium ut perſolveret quod Lingonenſi Epiſcopo præſtare teneretur (7): *Pro caſamento quod tenetis, homagium quod debetis*

(1) Preuves des Liber. Gal. c. 17. num. 7.
(2) De ſtatu Regul. c. 1.
(3) Spicil. to. 12. p. 190.
(4) Marca de Concor. L. 8. c. 21. n. 7.
(5) Spicil. tom. 7. pag. 286.
(6) Recueil pour l'Hiſt. de Bourg.
(7) Epiſt. 39.

betis, reverenter ei & humiliter efferatis.

Quam curæ erat Carolo VII. ceteriſque Regibus, ut Epiſcopi omnes Abbateſque Regni ſibi immediate ſubeſſent, & ſacramenta præſtarent: tam Conciliis & Pontificibus cordi fuit, ut ne aliis quibuſcunque quam Regibus Epiſcopi & Abbates ea impenderent obſequia. Conſenſere Pontifices & Reges in eam mutuam & individuam copulam, ut indiviſa cohæreat & in ſæcula perpetuetur Regia Chriſti majeſtas, quæ in illos transfuſa & ſecta videtur fuiſſe.

Ex hac autem Caroli VII. Epiſtola liquet 1. eo adhuc ævo obſervatum fuiſſe diſcrimen Epiſcoparuum, quibus hominii & ſacramenti, & quibus ſacramenti tantum lex imminneret. 2. Epiſcopatibus omnibus incubuiſſe ſaltem neceſſitatem præſtandi ſacramenti. 3. Eos vero qui exemptionis privilegio aliquo donati eſſent, hominii, non ſacramenti fuiſſe immunes.

Eundem Regem interpellavit Nicolaus V. anno 1453. ut quando paſſus erat Cardinalem Rothomagenſi Eccleſia donatum, ejus capeſſere poſſeſſionem, pateretur & primi anni reditus colligere, quanquam necdum ei vel hominio junctus eſſet, vel ſacramento (1): *Quia nuper intelleximus annuam temporalitatem ipſius Eccleſiæ eidem Cardinali denegari, cum juramentum ſolitum fidelitatis & homagii non præſtiterit, rogare decrevimus, &c.* Repulſam paſſus non eſt Pontifex ab eo Rege, qui idem ipſe anno 1447. in re perſimili gratificatus eſt Epiſcopo Cenomanenſi: Beneficiis ſuis finens eos frui, quibus ea contuliſſet ante Epiſcopus, quam Regi præſtaret ſacramentum, incurrentibus impedimentis iis, quæ tum quidem ſummovere non poſſet. (2) Cujus rei & alia ad manum ſunt exempla anno 1493.

Anno vero 1456. Ludovicus Pictavienſis Valentinus & Dienſis Epiſcopus & Comes, hominium exſolvit Delphino Ludovico XI. Franciæ poſtea Regi, cum eoque de controverſis quibuſdam juribus concordiam iniit. Vide ut in ea charta de hominio verba fiant, quæ vernaculo ex ſermone in Latinum ita vertuntur (3): *Ligium rurſus hominium perſolvit, & ſacramentum fidei, eidem ſummo domino ſuo temporali, nudo capite, manibus junctis & inſertis inter manus domini, cum oſculo, in perpetuæ & intaminatæ fidei ac dilectionis pignus: ſeque et ſuos profeſſus eſt vaſſos ligios ac fideles, adverſus quoſcunque alios indiſcriminatim, præter Romanum Pontificem.*

VIII. Exinde jam non hominia fere uſquam ulla, ſed fidei ſacramenta, quibus verecundius aliquid, honorificentiuſque in Principes, & ad poſterioris hujus ævi probitatem fidemque teſtificandam commendatius ineſſe videntur (4). Quaſi ne in cogitationem quidem venire poſſit, ut impie & facinoroſe attentetur aliquid in eos, qui expretiſſimæ ſunt in terris ſummi Numinis imagines. Præter ea capita; ut fideles Regi ſint & Regno; ut renuntient ſi quidpiam aliquos machinari reſcierint; ut ne hoſtes in quemcunque Regni locum admittant: voluit hanc quoque geminam adjici clauſulam Ludovicus XIII. ut intra tres menſes Epiſcopos ſe conſecrari curarent, utque in ſua quique Diœceſi reſiderent.

Viſum eſt quibuſdam hominium in unum conflatum eſſe cum juramento. Sed Conſilii Privati Arreſto anni 1652. ſecundum Auguſtodunenſem Epiſcopum pronuntiato, magna fit ad hanc rem totam novi nobis luminis acceſſio. Cum is enim Epiſcopus ſacramento fidei in Regem defunctus eſſet, molestias neſcio quas paſſus eſt in Camera Computorum, ubi illud promulgari & regiſtrari neceſſum erat; quippe ibi præterea ab eo hominium depoſcebatur, & enumeratio feudorum ac dominiorum quæ obtineret: Supplicem ille Regi ſuper ea re libellum obtulit, adjunctis ſibi Cleri Gallicani Agentibus: eoque ſignificabat, *Regiis diplomatibus Caroli IX. Henrici III. et IV. ac Ludovici XIII. in Parlamento regiſtratis, et in Camera Computorum, Clericos hujus Regni immunes eſſe declaratos hominii, fideique ſacramenti; & ne cogerentur chartis publicis edere feuda, terras & dominia Eccleſiæ ſuæ, cum anno 1522. & 1547. a Franciſco I. & Henrico II. Regibus hoc vinculo abſoluti eſſent, ingenti Cleri pecunia ad id repræſentata, & in Regium illata fiſcum. Pleraque enim Cleri inſtrumenta bellorum civilium incendiis conſumpta fuiſſe, Regi Regnoque pecuniaria ſubſidia ſubinde ingentia prorſus miniſtrata fuiſſe, & in id alienata Eccleſiarum prædia longe plurima, &c. Exoneratos Reges a ſolvendis debitis, quibus gravebatur ærarium publicum Civitatis Pari-*

(1) Ibidem. p. 250.
(2) Memoires du Clergé. Edit. de l'an 1645. Tom. 2. p. 167. 168.
(3) Memoires du Clergé. Tom. 2. pag. 83.
(4) Preuves des Liber. Gallic. c. 17. n. 5 10.

Parisiensis, idque factum numerata Cleri pecunia, cui vicissim desponderant Reges nihil amplius negotii facessendum esse, fidei & hominii obtentu, &c. Et mox: *Quibus omnibus minus perpensis eandem Computorum Cameram Episcopis molestiam creare præsertim ejus fidei & hominii, &c. Porro lege & antiquissimo more non teneri Episcopos nisi sacramento fidei Regi persolvendo, quo fides & hominium implicari censetur, antiquissima Regni consuetudine, his rationibus subnixa, & Regum Edictis.* A Rege secundum Episcopum pronuntiatum est.

Hinc liquet Franciscum I. hominii necessitate absolvisse Prælatos Gallos, in eoque vestigio exempla ejus sectatos esse Reges deinceps elios, sicut & in eadem pecunia ab universo Gallicano Clero accipienda. Adde ea tum hominia ad jejunum & inanem ritum redacta tum fuisse, cum nec Episcopi, nec Abbates jam tenerentur aut vero possent, ut olim, delectum habere militum, copiasque colligere, & vel per vicarios duces mittere, vel ipsi ducere ad Regias expeditiones, quæ primaria erat olim feudorum, sive prærogativa, sive servitus. Ecclesiæ & optatissimum fuit, & cum primis consentaneum, nec minus Regibus conducibile, ut Episcopi eo solverentur militari vinculo & servitio, sacræ professioni infenso: insuescerent autem Ecclesiæ suo etiam ex sacro fisco conferre impensas pro suo modulo, ad defensionem Regni, quo Ecclesia, ut nobilissima ejus portio, continetur.

IX. Obmutuit hactenus de his Ecclesia Græca, quod inaudita fere illi fuerint, & incomperta hæc sacramenta. Nec quanquam his expedita fuerit compedibus, de sua sibi magnopere gratulari potuit libertate. Nemini non exploratum est, ex quo se illa a Latina disjunxit Ecclesia, libertates ejus omnes sub Imperatoria dominatione oppressas obtritasque jacuisse. Ex quo jugum excussit suavissimum Capitis, quod Ecclesiæ suæ universæ Christus præstituerat: aliud illa experta est jugum Caputque, quod cum prorsus sæculare, & regium sit, non potest non imperiosius dominari. Profectus est Simeon Thessalonicensis prolixe & accuratissime ordinationes non Prosbyterorum tantum, sed Episcoporum etiam, Archiepiscoporum, & Patriarcharum; nec usquam tamen meminit sacramenti, quod vel sibi mutuo, vel Imperatori præstare cogerentur.

At Nicephoro Gregoræ non excidit sacramentum, quod Patriarcha & Clerus persolverunt Andronico Imperatori, cum illum ad Imperii societatem cooptavit Michael Palæologus parens. Memorandum quoque juramentum Parenti tum suo edidit junior Imperator, quo una eademque opera, & Patri fidem, & Ecclesiæ privilegiorum suorum tuitionem profiteretur (1). *Jurat Patri se Dei Ecclesiam pie veneraturum, ejusque privilegia modis omnibus culturum, & inviolata conservaturum esse. Postea se vitam & Imperium Patris sui expertem insidiaturum usque ad ejus obitum pro virili conservaturum.* Tum eodem juramento constringi se non illudentes passi sunt Patriarcha, Episcopi, Clerici. Notat Gregoras utiratum fuisse id jusjurandum: *Ut sitautem jusjurandum novo Imperatori dedit:* a Clero etiam scriptis datum fuisse. Sacramento fidelitatis finitimum id erat: *Se & successores suos ejus Imperio non esse insidiaturos profitentes.* Non ergo ab his nexibus liberi prorsus erant Episcopi Orientis; verum sacramentis his astringebantur non electionis, vel ordinationis suæ singuli tempore, sed universi conjunctim, ubi novi inaugurabantur Imperatores: eoque non semet tantum ipsos, sed & successores suos astringebant.

De Resignatione simplici Episcopatuum.

CAPUT L. *P. I. l. 2. c. 26.*

De Cessione & Resignatione Episcopatuum, per priora quinque Ecclesiæ sæcula.

I. Cessiones olim, & Resignationes simplices Episcopatuum fiebant apud Concilia Provincialia, vel apud Metropolitanos.

II. Sensim inolevit mos, ut apud Sedem Apostolicam ferent.

III. Per Canones non licet Episcopis Episcopatu abire, nisi justis de causis.

IV. Nisi ubi a contumaci plebe non suscipiuntur.

V. Ex his plebis tumultuationibus aliquid semper invidiæ & culpæ in Clerum resilit.

VI. Constantinopolitano Episcopatu abisse se

(1) L. 4.

ſe negabat Nazianzenus, qui ei nunquam ſatis acquieviſſet.

VII. Ceſſit Epiſcopatu Saſimorum, quem niſi pugna & cæde tueri non poterat.

VIII. Is erat locus, ubi ſupprimendus eſſet Epiſcopatus, vel potius nunquam creandus.

IX. Nec poterat ibi Gregorius proſpera unquam uti valetudine.

X. Ceſſio Joannis Silentiarii, facta refragantibus Canonibus, ſuffraganie Cælo.

XI. Exemplum aliud ſingulare.

XII. Verat admiti Cyrillus Alexandrinus Epiſcoporum ceſſiones, ſive culpæ affines ſint, ſive puri.

I. EJus vinculi ſolvendi, quo ſuis Eccleſiis ligati tenentur Epiſcopi, & ceſſionis eorum approbandæ, jamdudum tota poteſtas ad Sedem Apoſtolicam devoluta eſt: at non ita res ſe habebat ab incunabulis Eccleſiæ ad annum uſque Chriſti quingenteſimum. Ea Diſciplinæ innovatio tam lente & inopinato facta eſt, ut dum fieret, nemo ſuſpicaretur; quod & in aliis compluſculis id genus vicißitudinibus obſervare eſt. Quo fateri cogimur, divina magis providentia & voluntate, quam mortalium prudentia & libidine has rerum morumque vices diſpenſari.

II. Illud enim intereſt inter humanæ & divinæ, ſive ſapientiæ, ſive poteſtatis conſilia, quod humana perſpicuis machinis, artibuſque haud ſane inſcrutabilibus peraguntur: at Numinis providentia maximas quaſque res in humana & Eccleſiaſtica Republica torquet & retorquet, rotat, evertit, innovatque miris & arcanis, atque impervüis modis; ut ne ipſi quidem per quos divina extricantur conſilia, advertere ea poſſint, niſi ubi jam vel ſuo ipſorum miniſterio profecta & proſtigata ſunt. Non ea Metropolitanorum, Epiſcoporum, Populorumve mens erat, ut munia Metropolitanorum & Provincialium Conciliorum ad ſedem Petri transferrentur, cum ea ipſi tamen eo inopini lenſim transferrent, ubi diſſenſionum ſuarum vi & veluti procella quadam jactati, ad eam confugiebant & confugere aſſueſcebant, & rariora jam habere, aut non ita magni facere Concilia Provincialia. Nec is erat Pontificum ſcopus, cum bis medebantur Provinciarum morbis, ſuam ut ad Eccleſiam illam cauſarum Eccleſiaſticarum farraginem, & molem importunam pertraherent. Sed non potuit longo ſæculorum decurſu non eo tandem res erumpere, quo eam videmus nunc eſſe loco.

III. Primam Eccleſiæ legem in moderandis Epiſcoporum reſignationibus promulgaſſe videntur, ſive Apoſtoli, ſive quicunque Canonum Apoſtolicorum auctores, ubi communione arcent Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos, qui ſemel ordinati, ceſſarint, & flagitioſa ſupinitate greges ſibi creditos adire & paſcere detrectarint. Si rebellantis autem populi regimen capeſſere nequiverint, gradu quidem ipſi ſuo potientur, ſed eidem pœnæ mancipabitur Clerus, qui populi contumaciam non fregit (1). *Si quis Epiſcopus non ſuſceperit officium & curam populi ſibi commiſſi, hic communione privetur, quoadusque conſentiat; ſimiliter Presbyter & Diaconus*, &c. Innovata eſt hæc eadem Conſtitutio (2) in Concilio Antiocheno, a quo Apoſtolicus hic Canon in duos ſectus eſt; Conciliique Provincialis judicio & decretis ſubeſſe ac parere juſſi ſunt Epiſcopi, tum qui ignavia excuſſerint onus, tum qui gregis rebellis pertinaciam perdomare nequierint. Hinc vero manifeſtum eſt, Epiſcopis, ac Presbyteris, ſemel ordinatis, adeoque & Diaconis integrum jam non fuiſſe, ut ingeſtam ſibi farcinam ſubirent, vel excuterent. Si enim anathematum jaculis urgebantur, ut onus ſubirent; quanto magis, ut ne quod ſemel ſubiſſent illud temere excuterent? Ideo & a Nicænis Patribus anathema in omnes Clericos intortum eſt. ὅλως δὲ τῆς κινήσεως Eccleſiarum ſuarum defertores, donec ad eas ſe recipiant (3). *Omnem neceſſitatem convenit illis imponi, ut ad ſuas Parœcias revertantur. Quod ſi non fecerint, oportet eos communione privari.*

IV. Conſultum quidem volebant Canones ingenio & libertati populorum, & ne cui ſubjicerentur, niſi cui ultro ipſi parere delegiſſent. Sed inter naſcentis Reipublicæ Chriſtianæ anguſtias, frequentes occurrebant cauſæ, quibus explorari vota & deſiderio populorum non poſſent. Non enim ſemper coadunatis jam gregibus præficiebantur Paſtores. Sed agni ad lupos miſitabantur, qui ex lupis agnos facerent, atque ita demum illis præeſſent. Ita Chriſtus Apoſtolos, Apoſtoli Chriſtum imitati Epiſcopos

(1) Can. 37. (2) Can. 17. 18. (3) Can. 16.

ablegavere, ut Provincias & Civitates regerent, ſed quas prius ſub lene Evangelii jugum miſiſſent. Non infrequens ergo ea erat populorum male ſana obſtinatio in Paſtores, a ſuperioribus Paſtoribus ad ſe delegatos, quibus hinc ſatis juſtæ naſcebantur abdicationis cauſæ.

V. Sed non eo proprie ſenſu donari poteſt Apoſtolicus Canon, qui Clerum civitati jam præſidentem oſtendit, in quem & culpam confert populi tumultuantis. Nec injuria. Si Clerus enim ea qua par erat diligentia & ſtrenuitate incubuiſſet ad manſuefaciendos & Chriſtianæ caritatis dulcedine imbuendos plebis animos, non fuiſſet ab ea Epiſcopus tam contumelioſe repudiatus. Quin apparet Clerum ejuſmodi publicæ conjurationis contagio ſemper aliquo affari; ut patet exemplo Martyrii Epiſcopi Antiochent, qui Sedi renuntiavit, abiitque Epiſcopatu, palam ante in Eccleſia conteſtatus his verbis (1): *Clero immorigero, & populo rebelli, & Eccleſiæ contaminatæ renuntio, ſervata interim mihi Sacerdotii dignitate.*

Auctor eſt Theodoretus (2) Meletium Epiſcopum Sebaſtenum impatientius ferentem intolerandas populi ſui intemperias, abiiſſe Epiſcopatu, & ſeceſſiſſe in eremum, ubi pacis & veritatis deliciis inebriaretur: unde rurſus tamen abretus eſt in ſedem Antiochenæ Eccleſiæ.

VI. Ceſſit Epiſcopatu Conſtantinopolitano Gregorius Nazianzenus, ne ſemetipſum, ne Eccleſiam univerſam ei tempeſtati objiceret, quam it excitabant qui allunde excitatam ſedare præ ceteris debuiſſent (3). Nec diſſimulabimus tamen Gregorio perſuaſum fuiſſe, tutorem ſe & cuſtodem magis ejus Eccleſiæ fuiſſe, quam ſponſum: eique a ſe, non ut ſuæ, ſed ut ſibi commendatæ Inſervitum fuiſſe. *Quod ſi Eccleſiam, ut ſcribis, relinquere periculoſum eſt, quam tandem? Si noſtram, recte dicis, idemque ipſe ajo. Si vero nihil ad nos attinentem, nec nobis aſſignatam, culpa vacamus. At ideirco tenemur, quia ipſius curam aliquantiſper egimus? Nimirum multi alii eadem ratione teneantur, nimirum quotquot extraneorum curam ſuſceperunt.* Nec aliter fere ſenſit ille de Eccleſia Nazianzena, non ei ſe unquam ut Epiſcopum præfuiſſe, ſed ut ſubſidiarium & vicarium Paſtorem. Prope abeſt a vero, utcunque connixi ſint Epiſcopi & Imperator, ut perilluſtrem hunc Theologum adduceret, ut Regiæ urbis Epiſcopalem ſarcinam ſubirer, & utcunque annuere viſus eſſet: ſuſtinuiſſe tamen illum aſſenſum ſuum, uſque ad Concilium Conſtantinopolitanum, ubi cum infeſtos ſibi ſenſiſſet Epiſcopos nonnullos, maxime Ægyptios, tam lubens ceſſit odio adverſariorum, quam invitus alioqui amicorum conſiliis paruiſſet; cum otio cujus erat cupidiſſimus, faverent adverſarii, amici adverſarentur. Hæc ex Sozomeno (4).

VII. Sed utcunque res ſe habebat de Epiſcopatu Conſtantinopolitano, fuit certiſſime Gregorius Saſimorum Epiſcopus a Baſilio ordinatus, eoque Epiſcopatu abdicavit ſeſe invito Metropolitano ſuo Baſilio. Nec rem ipſe diſſimulat, ſed nec rationes ſilet ſuæ ſponteneæ ceſſionis. Erat is ignobilis & permodicus vicus, tam graminis, quam aquæ inops, viæ apporrectus, eoque pulverulentus, tumultuoſus, ſceleroſis fere tantum, tortoribus, & carnificibus frequentatus. Erexerat ibi Baſilius primus ſedem Gregorio Epiſcopalem, quanquam ſuæ jam ditioni obnoxias haberet quinquaginta Eccleſias alias Epiſcopales; idque eo conſilio fecerat, ut eam velut arcem objectaret Metropolitano ſecundæ Cappadociæ, qui vicum eum ſuis finibus vindicabat, atque ita objecto Gregorio Baſilius ſubducebat ſe diſcrimini, in eum unum convertendo toto poſthac adverſariorum impetu. Præpoſterum ſibi viſum ajebat Gregorius, quod Epiſcopali miniſterio, ad pacem & caritatem compoſito, non poſſet fungi, niſi vi & cæde illata, aut propulſata. Tam ab omnibus præſidiis deſtitutum eſſe eum locum, ut nec vitæ tolerandæ ſufficeret, nedum exercendæ hoſpitalitati, quam Apoſtolus Epiſcopis commendatiſſimam eſſe voluit. Ex his rationibus quas elegantiſſime exequitur Nazianzenus in Carmine de vita ſua, illa una quæ ſpectat ad vim quam inferre vel pati oportebat ejus Eccleſiæ adminiſtratorem Epiſcopum, illa, inquam, una eademque eſt, atque illa, quæ gemino hoc Canone approbatur, altero Apoſtolico, altero Antiocheno. *Thronum haud licebat conſequi ſine ſanguine. Namque æmulorum Præſulum confinium erat hoc duorum, pugna-*

(1) Theodoret. Lector. I 1.
(2) L. 2. c. 31.
(3) Ep. 65. al. 59. Ep. 42. al. 36.
(4) L. 7. c. 7.

pugnaque haud certe levis. Quid facere, quæso, per Deum par hic erat? Retinere sedem? tam graves ferre impetus? Telis feriri; fordido immergi luto?

VIII. Quoad rationes alias a Gregorio perstrictas, non minimum momenti in ea est, quæ a loci inopia, rerum penuria, & inclementia cœli petitur: *Vicus, limphis carens, exors viroris, libero indignus viro, arctumque prorsus oppidum. Hic cuncta strepitus, pulvis hic cum curribus, lamenta, fletus, carnifex & compedes, tormenta; Cives hospites hic & vagi, &c. Nec panem haberem, quem ministrarem hospiti, ut rector ipse pauperis pauper gregis.* Harum rationum ea erant momenta, quæ non Episcopum tantum absolverent, sed Episcopatum ipsum extinguerent, quin potius vetarent, ne unquam erigeretur.

IX. Sed vel ipsa loci, cœlique ea erat vel asperitas, vel contagio, quæ valetudini abiolutiſſime infeſta eſſet, & ſatis in ea tauſæ erat, ut per Canones Epiſcopatu abire liceret. Narrabitur infra ubi de translationibus agetur, Sylvani Epiſcopi religioſiſſimi exemplum, qui ab Epiſcopo Conſtantinopolitano Attico exonerari ſe pervicit Epiſcopatu in Thracia ſito, quod languida & tenella cum eſſet valetudine ne conſiſtere quidem poſſet in loco, quem jugis nivium copia vallaret, & inde mira intemperies.

X. Viderint alii, an poſſit Canonicis reſignationibus annumerari Joannis Silentiarii ceſſio. Perdiu reluctatus, Colonienſis tandem Eccleſiæ ſub Metropoli Sebaſtena regimen adire compulſus fuerat. Totum decennium conſumpſit in ſanctiſſime & vigilantiſſime obeundis Epiſcopalibus munis. Cum vero poſtea impatientius ferret & contumelias & calamitates ab Armeniæ Præſide, quantumvis affinitate ſibi conjuncto, Eccleſiæ ſuæ Cleroque illatas, Conſtantinopolim petiit, ubi Patriarchæ conſilio & auxilio plus, Eccleſiæ ſuæ neceſſitatibus cum pro virili ſua conſuluiſſet, Hierofolymam petiit, unde & in Lauram S. Sabæ ſeceſſit. Ibi priſtinis ſe ille reddidit Monaſticæ vitæ inſtitutis, quibus tanto animi fervore, tanta virtutum edidit documenta, ut in eo ſatis argumenti ſit, ut cum auctore vitæ ejus pronuntiemus, quando Epiſcopatu ſe exuit, (1) illum *Deo gratum iniſſe conſilium.* Ipſa per ſeſe ſpectata ceſſio, Canonibus haud ſane conſentanea videri poterat. Sed tanta illam prodigia illuſtrarunt, tanta cœleſtis favoris confirmarunt argumenta, ut fateri cogamur Legem eſſe quandam ſummam, Legibus omnibus etiam Eccleſiaſticis antecellentem & imperitantem, quæ his quandoque ſuffrageturr, quos noſtris calculis nos quidem damnaremus; & quæ his auctoritatem conciliet inuſitatis & laudandis magis, quam imitandis factionibus.

XI. Nec alia forſan ineunda nobis ratio de eo Alexandro, qui ſuo ſe in Cappadocia Epiſcopatui ſuffuratus eſt, ut Hieroſolymam concederet, *cum orandi, tum locorum viſendorum cauſa*, ut ait Euſebius (2) & quem ibi cœleſtia monita defixerunt, quo Narciſſi indidem Epiſcopi coadjutor primum, mox & ſucceſſor eſſet.

XII. Voluntarias omnes Epiſcoporum ceſſiones damnare videtur Cyrillus Alexandrinus: itaque nec iis unquam cenſet aſſentiendum eſſe: ſed Epiſcopos, ſi digni ſint, in Eccleſiis, quibus illoe addixit cœleſtes ſuffragium, conſtantiſſime defigendos: ſi indigni ſint, canonico judicio feriendos (3): *Si ſunt digni qui ſacra Myſteria obeant, in iis maneant: ſi autem indigni, nec per renuntiationem exeant, ſed potius condemnati.*

CAPUT LI. *P. I. l. 2. c. 27.*

De Reſignatione aut Ceſſione Epiſcopatuum in Eccleſia Latina per priora quinque Eccleſiæ Sæcula.

I. Ratio laudatiſſima abdicandi Epiſcopatus, ad Eccleſiæ pacem conſtituendam.

II. Epiſcopi non ſibi Epiſcopi ſunt, ſed Eccleſiæ.

III. Sanxit Chriſtus ipſe ejus rei exemplum.

IV. Trecenti Africæ Epiſcopi præſto fuere ad exuendas Epiſcopales inſulas, ut Donatiſtæ in Eccleſiæ ſinum revocarentur.

V. Reſignationes hæ omnes ſimplices erant, & utilitati ſerviebant Eccleſiæ. Nulla earum in favorem.

VI. Voluit Auguſtinus cedere Epiſcopatu, ad eluendam vel imprudentiæ culpam, vel præcipitis conſilii.

(1) Cyrill. Monach. in ejus vita apud Surium die 11. Maii.
(2) *L. 6. c. 11.*
(3) Epiſt. ad Domnum apud Balſam.

VII. In capitali crimine eſt canonica ratio reſignandi Epiſcopatus.

VIII. Non tamen in formidine imminentium difficultatum, quas quis ſuperari a ſe poſſe deſperet.

IX. Mira in eam rem Leonis Magni Epiſtola.

X. Quantacunque invaletudine aut agritudine conflictati Epiſcopi, ad cedendum cogi non poſſunt.

XI. Ex Latinis Græciſque Patribus, patratum jam capitale factnus voluntaria Epiſcopatus reſignatione expiari poteſt.

I. QUanquam ſummum ſit Epiſcopatus faſtigium, ſanctiſſimumque, nec altius poſſint Clerici aſſurgere: longe tamen non ſanctius tantum eſt, ſed & ad gloriam præclarius, inde ſe dejicere ad pacem Eccleſiæ vindicandam, aut ſchiſma imminens antevertendum, quam eo provehi, aut provectum confirmari. Nulla magis canonicis inſtitutionibus conſonat ratio cedendi Epiſcopatus, nulla laude & admiratione ſplendidior, quam ut in procellam dejiciat ſe quis, quam in mare ſe præcipitem det, quod tranquillet; ab Eccleſia diſcedat, quo ejus arctius conſtringat unitatem. Eam laudem conſecutus eſt Nazianzenus, cum Conſtantinopolitana ceſſit Eccleſia: Epiſcopoque ſynodice congregatos his verbis affatus eſt; *Si propter me orta eſt hæc tempeſtas, mittite me in mare.* Id præſtitit & Maximianus Africæ Epiſcopus, ad cujus fratrem Caſtorium luculentiſſimas dedit Auguſtinus litteras, ut hortaretur eum, quo fratri in ejus Eccleſiæ gubernacula ſuccederet, tum digniſſimo viſo qui præeſſet Eccleſiæ, cum præeſſe deſiit (1). *Ut ſuccedas fratri, non ignominioſe cadenti, ſed glorioſe cedenti.* Nihil enim Epiſcopalius, quam Eccleſiæ ipſius caritate, ab ejus complexu divelli. Qui jubente vel hortante utilitate Eccleſiæ, ab ea diſjungi abnuit, non ille Eccleſiæ, ſed ſui amore flagrat; Epiſcopaliſque dignitatis ac pompæ, quam ſanctitatis cupidior eſt. *Longe eſt glorioſius Epiſcopatur ſarcinam propter Eccleſiæ vitanda pericula depoſuiſſe, quam propter regenda gubernacula ſuſcepiſſe. Ille quippe ſe honorem, ſi pacis ratio tueretur, digne accipere potuiſſe demonſtrat, qui acceptum non defendit indigne.*

II. Docet idem alibi Auguſtinus, Epiſcopos non ſibi Epiſcopos eſſe, ſed Eccleſiæ: utilitate ergo Eccleſiæ definiri ac regi debent ſuſcipiendi aut exponendi Epiſcopatus conſilia (2). *Neque enim Epiſcopi propter nos ſumur, ſed propter eos, quibus verbum & ſacramentum Dominicum miniſtramus; ac per hoc ut eorum ſine ſcandalo gubernandorum ſeſe neceſſitas tulerit, ita vel eſſe, vel non eſſe debemus, quod non propter nos, ſed propter alios ſumus. Denique nonnulli ſancta humilitate præditi viri, propter quædam in ſe offendicula, quibus pie religioſeque movebantur, Epiſcopatus officium non ſolum ſine culpa, verum etiam cum laude puſuerunt.*

III. Si e ſinu paternæ ſe gloriæ Chriſtus dejecit, quo Corpus iſtud ſibi Eccleſiæ coagmentaret, cujus nos membra cenſemur: eccur Epiſcopi ſuis non e ſoliis ultro defluent, ne cœleſtis ejus Chriſti corporis lacerentur membra, aut a compage ſua divellantur (3)? *An ille de cœlis in humana membra deſcendit, ut membra ejus eſſemus: & nos ne ipſa ejus membra crudeli diviſione lanientur, de cathedris deſcendere formidamus?* Non eſt præponendus temporalis gloriæ flos eorum æternæ ſaluti, quorum quis curam & regimen ſuſtinet. *Si ſervi utiles ſumus, cur Domini æternis lucris pro noſtris temporalibus ſublimitatibus invidemus? Si cum volo retinere Epiſcopatum meum, diſpergo gregem Chriſti, quomodo eſt damnum gregis, honor Paſtoris?* Jam Paſtoris nomine & gloria orbatur, quiſquis id officii vel init, vel retinet cum gregis pernicie.

IV. Nec plus ſplendoris quam ponderis ineſt his rationibus, ex quibus ceſſio non licita tantum demonſtratur, ſed neceſſaria, ubi ea ejus rerum conditio. Ita conſentiebant Epiſcopi Africanæ Eccleſiæ Catholici, numero trecenti, ſynodice coacti, ubi in commune conſulentes, decreverunt, Eccleſias ſuas omnes Donatiſtis earundem Civitatum Epiſcopis cedere & concedere, ſi vel ſic animum adducerent, ut unitati Eccleſiæ Catholicæ ſociarentur. E trecentis duo tantum hæſitarunt, an communi & magnanimo aſſentirentur Decreto; ſenior alter diſſenſum ſuum non diſſimulavit: alter verbo diſſimulare potuit, non vultu. At ſenior ille Collegarum monitis expugnatus, ſtatim reſipuit, exemploque ſuo Collegam quoque ſuum ad reſipiscentiam pertraxit; itaque & ipſi

(1) Epiſt. 238.
(2) Cont. Creſc. L. 2. c. 22.
(3) De geſt. cum Emerit. Donat.

ipſi quoque in communis gloriæ ſocietatem venerunt (1). *In Concilio univerſorum tum frequenti pene trecentorum Epiſcoporum, ſic placuit omnibus, ſic exarſerunt omnes, ut parati eſſent Epiſcopatum pro Chriſti unitate deponere, & non perdere, ſed Deo tutius commendare. Duo ibi vix inventi ſunt, quibus diſpliceret. Unus annoſus ſenex, qui hoc etiam dicere auſus eſt, alter voluntatem ſuam tacito vultu ſignificavit. Sed poſtquam illum ſenem liberius hoc dicentem obruit omnium fraterna correptio, illo mutante ſententiam, vultum etiam ille mutavit.*

V. Non ignaviæ, non inertiæ otio, non cupiditati privatæ, ſed publicæ caritati & paci donabantur hæ ceſſiones, ut de Maximiano idem auctor eſt Auguſtinus (2): *Miniſterium non deſiderat, aut aliqua ſæculari cupiditate, ſed pacifica caritate depoſuit.* Adde quod nec in gratiam cuiuſquam reſignabantur Epiſcopatus, ſed ſimpliciter & illæſa electionum canonica libertate. Ideo & Auguſtinus auctor erat ille quidem Caſtorio, ut in Epiſcopale fratris ſolium ſuccederet, non ut in id ſuccederet, quod ſibi ab eo reſignatum eſſet. Si fratri reſignaſſet, non pari jure dixiſſet forſan Auguſtinus, ceſſiſſe eum ſacris infulis, *non aliqua ſæculari cupiditate, ſed pacifica caritate.*

VI. Quin & ipſe aliquando Auguſtinus ceſſionem meditatus eſt, ratione longe alia, ſed ad pietatem ejus & ſanctimoniam commendandam non minus opportuna, quanquam ipſe ſe ipſum ignominia quadam erroris conſpergere niteretur. Aberraverat ipſemet in delecta Antonii alumni ſui, quem Fuſtalæ Caſtri Epiſcopum ordinari curaverat; probum domi ſuæ expertus, quem inſtituerat, probum fore etiam foris augurabatur: fefellit eum opinio, fefellit ipſe, ſed ejus non erat futuros præſtare eventus. Facinorum ergo & flagitiorum ſuorum damnatus eſt Antonius in Concilio Africano, a quo ad Cœleſtinum Papam cum appellaſſet, decretum ab eo ſibi propitium impetravit, quo munitus timebatur, ne Magiſtratuum poteſtate & militaribus copiis abuteretur, irrueretque in ſuam Fuſtalenſem Eccleſiam juxta Pontificium Decretum. Alumni ſcelera ſibi imputavit Auguſtinus, & quaſi unus ipſe invidiam ſuſtineret ejus flagitiorum omnium, quem ordinari feciſſet Epiſcopum: ad Cœleſtinum Papam reſcripſit, ſi reſtitutione Antonii iiſdem rurſus Eccleſia calamitatibus obiceretur, certum ſibi fixumque eſſe voluntaria abdicatione imprudentiam ulciſci ſuam, & ſemetipſum præ damnare, ne a virorum & mortuorum terrifico judice aliquando damnaretur (3). *Me ſane, quod confitendum eſt Beatitudini tuæ, in iſto utrorumque periculo tantus timor & mœror excrucias, ut ab officio cogitem gerendi Epiſcopatum abſcedere, ſi per eum, cujus Epiſcopatui ſuffragatus ſum, vaſtari Eccleſiam Dei, & quod ipſe Deus avertat, etiam cum vaſtanda perditione conſoexero: Recolens enim quod ait Apoſtolus, Si noſmetipſos judicaremus, a Domino non judicaremur, judicabo me ipſum, ut paratus mihi qui judicaturus eſt vivus & mortuos.*

VII. Hoc imbuendi ſunt Epiſcopi omnes Auguſtini exemplo: qui teſte Deo convulneratam graviori aliquo flagitio conſcientiam ſuam ſentiunt, tametſi de eo ne poſſint quidem convinci. Si enim Auguſtino vitium eſt, quod ſemel imprudenter feciſſet, ſpontanea abdicatione luendum ſibi eſſe, quod ea fuiſſet plurium ſcaturigo malorum: ſi perſuaſum habuit, ita paratum eſſe debere Epiſcopum, ut ſemetipſe judicaret, ne a Domino judicaretur; erat illi ergo perſuaſiſſimum, ex Eccleſiæ lege ſummovere a ſacris Ordinibus & Dignitatibus ſemetipſos debere eos, quorum vel famæ palam vel conſcientiæ clam vulnus hujuſmodi aliquod inflictum eſt. Quippe quæ flagitia canonico judicio declarata, depoſitione ſacrorum miniſtrorum ſerienda ſunt, iis omnibus ex priſcorum Patrum & Conciliorum conſenſione, & ultrata tunc diſciplina, exciſari privatim quiſque debebat, ut judex & ultor in ſe ipſum inſurgeret, & abſcinderet ipſe ſe ab Agni immaculati ſacerdotio, a quo ceu fonte rivuli omnes manant ſacrarum dignitatum.

VIII. Nec iſti tamen regulæ locus eſt, niſi in flagitiis quæ re ipſa admiſſa ſunt. Pius enim juxta & doctus Julianus Pomerius poſt exaggeratam difficultatem miniſterii Epiſcopatûs obeundi, ex quam lex æterna deſiderat indefeſſa vigilantia, & vehementi caritatis flamma: illam tandem his mitigat lenimentis, quibus ſuadeantur Epiſcopi, animum non deſpondere; nec Eccleſias metu naufragii abdicare ſuas, ſed clavum conſtantiſſime retinentes, ſuæ gregiſque ſaluti

(1) Ibid. (2) Epiſt. 238. (3) Epiſt. 261.

luti conſulere (1). *Volentes Eccleſiam vobis creditam velut impares ei regendæ dimittere, atque in aliquam ſolitudinem non tam ſtudio quietis, quam ipſius officii veſtri deſperatione ſecedere; nulla res alia a vobis exegit in melius mutare conſilium, niſi quod veriti eſtis periculum majus incurrere. Quoniam ſi periculoſum eſt navim inter fluctus non regere, quanto periculoſius eſt eam undis intumeſcentibus fluctuantem in tempeſtate relinquere.*

Hinc ille progreditur ad Epiſcopos, qui tametſi prædicandi verbi dono careant, ne in cogitationem quidem venire debent dimittendi Epiſcopatus. Pulcherrima enim & efficaciſſima prædicatio eſt, religioſæ vitæ conſtantia; exemplorum, quam verborum vehementior eſt eloquentia; ſatius eſt imitatores allici, quam auditores; denique ſanctioris Præſulis vita non viam tantum aperit ad virtutes quaslibet, ſed & amorem earum inſtillat, obices amovet. *Orando vos diu poſſe perficere, quod non poſſetis docendo ſuggerere: pluſque fideles bonis exemplis, quam luculentis verbis ſolere proficere.*

IX. Hæc confirmabit omnia Leo Papa de ceſſionibus; ſed & illud adjiciet, quod nondum ſatis in ſuperiori exemplorum congerie diluceſcere potuit: quæ ſuperior intervenire debeat auctoritas, ut vinculum ſolvatur, quod ſolvi non poſſe videbatur, utque disjungantur quæ Deus ipſe in myſtico Epiſcopi cum Eccleſia connubio conjunxerat. Leoni denudaverat Ruſticos Narbonenſis Epiſcopus exponendæ Epiſcopalis ſarcinæ ingens deſiderium, quod gregis ſui vitia jam nec emendare poſſet, nec pati. At Pontifex adeo non votis ejus obſecundat, ut urgeat ex adverſo (2), ſceleſtum fore, ſi crediti ſibi gregis ſalutem poſthaberet otio: perſecutionibus ſemper fuiſſe, ſemper fore, & illuſtrandos juſtos & coronandos: non poſſe ab eo abjici clavum Eccleſiæ, quin eam in certum naufragii diſcrimen conjiciat: lupis objici gregem, ſi deſeritur: juſtitiam indulgentia temperandam, odium peccatis, amorem peccatoribus impendendum: acerbiſſimis perſecutionibus non frangi, qui ſciant, qui confidant eas non humana, ſed divina & invictiſſima Chriſti ſapientia & poteſtate ſuperari: denique inter perſecutionum turbines, ſi qui animo concidant, eos vel de omnipotentia Chriſti deſperare, vel de promiſſionum ejus veritate diffidere: *Miror dilectionem tuam in tantum ſcandalorum quacunque occaſione naſcentium adverſitate turbari, ut vacationem ab Epiſcopatus laboribus optare te dicas: & malle in ſilentio atque otio vitam degere, quam in his quæ tibi commiſſa ſunt, permanere. Dicente vero Domino, Beatus qui perſeveraverit uſque in finem: unde beata erit perſeverantia, niſi de virtute patientiæ? Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patiuntur, &c. Quis inter fluctus maris navem diriget, ſi gubernator abſcedat? Quis ab inſidiis luporum gregem cuſtodiet, ſi Paſtoris cura non vigilet? &c. Permanendum ergo eſt in opere credito & in labore ſuſcepto. Conſtanter tenenda eſt juſtitia, & benigne præſtanda clementia. Odio habeantur peccata, non homines &c. Ne expaveſcamus, quaſi propriis viribus adverſitati ſit reſiſtendum, cum & conſilium noſtrum & fortitudo noſtra ſit Chriſtus, &c.*

X. At ſi non facile debent Epiſcopi a deſponſatis ſibi Eccleſiis ſeſe divellere: multo minus ab iis abſcindendi ſunt vi aut temerario & inconſiderato zelo ſuperiorum. Projecto Epiſcopo ſucceſſorem dedit Hilarius Arelatenſis Archiepiſcopus, quod graves illum ac diuturnæ morborum moleſtiæ officio fungi minus ſinerent. Querelas & Projecti & ovium ejus excepit Leo. Mox & illum reſtituit, datis ad Epiſcopos Viennenſis Provinciæ, cui præerat Hilarius, litteris, quibus ſignificabat eo facto declaratam eſſe Hilarii animi inclementiam, qui ſuperſtiti Epiſcopo ſucceſſorem dederit, morbumque crimini verterit: *quod Projecto ægrotare liberum non fuiſſet:* Ægrotum vita extrudi, cui ſua dignitas præripitur (3)? *Is illi ſubtraxit lucem, abſtulit vitam, qui hunc ei dolorem, in locum ejus alterum ſubrogando, ne ad ſalutem illi recurſus eſſet, injecit.* Denique mortifera ea ſævitia, innoxio Epiſcopo mortem accelerari potuiſſe, non legitimum dari ſucceſſorem. *Non ergo Hilarius tam ſtuduit Epiſcopum conſecrare, quam eum potius qui ægrotabat, occidere.*

XI. Nec Leo autem, nec Pomerius de capitali videntur egiſſe crimine, quod Epiſcopus patraſſet. Nec enim ſuper ea re diſſentire a Chryſoſtomo potuiſſent; cui viſum eſt, Epiſcopo illiuſmodi facinore cruentatam gerenti conſcientiam, ut ſeſe abdicet, non opperiendum eſſe Eccleſiæ judicium,

(1) De vita contempl. l. 2. c. 16. 17. 18. (2) Epiſt. 92. (3) Epiſt. 89.

eſum, nedum Chriſti longe formidoloſius, niſi ejus ultricem manum ultor ipſe ſui exarmet (1). *Oportete puto tanta cum religione & cautione ad Epiſcopatum accedere, ut illius molem magnitudinemque prorſus detrectes; deinde adepto honore aliorum judicia ſententiaſque non expectare, ſi quod forte commiſſum deprehendatur, propter quod oporteat te honorem illum deponere; quin potius antevertens, te ipſe munere abdices. Sic enim par eſt, ut divinam conciles, impetreſque miſericordiam: qui ſi tibi honorem illum præter decorum tanquam mordicus retinere ſtudueris, indignus es qui veniam conſequaris: tum vero divinam iram magis ac magis incendis, altero peccato, & eo graviore per te addito.* Ea quidem de re copioſiſſime alibi ex Latinis Patribus. Ea quippe erat ſeveriſſima ubique caſtitas antiquioris Diſciplinæ.

CAPUT LII. *P. 2. l. 2. c. 43.*

De Reſignatione & Ceſſione Epiſcopatuum, ab anno Chriſti quingenteſimo ad octingenteſimum.

I. Varia ex Gregorio exempla, qui deligi Coadjutores & ſucceſſores ſinebat ab Epiſcopis eo morbo afflictis, qui ſpem præcideret remeandi ad Epiſcopales functiones.

II. Nec eos tamen ſic afflictos, cogi ſinebat ad reſignandum.

III. Vetat Martinus Papa, ne ſanctus Amandus Epiſcopatu ſe exuat.

IV. Necdum tamen tunc hac de cauſa ad Pontificem recurrebant.

V. VI. VII. Niſi qui ad Apoſtolicas Miſſiones delegabantur. Ejus rei exempla in Galliis. Regum quoque licentia depoſcebatur.

VIII. IX. X. Exempla alia Hiſpaniæ, Africæ & Angliæ.

XI. In Oriente neceſſaria Imperatorum licentia.

XII. Joannis Silentiarii exemplum, Regulis Canonicis adverſum, Cœlo tamen approbatum.

XIII. Anaſtaſius Siceota a præfractæ & indomitæ contumaciæ grege ſecedit, cumque a Metropolitano extorquere veniam non poſſet, ad Patriarcham & Imperatorem confugit.

XIV. Ne ab Epiſcopis quidem ſummæ pietate præditis canonica ſemper regulæ obſervabantur.

I. PErmoleſto ac pene deſperato, ut infra dicemus, capitis dolore affligebatur Archiepiſcopus Juſtinianæ Primæ. Aſſentiebatur Gregorius, ut ſucceſſor illi daretur, ſi cedere cuperet. Idem reſcripſit Gregorius & de Epiſcopo Ariminenſi, quem vehementiſſimus capitis dolor ita lancinabat, ut jam dudum nec munere ſuo fungi, nec in Eccleſia ſua potuiſſet reſidere (2). *Quem dum monitu Cleri Civiumque inſtantius hortaremur, ut ſi valeret, remearet, data in ſcriptis ſupplicatione nos petiit, ut quia ad ejuſdem Eccleſiæ regimen vel ſuſceptum officium, pro eadem qua detinetur moleſtia, aſſurgere nullatenus poſſet, Eccleſiæ ipſi ordinare Epiſcopum deberemus.* Conſenſit Pontifex ei ceſſioni, quod ſpem abjeciſſet prorſus Epiſcopus obeundi poſthac ulla ex parte muneris ſui: *Ex ſui impoſſibilitate.* Verum ea ceſſio ſimplex erat, non in cujuſquam gratiam. Unde & mox Pontifex ad Ariminenſem Clerum plebemque ſcripſit, alium ut ſibi Epiſcopum eligerent (3). *Datis ex more præceptis ad Clerum plebemque, ad eligendum ſibi antiſtitem.* Simplicem ſimiliter reſignationem expectabat Gregorius ab Epiſcopo Juſtinianæ Primæ: *Si petierit, ut ab Epiſcopatus onere debeat vacare, concedendum eſt.*

Eandem explicuit humanitatem in alium quoque Epiſcopum, (4) qui vehementiſſimo capitis dolore alienabatur quandoque a mentis ſanitate, ut ſui compos non eſſet. Paſſus non eſt tamen invitum Epiſcopatu ſpoliari. Morbi enim acerbitate miſeros, eoque tanto magis miſerandos nos effici, non noxios. Voluit ergo, ut ſi per dilucida aliqua remittentis morbi intervalla reſignare vellet, daretur illi ſucceſſor, a quo & ſtipendia ei ad tolerandam vitam deinceps ſuppeditarentur. Si nunquam autem remitteret mali vis, ut nec reſignare poſſet, nec Epiſcopatum regere, Coadjutor ei jungeretur, qui eo ſuperſtite Eccleſiam adminiſtraret, nec ordinaretur tamen Epiſcopus, niſi poſt ejus mortem. *Quia vivente Epiſcopo, quem ab officio ſuo neceſſitas infirmi-*

(1) De Sacer. L. 2. c. 10.
(2) L. 7. Ep. 30.
(3) L. 4. Ep. 41.
(4) L. 11. Ep. 7. 8.

firmitatis, non crimen abducit, alium loco ejus recuſante eo, nulla ratio ſinit ordinari. Sed ſi intervalla ægritudinis habere eſt ſolitus, ipſe dura petitione, alium loco ſuo expetat ordinandum. Quo facto, omnium electione alter confecretur. Enimvero ſi nullo tempore ad ſanæ mentis redüit officium, perſona vitæ probabilis eſt eligenda, quæ ad regimen Eccleſiæ idonea poſſit exiſtere, qui autem ſi Epiſcopo qui nunc ægrotat, ſuperſtes extiterit, loco ejus debeat conſecrari. Erat is Epiſcopus Gallus, & hæc referebat Gregorius ad alium Epiſcopum Galliarum & ad Reginam Brunechildem.

Univerſim affirmat Joannes Diaconus, (1) non abnuiſſe Gregorium, quin ſuccellores daret Epiſcopis, qui ſponte cedebant; quin & idoneas illis aſſignaſſe penſiones, ex reditibus ejuldem Eccleſiæ decerpendas: *Pontificibus voluntarie ſuis renuntiantibus ſedibus, ſucceſſores Gregorius nullo modo denegabat, eoſque poſtmodum de reditibus relictæ Eccleſiæ ſufficienter nutriendos eſſe cenſebat.* Id vero ex antedictis facile colligitur, de iis dici Epiſcopis, quos ægritudo acerbiſſima omnibus arceret Epiſcopatus functionibus.

II. Duæ ſunt ergo ex Gregorio cedendi cauſæ canonicæ, crimen, & ægritudo corporis deſperata. Crimini depoſitio magis quam ceſſio conſentiret. Sed ubi qui ejus ſibi conſcius eſt, canonicum judicium ſincera pœnitentia occupat, ſeque ipſum ſuo exauctorat judicio, non ea probrola depoſitio eſt, ſed ſpontanea & decora ceſſio. In corporali autem ægritudine ſatis quidem cauſæ eſt, ut ſpontanea Epiſcopi ceſſio admittatur, non ut ab invito extorqueatur. Si ab ea autem abhorreſcit, aut ſi mali vis ita rationem & libertatem obnubilat, ut ne liberum quidem ei ſit cedere, dandus Coadjutor, nec niſi tamen poſt ejus mortem ordinandus, ne una duos ſimul ſponſos habeat Eccleſia, duos Epiſcopos una civitas. Et hæc quidem ex Gregorio.

III. Martinus I. Martyrio quam ſummo Pontificatu clarior, cupienti beato Amando diſcedere ab Eccleſia ſua Trajectenſi, vehementer reſtitit. Moleſtiſſime ferebat Amandus Cleri ſui flagitia, Presbyteros ipſos Diaconoſque execrabatur, qui ſpurciſſima libidine contaminati, immaculati Agni ſacrificia frequentabant. *Suggeſtum eſt nobis, eo quod Presbyteri, ſeu Diaconi, aliique ſacerdotalis officii poſt ſuas ordinationes in lapſu coinquinantur; & propterea nimis mœrore fraternitatem ſuam aſtringi, velleque Paſtorale obſequium pro eorum inobedientia deponere, & vacationem ab Epiſcopatus laboribus aſſigere.* Reſcripſit Martinus virtutum omnium decus & gloriam perſeverantia cumulari, cui conjunctiſſima ſit patientia, patientiæ comes perfectio: non dimittendum Clerum Paſtori, ſed caſtigandum, & ad meliorem frugem revocandum; invictaque animi fortitudine efficiendos ſacerdotali collegio, qui ejus innocentiam flagitiis ſuis inquinant. Et Martino, ut reor, & Amando explorati ſſimum erat, poſſe jure ſuo Epiſcopum dignitati & oneri renuntiare, cum conſtantia & ſollicitudine ſua expertus eſt ægrecere patius, quam ſanari morbos obſtinatiſſimi Cleri ſui, aut intractatæ plebis. Sed non eo veniebat eis de Trajectenſi Eccleſia, an deſperanda vere eſſet ejus curatio, an potius inſtandum operi tam pio morbo ecclellis medici ope profligando.

IV. Conſultiſſimum eſt, ut ne ſuo nimis de ſe ipſis judicio confidant Epiſcopi, & ne privatæ innitantur prudentiæ, ſed Chriſti potius audiant Vicarium in ejuſmodi negotio, quod tanti ad ipſorum, tanti ad Eccleſiæ ſalutem, refert. Sed diſſimulandum non eſt hoc loco, ne tum quidem in more poſitum fuiſſe, ut a Pontifice exorareture licentia dimittendæ Epiſcopalis curæ; nec ipſum forſan Amandum ſuper ea re conſuluiſſe Sedem Apoſtolicam, ſed ſuis litteris prævertiſſe Papam, ſparſis rumoribus excitatum, ut ab ea illum ſententia abduceret: denique capite ſuperiori ſatis ſuperque eſt declaratum, & mox ulterius declarandum, ſæpiuſcule reſignatos a Præſulibus Epiſcopatus, tum ſimpliciter, tum in favorem, inconſultis Romanis Pontificibus.

V. Romam profectus eſt B. Corbinianus Friſingenſis Epiſcopus, ut copia ſibi fieret exuendi Epiſcopatus. Verum is ab ipſo Pontifice Romano ordinatus fuerat Epiſcopus, & delegatione Apoſtolica ornatus, miſſuſque ad nationes Barbaras Chriſti imperio & Eccleſiæ adgregandas. Itaque ſpeciali illi nexu Romano Pontifici obligabatur, ut niſi eo annuente ſolvi non poſſet. Quocirca & tunc repulſam ab eo paſſus eſt.

VI. Verum Maurilius Andegavenſis civitatis Epiſcopus, unum judicem, & quidem

(1) L. 4. c. 39.

dem inexorabilem, ſeipſum audiens, (1) ſibi obſequutus Epiſcopatu abiit, exauctorante illum propria conſcientia, quod ſupinitate ſua Paſio obiiſſet ſacramento Confirmationis nondum initiatus. Ejuſdem civitatis Epiſcopus beatus Licinius (2), enixiſſimis precibus Regem & Epiſcopos compellavit, ut ſucceſſorem ſibi darent, & in Eremum aufugiendi copiam faceret. Irrita cecidere ejus vota. Beatus Sulpitius Bituricenſis Archiepiſcopus anno 641. Eccleſiæ ſuæ nuntium remiſit, permittente Rege, & quem expetierat ſucceſſorem dante. Trajectenſis Epiſcopus Remaclus ſarcinam & ipſe annuente Rege abjecit. Ea quoque fuit ratio B. Bonito Arverno, & B. Burchardo Virtsburgenſi Epiſcopis, ſuis Eccleſiis renuntiandi; ut liquet ex eorum vita apud Surium & Bollandum (3). A Dagoberto Rege extorſit magis quam obtinuit cedendi Epiſcopatu licentiam B. Arnulphus Epiſcopus Metenſis, & adeundæ ſolitudinis. Beatus Leodegarius Auguſtodunenſis Epiſcopus clam ſuæ ſe ſubduxit Eccleſiæ, miſſiſque a Rege qui eum revocarent, inſtantiſſime ab eo oravit, exoravitque tandem, ut permitteretur ſeſe in Monaſterium Luxovienſe abdere.

VII. His exemplis conſtat, necdum vel uſu, vel Canonicis inſtitutis vindicatam fuiſſe uni ſummo Pontifici poteſtatem Epiſcopos abſolvendi a ſacro Eccleſiarum ſuarum nexu ac conjugio. Memorat quidem B. Ado Viennenſis Epiſcopus, Vilicarium Viennenſem Epiſcopum Romam contendiſſe, anno 727. a Stephano Papa Zachariæ ſucceſſore humaniſſime exceptum, & in Aganunon denique Monaſterium receſſiſſe. Sed nullum facit Ado verbum de petita, vel de impetrata dimittendi Epiſcopatus licentia. *Vilicarius relicta Viennenſi ſede, Romam primum abiit, ibique Papæ Stephano notus efficitur.*

VIII. Eaſt-Anglorum, ſive Anglorum Orientalium Epiſcopum perhibet Beda graviſſimo concuſſum morbo, per quem nullas Epiſcopatus functiones expedire poſſet, duos ejus loco electos, ordinatoſque fuiſſe Epiſcopos, atque exinde eam Provinciam a duobus Præſulibus adminiſtratam fuiſſe (4). *Quo adhuc ſuperſtite, ſed graviſſima infirmitate ab adminiſtrando Epiſcopatu prohibito, duo ſunt pro illo electi & conſecrati Thomaſ. Tom. V.*

Epiſcopi. Ex quo uſque hodie Provincia illa duos habere ſolet Epiſcopos. Eo inſtitutum eſt vulnus Canonicis regulis, non ſciſſa in duos Epiſcopos Provinciæ cura, ſed ordinato ante præceſſoris obitum ſucceſſore. Sed ea tum Eccleſiæ Anglicanæ inter cunabula ſua reptantis adhuc neceſſitas interpretanda eſt. Nec diſpar judicium de eo quod infra ibidem narratur, Baſelo Epiſcopo, ad nullas amplius Epiſcopatus functiones aſſurgere ſe poſſe ſperanti, propter ingraveſcentis morbi vim, Coadjutorem a Rege datum & ordinari juſſum.

IX. In Hiſpania Concilii Toletani X. Patres Potamium Braccharenſem Epiſcopum diſeinxere, & ſede ejecere; ſed qua ipſe jam ſeſe ejecerat, ſui pudore & pœnitudine ſincera flagitii. Itaque cum novem ante menſibus Concilii damnationem ipſe ſuimet judex incorruptus præverteriſſet: *Ferme per novem menſes ſponte deſeruiſſe regimen Eccleſiæ ſuæ, & ergaſtulo quodam ſe concluſiſſe.* Ambigi pene poſſit, damnarint illum Epiſcopi ejus Synodi, an ſententiam damnationis ab eo pronuntiatam, & executioni mandatam confirmarint.

X. In Africa B. Fulgentius Monaſterii, qua oneratus fuerat, providentia & cura ſponte ſua ſe abdicavit, (5) ut in ſeceſſu contemplationis ſe deliciis oblectaret. At Epiſcopus, cujus aſſenſu abſolutus non fuerat, coegit, ut ad dimiſſa rediret Abbatiæ gubernacula. Ex quibus vides in his ceſſionibus nulla ſuperiorum licentia tum frequentatis, eminere pietatem, non eque ſapientiam; eumque tametſi laudabilem caritatis æſtum, caſtigandum tamen aliquando fuiſſe, & ad certas ſobrietatis & prudentiæ regulas frænandum.

XI. In Oriente vero Paulus Antiochenus Patriarcha, flagrantiſſimam Cleri plebiſque ſuæ invidiam, odium, criminationes jam non ſuſtinens, a Juſtino Imperatore abdicandi licentiam flagitavit. *Libellos obtulit, ut liceret ei ſecedere a ſuſcepto Epiſcopatus officio.* Annuit ejus votis Juſtinus, pertinaciſſima ratus gregis univerſi averſatione irritos futuros conatus ejus quantoſcunque. *Quoniam cordi nobis eſt, & fuit, ut ſemper civitatum Antiſtites in amore ſint omnium communi, &c.* Imperator & Epiphanius Patriarcha Conſtantinopolitanus (6) ad Hormiſ-

(1) Surius die 8. Sept. (2) S. Lezin. Surius die 13. Sept.
(3) Boll. die 3. Febr. & 17. Jan. Surius die 16. Aug. & die 2. Octob.
(4) L. 4. c. 5. 23. (5) Ferrand. in ejus vit. c. 14. 15. (6) Poſt. Ep. 80. Hormiſd.

dam Papam ea de re litteras dedere, ut certiorem potius eum facerent, quam ut ejus aſſenſione opperirentur.

XII. Jam diximus Joannem Silentiarium ordinatum fuiſſe Epiſcopum a Metropolitano Sebaſteno, ſed invitum (1). Hinc, ut ſuſpicor, crevit illi fiducia, ut injuſſu Imperatoris, Patriarchæ & Metropolitani, eam ſarcinam tandem excuteret. Jam enim, ut vidimus, ad Imperatores & Patriarchas Conſtantinopolitanos ad ſolvenda iſtiuſmodi vincula recurrebatur.

XIII. Anaſtaſiopolitanæ civitatis Clerici Laicique impetu facto in virum ſanctiſſimum Theodorum Siceotam Abbatem, Ancyranum ad Metropolitanum illum rapuere, ut Epiſcopus civitati ſuæ ordinaretur (2). Interjectis aliquot annis tandiu expertus Theodorus incaſſum operam ſuam & induſtriam perire, nullo plebis immorigeræ & effrænatiſſime in flagitia quæque præcipitis fructu: perſuaſuſque prioribus ſe Monachis ſnis nullius præfuturum, Clero Populoque valedicens, Ancyram properavit, quo ſucceſſorem a Metropolitano expugnaret. Cum infeſtum illum pateretur, evicit tandem, ut ad Cyriacum Patriarcham Conſtantinopolitanum res, & ad Mauritium Imperatorem referretur. Literas ambo ad eos dedere, rationum ultro citroque ſuarum momenta ſubjicientes. Juſſu Imperatoris reſcripſit ad Metropolitanum Patriarcha, votis ut Theodori obſecundaret, ſed inſignia Epiſcopatus permitteret, viro ob innocentiam & ob vitæ ſanctimoniam commendatiſſimo. Paruit Metropolitanus, & redux in Cœnobium ſuum Theodorus, ipſa Epiſcopatus ornamenta ſplendore virtutum ſuperavit, approbavitque ſuum abjiciendæ Epiſcopalis ſarcinæ conſilium, canonicis ſane regulis non paulo conſonantius, quam Joannis Silentiarii.

XIV. Ex his emicat, nondum ſatis certas fuiſſe & definitas ceſſionum leges, aut certe nondum ſatis religioſe obſervatas. Crimen, agritudo deſperata, gregis intractabilis pertinacia, ejuſmodi erant cauſæ, quibus canonica ceſſio condonaretur. Sed immoderatior feceſſus pii & contemplationis amor viros quandoque ſanctiſſimos inceſſebat, & præter Canonum normam transverſos agebat. Ad Papam aliquando, non ſemper, ad Imperatorem, ad Patriarchas confugiebant, & ad Metropolitanos; nulla certa, & quæ ubique retineretur forma. Ac ſi dicas, diſciplinam Eccleſiæ in iſtiuſmodi rebus in dies ſingulos magis magiſque elinguatam fuiſſe, necdum ad unguem perpolitam.

CAPUT LIII. *P. 3. l. 2. c. 38.*

De Ceſſione Epiſcopatuum, & Abbatiarum ab anno octingenteſimo ad milleſimum.

I. Quamvis diuturna & acerba decumberet ex ægritudine, non cogebatur unquam Præſul dignitate & gradu cedere. Aldrici Cenomanenſis Epiſcopi exemplum.

II. III. Exemplum Herimanni Nivernenſis Epiſcopi. Exemplum aliud Abbatis.

IV. Civitate & Eccleſia everſa, fas eſt Epiſcopatu decedere.

V. Inhoneſti & pii otii cupiditate non ſatis eſt cauſæ, ut quis ſure Epiſcopatu abeat. Exemplum Ledradi Lugdunenſis Archiepiſcopi.

VI. VII. Effœta ſenectus poteſt canonice ceſſioni locum dare. Exempla.

VIII. Deſperatio emendandi gregis Epiſcopatus vincula ſolvere poteſt. Exemplum S. Adelberti.

IX. Nec idem cenſendum de Abbatia. Exemplum S. Romualdi.

X. Enormitas vitæ & morum eoſdem ſolvit nexus.

XI. Auctoritas Metropolitanorum, Conciliorum, Regum abunde erat ad ceſſiones hujuſmodi, nonnunquam tamen Pontificia interponebatur.

I. EXpendemus hic primo quæ juſtæ tunc exiſtimarentur cauſæ canonicæ ceſſionis, tum deſſuemus ad auctoritatem eam canonicam, qua exſolvi poſſent vincula, quæ Deus ipſe conſtrinxiſſet.

Antiquiſſima hæc autem ſemper habita eſt ceſſionum regula, ne quis cogeretur Præſul ſacro ſeſe Magiſtratu exuere, quantumcumque graviſſimo & prorſus deſperato conflictaretur morbo. In Concilio Sueſſionenſi anni 853. luculenta duo ſuppeditantur ejus rei exempla. Alterum eſt Aldrici Cenomanenſis Epiſcopi paralitici. Concilio viſum eſt,

(1) Surius die 13. Maii.

(2) Surius die 22. April.

eſt, Metropolitano tantum ejus Eccleſiæ ſollicitudinem commendandam, eo ut ipſe ſe conferret, & ex uſu Eccleſiæ omnia diſponeret (1). *Metropolitano Turonicæ urbis Amalrico, ut ad eandem urbem accederet, injunxerunt: & quæcunque eſſent eidem Eccleſiæ proficua, ut ſtrenue exequeretur, unanimiter præceperunt.* Ea certe cura Metropolitano ipſi officio implicabatur. Aderant eidem Concilio Remenſis & Senonenſis Archiepiſcopi, quibus in Provinciam Turonenſem nihil erat juris. Sed Gallicanis tum Epiſcopis perſuaſum erat, Gallicanæ Eccleſiæ Conciliis univerſalem in Gallias ſuppetere auctoritatem, tum vel maxime cum præſentia Regis illuſtrabantur, quod & huic contigit, ad Regni ſacram politiam delineandam.

II. Alterum eſt Herimanni Nivernenſis Epiſcopi exemplum, cujus corporeæ ægritudinis virus in animum ipſum & in mores reſpergebatur, effluebatque in levitates & nænias, ab Epiſcopali gravitate alieniſſimas, qua de cauſa illum jam non ſemel objurgaverant ceteri Epiſcopi, eo utique vigore qui plurimis caritatis temperaretur blandimentis (2). *Pro ſuis exceſſibus, quos corporali moleſtia ſæpe dicebatur admittere, a ſanctis Præſulibus modeſte & acriter increpatus eſt, quod prius frequenter correptus, Ordini ſacratiſſimo perſeverantia levitatum injuriam adhuc faceret.*

Delegatus eſt a Concilio Archiepiſcopus Senonenſis cum aliis Epiſcopis: ut ei Eccleſiæ præſens pacem & concordiam conciliaret, ſecum Senonas abduceret Herimannum, & æſtivo retineret tempore, quod eo maxime morbus ejus ægreſceret: atque ubi illum abſtinentiæ, gravitati, & Epiſcopali vitæ inſuefeciſſet, tum Clerum Populumque Nivernenſem alliceret ad eum revocandum. *Et ſic abſtinentia competenti aſſuetum, Epiſcopali gravitate inſtructum, Apoſtolicis moribus informatum, Clerus & populus eum ad ſedem propriam utiliter ſavente Dei gratia revocaret.* Plura hic utique annuuntur, quam narrantur, ea quippe ſilentii reverentia ſanctiſſimam toto orbe dignitatem coli par erat. Sed non obſcure tamen plurima hic interlucet humanitas in Epiſcopum, cujus corporis ægritudines in animum reſundebantur, & in mores: indulgentiæ vero impenſiori locus datur, quod non ii eſſent errores, qui gravi pœna comprimendi eſſent: & ægritudines corporeæ commiſerationem magis, quam ultionem provocarent.

Non multis poſt annis habitum eſt Concilium Vermerienſe, a quo plura perdiſcimus de ejuſdem Epiſcopi vitiata corporis animique valetudine. Ex debilitata enim mente dilapidatio etiam bonorum Eccleſiæ naſcebatur. *Infirmitate prægreditus corporea, ſæpe ineptire, & ad naufragium rerum & facultatum Eccleſiaſticarum pertinere, &c.* Pia Senonenſis Metropolitani ſollicitudine redintegratus eſt Herimannus priſtinæ ſanitati, unde & a Concilio reſtitutus eſt Eccleſiæ ſuæ, ut quem illi morbus, non ſcelus, eoque ad tempus tantum ſubduxiſſet (3). *Non morum vitiis, aut peccatis publicis.* Verum cum recidiva poſtea morbi vis Herimannum invaſiſſet rurſum, ea de re Nicolaum Papam Ganelo Senonenſis Metropolitanus per Epiſtolas percontatus eſt. Ad auſteritatem natura & ingenio comparatus erat Nicolaus. Sed hinc nihil decerpebatur de piiſſimi Paſtoris & parentis teneritudine, ubi ſuadebat veritas caritaſque. Quanquam relatum ad eum fuiſſet, Herimannum quandoque mente omnino alienari. *Aliquoties integritate privatus, quædam inſano ſimillima admittebat, &c. Dis impeditus eſt Epiſcopale recte implere officium.* Summa quadam ſapientia tamen & caritate hanc eſſe culpæ pœnam cenſuit, non culpam, ideoque pietate non rigore libranda conſilia, nec cogi debere ad abdicandum Epiſcopale munus. *Satius arbitramur, quamlibet interim infirmitatem, ad pœnam peccati, quam ad ipſum pertinere peccatum, cui magis conſulendum ſit, & compatiendum, quam puniendum, vel aliquo modo feriendum.*

III. Nec Epiſcopi tantum, ſed & Abbates in ea incurrunt diſcrimina, ubi quam ſuis olim impenderunt pietatem & commiſerationem, eam ipſi ab illis experiantur. Hoc documentum Hincmarus Remenſis Monachis Corbienſibus inculcavit, cum inaudita pene ſævitia Abbatem ſuum gradu moviſſent, quaſi morbis, quibus afflictabatur, reum noxiumque agi poſſe cenſerent. Contra Hincmarus declaravit, poſtquam calculis ſuis Abbatem elegiſſent, eumque Epiſcopus confirmaſſet; jam in eorum poteſtate non eſſe, ut illum abdicarent. *Regulariter electum, & Archiepiſcopi ordi-*

(1) Can. 4. (2) Ibid. c. 2. (3) Ann. 860. Con. Gall. T. 2. pag. 188.

natione rationabiliter institutum. Jubet denique ut suæ illum reddant dignitati, simulque præstent obedientiam; donec si convaluerit, & senserit ipse ferendo tanto oneri minus se parem, ad Regem accederet, cujus justu & Episcopi auctoritate alius tum demum in ejus locum sublegeretur (1). *Donec si convaluerit, & ipse tale onus ferre non potuerit, ipse ad Regem excusaturus accedat, ut ejus præcepione, & Archiepiscopali auctoritate, ipsius in loco alius substituatur Abbas*. Ipsissimæ hæ sunt Gregorii leges: Quamlibet gravi morbo laboret Pastor, successor dandus non est, nisi petenti, & sponte cedenti dignitate, cui sesendæ & sustinendæ jam quidem imparem se sentiat.

IV. Narrat Ado Viennensis unius ex suis antecessoribus resignationem, longe alia causa factam, nempe Ecclesia sua a Francis penitus vastata, qui temporales res ejus omnes invaserant. Ultro exulans Pastor Romam primo petiit, mox in Monasterium Agaunum rediit, cujus administrationem suscepit. Rem jam perstrinximus capite superiori, paulo susius hic Adonis verba referemus de eodem Vilicario, id enim Episcopo nomen erat (2). *Cum furioso & insano satis consilio Franci res sacras Ecclesiarum ad usus suos retorquerent, videns Viennensem Ecclesiam suam indecenter humiliari, relicto Episcopatu, &c. Romam primum abiit, ibique Papæ Stephano notus efficitur. Interjecto non multo tempore, Agaunii Monasterium Martyrum in curam suscepit*.

V. Cessionem illam non vituperat Ado, qui non potuit non vitio vertere Leidrado Archiepiscopo Lugdunensi, quod anno 815. in Abbatiam Suessionensem secedens, Agobardum Ecclesiæ Lugdunensis jam Chorepiscopum, sibi fecerat subrogari. Quanquam ea cessio robrata fuisset, non Imperatoris tantum, sed Concilii universalis Ecclesiæ Gallicanæ consensu; contestatur tamen Ado canonicas leges fuisse tum ludibrio habitas, quæ vetant, ne quis Episcopus suum sibi deligat successorem, & ne duo sint unquam unius Ecclesiæ superstites Episcopi. *Leidradus Lugdunensis initio Imperii Ludovici Imperatoris Suessionensis Monasterii locum petiit, & in loco ejus Agobardus ejusdem Ecclesiæ Chorepiscopus consentiente Imperatore & universa Gallorum Episcoporum Synodo, Episcopus substitutus est. Quod quidam defendere volentes, dixerunt, eundem venerabilem Agobardum a tribus Episcopis in fede Lugdunensi jubente Leidrado fuisse ordinatum. Sed canonica auctoritas est, in una civitate duos Episcopos non esse. Nec vivente Episcopo successorem sibi debere eligere. Ac idcirco illa quacunque causa regulæ Ecclesiæ præteriri in tanto ordine fixa non debent*.

VI. Si uno ignobilis otii amore agebatur Leidradus ad abjiciendas Episcopales insulas, non temere invidiam illi faciebat Ado. Si vero longo Episcopalium curarum & laborum curriculo defessus, exhaustisque viribus, voluit illam farcinam juniori & vegeto ingerere Præsuli, qui non nomen tantum & honores sustineret, sed munia obiret, & officio impleret omnia: lubentes concedemus & nos in sententiam Imperatoris & Concilii Nationalis Galliarum, quibus ea cessio consentanea visa est canonicis institutis. Atqui ex Epistola Leidradi ejusdem ad Carolum Magnum, quæ inter Agobardi litteras conjecta est, perspicuum fit, hanc postremam illum secutum esse causam dimittendi Episcopatus. Tanta enim ibi opera fe molitum esse, tam gnaviter & tam diu ad disciplinæ instaurationem se insudasse testatur, ut vix jam cuiquam possit ignavi otii amator sectatorque fuisse videri.

Eadem ratione adductus est & B. Burchardus Wirsburgensis Episcopus, ut cum longioris vitæ stadium Episcopalibus studiis & indefessis laboribus exhaustissiet, nec jam posset Ecclesiæ suæ nisi enervem impendere senectam, satius duceret juvenem sibi, & fervore caritatis, quam ætatis vigore vegetiorem Episcopum subrogare. Nec tamen id aggressus est, nisi Cleri, Populi, Imperatoris, Principum, Metropolitani & Episcoporum consensione (3). *Pondus diei & æstus jam a mane puerilis ætatis usque ad vesperam pene decrepitæ senectutis portavit, &c. Cum Senioribus & Magnatibus Ecclesiæ suæ iniit consilium, quatenus successorem sibi provideret, &c. Missi ad Imperatorem Carolum & ad Ludium Metropolitanum, &c. Missi redeunt, utique consensum referentes, tam Regum, Principum, quam Archiepiscopi, ceterorumque Episcoporum, &c.* Megingaudum ab illis sibi successo-

(1) Flodoard. L. 3. c. 7.
(2) An. 726. 727.
(3) Vita ejus apud Surium die 14. Octob. L. 2. c. 11.

ceſſorem dari popoſcit: aſſenſere omnes judicio Epiſcopi ſanctiſſimi. *Aderant Legati cum litteris Regis & Principum, necnon Metropolitani Lulli, confirmantes in omnibus electionem Megingaudi.*

VII. In Chronico Senonenſis Abbatiæ in Epiſcopatu Tullenſi ſitæ, Guidelbertus Senonenſis Archiepiſcopus narratur abdicaſſe Epiſcopatum, & ad montes Voſagos (1) ſe contuliſſe, ad illam Abbatiam ibi exædificandam, non alio magis conſilio, quam ut in receſſu eam conſequi poſſet Evangelicæ perfectionis integritatem, ad quam inter Epiſcopales ſollicitudines non poterat niſi tardo properare greſſu (2). *Cum videret ſibi ad culmen perfectionis, ut optaverat, converſationem ſæcularium haud ſatis ſufficere, diſpoſuit ſe omnibus quæ poſſidebat abrenuntiaturum.* Integram ſibi ſervavit poteſtatem Eccleſias dedicandi, & Ordines adminiſtrandi in ea ſolitudine, quam cœleſtibus coloniis frequentare avebat (3). *Solo ſibi Epiſcopi officio reſervato, quo in tanta & tam vaſta ſolitudine ad Eccleſias conſecrandas, vel perſonas uti potuiſſet.* Esto, renideat quædam in ſpontanea renuntiatione lux ſanctimoniæ, nihil moror; at Canonum regulæ jacebant omnes, nec populo, nec Clero interveniente, nec Principis, aut Epiſcoporum aſſenſu, nec denique oſtenſa ratione ulla, quam ſacræ leges approbarent. Neo enim in Epiſcopalibus muniis & laboribus minus præſidii aut adjumenti eſt, ad invadendum ſummæ perfectionis culmen, iis certe qui ſacro jam ſunt innexi miniſterio, quam in piis eremi & contemplationis deliciis.

Leodienſis Epiſcopus Franco præter annos quinquaginta exhauſtos in Epiſcopalibus muniis, excitabatur alio quoque ſtimulo, ut abiret ſacro munere. Normannis Gallicanas Provincias populantibus, ille inſignes, ſed & cruentiſſimas in eo bello reportarat victorias. Ita ſtillantibus hoſtili cruore manibus, non auſus amplius contrectare aras incruentamque Victimam, Romam miſit Clericum Leodienſis Eccleſiæ & Monachum Abbatiæ Lobbenſis, ut ſuo loco ordinarentur. Ubi reduces fuere, Epiſcopatum illis reſignavit (4). *Franco Epiſcopus ſciens illicitum eſſe, quenquam ſanguineis manibus ſancta tractare, mittit Romam Bericonem Leodienſem Clericum, & Teutricum Lobbenſem Monachum, quos ordinari Epiſcopos, qui vicem ſuam ſupplerent, oravit, & exoravit.*

Hedenulphus, qui in Epiſcopatum Laudunenſem Hincmaro ſubrogatus fuerat, a Joanne VIII. cedendi licentiam impetrare nunquam potuit, quanquam conteſtaretur per acciſas corporis ſui vires & labantem valetudinem, minus ſe jam poſſe functiones obire Epiſcopatus, ac Monaſtici receſſus ſecupidiſſimum profiteretur (5): *Cum Hedenulphus apud eundem Papam peteret, ut eum ab illa Sede abſolveret, dicens ſe eſſe infirmum, & velle intrare Monaſterium, obtinere non potuit.*

VIII. Ceſſit & Epiſcopatu B. Adalbertus Pragenſis Epiſcopus, non præpropero quietis amore, & mellearum contemplationis deliciarum, quod oſtendimus Canonibus obſtrepere, & caritati ſanæ atque ocnlatæ: non ſenectæ deficientis infirmitate, ut complures: non criminis contagio, quo remorderetur ejus conſcientia, & a ſacro miniſterio retardaretur: ſed inauſpicato laborum Apoſtolicorum eventu, & mera deſperatione revocandæ ad meliorem frugem ejus gentis, quæ nulla non in flagitia projectiſſima eſſet. Nec ſibi tamen uni ſatis fidens, Romam adiit, remque Pontificis maximi Benedicti VII. judicio permiſit. Aſſenſus eſt Pontifex, ut ſibi prodeſſet, qui aliis non poterat: & contemplationi ſe totum dederet, quando ex prædicationibus ejus nullus ad quenquam fructus redibat (6): *Fili*, inquit Apoſtolicus, *quia te ſequi noluni, fuge quod nocet. Opera pretium eſt enim, ſi cum aliis fructum facere non potes, vel te ipſum non perdas. Quare in eo conſilio arripe tibi otia contemplationis, &c.* Ita ad annum 983. At anno 989. Pragenſis civitas ſuum hunc Epiſcopum a Pontifice ſibi reſtitui flagitavit, deſponditque ſe aliquanto monitis & hortatibus ejus obſequentiorem fore. Collaboravit & Archiepiſcopus Moguntinus. Joannes XV. interim Concilium coegit, Adalbertumque rurſus ad priorem ſuam Eccleſiam ablegavit, facta copia ejus rurſum repudiandæ, niſi faciliores ad obſequium cives experiretur. Reſipiſcentiæ ſuæ ſpem fecerat populus, ſed ea mox in irritum cadente, ceſſit rurſum Adalbertus ſævienti pro-

(1) De Vauge.
(2) Spicil. T. 3. p. 274.
(3) Le Cointe, ad ann. 662. n. 5.
(4) Spicil. T. 6. p. 561.
(5) Aimoin. l. 5. c. 37.
(6) Ann. 983. Sutius die 22. April.

procellæ, & per Poloniam iter agens, non ſine uberiori Prædicationum ſuarum fructu, Romam rediit, & Cœnobio incluſus totum quinquennium Monaſticis ſe exercitiis & macerationibus dedidit. Cum denique Romam profecti eſſent Otthо III. Imperator & Archiepiſcopus Moguntinus, compulſus ab iis eſt Gregorius V. Papa, ut Adalbertum ſuæ redderet Eccleſiæ. Tertio rediit, & a Principibus populiſque rurſum contumelioſiſſime depulſus, ad Prutenos anno 996. profectus eſt, ubi Apoſtolicæ invictæque conſtantiæ documentis editis, martyrii tandem optatiſſimam lauream conſecutus eſt.

IX. Habes ergo in Adalberto exemplum, quo non aliud uſquam memorabilius, ejus ceſſionis quæ fit ob indomitam inſolentiſſimi gregis contumaciam. Porro invicta ea viciſſim Præſulum conſtantia, etſi aliis infructuoſa, ſibi fructuoſa, & exemplo poſteris profutura certe eſt. Monachorum nonnunquam etiam ea fuit pervicacia, quæ ſanctiſſimos Abbates aufugere cogeret. Claſſenſis juxta Ravennam Monaſterii regimen non ſuſceperat B. Romualdus, niſi poſtulantibus Monachis, urgente Imperatore Otthone, & Epiſcoporum Concilio: a quo, ni pareret, intentabatur excommunicationis mucro. Sed expertus remediis morbum redintegraſcere, Paſtoralem baculum Imperatori & Archiepiſcopo reſignavit, quantumvis reluctantibus (1): *Romualdus videns & ſuam perfectionem aliquatenus minui, & eorum mores protelvius in deteriora converti, Regem impiger adiit, & non leviter reluctenſes una cum Archiepiſcopo Ravennate, in utriuſque conſpectu virgam projecit, & Monaſterium dimiſit.*

X. Hæc ex Petro Damiani, a quo ſcripta eſt Romualdi vita: & qui alibi illum ait longe alia ratione bene multos compuliſſe Abbates, ut ſponte Paſtoralibus renuntiarent baculis, propterea quod eorum mores tota ſæculi nequitia delibuti eſſent, & immane quantum abhorrerent ab ea quam profitebantur modeſtia, & ſæcularis vanitatis deteſtatione (2): *Erat beato viro tam odioſa iſta, quam cernimus, Abbatum converſatio, ut non minus gauderet, ſi de manu cujuſquam Abbatiam potuiſſet evellere, quam ſi ei datum fuiſſet potentiſſimum quemlibet ſæcularium ad ſanctæ converſationis ordinem convocare.*

XI. Hanc primam nobis propoſueramus partem elucidandam de cauſis juſtis canonicæ ceſſionis. Nunc ad alteram de auctoritate interponenda ad diſſuadam conjugii ſpiritalis copulam inter Eccleſiam & Paſtorem. Ex ſuprapoſitis autem exemplis huic quoque parti lux non mediocris affunditur. Perſpicue enim patuit, 1. Abbatibus, ut renuntiarent muneri ſuo, conſenſu tantum opus fuiſſe Principis & Epiſcopi. 2. Si eum conſenſum aut extorſere aliquando, aut ne petiere quidem, ut oneri ſacro ſe ſubducerent, ea fuit vel temeraria Canonum conculcatio, vel caritatis & humilitatis æſtuatio quædam vehementior, nec ſui compos, & legi cuidam ſummæ legum ceterarum dominatrici obſecundans. 3. Uſus is fuit Epiſcoporum laudatiſſimus, ut ne a ſuis ſeſe divellerent Eccleſiis, niſi conſentiente Clero, Populo, Principe, Metropolitano. Quam neceſſe fuerat horum omnium conſpiratione eligi Epiſcopos, tam non poterant niſi eorundem auctoritate vel aſſenſu ſacris vinculis abſolvi. 4. Metropolitani ſaltem & Principis auctoritas omnino deſiderata fuit, quod includerentur Metropolitani nomine, Clerici omnes: Principis autem, laici. 5. Si qui Præſules præter has regulas ceſſerint, eorum aut excuſanda incogitantia eſt, aut damnanda temeritas, aut admiranda æternorum caritatis abundantia, qua abrepti ſint, non contra, ſed ultra uſitatas Eccleſiaſticæ Diſciplinæ leges. 6. Rarius interpellata eſt Papæ auctoritas ad has ceſſiones, quod nec ad electiones interveniſſet. Manifeſtum eſt, necdum Apoſtolicæ tum ſedi reſervata fuiſſe ceſſiones eas, ac reſignationes Epiſcoporum, & Abbatum. Ea erat tunc penes Metropolitanos & penes Concilia Provincialia auctoritas, ut Epiſcopi vel inſtituerentur, vel deſtituerentur, vel ultro diſcederent. 7. Nonnullis tamen exemplis emicuit ad Sedem Apoſtolicam relatum eſſe. Non potuit Vilicarius Concilium Provinciale cogere, ut ſuam ceſſionem approbaret, eo tempore quo inteſtinis bellis flagrabat Gallia, & Reipublicæ atque Eccleſiæ extrema pernicies imminere videbatur. Itaque ad Summum Pontificem confugiendum illi fuit. Scilicet Ganelo Archiepiſcopus Senonenſis Nicolaum I. Papam de Herimanni ægritudine graviſſima. Sed ſuper ea re jam manaverant Decreta Sueſſionenſis & Vermerienſis Conciliorum & ſapientiæ & caritatis & auctoritatis numeris omnibus abſolutiſſima.

Unde

(1) Surius die 19. Junii.

(2) Cap. 50.

Unde non aliud Nicolaus, quam gemini illius Concilii placita confirmavit. Franco Leodienſis Epiſcopus Pontificem interpellavit, quod Epiſcopatum reſignare vellet in favorem, immo & in duos, quos vellet habere Coadjutores, inde & Succeſſores. Plurima ibi diſpenſatione & inuſitatiſſima opus erat, pro qua merito Sedes Apoſtolica adiretur. Sed ejus rei narratio nec explicata ſatis mihi viſa eſt, ne ſatis cohærens, ut inde certi quidpiam elici poſſit. Volebat a Pontifice abſolvi Hedenulphus vinculis Eccleſiæ ſuæ, quod ab eo iis ligatus fuiſſet, viventi Epiſcopo ſucceſſor datus. Adalbertus cedere permiſſus eſt a Papa, ſed a Metropolitano & a Concilio Provinciali tandiu repetitus eſt, donec Eccleſiæ ſuæ reſtitueretur. Initia ergo & fundamenta jam tum ponebantur aliqua poſterioris diſciplinæ, quæ ceſſiones Summo Pontifici examinandas, annuendas, abnuendaſque reſervavit: ſed hujus ea erant tantum veluti rudimenta. Si qui ſibi finxerint Romanos Præſules ea captaſſe occaſiones amplificandæ auctoritatis ſuæ, ii præjudiciis ſuis nimio plus indulſere, & ab hiſtorica rerum fide ac ſimplici veritate mirum quantum aberrarunt. Metropolitanis & Provincialibus Conciliis per Summos Pontifices hactenus licuit tota ſua poteſtate uti in ceſſionibus permittendis, vel prohibendis, ut tota illa ſuperiorum exemplorum ſtrue declaratum eſt. Tum ad Apoſtolicam Sedem ventum eſt, cum ejuſmodi opus fuit diſpenſatione, quam non facile concederent Synodi Provinciales. Quin & ex contextu hujus operis pateſiet, majoris ponderis diſpenſationes a Sede Apoſtolica flagitatas eſſe, volentibus & ita ſancientibus ipſis Provincialibus Conciliis. Denique ſuo ipſi marte Epiſcopi ab Apoſtolica Sede mendicarunt, & ſumma expediendis difficultatibus, & neceſſaria curandis Eccleſiarum ſuarum vulneribus medicamenta, nemine urgente, nemine invitante, ſed ipſa cogente neceſſitate, ut ſibi ne ulla re deeſſent.

CAPUT LIV. *P. 4. l. 2. c. 54.*

De Ceſſione & Reſignatione ſimplici Epiſcopatuum & Abbatiarum, poſt annum Chriſti milleſimum.

I. Duo potiſſimum hic elucidanda in Hiſtoria ceſſionum.

II. De ceſſione Arnulphi Archiepiſcopi Remenſis, & Gregorii VI. Papæ.

III. Ceſſio Petri Damiani. Varia exempla ſæculo XI. petita, vel non petitæ Pontificiæ licentiæ ad cedendum.

IV. Exempla ſæculi XII. ubi jam crebrius adibatur Sedes Apoſtolica.

V. De eodem rurſum. Filius Regis Angliæ cedere cogitur, quod ordinari renueret. Conſilium Arnulpho Luxovienſi inſuſurratum, ut Epiſcopatu ultro abiret, ſi in eum per aulicos cuniculos irrepſiſſet.

VI. Sub Alexandro III. convaluit jam uſus, ut ne injuſſu Papæ cederent Epiſcopi.

VII. Eo jam loco res erant cum Innocentius III. Apoſtolicæ Sedis culmen inſedit. Elucidantur ejus Decretales, ubi ſpirituale conjugium carnali comparat, & utriuſque ſolutionem uni ſummæ Sedi arrogat, quaſi jure divino.

VIII. Ex eodem Papa quæ rationes & juſtæ cauſæ cedendi Prælaturis?

IX. An Epiſcopus qui receſſit, & in Monaſterium conceſſit, revocandus ſit? Canon Concilii Conſtantinopolitani.

V. De irregularitate criminis, & de morbo perpetuo ac deſperato.

XI. De Eccleſia Orientali.

XII. Querelæ Bellarmini ad Clementem VIII.

I. IN contexenda hic & penſiculanda ceſſionum maxime Epiſcopalium hiſtoria, duo erunt potiſſimum, quæ perſcrutari & illuſtrare ſtudeamus. 1. An Pontificum ſemper auctoritas interpoſita ſit, an intervenerint tantum Concilia, Metropolitani, Reges. 2. Quæ legitimæ fuerint cauſæ Canonicarum reſignationum.

II. Non hic locum dabimus ullum ceſſionibus vi expugnatis, cujuſmodi fuit illa Arnulphi Remenſis Archiepiſcopi, cui non ægre perſuaſum eſt ab Epiſcopis Concilii Remenſis ſub Hugone Capetio Rege probroſam ut & inevitabilem damnationem præveniret ceſſione in ſpeciem ſaltem voluntaria: *A ſeipſo in ſeipſum damnationis ſententia lata, hoc ſolum eum in omni vita ſua præclare egiſſe dijudicatum eſt.* Verba ea ſunt Concilii Moſomenſis anni 995. ubi a Joannis XV. Papæ Legato ſuſpenſus eſt Gerbertus, qui Arnulphi ſucceſſor fuerat datus; reſtitutus eſt Arnulphus in priſtinam ſedem eodem anno, & exauctoratus Gerbertus in Concilio Remenſi. Ejus judicio non acquievit Hugo Capetius. Gregorio V. Papæ obſequen-

quentiorem ſe voluit eſſe Robertus ejus filius, miſſoque Romam Abbone Floriacenſi Abbate, mox ut ille in Gallias redux fuit, carcere Arnulphum abſolvit, fruique paſſus eſt Eccleſia ſua Remenſi, & Pallio Roma ad eum miſſo. De iis Abbo certiorem fecit Pontificem, ut narrat in ejus vita Aimoinus. Hinc merito vocatur in dubium a viro doctiſſimo Coſſartio ſecunda Sylveſtri II. Papæ Epiſtola: Gerbertus eo nomine uti voluit, ubi Apoſtolica Sede potitus eſt. Ea Epiſtola reſtituitur Arnulphus, quaſi adhuc tum proſtratus jaceret: eique invidiam tamen illa facit, quaſi non alio nomine claudicaſſet ejus depoſitio, quam quod conſenſus Pontificis non acceſſiſſet. Eo Gerberti cauſa juvabatur, qui Arnulpho ſubrogatus fuerat.

Ceſſio Gregorii VI. in Concilio Sutrino anno 1046. parum diſtat ab hac Arnulphi reſignatione. Tradit Hermannus a Concilio depoſitum illum fuiſſe, tanquam qui in Sedem Apoſtolicam ſimoniacus uſurpator irrepſiſſet. Minus infeſtus illi quidem eſt Leo Oſtienſis, nec tamen ceſſiſſe illum ſcribit, niſi ſimoniæ convictum (1): *Simoniacus probatus, ſponte ſua ſede deſiliens, &c.* Dictum eſt a nobis alibi de ea ſimonia, cui legitimum non defuiſſet patrocinium, niſi præſens Concilio affuiſſet Imperator.

III. Ad paulo diverſam accedo ſpeciem. Ceſſit Epiſcopatu ſuo Oſtienſi Petrus Damiani Cardinalis, anno 1059. remiſſo ad Nicolaum II. annulo ſuo: *Cedo jure Epiſcopatus, & per hunc annulum, virgam enim tuliſtis, deſperata deinceps omni repetendi querela, renuntio;* datiſque ad eum litteris, quibus ſignificat, quicunque Epiſcopali ſe pompa & dignitate exuiſſent pura mente, caſtoque ſalutis conſilio, eos a ſalutis ſcopo nunquam aberraſſe (2): *Quia plerique qui Pontificatus jura non deſerunt, de ſiniſtris ſunt; quotquot autem legimus recta intentione dimiſiſſe, certa ſpes eſt eos de æterna cum Chriſto ſocietate gaudere.* Reſignabat Petrus Epiſcopatum Oſtienſem in manus Papæ, an ut Papæ, an ut Metropolitani? Nec enim alius ibi Metropolitanus, quam ipſe Papa. Ea certe Epiſtola coacervantur exempla pene innumera eorum, qui Epiſcopatus vel Abbatias reſignarunt, & in iis rariſſima veſtigia neceſſarii, aut expetiti Pontificum aſſenſus.

Quanquam Petro Damiani invito & renitenti eam Epiſcopatus ſarcinam impegiſſet Pontifex, non tamen adduci potuit, ut eum abſolveret: uti nec Lanfrancum Archiepiſcopum Cantuarienſem, qui & eandem vim ab Alexandro II. paſſus eſt, ut ordinaretur Epiſcopus, & eandem repulſam, ne eo pondere exoneraretur. Ne inauguraretur ante, ita reſtiterat, ut nec Regi cederet adhortanti, nec Epiſcopis cogentibus, ſed Legatis Pontificiis nomine Pontificis jubentibus, ut ipſemet teſtatum facit in ea Epiſtola, qua abeundi licentiam poſtulabat (3): *Factus ſum te cogente ſpeculator, &c. Legati tui ex Apoſtolica Sedis auctoritate præceperunt, &c. Rogo, ſicut veſtra, cui contradici fas non fuit, me auctoritate alligaſtis; ſic quoque alligatum, abrupto per eandem auctoritatem hujus neceſſitatis vinculo abſolvatis.*

Adde quod cum Archiepiſcopi & Primatis dignitate radiaret Lanfrancus, nec ſuperiori ſubeſſet ulli in Eccleſia præterquam Papæ: vix ab alio quoquam ſolvi poterat. Sed nihil hinc valide colligetur, quo alii ligentur Epiſcopi. Et ſane Pontificem conſulnit idem Lanfrancus, ſuper Hermanno Epiſcopo, qui ſecundo meditabatur Epiſcopatum abdicare, ut ſecundo ſe in reconditam abderet ſolitudinem, & religioſæ vitæ ac contemplationis delicias amplexaretur iis immoriturus: uno autem retardabatur metu cenſurarum a Metropolitano ſuo vibrandarum (4): *Niſi ego cenſura canonica obſtitiſſem, jampridem aut Regi Epiſcopatum reddidiſſet, aut clam ad monaſterium confugiſſet.* Nec licentiam Lanfrancus huic Epiſcopo repoſcit a Pontifice, ſed conſilium, licentiam illam debeat ipſe aliquando tandem concedere, an conſtanter abnegare: *Apoſtolicæ Sedis celſitudinem conſulendam putavi, quatenus ab ea inſtructi, certiſſime teneamus, quid concedere vel facere debeamus.* Conſulit & de alio Epiſcopo, qui juſtam & indeclinabilem præverterat depoſitionis ſententiam, voluntaria ceſſione: *Regi in conventu Epiſcoporum atque Laicorum Epiſcopatum reddidit.*

Si fateatur autem Lanfrancus, ſola excommunicationis intentatæ formidine cohibitum fuiſſe Hermannum Epiſcopum, ne rurſum cederet, ſicut primo ceſſerat; inde perſpicis necdum deſuevuiſſe Epiſcopos eo ævo ab abdicandis Prælaturis, nulla ſuperiorum

(1) Baron. ann. 1046. l. 2. c. 80.
(2) L. 1. Ep. 9 10.
(3) Baron. ann. 1070. n. 18.
(4) Lanfranci Ep. 1. 2.

riorum auctoritate fretos, idque XI. jam ſæculo. Habes & aliud ejus ævi exemplum in Petro Anagniæ Epiſcopo, qui Diœceſanorum ſuorum perverſitatem & inflexam contumaciam jam non ferens, Hieroſolymam adnavigavit, cum ad bellum ſacrum copiæ eo tranarent. Eccleſiæ ejus Patronus B. Magnus viſendum ei ſe exhibuit, peregrini ſpecie & habitu ſimulatum, narravitque uxoris ſe ſuæ pertæſum, trajicere in Paleſtinam, ubi reliquum vitæ tempus contereret (1). Tum Epiſcopus inſtare, non potuiſſe ab eo abrumpi uxorium vinculum, quo illum Deus conſtrixiſſet. Tum vero repoſuit illi cœleſtis hoſpes, ab eodem auctore Deo, nec minus recte conſtringi ſpiritale Epiſcopi cum Eccleſia ſua conjugium. Nec pluribus opus fuit, ut Petrus iter in Eccleſiam ſuam remotiretur.

Ea ut vides, erat Epiſcoporum quorundam ſimplicitas, quæ eos ad has ageret ceſſiones Eccleſiaſticis regulis obſtrepentes. Gregorius VII. ejuſmodi ſimplicitatem nihilominus caſtigandam ſibi duxit in Epiſcopo Italiæ, quem pœnitentiæ ſubeundæ cauſa Caſſinum ablegavit (2), *propterea quod Epiſcopatum ſine ratione dimiſerat.*

Sed non paulo admirabilior hujus Pontificis auſteritas explicuit ſe in Epiſtola ad Willelmum Angliæ Regem data, qua mandat (3), Archiepiſcopo Rothomagenſi ægritudinem ſuarum diuturnitate eam Eccleſiam pene viduatam jamdiu diſtinenti, perſuadendum eſſe, aut etiam præcipiendum, ut Paſtorem ordinari aſſentiretur, qui non ſolo nomine Paſtor eſſet: *Perſuadere non deſiſtant, ſi oporteurit, etiam auctoritate Apoſtolicæ, ut ſuo conſenſu ordinetur Eccleſia.* Eam perſuaſionem quæ Apoſtolica Gregorii VII. auctoritate fieret, præceptionem interpretatus ſum, quo ſolet more dici, ſummarum poteſtatum preces imperii vim obtinere.

Eidem Willelmo Normanniæ Ducem adhuc agenti, Malgerius Archiepiſcopatum ſuum Rothomagenſem reſignavit, cum alienata, ut reor, mente ſui compos non eſſet (4): *Deſipere cæpit, inſipientia ductus;* ut ait Monachus Gemmeticenſis. Dux Concilium Provinciale percunctatus, in eam ſedem provexit Monachum Cœnobii Fiſcannenſis, nulla interventione Papæ ab eo Scriptore memorata. Poſt ejus quidem Præſulis obitum, Maurilius vocabatur, ejus in locum Lanfrancus Abbas ſublegi fecit Epiſcopum Abrincatenſem, cum Clero, Regi, Magnatibus adludebſceret ipſum maxime Lanfrancum ejus ſedis honore decorari. Verum non obſcurum eſt adeundam fuiſſe tunc Apoſtolicam ſedem, ut ejus diſpenſatione fieret ea translatio: *Ut canonice fieret iſta conjugatio, Romam adiit.* Ita Ordericus ad annum 1067. (5)

In hac exemplorum ſerie, nullo conſtat argumento interponendam neceſſario fuiſſe Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, ad ſimplices reſignationes Epiſcopatuum, quanquam interponeretur ea nonnunquam, & paulatim ſterneretur via ad invehendam poſteriorem diſciplinam. Quæ neceſſario referendæ erant ad Summum Pontificem Primatuum reſignationes, conſultationes de ambiguis & perplexis reſignationibus, ceſſiones deponendorum Epiſcoporum, vel quorum in ſedem transferendi erant Epiſcopi, reſignationes ad quas immedicabili morbo afflicti Epiſcopi, etſi cogi non poterant, ſumma tamen auctoritate aliqua impellendi erant: hujuſmodi, inquam, reſignationes, quæ in dies crebreſcebant, viam complanabant recentiori nunc noſtræ diſciplinæ.

In eam rem aliud ex Fulberto exemplum ſuppetit. Pariſienſis Epiſcopus reſignatam ſedem ſuam recuperare conabatur. Contra Fulbertus niti, abjiciendam ei ſpem eam eſſe, cum ultro reſignaſſet, propter eas quibus fatigabatur ægritudines, Regemque exoraſſet, ut Decanum Eccleſiæ Pariſienſis ſibi ſucceſſorem daret; electum reapſe fuiſſe Decanum, ejuſque electionem a Pontifice confirmatam; denique obtemperatum eſſe B. Gregorii præceptis, qui graviſſimis morbis decumbentes Epiſcopos nec ad reſignandum cogi volebat, nec prohiberi (6): *Tu ultro cauſa ægritudinis, ut ajebas, curam Epiſcopalem ſimul & Cathedram reliquiſti. Francenem Decanum ſubrogari tibi verbis & ſcriptis a Rege petiiſti. Subſtitutus eſt Franco, eligente Clero, ſuffragante populo, dono Regis, approbatione Romani Pontificis, per manum Metropolitani Senonenſis. Fulcitur utique ſubſtitutio & conſecratio ejus favore & auctoritate B. Gregorii Papæ, qui ſcriptis ſuis nulli Pontificum non petenti, pro qualibet ægritudine*

(1) Baron. ann. 1099. n. 42.
(2) L. 5. Ep. 15.
(3) L. 5. c. 19.
(4) L. 7. c. 24.
(5) L. 4. p. 506.
(6) Epiſt. 8.

ſuccedendum ſore docuit ; ita voluntarie renuntianti ſedi ſuæ , ſucceſſorem nullo modo denegavit . Placuit ut & Pontificis auctoritas interveniret , ne qui cedebat , pœnitentia poſt ductus Eccleſiam repeteret : utque firma eſſet ſucceſſoris electio , a Papa confirmata fuit . Non poterat id eſſe rarum , cum cedentibus Epiſcopis dandi neceſſario eſſent ſucceſſores . Ita frequentiſſime interveniebat Pontifex . Unde & expeditius aliquando tandem viſum eſt , ut ceſſiones omnes ejus examini & judicio permitterentur .

Quoad regulam autem Gregorii , haud ſcio , an admitti ille vellet ceſſiones ſponteneas omnes ægrotantium Epiſcoporum , ut Fulbertus innuit : an ad ſolas impatientes curæ ægritudines id ab illo coarctaretur . Illud certe indubitatiſſimum eſt , vehementer illum intereſſiſſe , ne invitis , quantumlibet ægrotis , ceſſiones extorqueretur . Unde & mirari ſubiit paulo ſupra Gregorii VII. ea in re inclementiam .

IV. Cum Beccenſem adhuc regeret Abbatiam Anſelmus , per litteras eniſiſſime oravit Urbanum II. ut Bellovacenſi Epiſcopatu exoneraret unum ex Monachis ſuis , cui ut Epiſcopali farcinæ ſuccederet , ipſemet vim attulerat : *Quem Epiſcopum fieri coegi* . Sanctitate ille in Cœnobio claruerat , claruit & in Epiſcopatu , ſed eximius quidam animi candor & mira morum ſimplicitas ſæculari aſtutiæ & verſipelli Auliçorum prudentiæ deridiculo erat (1) : *Non eſt talis , qui tantam malitiam irruentem , tantas inſidias circumſtantes cavere poſſit . Quapropter ego & alii amici ejus corde proſtrernimur eum ipſo ad veſtigia veſtræ miſericordiæ , ut ei viſcera ſua aperiat , & de tanto malo & periculo , in quibus ſine uritate eſſe ſe ſentit , clementer eripiat* . Non ſatis comperi , an Pontifex annuerit : illud conſtat . 1. Anſelmo viro doctrina & pietate ſingulari hanc ſatis idoneam viſam eſſe cauſam ceſſionis . 2. Ad Pontificem ventum eſſe , ut ea ceſſio rata haberetur . 3. Nec niſi per eum ratam eſſe potuiſſe .

Si tum vacaſſet Remenſis ſedes , non temere quis ſuſpicaretur relatum eſſe ad Papam loco Metropolitani . Ea quippe , aut perſimili ratione idem Anſelmus Abbatem cedere volentem propter corporeas infirmitates , dehortatus eſt ne id faceret , ſi qua confirmandæ valetudinis ſpes eſſet reſidua : ſaltem ne faceret , niſi aſſentiente Archiepiſcopo , quando Epiſcopalis ſedes viduata erat (2) : *Si aſſenſu & conſilio Archiepiſcopi , quia Epiſcopum non habetis , talis electa fuerit perſona , &c. Licite , ſi ad ſalutem deſperatis redire , poteſtis dimittere* .

Ceterum injuſſu Sedis Apoſtolicæ Epiſcopos abiiſſe adhuc Eccleſiis ſuis , luculente proditum eſt ab Ivone Carnotenſi ad Paſchalem II. ſcribente , falſis rumoribus jactatum eſſe , & Romam uſque perlatum , Epiſcopum Sueſſionenſem canonico judicio de criminibus convictum & exauctoratum fuiſſe : enimvero pium Præſulem experimento ſuo edoctum , difficillime poſſe ſe inter Epiſcopales ſollicitudines ſaluti ſuæ ſatis conſulere (3) : *Propter Prælatorum pericula , quæ jam expertus fuerat , ſe ſalubrius ferre non poſſe :* ſtatuiſſe confugere in fidam Monaſticæ vitæ ſtationem : *Summa fuit conſilii ſui , ſe malle in loco humili ſalvari , quam in alto periclitari :* aperuiſſe illum ſibi hoc animi ſui propoſitum : ſe primo vehementer illum deterruiſſe , ſed tandem approbaſſe : moras in eo tantum nexti , quod ægre paterentur quenquam ex Epiſcopo in Abbatem decreſcere : *Nihil opponunt , niſi quod Epiſcopali dignitati ſiet injuria , ſi qui Epiſcopus ſuit , ſiat Archimandrita* . Apoſtolicæ Sedis eſſe , ut hanc elevet difficultatem , obicem amoveat ; cum quæ Abbatibus infunditur benedictio , in ſacramentorum numero non ſit ; nec poſſit , ſi Epiſcopo conferatur , pro iterata ordinatione haberi ; denique ſi quid adhuc reſideat ſcrupuli , minime neceſſe eſſe , ut Epiſcopus Abbatiam adminiſtraturus , Abbatum benedictione confecretur . Ex his dilucidum fit , ei ceſſioni Papam non interveniſſe . Sed illud magis noſtra refert obſervare , cum non amplius deponerentur Epiſcopi , niſi interpoſita Papæ auctoritate ; & cum rurſus poſſent ceſſiones traduci ac infamari , ac ſi depoſitiones eſſent : hinc non facile ceſſiones proceſſiſſe , niſi communicato cum ſummo Pontifice conſilio .

Teſtimonio & exemplo utemur Hildeberti Cenomanenſis Epiſcopi , qui acerbiſſima Angliæ Regis infeſtatione compulſus eſt ad reſignandum Paſchali II. Epiſcopatum . At is Pontifex noluit Eccleſiam tam invicto orbari libertatis ſuæ defenſore & vin-

(1) L. 2. Ep. 34. (2) L. 3. Ep. 141. (3) Ep. 19.

vindice (1) : *Religionis ſinum quaſi aram jam dudum complexus eſſem, ſi conſultus Papa Pontificis onus amoliri permiſiſſet. Ille dum me remiſit ad laborem, invidit gloriam, non imputet ei Dominus.* Videri poteſt ille conſulendæ potius Sedis Apoſtolicæ cauſa ſuper abdicatione ſua Romam conceſſiſſe. Alia enim ipſemet Epiſtola abunde prodidit, quam perſuaſum ſibi eſſet, non poſſe Paſtorem niſi conſilio & auctoritate Paſtorum ſuperiorum a cura & regimine commendatarum ſibi ovium diſcedere. Ideo & non aliter Arnulphus conſilium Papæ, quam cœleſte imperium interpretatus eſt.

Goffridi Ambianenſis Epiſcopi ea fuit ſui deſpicientia, ea æternorum caritas, ut non ita facile potuerit, ac Arnulphi, intra Canonum lineas cohiberi. Licentioſæ & propudioſæ civium ſuorum vitæ radio & impatientia abreptus, in Carthuſiæ Majoris ſeceſſum ſe abſtruſit : inde litteras ad ſuos dedit, alium ut ſibi Epiſcopum eligerent. Vix quidem, ſed compulſus tandem aliquando tamen eſt a Rege, a Legato Pontificio, a Metropolitano Remenſi, a Bellovacenſi & Sueſſionenſi Conciliis, ut dimiſſo te redderet Eccleſiæ ſuæ clavo ; objurgatus eſt & a Legato, quod non alio quam ſui ipſius conſilio & impulſu creditam ſibi Eccleſiam abjeciſſet (2) : *Duriuſcule eum tunc appellavit Cono Legatus, quod injunctum munus reliquiſſet.* Impar fuiſſe videtur Metropolitani auctoritas ad Goffridum revocandum, niſi Legati imperium acceſſiſſet : *Cum non poſſet vir Dei illius aliorumque Epiſcoporum auctoritati obluctari, ad ſuam rediit Eccleſiam, &c.* Potuit illud & in cauſa fuiſſe ex parte aliqua, referendarum ad ſummi Pontificis judicium ceſſionum Epiſcopalium, quod non ea jam amplius eſſet in Metropolitanos reverentia, quæ Epiſcopos frænare, & ab his inconſideratis conſiliis deterrere poſſet.

Legatus alius qui Concilio Londinenſi præerat anno 1138. Regis præſentia & poteſtate ſubnixus, Joanni Epiſcopo Glaſcovienſi, qui ſine licentia in Monaſterium ſe ſubduxerat, anathema nomine Concilii intentavit, niſi ad Eccleſiæ ſuæ intermiſſum regimen ſe referret.

Aliquantis ante annis Gratianopolitanus Epiſcopus Hugo, ille ſanctitatis gloria conſpicuus, per Legatos & per Epiſtolas ingeminatis precibus Romanum Pontificem fatigaverat, ut Epiſcopatus nexu ſolveretur. Erat is Honorius II. (3) *Epiſcopalem ſarcinam modis omnibus exuere deſiderabat : hac voluntate in dies augumenta ſumente, Romam litteras & Legatos in hoc ipſum ad veneranda memoria Papam miſit Honorium.* Repulſam paſſus a Pontifice, nihilo ſegnior factus eſt ; ſenii enim, & earum quæ ſenii comites indivulſæ ſunt, ægritudinum immemor, Romam ipſemet perrexit, Pontificis ut animum expugnaret : *Romanum Pontificem adire curavit, rogans ſuppliciter & obteſtans dari ſenectuti ſuæ licentiam quieſcendi.* Pontifici contra ea ſedebat animo ſententia, virtutum tantarum præſidiis inſtructum ſenem exemplo & religionis reverentia plus Eccleſiæ profuturum, quam recentem & juvenili vigore exercitum quemlibet Epiſcopum alium : *Creditum eſt, quod ſola auctoritate & ſanctæ converſationis exemplo, plus poſſet plebi prodeſſe ſubjecta, debilis & ægrotus, quam quivis alius, robuſtus licet & ſanus.* Sed ne tum quidem quievit infatigata Præſulis ſanctiſſimi humilitas ; quin ubi Honorius II. Papa in Gallias commeavit, novis eum machinis oppugnare aggreſſus eſt, ut eandem ab eo licentiam expugnaret. Nihilo felicior fuit hæc iterata pugna, ſed & repulſa toties iterata nihilo tepidior factus Hugo, abjiciendæ ſemper cupidiſſimus ſarcinæ, quod a Pontifice non potuerat, morte coalescentus eſt. Hactenus ex Scriptore ejus vitæ (4), ex quo manifeſte intelligis, ut interperet magis magiſque in dies ſingulos uſus adeundi Pontificis in hujuſmodi cauſis ; & quam fixum ſemper ſtatumque fuerit, non ſolvi ſacris Eccleſiæ ſuæ vinculis Epiſcopos, ſola ægritudinum corporearum vi, quando ſuperarat vigor animi, virtutum claritas, exempli ingentis auctoritas, memoria ſuaviſſima actæ ſanctiſſime vitæ.

Nec magis propitium expertus eſt Innocentium II. beatus Malachias, Armacanus in Hibernia Archiepiſcopus & Primas, cum Romam ſe contuliſſet anno 1137. & nec precibus, nec lacrymis temperaret, quo Pontificis animum emolliret (5) : *Cum multis lacrymis implorabat licere ſibi vivere & mori in Claravalle, permiſſu & benedictione Summi Pontificis.* Ita Bernardus in Malachiæ vita. Extat & ejuſdem Bernardi

(1) Baron. ann. 1107. Ep. 24. 46.
(2) Baron. ann. 1114.
(3) Baron. ann. 1128. n. 2.
(4) Apud Surium, menſe April.
(5) Baron. ann. 1137. n. 25.

Epiſtola ad Turſtinum Eboracenſem Archiepiſcopum, quem ſedulo monet in Epiſcopali miniſterio Monachum agere eum debere (1): *Humilitatis habitu, vitæque ſanctitate Monachum exhibeatis in Epiſcopo:* & abdicationis ſpontaneæ conſilia abſegare, atque animo prorſus abjicere, niſi Pontificis extudiſſet licentiam, aut aliquo facinore conſcientiam ſauciaſſet: *Niſi forte, quod abſit, & nos non credimus, mortale aliquid commiſſum ſit, aut Summi Pontificis auctoritate emerito fuerit indulta licentia, &c. Si cauſa latens cedere compellat, aut dominus Papa quietem indulgeat.*

Idem rurſus alibi docet Bernardus conceſſas fuiſſe a Pontifice licentias Abbatibus, ut pedum abjicerent, Monachis ut Cœnobiis demigrarent. Diſplicet quidem illi, quod Abbas Morimundi Abbatia ſua dimiſſa, cum Monachis aliquot in aviam ſeceſſiſſet ſolitudinem, non impetrata Abbatis Ciſtercienſis & Epiſcopi Lingonenſis venia: *Nam utrique debitor erat.* Sed non negat Bernardus in poteſtate Pontificis totum fuiſſe, quanquam vehementer ſuſpicari ſe dicat, eam permiſſionem aut mendacio expreſſam fuiſſe, ut importunitate (2): *Quod tamen ſummum feciſſe Pontificem nunquam crediderim, niſi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum.*

Ad Epiſcopos retorquenda denuo oratio eſt, & eorum refricanda memoria Prælatorum magno prorſus numero, qui cum ſacris inſignibus ab Imperatoribus & Regibus inveſtiti fuiſſent, Romam convolabant, Epiſcopales ſarcinas Pontifici reſignaturi, non ut eas canonice mox denuo ſubirent, ſed ut omnino abjicerent: quamvis tam ſanctis deſideriis ſurdæ jure merito, & obſtructæ eſſent Pontificis aures. Ejuſmodi fuit Otho Bambergenſis Epiſcopus anno 1103. (3) ſub Paſchali II. ut perhibet Scriptor ejus vitæ. Ejuſmodi fuit & Thomas Cantuarienſis Epiſcopus anno 1163. juxta Willelmum Neubrigenſem (4): *Secreto in manus domini Papæ reſignavit.* Nec eo contentus Thomas, denuo vertente anno in Conſiſtorio Cardinalium ceſſionem ſedis ſuæ iteravit. Deliberatum eſt inter Cardinales, an acquieſcendum eſſet ceſſioni, atque ita pax Eccleſiæ & Regno Angliæ conciliandæ: an potius adierendus eſſet ſuæ dignitati & poteſtati ſacræ, invictiſſimus Eccleſiæ & Cleri libertatum defenſor. Huc inclinavit Pontifex, nimirum Alexander III. cujus & hæc fuere ad Thomam verba, cum ſua illum ſanctius inveſtiret Eccleſia: *Reſignatione facta, &c. jam ſecure poteris de novo de manu noſtra Pontificalis officii curam recipere, dum te in integrum ducimus reſtituendum.*

V. Prodit ſe ſpecies alia, cum rarior, tum illuſtrior. In Epiſcopatum Lincolnienſem allectus fuerat Goffridus minor natu Regis Angliæ filius. Cum incurioſus ordinationis ſuæ moras ille traheret, idem Pontifex Alexander III. ad Archiepiſcopum Cantuarienſem reſcripſit, ut illum vibrato cenſurarum mucrone terreret, compelleretque aut Epiſcopatum cedere, aut quamprimum ordinari (5): *Eccleſiaſtica cenſura compelleret electioni ſuæ renuntiare, vel ſine dilatione ordinem Sacerdotis & Pontificalis officii dignitatem recipere.* Ita Rogerius, qui mox depromit Epiſtolam ejuſdem Goffridi, qua Archiepiſcopo Cantuarienſi Epiſcopatum reſignat, ut in eam rem delegato a Sede Apoſtolica, cum alioqui Metropolitana poteſtate fretus eſſet: *Omne jus electionis meæ, & Lincolnienſem Epiſcopatum ſpontanee, libere & integre in manu veſtra, Pater ſancte, reſigno, tam electionis, quam Epiſcopatus abſolutionem poſtulans a vobis, tanquam a Metropolitano meo, & ad hoc ab Apoſtolica Sede ſpecialiter delegato.* Perſpicis hic Metropolitani auctoritatem, utcunque adhuc effulgeſcentem ad reſignationes admittendas, ſed Pontificia delegatione tunc roboratam, neceſſaria tum quidem forſan, quod non facile alias auſurus ſuiſſet Archiepiſcopus Cantuarienſis in filium & fratrem Regum Eccleſiaſticum mucronem diſtringere.

Idem ipſe erat Rex Angliæ, cujus inſectationibus fatigatus & animo fractus Arnulphus, de quo ſupra, Lexovienſis Epiſcopus, in Abbatiam Pariſienſem S. Victoris ſe ſubduxerat, ubi & tandem mortalibus exuviis & ærumnis abſolutus eſt. Pium ille ante ea de re, & doctum virum conſulnerat Petrum Bleſenſem, a quo & hanc elicuerat reſponſionem: Ingraveſcentem ætatem & corporeas ægritudines, ex ſanctorum Patrum regulis, ſatis cauſæ habere, ut Coadjutorem arceſſeret, non ut Eccleſiæ ſuæ renuntiaret: ignavi eſſe & ſocor-

(1) Bernard. Ep. 372. (2) Bernard. Ep. 4. 5. 6. 7. 82. (3) Baron. ann. 1103. n. 1.
(4) Baron. ann. 1163. n. 18. 1164. 39. (5) Baron. an. 1181.

ſocordis iram Regiam extimeſcere; poſſe Principis animum rurſus captari & demulceri modeſtia & ſui dejectione: nec enim ulla magis re exaſperari Regum animos, quam præſulum contumacia & rebellione (1): *Si veſtri Principis gratiam affectatis, eam poteſtis obtinere leviſſime, dummodo vos habeatis circa eum umiliter & devote. Ipſe homo eſt qui rebellionem & contumaciam in Epiſcopis ſuper omnia deteſtatur. Ipſe eſt qui ſola humilitate vincit & vincitur.* Eſt in hoc magnanimi & modeſti Regis encomio, quod ad admirationem noſtram, ad poſterorum exemplum valeat. Denuo Arnulphum Bleſenſis monet fidentiſſime, ſi ut fama ferebat, per ambitionis & favoris cuniculos ad Epiſcopale culmen adrepteraſſet, non aliud expeditius eſſe tanti flagitii piaculum, quam ut ſanctiſſimæ renuntiaret dignitati, ad quam tam profano animo & conatu aditum ſibi feciſſet: *Porro aliunde ſubeſſe poteſt legitimæ reſignationis occaſio. Dicitur quod ab adoleſcentia cœpiſtis Eccleſiaſticos honores olfacere; & ad hunc honorem, qui nunc onerioſus eſt vobis, obſequiis & interceſſionibus & aliis ambitionis humanæ ſuffragiis aſpirare. Currite ad conſcientiæ veſtræ teſtimonium; & ſi inveneritis vos minus canonicum habuiſſe ingreſſum, ſitis ſolliciti de egreſſu. Nam hic reſignatio habet locum. Beato enim Gregorio teſte* (2) *qui in ovile ovium, non per oſtium, ſed aliunde aſcendit, ad æternæ ſalutis brevium in vanum ſe fatigat, niſi honorem in quo deliquit, penitus derelinquat. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio, facta Epiſcopatus ceſſione, privatam eligere vitam, ſi recolitis conſcientiam veſtram jam dictæ promotionis obtentu fuiſſe vel in modico vulneratam. Si meæ parvitatis acceptatis conſilium, nihil omnino retinebitis penes vos, quod acquiſieritis per peccatum.* Idem alibi argumentum verſavit Petrus Bleſenſis de Abbatibus (3). Agit Arnulphus ipſe Epiſtola 57. de ceſſione ſua, nec declarat, an Papæ, vel Metropolitani licentia obrenta fecerit.

Augurari aliquid forſan licebit ex vita B. Hugonis Licolueniſis Epiſcopi, qui eodem tempore vitam cum ageret, Pontifices profecto omnes Epiſtolis & precibus ſuis fatigavit, ſe ut Eccleſiæ ſuæ aureis, ſed moleſtiſſimis compedibus exolverent. Gravibus tandem Romæ comminationibus fœviendum fuit, ne poſthac iſtiuſmodi ab eo Epiſtolæ perferrentur (4): *A ſingulis Romanis Pontificibus, qui ejus tempore Eccleſiæ præfuerunt, id humillime petiit, ſed non obtinuit, &c. Nuntios cum minis remiſerunt, vetueruntque ne deinceps hujuſmodi litteras ad Apoſtolicam Sedem deferrent.*

VI. Non injuria ergo morem illum exiſtimabimus, qui jamdiu ſerpebat, & altiores in dies ſingulos agebat radices, non dimittendorum niſi conceſſione Papæ Epiſcoparuum, ſub Alexandro tandem III. conſtitutum confirmatumque fuiſſe, ita ut rariſſime jam in eum peccaretur. Ex ejuſdem ipſius Pontificis Epiſtola ad Epiſcopum Lincopenſem in Dania, ad utriuſque hujus rei confirmationem argumenta eliciuntur. Scribit enim, quanquam non potuiſſet præceſſor ejus reſignato Epiſcopatu in manus Archiepiſcopi Lundenſis, injuſſu Sedis Apoſtolicæ in Cœnobium ſe abſtrudere: ultro a ſe tamen id diſſimulari, & electionem ejus confirmari (5): *Licet eo non licuerit abſque auctoritate Romani Pontificis Epiſcopali dignitati abrenuntiare; volentes tamen, &c.*

Perhibet quidem Rogerius anno 1172. & 1175. Epiſcopum S. Aſaphi in Wallia ab Eccleſia ſua receſſiſſe, & ab Archiepiſcopo Cantuarienſi coactum eſſe aut repetere priſtinam ſtationem, aut ſedem ſuam pure & ſimpliciter reſignare: *Ut in vi obedientiæ ad Sedem propriam rediret, vel curam Paſtoralem, quæ ſibi fuerat commiſſa, in manu ipſius libere & abſolute reſignaret.* Ceſſit Epiſcopus in manus Archiepiſcopi, verum id totum fiebat *admonitione Alexandri ſummi Pontificis*. Idem uſus obtinebat & in Germania. Cum enim ibi pax non potuiſſet inter eundem Pontificem & Fridericum I. Imperatorem anno 1177. niſi ea lege fanciri, ut Archiepiſcopus Saliſburgenſis loco decederet, uſque adeo in illum excanduerat Fridericus: etſi ſubinvitus, renuntiavit tamen Eccleſiæ ſuæ Prætul in manus Papæ, ut teſtantur fit ipſius Papæ litteris ad Clerum Saliſburgenſem datis: *Cum gratiam Friderici Imperatoris recuperare non poſſet; maluit cedere, quam contendere.*

Albanenſis Cardinalis Henricus ad id faſtigii ex Abbate Claravalenſi evectus, eundem Pontificem etiam atque etiam interpellavit, ut Archiepiſcopo & Primati Hiber-

(1) Petri Bleſ. Ep. 44.
(2) Greg l. 9. Ep. 40.
(3) Ep. 102. Roger. p. 623.
(4) Baron. an. 1191. n. 46.
(5) Append. 1. Ep. 23.

bernix annis confecto, & laboribus, copiam faceret decedendi Eccleſia, annueretque ei quem ille ſibi delegerat ſucceſſorem (1): *Rogamus, ut votis & deſideriis prædicti Pontificis, tam in abſolutione ejus, quam in ordinatione iſtius efficaciter annuatis.*

Alienum prorſus non erit hoc loco referri quod de Archiepiſcopo Turonenſi narratur; etſi id enim non inter ſimplices reſignationes collocari poſſit, ad eas tamen alludit plurimum, etiam quantum ad interponendæ auctoritatis Pontificiæ neceſſitatem. Cum is Præſul itineri ſe commiſiſſet, ut Romam pergeret, in Cœnobio Caritatis ad Ligerim graviſſimo percullus morbo decubuit, deſperataque ſanitate, Monaſticam induit veſtem, & Inſtitutum profeſſus eſt Cluniacenſe. Convaluit tamen, & Cleri ſui urgentiſſimis precibus ſollicitatus, ut ſuæ ſe redderet Eccleſiæ, rem judicio commiſit Summi Pontificis. Erat is Innocentius II. quem & per litteras cohortatus eſt Cluniacenſis Abbas, Præſulem ut eum prudentiæ & virtutum laude probatiſſimum Eccleſiæ Turonenſi reſtitueret (2): *Reſpondit Archiepiſcopus, nihil ſe horum facturum, priuſquam res vobis innoteſceret, & a Paternitate veſtra, quod ſibi faciendum eſſet, audiret.* Et infra: *Rogat Turonenſis Eccleſia, rogat juſtitia, quatenus Paternitas veſtra, cui omnium Eccleſiarum ſollicitudo a Deo commiſſa eſt, redire perſuadeat, & ſi ſponte neluerit, etiam invitum compellat.*

VII. Eo erat loco Eccleſiaſtica in ceſſionibus & renuntiationibus diſciplina, cum Throno Apoſtolico ſedere cœpit Innocentius III. Servabantur jam integræ Pontifici renuntiationes, vel ceſſiones & translationes Prælatorum. Non is autem erat hic Pontifex, qui Eccleſiæ ſuæ jura defluere ac vileſcere pateretur. Hinc eſt quod ille eo de jure ſemper verba fecerit, tanquam de jure canonico in Eccleſiis receptiſſimo. Audi ut ad Epiſcopum Wirtsburgenſem reſcripſerit (3): *Multa ſunt quæ præter ſpecialem auctoritatem Sedis Apoſtolicæ non poſſent, nec deberent impune ab aliquibus attentari, utpote ceſſiones & translationes Epiſcoporum.*

Verum quod ad illa pertinet Decretalium capita, ubi Innocentius III. conjugium ſpiritale Epiſcopi cum Eccleſia ſua comparat carnali, & utriuſque vinculum peræque inſolubile conſtituit; ut tam a Deo ſolo poſſit ſolvi, quam ab eo uno potuit inſtitui: perſpicuum eſt, hoc unum Innocentio propoſitum tunc fuiſſe, ut uſum Eccleſiæ pervagatiſſimum elucidaret, & novo aliquo illuſtraret lumine. Sed ne in mentem quidem venit unquam Pontifici, eam rem ſeveriſſimo examine rutinari, ac vexari debere, perinde ac ſi inconcuſſi dogmatis ea conſtantiſſima veritas proponeretur. Cum enim doctis omnibus in confeſſo ſit doctiſſimum illum fuiſſe Pontificem, eum minime omnium latere potuit: 1. carnalis conjugii vinculum longe arctius eſſe & indiſſolubilius, quam Epiſcopi cum Eccleſia ſua, cum tam crebræ de illo diſpenſationes fuerint, ſintque etiamnunc, etiam poſt conſummationem, id eſt poſt conſecrationem Epiſcopi, illius autem nec fuerit unquam ulla, nec futura ſit. 2. Cum ab Eccleſia, cum a Pontifice ne tentatum quidem unquam ſit, ut carnale connubium ratum & conſummatum irritarent; circumcideretur eorum poteſtas admittendarum ceſſionum, & translationum faciendarum, ſi obſtinatius duo illa conjugia æquanda eſſe contenderetur. 3. Sibi ipſi collideretur in ſuo hoc Decreto Innocentius, ſi inſitatam aliquam ſibi adrogaſſet poteſtatem in ſpiritalia conjugia; ex comparatione matrimonii carnalis, & ex illa ſingulari prærogativa, qua nituntur Romani Pontifices, ut Chriſti cujus ſunt Vicarii, ſint & ſummæ poteſtatis adminiſtri. Regereretur enim illi, tam ergo non poſſe eos ceſſiones Epiſcoporum ſuo judicio ratas vel irritas facere, quam nec carnalis conjugii ſemel conſummati copulas.

Non ergo cenſorio hoc rigore, & ſcrupuloſo examine vexandum eſt hoc Decretum, ut nec complura alia; quæ quandiu ſunt in uſu, variis myſticiſque illuminantur rationibus, & comparationibus; quæ jam non conſtant, nec tempeſtivæ ſunt, ubi contrarii invaluere mores, quibus adaptantur ſtatim lumina & exempla, prioribus adverſa, & inculentiſſima tamen, dum novæ hæ leges uſu valebunt. Quæ certo, & conſtanter & immutabiliter vera ſunt, ſibi ipſis nunquam adverſantur, quod ea omnia in unam coaleſcant incommutabilem veritatem, ſui ſemper ſimillimam. Sed quæ veriſimilia & probabiliter tantum vera ſunt, ea & alia ab aliis ſunt, & non raro ſibi viciſſim

(1) Bibl. Ciſterc. T. 3. p. 242.
(2) Petr. Clun. Abb. l. 4. Ep. 10.
(3) Extrav. De majoritat. & obed. C. Illud.

ſim pugnantia, & ex iis tamen maxima vitæ noſtræ, humanique regiminis pars dirigitur & adminiſtratur, quando non aliis quam his radiis ſempiterna le nobis veritas quaſi obnubilata oſtendit. Nec aliter ſe res habet in Legibus, quæ æternæ quidem & incommutabiles, & ſui nunquam diſſimiles ſunt, quia una illa æterna & incorruptibilis Lex eſt Deus ipſe. At temporales Leges cum tempore ipſo alternant, & ſui alias & alias fere diſſimillimæ ſunt. Hæc temporalium Legum varietas & inconſtantia illi innectitur veriſimilitudinis & probabilitatis verſatili naturæ, non veritatis inconcuſſæ ſtabilitati. Qui Sabbatis toto anno jejunabant, & qui tres frequentabant annis ſingulis Quadrageſimas, iis locis & temporibus, quibus ab his abhorrebat Eccleſia, explodebantur a Catholicis Patribus & Conciliis, & impugnabantur rationibus e media Theologia petitis. Qui poſterioribus ſæculis idem factitavere, cum jam priores judaizandi, & cum hæreticis conſpirandi ſuſpiciones eſſent diſſitæ, non tantum nullo convicio, ſed eriam magnis laudibus affecti ſunt, nec defuere rationes myſticæ; quibus ii uſus tunc receptr commendarentur. Rationes ergo hujus generis ejuſmodi ſunt, ut nemo iis inniti debeat, quo aliquid novet: nemo iis dum uſitatæ diſciplinæ ſuffragantur, obtrectare, aut cenſoriam virgam illidere. Nec enim eæ ad res conſtituendas promuntur; ſed ad eas, quæ conſtitutæ jam olim ſunt, illuſtrandas.

Eo ſenſu legendus & interpretandus eſt Innocentius III. penes Apoſtolicæ Sedis Pontificem ſolum jus eſſe diſpenſandi de utriuſque conjugii vinculo, ſpiritalis & carnalis: ut enim Deus unus auctor eſt utriuſque conjugii, & ejus iuconvulſi nexus, ita Dei Vicario potiſſimum competit poteſtas utriuſque, ubi jus ſalque eſt, relaxandi. Uſu id jam receptum erat. Vidimus Alexandrum III. ſic jubentem, ſic docentem, ut qui ſolus poſſet Epiſcopos abſolvere a competibus Eccleſiarum ſuarum. Quod ad carnale autem pertinet matrimonium, conſanguinitatis impedimentum Canonicum, quod ad ſeptimum uſque gradum jamdiu exporrigebatur, Innocentius III. ad quartum contraxit, plaudente Eccleſia.

Ita mihi quidem videntur exponendæ Pontificis hujus Decretales eæ, quæ ad ceſſiones ſpectant, aut ad diſpenſationes Papæ reſervatas (1): *Non enim homo, ſed Deus, ſeparat, quos Romanus Pontifex, qui non hominis, ſed veri Dei vicem gerit in terris, Eccleſiarum utilitate, vel neceſſitate penſata, non humana, ſed divinæ potius auctoritate diſſolvit.* Divina ea, quam ſibi Innocentius vindicat, auctoritas illa nimirum eſt a Deo inſtituta. Divinitus enim inſtituta eſt Primæ Sedis poteſtas. Et quanquam primoribus Eccleſiæ nondum reſervata illis eſſent nonnulla inſignis poteſtatis capita, & necdum tum ea ſpectarentur, ut germina quædam Primatus divinitus inſtituti: nbi tamen uſu poſt convaluit, ut ea illi integra ſervarentur, jam omnino conſentaneum eſt, ut dicantur ea eſſe jura & privilegia propria Capitis Eccleſiæ divinitus conſtituti. Non ergo ea eſt Innocentii mens, ut ceſſionum admittendarum poteſtas jure divino ad ſolum pertineat Romanum Antiſtitem: ſed hoc ille unum his ſuis Decretis innuit, cum longa temporum eventuumque viciſſitudine res eo tandem perdućta fuit, ut ea poteſtas uni primæ Sedi reſervaretur: æquum jam eſſe, ut eſſe hic reputetur fructus, qui aliquando tandem ex divino eſſluerit Primatu, & tum eſſluxerit ex ea, in qua cœleſti veluti radice delitelcebat, quando ita utilitati & ædificationi Eccleſiæ conſentaneum fuit.

VIII. Venio ad Canonicas Epiſcopalis ceſſionis cauſas; & quidem prætermiſſis compluribus aliis ejuſdem Innocentii Epiſtolis, (2) ubi tantum non vim adhibet quibuſdam Epiſcopis, ſento & ægritudine exhauſtis, vel oneri tanto imparibus, ut voluntarie renuntient: ad unam venio famoſiſſimam Epiſtolam Decretalem, in corpore Juris emicantem, ubi ſex aperit cauſas Canonicas reſignandi Epiſcopatus. Prima eſt crimen patratum, ſed ejuſmodi crimen, cui illigata ſit irregularitas, quæ ne per pœnitentiam quidem expietur (3): *Propter conſcientiam criminis cedendi poteſt licentia poſtulari, & forſitan non cuilibet, ſed illius duntaxat, propter quod ipſius officii executio poſt peractam pœnitentiam impeditur. Cum ſi omnes quos arguit conſcientia cujuslibet culpæ cederent, pauci vel nulli in illo miniſterio remanerent.* Altera eſt corporis

(1) Extrav. De translat. Epiſc. c. 2. 3. 4. & De Majoritate c. 5.
(2) Regeſt. 14. Ep. 32. 34. Regeſt. 15. Ep. 14. Regeſt. 16. Ep. 140.
(3) Extrav. De Renunt. c. 10.

poris ægritudo, ſenio, vel morbis invecta; ſi tanta nimirum ea ſit, ut paſtoralium quis functionum pondus non ſuſtineat: *Per quam impotens redditur ad exequendum paſtorale officium*. Tertia eſt ſcientiæ penuria; quanquam mediocris tantum ſcientia toleranda ſit: *Etſi deſideranda ſit eminens ſcientia in Paſtore, in eo tamen eſt competens toleranda*. Quarta eſt averſatio gregis in Paſtorem ita contumax, ut labor ejus omnis infructuoſus jaceat, obſtique pene magis, quam proſit.

Evermerus Hieroſolymitanus Patriarcha, cum in Concilio Romano diluiſſet accuſationes omnes, quibus Balduinus Rex Hieroſolymitanus, & Arnulphus ejus Cancellarius illum impetiverant, eumque priſtinæ dignitati Paſchalis Papæ II. judicio reſtitutus ſuæ Sedi ſuiſſet: tum vero ſpontanea ceſſione renuntiavit Eccleſiæ ſuæ, expertus quam vinci frangique non poſſet Regis ab ipſo alienatio, & præſagiens quantum impenderet diſcriminum renitenti ei Eccleſiæ, ſi conſtanter jus ſuum tueri pergeret. Alberius Canonicus Aquenſis, & Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ ſcriptor, rem narrat his verbis (1): *Rege ex Arnulphi inſtinctu, amplius Patriarchæ adverſante, nec eum in ſedem Patriarchatus redire conſentiente, actum eſt multorum conſilio, quatenus Evermerus ſine Conciliis & judicio, Patriarchatus ſui dignitatem ultro abſque ulla ſpe relinqueret; ne ſancta ac novella Eccleſia Jeruſalem in hoc odio & contentione tot diebus Paſtoris vigilantia careret*. In ejus locum ſuffectus eſt Gobellinus, Regis, Cancellarii, & Cleri ſuffragiis, *Regis, Cancellarii, & totius Eccleſiæ electione Gobellinus ſubrogatur*. Eccleſiaſticis & canonicis regulis injuria in his non mediocris illinebatur, & eam tamen ſibi diſſimulandam Pontifex cenſuit, ut novellæ Eccleſiæ neceſſitatibus ſe accommodaret: *Quod quamvis injuſtum ſit, ut hæc fiat altercatio, niſi ex Canonum decreto & ſententia alter eorum fuerit condemnatus; tamen quia rudis & tenera adhuc Hieroſolymitana erat Eccleſia, id fieri conceſſit Apoſtolicus*.

Quinta eſt ratio, ſi qua Eccleſiæ ſciſſio imminueret, & ſchiſma conflatum iri proſpiceretur, ex Paſtore innoxio quidem, ſed ſuæ quam Eccleſiæ ſalutis amantiore; eamque diſſipari, quam innocentiam ſuam obrui facilius paſſuro. Sexta eſt, irregularitas, ut puta bigamia. Nam etſi defectum natalium patereturPrætul, non tamen ſinendus eſſet Eccleſiæ ſuæ renuntiare, ſi vitæ anteactæ innocentia diſpenſationi locum daret.

IX. Proximo Decreto varias ventilat Innocentius cauſas (2), quibus quo quis abiit Epiſcopatu, ut Monachum profiteretur, ad eum revocandus eſt, nec parendum ſecus ſancienti Canoni Conſtantinopolitano. Aptat etiam ei Canoni neſcio quas ille explicationes; nempe eo agi de crimine, cui per pœnitentiam expiando Epiſcopus in Monaſterium confugiſſet. Vel de crimine, quod expugni non poſſet per pœnitentiam ab Epiſcopo, niſi ſe ipſe quodammodo exauctoraret, ſecederetque in Monaſterium. Hic vero temporum ſuorum vitio uſus eſt Innocentius, quibus craſſa morum & Hiſtoriarum veterum ignoratio, rara erat Canonum & Conciliorum peritia. Hinc ille Conſtantinopolitanum hoc Concilium, pro primo habet Concilio Conſtantinopolitano, inter Oecumenica ſecundo, & ex illis quatuor uno, quæ Gregorius Magnus æquabat quodammodo quatuor Evangeliis, nimirum quoad Catholicæ fidei dogmata in Conciliis Generalibus definita. Atqui Canon, de quo hic agitur, non ab eo conditus eſt Concilio Conſtantinopolitano I. ſed ab alio longe diverſiſſimo, quod ſub Photio habitum eſt Pſeudopatriarcha Conſtantinopolitano, & ſub Joanne VIII. Papa, cui ſe exæquare ibi enixus eſt Photius, ut liquet ex ejus Canone primo, cui ſubnectitur hic alter, & tertius demum alius. Intextum eſt hoc Concilium opuſculis Balſamonis, præitque immediate Concilio Carthaginenſi.

Nec vitio verti poteſt doctiſſimo Pontifici hæc hallucinatio, cum & doctiſſimi inter Patres, in hiſtoriæ Eccleſiaſticæ volutandis monumentis ne potuerint quidem magnopere verſati eſſe, illis deſtituti nimirum præſidiis, quibus nos poſterior ætas paulatim inſtruxit, inſtruitque in dies majoribus & novis. Porro cum ex ea Hiſtoriæ ignoratione impingant graviſſime perſæpe Canonum antiquorum interpretes; inde & noſtra in eo potiſſimum deſudavit induſtria, ut Canonum interpretationi ubique ſax hiſtoriæ præluceret.

X. Id vero rurſus obſervandum nobis eſt, in iis rationibus ſex ceſſionum Canonicarum, duas eſſe, in quibus a veteri jure jus novum

(1) L. 10. c. 58. (2) Extrav. De Renunt. c. 11.

novum videtur deflexiſſe. Prior eſt pœnitentia criminum commiſſorum. Affirmat enim Pontifex, poſt expiatum pœnitentia crimen, nullam ſupereſſe irregularitatem, quæ canonicæ reſignationi locum dare poſſit; niſi crimen, vel crimine concitatum ſcandalum ejuſmodi eſſet, ut etiam gravi & gnava pœnitentia oblitteratum, ſacerdotalibus adhuc exercendis functionibus repugnaret. Demonſtratum a nobis ſupetius eſt hanc diſciplinam indulgentiorem ſenescente demum ſæculo undecimo exortam fuiſſe. Poſterior eſt cauſa ab ægritudinibus corporis, ubi præciſa eſt curationis ſpes. Quippe Gregorius olim Magnus dato Coadjutore his Epiſcopis Eccleſiiſque ſuccurrebat. At Innocentius eo magis cum Gregorio VII. propendet, ut Epiſcopus adducatur cedere.

Apparet optimos quoſque Præſules ultro proſiliſſe, nec expectaſſe, dum invitarentur, nedum urgerentur cedere ſarcinæ, cui pares jam per invaletudinem deſperatam non eſſent. Narrat Rigordus ann. 1213. Sylvanectenſem Epiſcopum, corporis imbecillitate & lenio gravatum, interpellaſſe Pontificem, ut exoneraretur, *uti jure cautum eſt*, votique compotem factum, cum triginta annis illam Eccleſiam cum laude adminiſtraſſet: *Sentiens ſe tam ætate, quam corpulentia ponderoſa inſufficientem oneri, quod jam per triginta annos portaverat, impetrata a Summo Pontifice, ſicut in jure cautum eſt, licentia, renuntiavit Epiſcopatui, & tranſtulit ſe ad Monachos*, &c. Jus de quo hic agit Rigordus antiquius erat Pontificatu Innocentii, qui nullo promulgato Decreto jus ſibi ſervavit probandarum ceſſionum, ſed eo ſemper ut jampridem uſitatiſſimo utus eſt. Nec a veri ſimilitudine abhorret, jus illud novum invectum ex eo maxime eſſe, quod jam pene in deſuetudinem abiiſſent Concilia Provincialia, quod evaniſſet jam fere eorum auctoritas, quod Metropolitanorum minor jam haberetur poteſtas & reverentia, unde & ratius Epiſcopi ceſſuri ad Concilia & Metropolitanos confugiebant. Cum magno enim tunc numero Epiſcopi inconſultis Metropolitanis ſua ſe dignitate abdicarint, hinc elucet, quam incurioſi eſſent Metropolitanæ ſedi debitæ venerationis.

Minime vero jam neceſſe eſt diutius immorari duobus illis capitibus illuminandis, quæ ſupra propoſita ſunt, de juſtis Epiſcopalium ceſſionum cauſis, & de licentia Papæ neceſſario impetranda. Quippe poſterior ætas complexa eſt illas Innocentii Epiſtolas Decretales, eiſque totam ſe addixit & contemperavit recentior Eccleſiæ Diſciplina. Siquid in illis inclementius primo viſum eſt, non ſemel tamen neceſſarium id duxere poſteriores Pontifices. Quippe ann. 1237. (1) Gregorius IX. Archiepiſcopo Norvegiæ mandavit, ut ad cedendum compelleret duos ejus Regni Epiſcopos, quorum alter cæcitate, alter paralyſi laborabat. Anno tamen 1423. (2) cum Thomas Hereſordienſis in Anglia Epiſcopus tota illa ægritudinum mole laborans, quæ decrepitæ ſenectuti comes hæret plerumque, commeatum & veniam peteret, abnuit Martinus V.

Canoniſtis novis placet (3), Antiſtiti per ægritudines ſuas graves & frequentes jam non valenti temporalem Epiſcopatus adminiſtrationem ſuſtinere, non ceſſionem annui debere, ſed Coadjutorem, juxta Caput Decreti *Quia frater*. Si ne ſpiritalibus quidem functionibus vacare poſſit, annui poteſt ceſſio, non præcipi, quanquam dari utique poſſit Coadjutor: *At invitus non compellitur renuntiare, ſed dandus eſt illi Coadjutor*. Quod antiquiori diſciplinæ conſentit.

XI. Ejuſdem politiæ veſtigia datur & in Eccleſia Orientali obſervare, ſed obſcuriora, quod minor ei fuerit cum Capite ſuo conjunctio. Nicephoro Epiſcopo Epheſino ad Conſtantinopolitanam ſedem translato a Michaele Palæologo, Epiſcopi Theſſalonicenſis, & Sardenſis Eccleſiis ſuis renuntiarunt, impatientiſſime ferentes eam Epheſini provectionem; itaque ille ſponte neo ſe ſubduxit exilio, hic ſeceſſu in Monaſterium Monaſticaque profeſſione, ſubmonito tantum Imperatore. Patriarcha ſucceſſores illis dedit; uti & eodem tempore Romani plerumque Pontifices eas ſibi Eccleſias reſervabant, quæ per ceſſionem vacarent. Nec mirum ſi tam præceps quandoque eſſet & temeraria, atque canonicis Decretis infenſa Epiſcoporum ceſſio, cum ſæpiuſcule Patriarchæ ipſi ſuo illis exemplo in eundem Canonum contemptum & inconſideratas ceſſiones præirent (4).

(1) Rainald. n. 67. (2) Idem. n. 22. (3) Fagnan. in L. 2. Decr. par. 2. p. 157.
(4) Pachymeres in Michael. L. 2. c. 17. Et in Andron. l. 1. c. 13. 26. L. 3. c. 2. 2. L. 6. c. 13. 16. 17.

Nec nulla ſunt tamen ceſſionum exempla, canonicis adprime regulis conſentientium, etiam ubi Orienti & Græciæ Turcicæ dominationis jugum invectum eſt. Anno 1458. Gennadius Patriarcha in Concilio Epiſcoporum dignitate ceſſit: *Coactus to Pontificum Concilio ſe Patriarchatu abdicavit.* Hoc ille conſilium arripuerat, Eccleſiæ ſuæ impacatis diſſenſionibus exulceratus: nec ab eo revocari potuit Magnatum hortamentis, populique precibus (1): *Multis magnisque diſſidiis exortis, Concilium convocavit Pontificum, Clericorum, cunctorumque Chriſtianorum, in quo ſe abdicavit.* Narrat Georgius Phranzez in Chronico Joannem Glychin Patriarcham Conſtantinopolitanum, podagra correptum, nec jam clavum regere & torquere valentem Eccleſiæ ſuæ, ultro ceſſiſſe (2): *Quia ob adverſam valetudinem adminiſtrare Provinciam ſuam commode nequibat, eam ſponte reliquit.*

XII. Ad Eccleſiam Latinam retorquenda jam oratio eſt ubi apud Clementem VIII. multa conqueſtus Bellarminus Cardinalis, multa ad reſtituendam Diſciplinæ ſanctimoniam nunc perneceſſaria executus, de reſignationibus Epiſcoporum non tacuit. Cum enim jubeant Canones ſanctam individuſamque eam eſſe Epiſcopi cum Eccleſia ſua conjunctionem, frequentiſſima jam erat ejus vinculi ſolutio. Alii Epiſcopatui renuntiabant retentis fructibus, rem auſi tam improbandam, quam ſi repudiata conjuge dos ejus retineretur: *Alii retentis fructibus Eccleſiam reſignant; ac ſi quis uxorem repudiet, & dotem retineat.* Alii Eccleſiis renuntiabant, quibus ditati fuerant, ut ditiores & ſplendidiores alias aucuparentur: *Alii divites ex reditibus Eccleſiæ effecti, renuntiant Epiſcopatui, ut ad majora ſibi viam aperiant.* Alii in nepotes Eccleſias tranſmittebant, quaſi avita & hæreditaria ea eſſet ſucceſſio: *Alii nepotibus ſedem renuntiant, ut ſpecie renuntiationis poſſideant ſanctuarium Dei.* Alii Epiſcopales inſulas abjiciebant, cum non alia ſit ſanctior toto orbe, auguſtiorque dignitas, ut Referendarii, vel Clerici Cameræ fierent Apoſtolicæ: *Alii malunt in Romana Curia Referendarii eſſe, vel Clerici, quam extra Curiam Sacerdotes magni.* Prætexebant alii cœlum craſſius, & valetudini ſuæ inimicum, vel tenuiores reditus, vel cives indociles. Sed an juſtæ hæ cauſæ eſſent, & an qui iſta cauſabantur, ſua quærerent, an quæ Chriſti, ut homines fallat, non fallit ſcrutatorem cordium Deum: *Denique alii cauſantur aeris inſalubritatem, alii proventus exiguos, alii populi proterviam. Sed Deus novit, an iſtæ juſtæ ſint cauſæ reſignationis, & utrum hujuſmodi Epiſcopi quærant quæ ſua ſunt, an quæ Jeſu Chriſti.*

Reſponſum eſt ab optimo & maximo Pontifice, agre a ſe admitti reſignationes Epiſcoporum, earum cauſas expendi diligentiſſime in Congregatione rerum Conſiſtorialium: quandoque exonerari Epiſcopos tantæ farcinæ minus pares: *Nos reſignationes difficillime admittimus, nonniſi examinatis cauſis in Congregatione rerum Conſiſtorialium, & aliquando admittimus ob inaptitudinem reſignantium.* Quo ex reſponſo patet, quam non invidendum, non obtrectandum, ſed condolendum ſit iis, quibus ſumma concredita a Deo eſt Eccleſiaſtici regiminis poteſtas, etiam tum cum ſumma fide & diligentia funguntur officio, quod de Clemente VIII. omnibus convenit.

De Reſignationibus in favorem Succeſſorum & Coadjutorum.

CAPUT LV. *P. 1. l. 2. c. 22.*

De Epiſcoporum jure & poteſtate in Coadjutoribus & Succeſſoribus deligendis per priora quinque ſæcula.

I. Deſignatus fuerat Athanaſius ab Alexandro, ut ei in Sedem Alexandrinam ſuccederet.

II. Alexander Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſibi etiam ſucceſſores delegit.

III. Delegit & ſuum ſibi Athanaſium. Exempla Moyſis.

IV. Luculenta Origenis monita, ab hoc expreſſa Moyſis exemplo, qui cognatorum neminem ſibi ſucceſſorem accivit.

V. Ita in his deſignandantur ſucceſſores exemplis, ut electioni locus eſſet.

VI. Placita Antiocheni Concilii, quibus cavetur, ne ſucceſſorem ſibi arceſſant Epiſcopi, niſi auctoritate Concilii provincialis.

VII.

---

(1) Chruſi Tureogræ. p. 17. 120.

(2) L. 1. c. 6.

VII. Prohibet Nicæna Synodus, ne duo ſint uno tempore unius civitatis Epiſcopi.

VIII. IX. Alia & alia contrarii uſus exempla.

X. Exempla vetuſtiora Succeſſoris & Coadjutoris deſignati, impendente graviſſima neceſſitate.

XI. XII. Alia exempla.

XIII. Canone Apoſtolico proximi ſummoventur.

XIV. Contrarii uſus exemplum.

XV. Exempla alia plurium ejuſdem urbis Epiſcoporum.

XVI. An Meletius Thebaidis Archiepiſcopus Coadjutor fuerit Archiepiſcopi Alexandrini?

I. INgreſſuris in eam diſputationem de Reſignationibus in favorem, quæ ſuperiori contexta eſt, obviam ſe ſtatim dat hæc de aſciſcendis Coadjutoribus & Succeſſoribus quæſtio. A Succeſſoribus ordiemur. Præcepit ante obitum ſuum percelebris ille Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus Alexander, ſibi ſucceſſor ut daretur Athanaſius, Diaconi tum gradu & officio clarus, unde & ad Aulam Imperatoriam delegatus fuerat. Extincto Alexandro Meletius Theonam deligi fecit, quo poſt tres menſes ſede & vita cedente, Athanaſius ex Alexandri præcepto & teſtimonio electus eſt. Ea propemodum ipſa ſunt Epiphanii verba (1): *Cum moriens Alexander nullum alium ſuffici ſibi pratee Athanaſium mandaſſet, ut tam ipſe, quam Clerici, & univerſa adeo Eccleſia teſtificabatur, Meletius Theonam ſuſtinuit, quo poſt tertium menſem mortuo, paulo poſt Athanaſius advenit. Tum undique coacto Orthodoxorum Concilio in Alexandrina ſede conſtituitur, qui & dignus erat, & tam Dei voluntate, quam beati Alexandri ſuffragio & mandato deſignatus:* κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρε μαρτυρίαν τε καὶ ἐντολήν. Non multo poſt perhibetur ab Epiphanio Achillas Alexandro ſubrogatus fuiſſe, cogente propemodum Athanaſii abſentia: at eo poſt tres menſes vivis excedente, reducem Athanaſium in eam dignitatem electum fuiſſe, quam illi deſignaverat Alexander (2): *Athanaſio moriens Alexander Epiſcopatum committi mandaverat, &c. Athanaſio Sedes & Pontificatus debebatur, qui & a Deo vocatus, & a B. Alexandro conſtitutus fuerat.* Providebat animo Alexander immanem procellam ab Arianis imminentem, eoque compellebatur Athanaſio gubernacula Eccleſiæ committere, cujus & fidem & invictam conſtantiam expertus erat. Ideo & Concilium, de quo Epiphanius, conſenſit deſignationi ſucceſſoris, numeris virtutum omnibus abſoluti, quam feciſſet Alexander ſola pietatis & fidei contemplatione. Nec abnuit Epiphanius, quin ex Alexandri deſignatione ea Sedes Athanaſio deberetur. Si diſcordare autem ſibi Epiphanius viſus ſit in aliqua parte hiſtoriæ ſupra relatæ, alienum id totum eſt a meo hic inſtituto; non illubenter tamen ſubſcripſerim Baronio (3), hanc diſcordiam ſedanti.

II. Alexander alter Conſtantinopolitanus Epiſcopus appetente morte duos propoſuit, qui ſibi ſuffici poſſent, moribus diverſos, ſed meritis & fama conſpicuos, (4) Paulum & Macedonium. Inde factum eſt, ut & in eos ſcinderentur eligentium vota, uſque adeo morientis Epiſcopi teſtimonium, & deſignatio ſucceſſoris in pretio & veneratione erat.

III. Athanaſius ipſe adventante morte ſanctiſſimum Presbyterum Petrum deſignavit, qui ſibi in Marci ſedem ſuccederet. Ei ejus voluntati ſubſcripſere Clerus, Magiſtratus, plebs, unanimi Petri electione (5): *Athanaſius Petrum ſuo ſuffragio deſignarat; ejuſque electioni ab omnibus tam Sacerdotibus quam Magiſtratibus aſſenſum eſt. Populus quoque univerſus acclamationibus, quantum lætitiæ percepiſſet, demonſtravit.* Hæc Theodoretus, a quo eleganter alibi adnotatum eſt, Moyſen quoque ſuum ſibi delegiſſe ſucceſſorem, cui & manus impoſuerit; verum ea in re cœleſti oraculo obſecutum, & poſthabitis cognatis omnibus (6): *Porro convenit admirari Prophetam, qui cum haberet filios, & fratrem, & fratris filium, nullum horum Ducem præfecit, ſed Deum conſuluit, & quem ipſe decrevit, ordinavit.* Idem ſecutus fuerat Athanaſius, electo non alio, quam laborum incredibilium ſuorum ſocio, & in periculis commilitone. In Moyſe eandem commendat Iſidorus Peluſiota (7), in deſignando ſucceſſore, humanorum affectuum abdicationem.

IV. Quin & ex hoc Moyſis exemplo an-

(1) Hæreſi 68. n. 6.
(2) Ibid. n. 11.
(3) Baron. ann. 326. n. 1.
(4) Socrat. l. 2. c. 5.
(5) Theodoret. L. 4. c. 18.
(6) In Numer. c. 47.
(7) L. 3. Ep. 189.

sam arripit Origenes, Episcopos, Clericosque omnes, adeoque & Laicos cohortandi omnes, ne in eligendis Pastoribus carni & sanguini indulgeant, sed uni consulant Ecclesiæ necessitati, morum sanctimoniæ, & religioni. Ex quo liquet invidiam feciſſe Origenem Epiſcopis, non tam quod ſucceſſores ſibi deſtinarent, quam quod male deſtinarent; videlicet non virtutum laude præcellentiſſimos, ſed proximos, & amicitia conjunctos (1): *Diſcant Eccleſiarum Principes, ſucceſſores ſibi non eos qui conſanguinitate carnis junctî ſunt, teſtamento ſignare, neque hæreditarium tradere Eccleſiæ Principatum, ſed referre ad judicium Dei; & non eligere eum quem humanus commendat affectus, ſed Dei judicio totum de ſucceſſoris electione permittere. Numquid non poterat Moyſes eligere Principem populo, & vero judicio eligere, ad quem dixerat Deus: Elige Presbyteros populo, quos tu ſcis Presbyteros eſſe, &c. Quis ergo ita potuit eligere Principem populi, ſicut poterat Moyſes? Sed hoc non facit, non eligit, non audet. Cur hoc non audet? Ne poſteris præſumptionis relinquat exemplum. Sed auſcultа quid dicit: Provideat ſibi Dominus Deus ſpiritum hominem ſuper Synagogam, &c. ergo tantus ac talis Moyſes non permittit judicio ſuo de eligendo Principe populi, & conſtituendo ſucceſſore: quis erit qui audeat vel ex plebe, quæ ſæpe clamoribus ad gratiam, aut ad pretium fortaſſe excitatis moveri ſolet, vel ex ipſis etiam Sacerdotibus, quis erit qui ſe idoneum ad hoc judicet, niſi ſi cui Deus oranti & petenti a Domino reveletur?* Et paulo poſt: *Propinquis agrorum & prædiorum relinquatur hæreditas, gubernatio populi illi tradatur, quem Deus integerit.* Ne tanta quidem proſixitate deterreri potui, quin hic inſuerem longe præſtantiſſimum Origenis ſermonem, ut neminem jam lateat, quanti res pericuſi ſit, in favorem cujuſquam Beneficia reſignare; & ubi cedere neceſſum eſt, quibus ſit reſignandum, adjungere quam anxie precibus noſtris rumpendum ſit cœlum, ut Dei nobis aperiatur volantas.

V. Non eſt autem quod quiſquam eo moveatur, quod his exemplis & verbis Origenis auctoritas adjiciatur Epiſcopis, ſuos ut ſucceſſores deſignent. Nec enim ea deſignatione detrahebatur quidquam libertati ſuffragiorum, populi, Cleri & Epiſcoporum Provinciæ, a quibus ſucceſſoris canonica celebrabatur electio. Si vero hæc electio votis præceſſoris Epiſcopi ſuffragabatur; auriſi, ut rem priſcam ſtylo novo eloquar, reſignatio facta in favorem admittebatur: non exiſtimo tam recordem, vel præcipitem quenquam jam fore, ut iis velit cenſorium inurere cauterium, quæ tam pii factitarunt Epiſcopi, quæ probavit Eccleſia, quæ tot Concilia Provinciaſia roboraverunt, a quibus & electiones & reſignationes iſtiuſmodi confirmabantur.

Illud enim ſedulo obſervandum hic eſt, ab Epiſcopis extremo morbo decumbentibus, factas fuiſſe ſive deſignationes iſtas, ſive reſignationes, nec niſi poſt eorum hinc exceſſum ad electiones ventum eſſe. Itaque tota libertas Canonum electioni conſtabat. Ecce autem electionem diverſam, ſuperſtite Epiſcopo, & præſente, ſucceſſorem deſignante. Fuit is Pachomius, qui ſucceſſorem ſibi delegit, & coram ſe eligi curavit, animam exhalaturus. Nemo, ut reor, nunc Præſulum invidebit, nemo ſucceſſebit iſtiuſmodi ſucceſſoris deſignationi. Et Magiſtri cumulatiſſima pietas, & diſcipulorum religio, & inſtituti aſperitas obliquiores omnes hinc abigunt ſuſpiciones. Audiendus nobis Magiſter, cum diſcipulos extremum affaretur (2): *Elegite ex vobis fratrem me præſente, qui poſt Deum præſit omnibus, curamque veſtrarum gerat animarum. Quantum vero mea diſcretione perpendo, Petronium ego ad hoc opus idoneum judico; veſtrum autem eſt, quod expedit vobis eligere.* Non poterant noviſſima verba dicenti Parenti optimo non obedire filii, quos hactenus obſequentiſſimos habuiſſet: *Receperunt ergo & in hoc obedientiſſimi filii conſilium Patris.* Nec certe alia quam *conſilii* vis inerat ei deſignationi, etſi quandoque præceptum diceretur.

VI. Prohibet quidem Antiochena Synodus, ne Epiſcopi ſuos ſibi ſucceſſores adſciſcant: jubetque ut defunctis ſuo fato Epiſcopis, tum vero electio a Synodo Provinciæ celebretur (3): *Epiſcopo non licere pro ſe alterum ſucceſſorem ſibi conſtituere, licet ad exitum vitæ perveniat. Quod ſi tale aliquid factum fuerit, irritum eſſe hujuſmodi, eſt conſtitutum. Servetur autem jus Eccleſiaſticum, id continens, oportere non aliter fieri, niſi cum Synodo, & judicio Epiſcoporum, qui poſt obitum quieſcentis, poteſtatem habent, eum qui diguus extiterit, promovere.*

Non

(1) In Numer. Homil. 22. (2) Vita Pachomii apud Roſveydum, c. 53. (3) Can. 23.

Non damnatur tamen hoc Canone ſupra laudatorum Epiſcoporum ſanctiſſimorum libertas, qui offenderant, quos optarent, quos optimos judicarent fore ſucceſſores; non eligi fecerant, non ordinaverant; torum Concilio Provinciali permiſerant, ut factam a ſe deſignationem ratam, irritamve faceret. Ea porro vox καθίσαι *conſtituere* id ſonat, ut non oſtendatur tantum & proponatur ſucceſſor, ſed ut inſtituatur & mittatur in poſſeſſionem; adeo ut prævertatur irriteturque, & Cleri populique electio, & Concilii Provincialis auctoritas, & aliquo ſaltem temporis puncto ſint Epiſcopi unius Eccleſiæ, præter Nicænos Canones.

VII. Caverat enim Concilium Nicænum (1), *Ne una in urbe duo ſint Epiſcopi*. Cumque operam dediſſet Gregorius Nazianzenus, ut Nazianzenæ Eccleſiæ Eulalius eligeretur Epiſcopus, negavit commiſſum a ſe eſſe contra leges Eccleſiæ, quod ipſe quidem nuſquam niſi Saſimis ordinatus fuiſſet Epiſcopus (2); ſi autem Nazianzenam aliquandiu rexiſſet Eccleſiam, ut hoſpitem ſe feciſſe, ὡς ξένον, non ut ei illigatum. Placebat Conſtantio Imperatori, ut Liberius & Felix ambo ſimul ſederent Romæ Pontifices. Illuſit ei plebs falſidicis dicteriis, ut Diſciplinæ Eccleſiaſticæ illo peritior; & tandem ſerio exclamavit, Catholicæ Eccleſiæ unum Deum, unum Chriſtum, unum eſſe poſſe Pontificem (3): *Omnes uno ore vociferantur, unus Deus, unus Chriſtus, unus Epiſcopus*. Ceſſit Imperator, & diſceſſit Felix. Auctor eſt Sozomenus (4) eum non multo poſt diem ſuum obiiſſe, cavente Numinis Providentia, ne quo ſchiſmate Petri tum ſedes dehoneſtaretur: *Non multo poſt moritur Felix, & ſolus Liberius illi Eccleſiæ præeſt, non ſine divina providentia. Ne ſedes Petri a duobus Præſulibus gubernata, quod eſt plane nota diſſidii, & a legibus Eccleſiæ alienum, infamiæ macula ulla aſpergeretur.*

VIII. Nec inficias tamen ibimus, quin duo quandoque ſimul unius Civitatis fuerint Epiſcopi. Cum Conſtantius nomine & privilegiis omnibus civitatum donaſſet Majumam, qui celeberrimæ urbis Gazæ portus erat, Conſtantiamque dici ſanxiſſet; idque feciſſet amore Chriſtianæ Religionis, quæ Majumæ egregie florebat: Julianus Apoſtata in Imperium ſuccedens, odio Chriſtiani nominis, rurſus Majumam Gazæ conjunxit ſubjecitque, atque unam voluit eſſe civitatem; quo tamen prohiberi non potuit, quin duæ nihilominus eſſent Eccleſiæ, & duo Epiſcopatus. Audi ea de re Sozomenum (5): *Magiſtratus civiles, belli duces, Reſpublica utriuſque communis eſt: ſoloque Eccleſiæ ſtatu & gubernatione, duæ videntur hoc tempore civitates diſtinctæ. Nam utraque ſeorſum ſuum habet Epiſcopum, ſuum Clerum: diſtinctos agrorum undique jacentium fines, quibus etiam altaria, ad utrumque Epiſcopatum ſpectantia, diſtinguuntur.* Cum Gazenſi Epiſcopo præmortuus eſſet Majumenſis, voluit Gazenſis utrumque conſociare Clerum, & ſibi ſubeſſe allatis in medium Canonicis regulis, quæ duos unius urbis eſſe Epiſcopos inhibent: *Non enim fas eſt*, inquit, *ut uni urbi duo præficiantur Epiſcopi*. Interceſſere Majumenſes, & ſecundum eos pronuntiavit Concilium Provinciæ, cui minime revocanda viſa ſunt privilegia, quæ Chriſtianus Princeps Chriſtianæ contemplatione Religionis contuliſſet, nec ſubſcribendum eorum revocationi per Julianum Apoſtatam factæ.

IX. Qui vel primoribus labris delibarunt Annales Eccleſiæ, iis exploratum eſt Antiochenam Eccleſiam duobus Catholicis Epiſcopis perdiu paruiſſe. Meletio, cui ſucceſſit Flavianus, & Paulino, cui Evagrius. Illis ſuffragabatur Oriens, his Occidens: greges erant diverſi, diverſæ & ſuæ ſingulis Eccleſiæ, una fides. Sæpiuſcule tentata utriuſque Eccleſiæ in unum adgregatio, majori pietate, quam fructu. Invitavit Paulinum aliquando pii & mitis ingenii vir Meletius, ut greges adunarent, conjunctim & in commune regerent, Evangelico Codice, ceu lege pacis & unitatis æterna, in Epiſcopali ſolio collocato, ipſis hinc & hinc ſedentibus; denique ne ſucceſſor præmorituro daretur, ut finis ſcitiſſioni imponeretur (6): *Greges, o amice, concordiæ vinculis conjungamus, & contentionem de Primatu dirimamus. Quod ſi ſedes contentionem gignit, ego hanc contentionem a nobis repellere conabor. Nam ponamus, quæſo, in ea librum Evangelii, & utrinque nos ſedeamus.*

Labare quibuſdam viſa eſt hujus narrationis fides, quaſi Meletii amori, & ſtudio par-

(1) Can. 8.
(2) Epiſt 43. alias 37.
(3) Theodoret. L. 2. c. 17.
(4) L. 4. c. 14.
(5) Sozom. l. 5. c. 3.
(6) Theodoret. L. 5. c. 3.

partium plusquam indulserit Theodoretus, qui hæc narrat, quam veritatis. Nobis minime necessarium videtur ut Paulino, ut Latinis ei studentibus impensius studeamus quam Græcis, Græcis obtrectare, aut eorum laudes arrodere. Humana erat ea tentatio, cum viri utrinque Catholici, utrinque caritatis & unitatis cupidi, sibi mutuo parum cogniti, non tam dilliderent, quam diffidere sibi viderentur. Illam plane Meletii rationem revocandæ pacis, resarciendæ unitatis, alendæ caritatis, nemo potest non vere Christianam, vere Episcopalem prædicare, & exoticulari.

De Vitali nihil dixi, quanquam is tum quoque Episcopus esset Antiochenus, suoque lejunctim gregi præesset: nihil, inquam, de eo dixi, quod a Catholica Ecclesia dissideret, quanquam & ipse Damasi Papæ communione lete venditaret. Verſabatur tunc in Oriente Hieronymus, & a Damaſo Papa edoceri voluit, cujus illorum ſibi amplexanda eſſet communio, cum tres ex æquo communionem Sedis Petri, conſortiumque jactarent: *Ego interim clamito: Si quis cathedræ Petri jungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, atque Paulinus, tibi hærere ſe dicunt. Poſſem credere, ſi hoc unus aſſereret. Nunc autem duo mentiuntur, aut omnes.* Hæc ille ad Damaſum ſcripſit.

X. His duobus exemplis duo quidem nobis repræſentantur Epiſcopi, ſed ex cauſis tum inſinitiſſimis, & ex indeclinabili neceſſitate, præter voluntatem Eccleſiæ primigeniam, quæ unus cum ſit grex, uni Paſtori committi ſe vult. Sed ſuppetit & exemplum aliud, ubi uni Eccleſiæ plures præſſe Paſtores auctore Cælo, Deo jubente contigit, cum unus alteri Epiſcopus Epiſcopo accederet primo Coadjutor, aliquando futurus & ſucceſſor. Cum jam non amplius Epiſcopalem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ geſtare ſarcinam poſſet Narciſſus ſenio confectus, Alexander Cappadociæ Epiſcopus Hieroſolymam venit ſacra loca veneraturus, ut ſibi quidem videbatur, at vere cœleſti Spiritus ſancti afflatu, ut Narciſſo primum accederet ad relevandum eum muniis Epiſcopalibus, poſtea ſuccederet eidem in beatas ſedes pergenti. Eodem afflati Spiritu caritatis ſancto, Epiſcopi Provinciæ duplici ſubſcripſere diſpenſationi, ut & Alexandrum prioris Eccleſiæ nexu ſolverent, & Coadjutorem illum Narciſſo, ac Coepiſcopum darent. Eo invitabat utilitas, eo neceſſitas adigebat. Erat enim Narciſſus centum annos natus, & Alexandri non paulo eminentius erat virtutum faſtigium, quam ſedis Hieroſolymitanæ. Ita compenſata eſt diſpenſatio duplex a Concilio Provinciali, cum & ſucceſſor viventi daretur Epiſcopo, & una duobus Epiſcopis Eccleſia. Affirmat Euſebius, e cujus hiſtoria hauſta eſt hæc narratio, utrinque cœleſtia monita inſonuiſſe, quibus & civibus Hieroſolymitanis inſpiraretur, ut id vellent, Alexandro ut acquieſceret, Epiſcopis Provinciæ ut confirmarent (1): *Quod eum illi conſentientibus vicinarum Eccleſiarum Epiſcopis feciſſent, manere deinceps Alexandrum apud ſe coegerunt.* Profertur & ab eodem Euſebio fragmentum Epiſtolæ Alexandri, quod juvabit hic intexuiſſe (2): *Salutat vos Narciſſus, qui ante me Epiſcopalem hujus Eccleſiæ ſedem tenuit, & qui nunc mihi conjunctus eſt in orationibus, annos natus ſexdecim ſupra centum.* Agemus infra de tertia diſpenſatione, cui locus hic quoque fuit, de translatione videlicet Alexandri in aliam Sedem.

XI. A Theodoreto rurſum narratur (3), ubi Meletius Antiochenus Epiſcopus, Apamienſi Epiſcopatu auxiſſet Joannem nobilitate natalium ſplendidum, virtutibus multo ſplendidiorem; Joanni Coadjutorem poſtea datum, nomine Stephanum, cujus opera ei non utilis tantum, ſed in primis neceſſaria fuit, ad Eccleſiam illam inter moleſtiſſimarum tempeſtatum & ſeditionum turbines moderandam. *Hic turbulentis procellæ temporibus conventum eorum, qui fide ſecum conſentiebant, gubernavit, ſociumque habuit & adjutorem Stephanum, virum cum primis laudatum.* Non multo poſt tamen Meletius Stephano eidem Eccleſiæ alterius curam mandavit.

XII. Multo admirabilius eſt, quod narrat Sozomenus de Macario Epiſcopo Hieroſolymitano. Ordinatum nempe ab eo eſſe Maximum Epiſcopum Dioſpolitanum, clam autem inſtigatos ab eodem cives Hieroſolymitanos, ut eum invaderent, & Hieroſolymis detinerent, ſucceſſorem ſibi aliquando futurum, interim vero Coadjutorem (4): *Uti Maximus maneret Hieroſolymis, & ſacro Epiſcopatus munere una cum Macario fun-*

(1) L. 6. c. 11.
(2) Hieron. in Cat. Script. Er l. in Alexandro.
(3) L. 5. c. 4.
(4) L. 2. c. 28.

fungeretur, & poſt ejus mortem Eccleſiam illam ſolus gubernaret. Addit Sozomenus id ſingulari ſapientia machinatum eſſe Macarium, ut prohiberet, ne ſucceſſorem ſibi Arianum ſubrogarent Euſebius & Patrophilus.

Erit & quod non minus ſtupeamus in eo quod a Socrate refertur. de Novatianis (1). Eorum quippe Epiſcopus Paulus paulo antequam animam ageret, Presbyteros omnes ſuos convocavit, oravitque ut ſucceſſorem ſibi eligerent, ad anteverrendas eas procellas, quæ demortuis Epiſcopis plerumque intumeſcunt. Illi ex adverſo rogarunt, ut eligeret ipſemet, & cujus vellet nomen ſuis ſubſcriptionibus præmitteret. Chartæ eorum ſubſcriptionibus munitæ inſcripſit Paulus nomen Marciani magna virtutum commendatione Presbyteri, quo is ſibi ſucrederet. Tum vero ille eam chartam obſignavit, obſignari & fecit a Primariis Presbyteris; mox eam depoſuit in manus Novatiani Scythiæ Epiſcopi, ut eam ſibi reſtitueret, ſi quando ab ea ægritudine recrearetur: aut reſignaret, ſucceſſoremque declararet, ſe hinc in meliorem vitam abrepto. Paulo abeunte, reſignata publice charta, unanimi omnium conſenſu Marcianus declaratus eſt Epiſcopus. Habes hic reſignationem cum regreſſu veluti quodam.

XIII. Prohibentur Apoſtolico Canone Epiſcopi humanis ſervire affectibus, aut cognatorum caritati, in Epiſcopis aliis, & in ſucceſſoribus ſibi deligendis. Nec enim rerum ſacrarum diſpenſatio carnalibus cupiditatibus accommodanda eſt (2): *Non oportet Epiſcopum fratrem ſuum, vel filium, vel propinquum in Epiſcopum ordinare. Hæredes enim Epiſcopatus facere non juſtum eſt; nec humano affectu divina ſunt tractanda. Si fiat, non valeat ordinatio: ipſe vero excommunicatione puniatur*.

XIV. Hieronymo tamen viſum eſt, ſi nepoti ea adeſſent virtutum præſidia, quibus Clericos florere par eſt, non eo quod nepos ſit, ab avunculi, aut patrui Epiſcopali ſede exturbandum eſſe. Succeſſorem ſibi optabat præformabatque Heliodorus Epiſcopus Nepotianum nepotem ſuum. Non is erat Hieronymus, qui cenſoriam ab eo virgam abſtineret; ſi quid in eo peccati ſuſpicatus eſſet. At auſteritatem ingeniam cœleſti quadam ſapientia condiens ſanctus Pater, ingenue confeſſus eſt, non nepoti ſibi cariſſimo, ſed Clerico indulſiſſe Heliodorum, virtutum copia & ſplendore clariſſimo; nec avunculum, ſed Epiſcopum in eo delectu egiſſe; denique nec meritorum in numero collocari poſſe cognationem, nec cognationis faſtidio poſthabendas eſſe virtutes numeris ſuis omnibus abſolutas (3): *Tu nepotem quærebas, Eccleſia Sacerdotem. Præceſſit te ſucceſſor tuus. Quod tu eras, ille poſt te judicio omnium meruit. Atque ita ex una domo duplex Pontificatus egreſſa eſt dignitas; dum in altero gratulatio eſt, quod tenuerit; in altero mœror, quod raptus ſit ne teneret*. Ita Hieronymus ad Heliodorum Epiſcopum de Nepotiano, ei præmortuo, cui ſucceſſor deſtinabatur. Ex Oriente pene inopini in Occidentem trajecimus.

XV. Sed ante tamen rurſus illud memorandum eſt, crebriuſcula fuiſſe quondam exempla duorum unius civitatis Epiſcoporum, cum narrata Epiſcopi Alexandri morte, ſubjiciat Ephanius, non idem Alexandriæ, quod in aliis civitatibus factitatum ſuiſſe; ut unius urbis duo ſimul eſſent Epiſcopi (4): *Nam Alexandria nunquam, ut aliæ Civitates, duos habuit Epiſcopos*. Traditum quoque eſt a Sozomeno, Eulalium Epiſcopum in Ponto Amaſenum, ab exilio revocatum poſt interitum Valentis, cum civitatem ſuam inveniſſet ab Ariano, vel Semi-ariano infeſtam, ad concordiam illum animorum, & ad Sedium conſociationem invitaſſe, conceſſa etiam illi honoris & conſeſſus prærogativa, quo hac eum illecebra ad concordiam pelliceret (5): *Verum Eulalius totius populi unitati proſpiciens, eum oravit, ut priorem locum obtineret, & Eccleſiam una cum ipſo regeret, Primatu fruens, tanquam præmio ſervatæ concordiæ*. Non honeſtiorem quam conducibiliorem eam pacis conditionem abnuit æmulus Epiſcopalis incubator Cathedræ, eoque probavit le non minus ab unitate fidei alienum, quam a veritate. Unde nec multo poſt diſſilierunt ab eo quinquaginta illi, qui ſe ei adgregaverant: & quam caritas confirmaſſet ei ſedem, eam excuſſit cupiditas & diſſipavit.

XVI. Nec eſt quod quiſquam nobis objiciat, ab Epiphanio prædicari Meletium, quaſi alterum in Ægypto Archiepiſcopum, cum

(1) L. 7. c. 45. (2) Can. 76. (3) In Epita. Nepot.
(4) Hæreſi 66. n. 6. Hæreſi 96. n. 3. (5) L. 7. c. 2.

cum Archiepiſcopo Alexandriæ, & ſub illo, tanquam Coadjutorem: *Videbatur Meletius ceteris Ægypti Epiſcopis antecellere, & ſecundas tenere poſt Petrum Alexandriæ Archiepiſcopum in Archiepiſcopatu, tanquam illius adjutor, ſed illi tamen ſubjectus, & ad ipſum de cauſis Eccleſiaſticis referens.* Et infra: *Meletius Archiepiſcopus in Ægypto, & Alexandro ſubjectus.* Sed vel ipſo auctore Epiphanio, Thebaidis in Ægypto Archiepiſcopus erat Meletius. Probabiliter ergo is conjicietur primus fuiſſe Metropolitanus Diœceſeos Alexandriæ, hoc eſt Patriarchalis ditionis, unde & quaſi Coadjutor Patriarchæ videri poterat. His enim vocabulis in anteceſſum quandoque abuti cogimur, tametſi necdum tunc quidem uſitata eſſent.

CAPUT LVI. *P. I. l. 2. c. 23.*

De Coadjutoribus & Succeſſoribus a ſuperſtite Epiſcopo cooptandis in Occidente, per priora quinque ſæcula.

I. Diſpenſante Primate Carthaginenſi, Valerius Hipponenſis Epiſcopus Auguſtinum ſibi Coadjutorem adoptat, ſucceſſorem quandoque futurum.

II. Nihil id electioni Cleri & populi officiebat.

III. Auctore Auguſtino ipſo poſtea, nihil tam ibi Canonibus inimicum fuit, quam quod ſuperſtite Epiſcopo conſecratus ſit Coadjutor.

IV. Eam Valerii caritatem & humilitatem laudavere ſanctiſſimi tunc Epiſcopi.

V. Succeſſorem quoque Auguſtinus ſibi ante obitum deſignavit, ac eligi eum duntaxat, non conſecrari fecit.

VI. In maximum ſe conjecit diſcrimen Severus Epiſcopus, Cleri unius ſuffragia aucupatus, ei quem ſucceſſorem ſibi deſignabat.

VII. His exemplis nihil derogabatur menti & ſanctitati Canonum.

VIII. Catholici Africæ Epiſcopi Epiſcopos Donatiſtas invitant, una ut ſecum ſede Epiſcopali in eadem civitate ſedeant, dum ſe Catholicæ recolligant Eccleſiæ.

IX. Ei indulgentiæ præluſerat Nicæna Synodus.

X. Exemplum ſucceſſoris Epiſcopo egrotanti præter Canones dati.

XI. XII. Barcinonenſis Provinciæ Epiſcopi a Papa extundere tentant confirmationem nominati ſucceſſoris, & ex una in aliam translati ſedem. Utramque Papa reſcindit innovationem.

XIII. Has tum diſpenſationes annuebant Concilia Provincialia; certius dare poterat & Papa, maxime in Occidente, ubi difficiles non raro incurrebant cauſæ, quæ ad eum recurri cogerent.

XIV. Varia Coadjutorum exempla ex Ambroſio, & Theodoreto.

XV. Petrus & Paulus uno eodemque tempore fuere Epiſcopi urbis Romæ, & ſuos ſibi ſucceſſores deſignavere.

I. EXplorandum jam nobis eſt, an Latina in Eccleſia Canones obtinuerint iidem, ne ſuo ſibi marte Epiſcopi vel ſucceſſores cooptarent, vel Coadjutores; an denique nuſquam duo unam moderati ſint Epiſcopi Eccleſiam. Quam intemerata vigeret horum auctoritas Canonum, & quæ legitimæ cenſerentur eorum diſpenſationes, nuſquam apertius patuit, quam in exemplo Auguſtini. Hipponenſis civitatis ſanctiſſimus Epiſcopus Valerius, non mediocri cruciabatur metu, ne qua Eccleſia alia Epiſcopum ſibi eligeret, abriperetque Presbyterum Auguſtinum, quem ipſe ſuæ jam nunc Eccleſiæ decus columenque eſſe, quem & univerſæ Eccleſiæ aliquando fore augurabatur. Certe latebris neſcio quibus abdi curavit, ut iis illum ſuffuraretur, qui ad Epiſcopatum rapere geſtiebant. Cum ingraveſcere denique ſentiret Valerius eas ægritudines, quæ ſenectam vallare ſolent, ab Epiſcopo Carthaginenſi impetravit ex diſpenſatione licentiam, ejus in Epiſcopum ſe ſuperſtite conſecrandi, ut non ſibi tantum mortuo aliquando ſuccederet, ſed & jam tum ſuperſtiti accederet Coadjutor (t): *Unde amplius formidans idem venerabilis ſenex, & ſciens ſe corpore & ætate infirmiſſimum, egit ſecretis litteris apud Primatem Epiſcopum Sedis Carthaginenſis, allegans imbecillitatem corporis ſui, ætatiſque gravitatem, & obſecrans ut Hipponenſi Eccleſiæ ordinaretur Epiſcopus, qui ſuæ Cathedræ non tam ſuccederet, ſed Conſacerdos accederet Auguſtinus. Quæ igitur beatus Valerius optavit & rogavit, reſcripto impetravit.* Vides Carthaginenſis Primatis, hoc eſt Exarchi reſcriptum, cui ſuberant

(t) Poſſid. in vita Auguſt. c. 8.

berant Primates, hoc eſt Metropolitani omnes alii Africæ, Epiſcopique, ut Valerio fas eſſet cooperatorem ſibi & ſucceſſorem aſciſcere. Ei diſpenſationi locum dabat effœta Valerii ſenectus, ſenectutiſque comites moleſtiſſimæ ægritudines.

II. At quanquam diſpenſationem conceſſiſſet Aurelius ſolus Carthaginenſis Epiſcopus, ordinatus eſt tamen Auguſtinus a Primate Numidiæ, qui Calamenſis tunc erat Epiſcopus, hoc eſt, a Metropolitano, cui ſuberat Hippo & ab Epiſcopis ejuſdem Provinciæ, Cleri Populique Hipponenſis conſenſu (1): *Poſt quam petitionem, ad viſitandum adveniente ad Eccleſiam Hipponenſem tunc Primate Numidiæ, Megalio Calamenſi Epiſcopo, Valerius Antiſtes Epiſcopis qui forte tunc aderant, & Clericis omnibus Hipponenſibus, & univerſæ plebi inopinatam cunctis ſuam inſinuat tunc voluntatem; omnibuſque audientibus & gratulantibus, atque id fieri perficique ingenti deſiderio clamantibus, Epiſcopatum ſuſcipere, contra morem Eccleſiæ, ſuo vivente Epiſcopo, Presbyter Auguſtinus recuſabat.* Vides ut Populus, Clerus & Epiſcopi Provinciæ eum elegerint, quem præceperat Valerius Coadjutorem ſibi deſignare, non dubia ſpe ſuccedendi.

III. Unum id maxime improbavit Auguſtinus in eo Valerii conſilio, quod ſe voluerit Epiſcopum tunc ordinari, atque ita duos eſſe unius Eccleſiæ Epiſcopos. Copia tamen ingeſta exemplorum obrutus, tunc quidem obmutuit, at rem poſtea diligentius perſcrutatus, & pervolutatis Canonibus, vidit in Concilio Nicæno id cautum fuiſſe, ne duo uſquam eſſent unius urbis Epiſcopi: & ne quid ejuſmodi peccaretur, conſtitui poſtea curavit in Concilio Carthaginenſi, ut initio ordinationum Canones legerentur, ut ne quid tum in divinas has committeretur leges (2): *Dumque id fieri ſolere ab omnibus ſuaderetur, atque id ignaro tranſmarinis & Africanis Eccleſiæ exemplis probaretur, compulſus atque coactus ſuccubuit, & Epiſcopatus curam, & majoris loci ordinationem ſuſcepit. Quod in ſe ipſo poſtea fieri non debuiſſe, ut vivo ſuo Epiſcopo ordinaretur, & dixit, & ſcripſit, propter Concilii univerſalis vetitum, quod jam ordinatus didicit. Nec quod ſibi factum eſſe noluit, aliis fieri voluit. Unde etiam fategit, ut Conciliis conſtitueretur Epiſcoporum, ab ordinatoribus ordinandis vel ordinatis omnium ſtatuta Sacerdotum in notitiam eſſe deferenda.*

Planum eſt non Poſſidio, non Auguſtino viſum eſſe, ulla tunc ex parte violatos fuiſſe Canones, quam quod conſecratus ſit ante Auguſtinus, quam morte Valerii vacaret Hipponenſis ſedes: nec de tranſgreſſione Concilii Nicæni, prohibentis ne duo ſint unius urbis Epiſcopi, ſollicitos unquam eos futuros fuiſſe, ſi Valerius deſignato & electo coadjutore & ſucceſſore ſuo, ſola ejus conſecratione abſtinuiſſet. Damnatur etiam Antiocheno Canone, quem ſuperiori capite laudavimus, nominatio, ſive electio Epiſcoporum, necdum vacante ſede. Sed nec Auguſtino, nec Epiſcopis Afris ulla magnopere curæ fuit obſervatio Antiocheni illius Canonis, de quo ne fando quidem forſan quidquam audierant. Audiendus nunc nobis Auguſtinus ipſe, Beato Paulino ea: expromens cauſas, quibus ordinationi ſuæ aſſenſus fuerat (3): *Beatiſſimus Pater Valerius, nec Presbyterum me eſſe ſuum paſſus eſt, niſi majorem mihi Coepiſcopatus ſarcinam imponeret. Quod quidem quia tanta ejus caritate, tantoque populi ſtudio populum id velle credidi, nonnullis jam exemplis præcedentibus, quibus omnis mihi excuſatio claudebatur, vehementer timui excuſare.*

IV. Paulinus ipſe Valerii caritatem, & terrenorum omnium affectuum abdicationem impenſiſſime demiratus eſt; ut qui quem diſcipulum habuerat, habere voluerit Collegam, Epiſcopali dignitate ſua illum impartiens, aut totam potius cum illo unius animi & conſilii fructu retenturus (4): *Auguſtinus novo more ita conſecratus eſt, ut non ſuccederet in Cathedra Epiſcopo, ſed accederet: Nam incolumi Valerio Hipponenſis Eccleſiæ Epiſcopo Coepiſcopus Auguſtinus eſt. Et ille beatus ſenex, cui puriſſimam mentem nulla unquam liventis invidiæ macula ſuffudit, dignos ſui cordis pace nunc ab Altiſſimo fructus capit, ut quem ſucceſſorem Sacerdotii ſui ſuppliciter optabat, hunc mereretur tenere Collegam. Credine hoc potuit antequam fieret? Sed in hoc quoque Omnipotentis opere dici Evangelicum illud poteſt, Hominibus hæc ardua, apud Deum autem omnia poſſibilia.*

Conſtat ergo, quæ nobis videri ſolet relaxatio Canonum, per diſpenſationem excuſata

(1) Ibid. (2) Ibid. (3) Ep. 34. (4) Apud Auguſt. Ep. 36.

cuſata magis, quam laudata, eam Paulino propius rem intuenti, æquiuſque, quia majori cœleſtis luminis & caritatis copia judicanti, vitam eſſe cujuſdam conſummatæ virtutis, ſapientiæ & caritatis declarationem; denique ut omnipotentis ſpecimen Chriſti gratiæ, qua non humana tantum virtus, ſed & fides ſuperatur. Aliarum jam Eccleſiarum Epiſcopalia ſolia declinaverat Auguſtinus, & quæ virtutum ejus gloria & fama erat, offendebatur ei ſpes ampliorum & opulentiorum Hipponenſi Sedium. Non poterat Valerius tam prope admovere ſibi novum Epiſcopum, ingenii & virtutum ſplendore micantiſſimum, quin obſcuratum ſe iri intelligeret. Non ergo illum niſi mira quædam concitabat humilitas, ſui contemptus, Eccleſiæ caritas, cum eam efflagitabat impetrabatque diſpenſationem. Ut vere dici poſſit, ſic remitti Canones amplius eſſe, quam rigide obſervari: nec canonicis regulis quidquam magis eſſe conſentaneum, quam iſtiuſmodi earum diſpenſationem.

V. Splendidiſſimi curriculi ſui Auguſtinus beatum prævertens exitum, & occupandas perluaſus tempeſtates & ambitioſorum hominum factiones, quæ Epiſcoporum electiones circumſtrepere ſolent, cum jam vacat Rectore Eccleſia; in Cleri Populique ſui concione aperuit, quid iniiſſet conſilii, Eradii videlicet Presbyteri ſui, deſignandi ſibi ſucceſſoris. Erat is non degener tanti Patris & Doctoris alumnus: *Presbyterum Eradium mihi ſucceſſorem volo.* Applauſit plebs & adgratulata eſt ingeminatis his vocibus: *A populo acclamatum eſt, Deo gratias, Chriſto laudes. Dictum eſt vicies ter, Exaudi Chriſte, Auguſtino vita, dictum eſt ſexies decies.* Excipiebant Notarii Eccleſiæ quidquid gerebatur, quidquid & dicebatur utrimque: *A Notariis Eccleſiæ, ſicut cernitis, excipiuntur quæ dicimus, excipiuntur quæ dicitis, Eccleſiaſtica geſta conficimus, &c.* Addidit Auguſtinus nolle ſe ut eodem errore filius ſuus laberetur, in quem ipſe olim impegiſſet, cum ordinatus fuerat Epiſcopus, ſederetque cum Valerio ſene eadem ſede, quod necdum reſciſſet a Nicænis Patribus veritum id fuiſſe. Velle ſe ergo ut dum ipſe in vivis ageret, Presbyterum ageret Eradius, vacantis poſtea ſedis Epiſcopus inaugurandus: *Ad hæc in corpore poſito beatæ memoriæ Patre & Epiſcopo ſene Valerio, Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe neſciebam, nec ipſe ſciebat. Quod ergo reprehenſum eſt in me, nolo reprehendi in filio meo. Erit Presbyter, ut eſt; quando Deus voluerit, futurus Epiſcopus.* Interim vero in munia ipſa & functiones Epiſcopalis officii ſuccedere voluit Eradium Auguſtinus, ſucceſſorem deſignatum: ut totum ſe conferret ipſe ad Eccleſiæ defenſionem, & ad Hæreticorum expugnationem, quam illi provinciam mandaverant Numidiæ & Carthaginis Concilia: *Obſecro ut huic juveni, huic Presbytero Eradio, quem hodie in nomine Chriſti deſigno Epiſcopum ſucceſſorem mihi, patiamini me refundere onera occupationum mearum.*

Quibus ita conſtitutis, vix jam dubitari poterit, quin Auguſtino perſuaſum fuerit, nec a Nicæno, nec ab aliis Conciliis ullis veritum fuiſſe, ne Epiſcopi ſuos ſibi ſucceſſores a Clero Populoque eligi facerent, dum ne eos ſinerent ante obitum ſuum conſecrari, ne uni civitati duo eſſent Epiſcopi, eſſetque alia biceps Eccleſia. Canonem ille ea de re Antiochenum aut in totum ignoravit, aut exiſtimavit eo vetari ſucceſſoris deſignationem ejuſmodi, cui non ſuffragaretur Cleri plebiſque conſenſio. Unde nec a Carthaginenſi, nec ab alio Primate ullo copiam ac diſpenſationem aſciſcendi ſibi ſucceſſoris expetiiſſe legitur Auguſtinus.

VI. In eodem vero electionis Eradii Decreto teſtatum facit ſanctiſſimus Pater, paucis ſe ante diebus compulſum fuiſſe, ut ad componendos pergeret Milevitanæ plebis animos; eo vehementiſſime adverſus Epiſcopum ſuum Severum concitatos, quod cum ſucceſſorem & ipſe ſibi ſuum deſignaſſet, Clerum duntaxat ſuum conſuluiſſet. Severo enim extincto vix acquieſcebat plebs, donec adventans Auguſtinus, & reviviſcens Epiſcopi memoria & reverentia, id perficeret, ut indignatio illa tota aliquando tandem donaretur pacis & concordiæ caritati: *Veni, & adjuvit nos Dominus, ut cum pace Epiſcopum acciperent, quem vivus deſignaverat Epiſcopus eorum. Hoc enim eis cum innotuiſſet, voluntatem præcedentis & decedentis Epiſcopi ſui libenter amplexi ſunt. Minus tamen aliquid factum erat, unde nonnulli contriſtabantur, quia frater Severus credidit poſſe ſufficere, ut ſucceſſorem ſuum apud Clericos deſignaret; ad populum inde non eſt locutus; & erat inde aliquorum nonnulla triſtitia.*

VII. Hinc

VII. Hinc facile conjectabis crebriuſcula hæc fuiſſe in Africanis Eccleſiis exempla, cum & ſanctiſſimis Epiſcopis id animo præceptum præſumptumque eſſet, nihil ea re canonicis regulis derogari. Nec certe Canonum alia mens fuerat, quam ut Epiſcoporum quorundam retunderetur audax ambitio & præceps, qui cognatis ſuis hæreditarios tranſmittere Epiſcopatus conabantur: cum Auguſtino, aliiſque Africæ Epiſcopis propoſitum id unum eſſet, ut turbulentis factionibus prævertendis pacem Eccleſiæ ſuæ certam adiſcerent (1): *Scio poſt obitus Epiſcoporum per ambitioſos & contentioſos ſolere Eccleſias perturbari; & quod ſæpe expertus ſum, & debui, debeo quantum ad me attinet, ne contingat, huic proſpicere civitati.* Epiſcopalis ergo extimulabat caritas, ultra ipſius vitæ metas ſe effundens, non terrena & fœda cupiditas, ut ſucceſſores ſibi ſuffici maturarent.

VIII. Nec paulo mirabilior fuit eorundem Africæ Epiſcoporum caritas, in famoſa illa cum Donatiſtis Collatione, cum ſuis ſe Epiſcopatibus ceſſuros receperunt, ſi pars Donati vinceret: ſi vincerer autem Eccleſia Catholica, Collegas ſe illos, & unius ſedis conſortes ac conſeſſores habituros; ſi plebs alienior foret ab eo duplicis habendi Paſtoris conſilio, tum utrinque ceſſuros, & eligendo recens Epiſcopo locum daturos (2): *Poterit quippe unuſquiſque noſtrum honoris ſibi ſocio copulato, viciſſim ſedere eminentius, ſicut peregrino Epiſcopo juxta conſidente collega: hoc enim alternis Baſilicis utriuſque conceditur, utergue ab alterutro honore mutuo prævenitur. Quia ubi præceptum caritatis dilataverit corda, poſſeſſio pacis non fit anguſta. Aut ſi forte Chriſtiani populi ſingulis delectantur Epiſcopis, & duorum conſortium inufitata rerum facie tolerare non poſſunt: utrique de medio ſecedamus, &c.* Dilatabat Epiſcopalis caritas Epiſcopalem thronum, ut duos caperet, quantumvis id Nicæna Synodus prohibuiſſet; propterea quod qui dictavit Nicænos Canones ſpiritus caritatis, non iis ita aſtrinxit & circumſcripſit ſe, ut jam liberum ſibi non ſit, cum in rem fuerit, ſanctiora & fortiora inſpirare caritatis conſilia.

IX. Nicæni enim Concilii Canone ſanctum eſt (3), Si Novatiani Epiſcopi urbium, ubi iam Catholicus præſideret Epiſcopus, Catholicæ ſe recuperarent Eccleſiæ unitati, in poteſtate fore Epiſcopi ejuſdem urbis, eos ut ſuorum choro allegeret Presbyterorum, vel nomine & officio donaret Chorepiſcopi, niſi mallet permittere illis & nomen, & honores Epiſcopatus, τὸς τιμὰς, τὰ ὀνόματος μετέχειν; ne unius urbis duo eſſent Epiſcopi. Hinc dilucet, ituros fuiſſe eos in eandem cum Africanis Epiſcopis ſententiam, ſi tum ſatis turam exiſtimaſſent, & ſatis munitam adverſus ſchiſmata Eccleſiam: aut ſi univerſæ Eccleſiæ Epiſcopos ſperare potuiſſent, ea animi conſtantia, eaque caritate futuros, ut ſuis ipſis in ſedibus Collegas æquo animo pati poſſent. Aſrorum Epiſcoporum conſilium, & Nicænorum Patrum decretum longo diſtabant illa quidem intervallo, & ab uno tamen eodemque proficiſcebantur unitatis & caritatis inſtinctu. Nemo poteſt ſatis mirari in Epiſcopis Afris animi magnitudinem, qui reſpicientes a ſchiſmate Epiſcopos in throni & ſacri Imperii ſui ſocietatem admittebant: & mirabilior tamen quodammodo fuit Nicænorum Patrum clementia, qui primi indulgentiæ januam patefecerunt, relaxata irregularitate hæreticorum ad fidem ſe recolligentium, omnibus illis in eoſdem gradus admiſſis in Eccleſia, quos extra Eccleſiam obtinuerant, exceptis Epiſcopis, quibus & ipſis nomen & honores Epiſcopatus indulſere. Splendidius non immerito forſan videbitur ejus indulgentiæ fundamenta jeciſſe, quam aliquid addidiſſe ulterius.

X. Venio ad ſpeciem aliam paulo diverſam, ſed quæ eodem revolvatur. Hilarius Arelatenſis Epiſcopus Projectum videns Epiſcopum gravi ex morbo decumbere, alium in ejus locum ordinavit. Projecti querelæ, necnon & plebis Paſtorem ſuum commiſerantis, ad aures Leonis Papæ perlatæ ſunt. Moleſtiſſime ferebant ægritudinem corporis in crimen vocari; a quo levamenti aliquid expectabatur, ab eo exacerbatum eſſe morbum, inculſo depoſitionis jaculo: expectandam fuiſſe, non accelerandam hac contumeliæ atrocitate mortem; denique viventi ſucceſſorem & hæredem inauditæ ſævitia datum. Hæc fere Leo ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis (4). Ex quibus patet, ſi minus fas ſit Epiſcopo, ut ſucceſſorem ſuo ſibi nutu aſciſcat, multo minus fas eſſe Metropolitano, ut invitis Epiſcopis det ſucceſſores, quod aliquando tentatum infra audiemus.

(1) Ibid. (2) Collat. Carth. l. c. 16. (3) Can. 8. (4) Ep. 89.

XI. Accedo ad exemplum aliud, rei propius, quam pertractamus, & ubi Canonum auctoritas incredibili quodam vigore armata vicit. Nundinarius Barcinonenſis Epiſcopus, percupere ſe paulo ante mortem ſignificavit, ut ſucceſſor ſibi daretur Irenæus alterius jam urbis Epiſcopus, quem & hæredem ſibi adoptabat. Ea erant ambo hi Præſules meritorum & virtutum caritate, ut non populus tantum Cleruſque Barcinonenſis aſſenſus ſit, ſed & Metropolitanus cum Epiſcopis Provinciæ. Litteræ ea de re datæ ſunt ad Hilarum Papam ab Aſcanio Metropolitano, ceteriſque Provinciæ Epiſcopis, ut ratum haberet, quod ipſi cumulatiſſimæ utriuſque Epiſcopi religioni & virtuti indulſiſſent, Eccleſiæ utilitati, poſtulationi populorum, & huic denique ſpeciali, nec aſpernandæ cauſæ, quod prior Irenæi Epiſcopatus in loco fixus eſſet, Barcinonenſi Eccleſiæ obnoxio, ubi illum Nundinarius Epiſcopum non ſine aſſenſu Epiſcoporum Provinciæ conſtituerat (1): *Nos cogitantes defuncti judicium, & probantes ejus vitam, & eorum nobilitatem atque multitudinem, qui petebant, ſimul & utilitatem Eccleſiæ memoratæ, optimum duximus, ut tanto Sacerdoti, qui ad divina migraverat, non minoris meriti ſubſtitueretur Antiſtes; præſertim cum Eccleſia illius municipii, in qua ante fuerat ordinatus, ſemper hujus civitatis Eccleſiæ fuiſſe Diœceſis conſtet. Ergo ſuppliciter precamur Apoſtolatum veſtrum, ut humilitatis noſtræ Decretum, quod juſte a nobis videtur factum, veſtra auctoritate firmetis.*

XII. Perlegit has litteras Hilarus in Concilio Romano habito *in feſtivitate Natalis ſui*, hoc eſt annua die ordinationis ſuæ: in quo & decretum eſt, ut priorem ſedem Irenæus ſuam repeteret, novus Barcinone eligeretur Epiſcopus; & ne Provinciæ Epiſcopi id ſibi deinceps ſumerent, ut quaſi hæreditarios Epiſcopatus ante mortem ad quos vellent tranſmitterent (2): *Nec Epiſcopatus honor hæreditarium jus putetur, quod nobis ſola Dei noſtri benignitate confertur.* Nec tunc ea Hilaro excidit regula, *ne duo ſimul ſint in una Eccleſia Sacerdotes.*

Illud vero maxime in hoc negotio ponderari debet, cum in Concilio Provinciali Metropolis Tarraconenſis librata eſſet ea diſpenſatio, & iis conceſſa cauſis, quæ juſtæ videri poterant, & neceſſariæ, rataque habita fuiſſet deſignatio ſucceſſoris ab Epiſcopo facta: ejus Concilii Patribus viſum eſſe, neceſſario ſibi adeundam eſſe Petri ſedem, ut ab eo confirmarentur Decreta ſua; quæ ex adverſo reſcilla ſunt, præceptumque ut inviolata fide Canones obſervarentur. Valerius quoque Hipponenſis Epiſcopus præter conſenſionem Metropolitani ſui, auctoritatem quoque adhibuit Primatis Carthaginenſis, ut Collegam ſibi aſciſceret Epiſcopatus Auguſtinum. Contra Auguſtinus Eradium ſibi ſucceſſorem deligens, ſperavit, nihil contra Canones ſe moliturum, nec diſpenſatione opus fore, ſi modo illum ordinari non curaret. Multo probabilius Hiſpani Epiſcopi ad Pontificiam confugiebant auctoritatem primæ Sedis, quam Valerius ad Carthaginenſis.

XIII. Eccunde enim Metropolitanis, vel Conciliis Provincialibus acceſſerit poteſtas diſpenſandi de Decretis Conciliorum Œcumenicorum? Niſi Concilia ipſa Œcumenica, vel Conſuetudo univerſalis, ac Præſcriptio eum uſum confirmarint, maxime prioribus Eccleſiæ ſæculis, quando difficillimum erat omnes ad has diſpenſationes Sedem Apoſtolicam adiri. Si conſuetudine autem invehi id potuit, ut Epiſcopus Carthaginenſis & Metropolitani in Conciliis ſuis Provincialibus relaxarent Canones Conciliorum Œcumenicorum: ambigere nemo poteſt, quin multo magis ea invehi potuerit, ut poſteriori hac Eccleſiæ ætate primæ ſedi poteſtas ea integra ſervaretur; cum illius ea peculiaris & propria eſſe videretur, velut flofculus divini Primatus, Principatuſque in univerſos Epiſcopos, & ejus prærogativæ, qua Pontifex conſtituitur Cuſtos, Executor, & Conſervator Canonum Conciliorum præſertim Generalium, quibus præfuit, quæ confirmavit.

Verum in Occidente peculiariter referendæ erant cauſæ majores ad Pontificem Romanum, ut ad Primatem, hoc eſt, ut ad Metropolitanum Metropolitanorum. Nec enim in Provinciis ſemper Metropolitanorum mandaris mos gerebatur: inter Metropolitanos ipſos lites ferebantur, aut eos qui eo ſe nomine jactarent; irrumpebant in eos aliquando populi, & extorquebant, quod per Canones fas non erat. His malis ſuperioris poteſtatis interventio certam medicinam parabat. Liquidum id fit ab ipſo Aſcanii, & Provinciæ Tarraconenſis exemplo-

(1) Hilar. Papæ Ep. 2. 3.

(2) Ibid. Ep. 2.

plo. Calcatis Canonum regulis expugnaverat plebs confirmationem reſignationis factæ a Nundinario paulo ante mortem in favorem Irenæi Epiſcopi, & translationem ejuſdem Irenæi in alium Epiſcopatum. Metropolitanorum jura invadebat Sylvanus Calaguritanus Epiſcopus, Epiſcopumque plebi & urbi minime petenti ordinaverat. His cauſis exciti Epiſcopi ad Papam retulerunt (1); *Sylvanus Epiſcopus humilitatem noſtram ad hoc perduxit, ut contra ejus vaniſſimam ſuperſtitionem, Sedis veſtræ unicum remedium flagitemus. Hic nullis petentibus populis Epiſcopum ordinavit.* Fatentur tamen, & ſi nulla arctaret neceſſitas, ſola Petri memoria, & prærogativa a Chriſto ex mortuis redivivo ei conceſſa, ad Papam ſe relaturos fuiſſe. *Etſi nulla extaret neceſſitas Eccleſiaſticæ diſciplinæ, expetendum revera nobis fuerat illud privilegium Sedis veſtræ, quo ſuſceptis Regni clavibus poſt reſurrectionem Salvatoris per totum orbem beatiſſimi Petri ſingularis Prædicatio, univerſorum illuminationi proſpexit.*

XIV. Meminit Ambroſius Coadjutoris Baſſo Epiſcopo dati (2), *in conſortium regendæ Eccleſiæ.* De Acholio vero Theſſalonicenſi Epiſcopo auctor eſt idem Ambroſius, non illum quidem adoptaſſe ſibi ſucceſſorem, ſed ita oſtendiſſe, ita commendaſſe ante mortem, ut laborum ſuorum commilitonem, ut non potuerint, quorum ea partes erant, non illum ei ſucceſſorem ſubſegere (3): *Eodem momento quo ille quaſi Helias elevabatur, velut quodam melotidis ſuæ demiſſo amictu, ſanctum Anyſium diſcipulum ſuum induit. Nam præſcius ſucceſſurum ſibi, etſi promiſſis tegebat, tamen indiciis deſignabat adjutum ſe ejus cura, labore, officio memorans, ut jam declarare conſortem videretur, qui non quaſi novus ad ſummum ſacerdotium veniret, ſed quaſi vetus ſacerdotii executor accederet.* Beatus Honoratus Hilarium in Arelatenſi ſede ſucceſſorem ſibi allegit, populi votis ut faceret ſatis (4): *Supremo habitu ſummum meritis ſingularibus digito demonſtravit Antiſtitem.*

A Paulino Antiocheno Epiſcopo narrat Theodoretus (5) ordinatum fuiſſe Evagrium, ut ſibi terris emigranti ſuccederet, non ſine injuria Canonum eas ſucceſſiones proſcribentium: *Siquidem Canones non faciunt cuiquam morituro poteſtatem, quenquam in locum ſuum ſufficere.* Socrates contra teſtatur (6) Evagrium defuncto tantum Paulino ordinatum fuiſſe, populo ſuffragante. Non mediocris hinc dubitatio emergeret, niſi Ambroſius, penes quem cum Papa & aliis Occidentis Epiſcopis, erat judicium arbitriumque ejus cauſæ, hinc extricaret nos: & quanquam ex officio pene ipſo ſuo propenſior in Evagrium, quam in Flavianum, ingenue profiteretur, ſacris regulis Canonum nihilo magis conſentire Evagrii, quam Flaviani ordinationem. Sic enim ille in Epiſtola ad Theophilum Alexandrinum Epiſcopum, quem Occidentales Epiſcopi voluerant hujus concertationis arbitrum judicemque conſtitui (7): *Non habet quod urgeat Evagrius, & habet quod metuat Flavianus; ideoque refugit examen, &c. Nec tamen etiam hoc moti dolore, fratri Evagrio donamus ſpeciem bonæ cauſæ, &c. Uterque alienæ magis ordinationis vitiis, quam ſuis fretus. Quos tamen nos in meliorem vocamus viam, ut malimus eos ſuis potius bonis, quam alieno vitio defendi.* Ex quibus perſpicue patet non abhorrere Ambroſium a narratione Theodoreti.

XV. Finem huic Capiti faciemus, unde initium aptius forſan potuiſſemus ducere; ab exemplo longe omnium præclariſſimo, quo diſpenſationes hæ omnes legitimæ de duobus in una civitate Epiſcopis, de deſignatis ſucceſſoribus, de accitis ſucceſſoribus, illuſtrari, ac confirmari poſſint. Antiquorum enim Patrum, ipſorumque Romæ Pontificum conſenſione, Petrus & Paulus uno eodemque tempore Epiſcopatum Romanæ urbis geſſere; multorum quoque ea ſententia Scriptorum eſt, illos dum vita ſuppeteret, Linum ſibi & Cletum ſubſtituiſſe, aut elegiſſe, quo in Provincias ipſi longinquiores ad Evangelii prædicationem poſſent excurrere: *Etenim Romæ primi omnium Petrus, & Paulus Apoſtoli pariter atque Epiſcopi fuerunt, &c.* ut ait Epiphanius (8): ubi & hæc addit: *Poterant viventibus Apoſtolis Petro & Paulo Epiſcopi alii ſurrogari, quod iidem illi prædicandi Evangelii gratia in alias urbes regioneſque profectionem ſuſciperent.*

Quanquam autem duo illi Apoſtolorum Principes Romanæ ſimul Eccleſiæ præfuerint,

(1) Inter Ep. Hilar. Ep. 1.
(2) Ep. 70.
(3) Ep 59.
(4) Surius die 5. Maii.
(5) Theodor. L. 5. c. 23.
(6) Socrates. L. 5. c. 15.
(7) Ep. 78.
(8) Hæreſi 27. n. 6.

rint, eoque Principatum illi ſupra Eccleſias omnes alias adſcripſerint : non tamen illi omnino pares & æquales ſibi mutuo fuiſſe cenſendi ſunt. Nodus unitatis & majeſtas Capitis penes unum maxime Petrum fuit, ita in Evangelicis litteris ſanciente Chriſto ipſo ; ita profitente Hieronymo, qui Paulum ita alloquitur (1) : *Ignoſce Petro Præceſſori tuo*. Profitente & Auguſtino, qui ediſcendum nobis ait ab exemplo Petri, qui æquo feramus animo inferiorum correptiones (2): *Etiam a poſterioribus corrigi* : ediſcendum autem a Paulo, ut minores etiam in majores pro veritatis defenſione inſurgant : *Quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda veritate ſalva caritate reſiſtere*.

CAPUT LVII. *P. 2. l. 2. c. 42.*

De Coadjutoribus & Succeſſoribus ab anno quingenteſimo ad octingenteſimum Chriſti.

I. Varia Conciliorum Decreta de ſucceſſorum deſignatione.

II. Quanta Romanorum Pontificum in his auſteritas exemplo Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini?

III. Exempla varia ex Gregorio Turonenſi. Fruſtra tentata ſucceſſorum deſignatio.

IV. V. Eſt & ubi non utilitas tantum ſuadeat, ſed & cogat neceſſitas ſucceſſores ante deligi.

VI. Novarum conditores Eccleſiarum non facile poſſunt ea ſe expedire neceſſitate deſignandi ſucceſſoris. Exempla Angliæ & Germaniæ.

VII. Deſperata valetudine Epiſcopus Coadjutorem debet arceſſere, invitus ad cedendum cogi non poteſt.

VIII. Principum temporalium neceſſaria conſenſio, propter ipſarum temporalem quoque Civitatum tuitionem, in qua plurimum poteſt Epiſcopus.

IX. Ad Papam tum acceſſere, cum Coadjutores, vel ſucceſſores adſignandi Epiſcopis fuere Legatione, aut Vicariatu Apoſtolicæ Sedis fungentibus.

X. Quam invidioſum & deteſtabile fuerit, citra neceſſitatem Coadjutores aut ſucceſſores adeptari.

XI. Qua hic ſummatim emineant Regulæ ad componendam Eccleſiæ diſciplinam.

I. IN Concilio Pariſienſi V. cautum fuit, ne Epiſcopi Coadjutores ſibi accirent, aut ſucceſſores, niſi jam non poſſent omnino ipſi Eccleſias ſuas regere (3) : *Ut nullus Epiſcoporum, ſe vivente, alium in loco ſuo eligat, &c. Niſi certa conditiones exiſterint, ut Eccleſiam ſuam & Clerum regere non poſſit*. Quod totidem etiam verbis confirmat Edictum Clotarii II. Regis. Cabilonenſi II. Concilio copia fieri videtur Abbatibus, ut deſignent ſucceſſores, dum ne qui deſignatus eſt, immiſceat ſe vel tantillum ſuperſtite Abbate in adminiſtrationem temporalium, ne inter Monachos emergant diſſidia, ſi duo una ſint unius gregis Capita, duo rectores (4) : *Ut Duo Abbates in uno Monaſterio eſſe non debeant, ne ſub obtentu poteſtatis ſimultas inter Monachos & ſcandala generentur. Veruntamen ſi quilibet Abbas ſibi elegerit ſucceſſorem, ipſe qui eligitur, de facultatibus ipſius Monaſterii ad regendum nullam habeat poteſtatem*. Vetitum eſt in hoc eodem Concilio (5), ne duo uni unquam Epiſcopi Eccleſiæ ordinarentur, abdicatique ſunt duo Epiſcopi Civitatis Dignienſis, tanquam a Canonicis decretis proſcripti.

II. Bonifacius ille ſanctitate & Apoſtolatu Germaniæ notiſſimus, Moguntinus Archiepiſcopus, a Zacharia Papa flagitavit confirmationem ejus licentiæ, quam præceſſor ejus ſibi indulſerat ; ut ante mortem ſucceſſorem ſibi aſſumeret : *Mihi præcepit præceſſor veſter, ut Presbyterum hæredem & ſucceſſorem eligere deberem*. Presbytero ad hanc ſucceſſionem deſtinato frater erat, qui cum peremiſſet avunculum Ducis Francorum, pendebat animi Bonifacius, an quod animo conſtituerat, executioni jam mandandum eſſet, quod reluctante eo Principe perfici nihil prorſus poſſet : *Quia hoc non videtur poſſe fieri, ſi contrarius Princeps fuerit*. Per Zachariam ergo licere ſibi voluit, ut rem eam ex conſilio virorum piorum profligaret, prout Eccleſiæ conducibile foret : *Ut cum conſilio ſervorum Dei faciam de iſta electione, quod optimum eſſe videatur*. At Zacharias vehementer has preces averſatus eſt, ut Canonicis inſtitutis adverſas : *Quia contra omnem Eccleſiaſticam*

(1) Ep. 11. apud Aug. (2) Ep. 19. (3) Can. 2.
(4) Can. 12. (5) Can. 4. 20.

ficam regulam, vel inſtitutæ Patrum eſſe monſtratur. Sed conceſſit ei, ut ſucceſſorem ſibi delegeret, informaret, longo fingeret & perpoliret tyrocinio: eum palam deſignaret, cum lethali ſe morbo premi intelligeret: juberet denique, ut Romam ordinandus adproperaret, nec ambigeret, quam hoc illi ſingularis benevolentiæ ſpecimen ab Apoſtolica Sede conferretur (1): *Ea hora qua te de præſente ſæculo migraturum cognoveris, præſentibus cunctis, tibi ſucceſſorem deſigna, ut huc veniat ordinandus. Hoc nulli alii concedi patimur, quod tibi caritate cogente largiri cenſuimus.* Sed eam abjecit idem ipſe Pontifex præcepti auſteritatem, ubi ſenſit ſenio in dies ingravelcere Bonifacii ægritudines: tumque conceſſit, ut ſucceſſorem eligeret ipſe ſibi & ordinaret, quamquam ſuaderet, ne a cariſſima ſponſa Eccleſia Moguntina ante mortem divelleretur: *Sin vero Dominus dederit hominem perfectum, pro tui perſona illum ordinabis Epiſcopum.*

III. A Gregorio vero Turonenſi narratur (2) Clerus Lingonenſis, non expectata Tetrici Epiſcopi ſui morte, quod deſperato ex morbo is decumberet, ſucceſſorem ei delegiſſe Mundericum, aſſentiente Rege, qui ordinari illum juſſit Epiſcopum, & in Caſtro Tornodorenſi ſedem figere, denique Archipresbyterum agere, dum Tetrico vita ſuperaret. Interim vero in offenſionem Regis incurrit Mundericus, a quo & captivus biennio retineri juſſus eſt in caſtro ad Rhodanum ſito. Eo carcere illum abſolvi pervicit a Rege Nicetius Lugdunenſis Epiſcopus, at non Eccleſiæ ſuæ reddi. Lingonenſes rurſus Sylveſtrum ſibi elegere, Tetrici adhuc ſuperſtitis cognatum. Obeunte interim Tetrico, Sylveſter Præsbyteratu initiatus eſt, cumque Lugdunum properaret Epiſcopatu inaugurandus, ſontico correptus morbo interiit. His infortuniis ulciſcitur quandoque Deus contumelias Eccleſiaſticis regulis inuſtas.

Nec felicius ceſſit religioſo & docto Caducenſium Epiſcopo Maurilioni, ubi ſucceſſurum ſibi elegit Urſicinum Ultrogottæ Reginæ Cancellarium (3), quod jam ſe ſentiret podagræ cruciatibus confici, ſuæque Eccleſiæ inſidiari ambitioſos homines, ſacro miniſterio longe ſummovendis. Ante illum occupavit mors, quam ordinari potuiſſet Urſicinus.

Eccleſiibus portentis Dumnolus Cenomanenſis Epiſcopus vitæ innocentiam ſingularem commendavit (4): nec auſpicatius tamen illi proceſſit electio Theodulphi Abbatis in ſucceſſorem. Quanquam enim primo Regem habuiſſet conſentaneum, Aulici tamen mox favoris aura aſpirare cœpit Badegiſilo Majori Palatii Regii. Attonſus ergo ille, & ordinatus, & quadrageſimo poſt die in beatorum ſedes avolante hinc Dumnolo, ejus in locum ſucceſſit. Nec felicior Felix ipſe Nannetenſis Epiſcopus fuit multis in caſſum tentatis (5), ut in nepotem Eccleſiam ſuam transferret.

IV. His exemplis manifeſtiſſimum fit, ſucceſſorum deſignationes non eanonum modo cenſura confixas fuiſſe, ſed ipſo plerumque auctore & ultore cœlo damnatas, exitus ſui infelicitate. Fuere tamen, eſti raræ, fuere tamen, inquam, rerum & temporum ejuſmodi cauſæ, ubi neceſſaria quadam providentia caritas Epiſcopalis evigilare debuit, ut ne morte quidem ipſa prohiberi poſſet, quin ulterius Eccleſiæ conſuleret; nec eos ſollicitudini paſtorali, quos vitæ temporali limites pateretur præfigi. Lutetiæ dum ageret Lugdunenſis Epiſcopus, graviſſimo perculſus & inopino morbo, Regem Childebertum exoravit, ut nepotem ſibi Nicetium Presbyterum ſucceſſorem annueret (6). Is reſplenduit virtutibus toto Epiſcopatus ſui decurſu Nicetius, ut ea ex Canonum remiſſione fructus uberrimus ad ipſorum Canonum commendationem & ad Eccleſiæ gloriam exuberaverit. Nec minus provida forſan & pia diſpenſatione, ſanctiſſima Clotildis Regina Epiſcopatum Turonenſem duobus commendavit Epiſcopis (7), quos ex Burgundia ſecum adduxerat, ubi a Regni hoſtibus ejecti fuerant Eccleſiis ſuis. Provecta jam erant illi ambo ætate, & communem Eccleſiam biennio tantum adminiſtrarunt.

V. Conjunctiora rei de qua agimus quædam nunc nobis ſunt enarranda. Avitus Arvernus Epiſcopus ultra mortalis vitæ limites propagans artes & ingenia caritatis, jamjam moriturus Bonitum ſibi ſucceſſorem deleuit; ei electioni aſſenſus eſt Theodoricus Rex, qui rectore & adminiſtro

ute-

(1) Con. Gall. t. 1. p. 531. 534. 574.
(2) L. 5. c. 5.
(3) L. 5. c. 42.
(4) L. 6. c. 9.
(5) L. 6. c. 15.
(6) Greg. Tur. Vit. Patr. c. 8.
(7) Hiſt. Franc. l. 10.

utebatur Pipino Palatii Majore (1) : *Conſentiente ipſi Eccleſia, Bonitum ſucceſſorem, ſedigue ſuæ indicavit digniſſimum Sacerdotem. Miſſa ab illo ad Regem legatio eſt, ut auctoritate regia electioni Bonifi conſenſum adjiceret.* Præceſſorem imitatus Bonifacius, & adventantem occupans mortem, Populo Regique approbavit ſucceſſoris deſignationem a ſe factam, Nortberti videlicet, religioſiſſimi viri, monque in Cœnobium ipſe quidem receſſit Magnilocenſe.

Eonius Arelatenſis Epiſcopus cum ad fingendum informandumque ſibi ſucceſſorem, beatum videlicet Cæſarium, pro virili diuti ſſime elaboraſſet, ante mortem Clerum Populumque obteſtatus eſt, ut eum ſuo loco eligerent, quo vegeta ejus juventus impleret, quod ſibi per frequentiſſimas ægritudines ſuas minus liciſſet (2) : *Eonius Clerum & cives aliquos alloquitur, ut poſteaquam ipſe deceſſerit, nullum alium quam Cæſarium ſibi ſubſtituant, ut Eccleſiaſticum vigorem, quem quærebatur, ſe adverſa impedita valetudine, in multis eſſe laxatum, per Chriſti ſervum Cæſarium, in locum ſuum & ſtatum fraternitas revocatum gratuletur.*

Pervicit tandem Remaclus Epiſcopus Trajectenſis, ut aſſentiretur Rex cum Optimatibus reſignationi Epiſcoparus ſui in Theodardum (3) : *Impetravit tandem a Rege, ut alius ipſi ſucceſſor daretur, &c. Propoſuit Regi & Optimatibus ſanctum Theodardum, cujus erat vita probata, &c.* Audoenus diu & ſanctiſſime adminiſtrata Rothomagenſi Eccleſia, a Rege tandem id expreſſit, ut ſucceſſorem haberet Abbatem Ansbertum (4): *Hortabatur Regem, ut Ansbertum Abbatem ſibi faceret ſucceſſorem, quod & factum eſt.* Pipini quoque Regis aſſenſum elicuerat Bonifacius, ut Epiſcopatum Moguntinum Lullo reſignaret Presbytero, diſcipulo quondam ſuo tunc ſucceſſori & Apoſtolici muneris Collegæ (5) : *Conſultu atque conſilio gloriosi Regis Lullum in Epiſcopatus gradum pervexit, atque ordinavit.*

VI. Nec ambigi a quoquam poteſt, quin novellarum Eccleſiarum conditores & fatores, compulſi ſæpiuſcule fuerint ſuos ſibi aſciſcere, immo & ordinare ſucceſſores, ne morte ſua grex Paſtore viduatus, tener, nuduſque luporum incurſionibus objiceretur. Ei neceſſitati ſerviit in Germania Bonifacius, in Anglia Auguſtinus, qui Laurentium in ſua ſede ordinavit ante mortem : cum uterque Apoſtolicus Præſul inſiteret veſtigiis Apoſtolorum Principis Petri, qui Clementem primo Coadjutorem, inde & ſucceſſorem ſibi adglutinarat, auctore quidem Beda (6) : *Succeſſit Auguſtino in Epiſcopatum Laurentius, quem ipſe idcirco adhuc vivens ordinaverat, ne ſe defuncto, ſtatus Eccleſiæ tam rudis vel ad horam Paſtore deſtitutus, vacillare inciperet. In quo & exemplum ſequebatur primi Paſtoris Eccleſiæ Petri, qui fundata Romæ Eccleſia, Clementem ſibi adjutorem evangelizandi, ſimul & ſucceſſorem confecraſſe perhibetur.*

Narrat idem Beda in hiſtoria Monaſterii ſui (7), fundatorem ejus Benedictum annos octo ei ſolum præfuiſſe. Quippe ineluctabili neceſſitate adactum ſæpius peregrinari, etiam Romam, Coadjutores ſibi viciſſim tres arceſſiiſſe, Abbatis nomine decoratos, per annos ſimiliter octo. Denique ante mortem ſuam conſtructo Cœnobio altero, poſt ſui mortem voluiſſe ea duo Cœnobia uni ut ſubeſſent Abbati, tanquam in uno conflata. In Canones & regulas hic peccabatur, ſed ita cogente neceſſitate, ad horum incolumitatem Monaſteriorum, ubi non alia Abbatum vel Monachorum gloria, non alia ſuperbiendi occaſio, quam ex paupertate & labore manuum, quo vitam tolerabant : ne invidiam illis facias, ubi hujuſmodi Monaſteriis unus aliquis Abbas præerat duobus.

Herbipolenſis, ſeu Virtsburgenſis Epiſcopus ſanctus Burchardus vitæ reliquum pio receſſui dicare cupiens, Epiſcopatui Megingaudo reſignavit, eumque ſuo loco eligi fecit, conſenſione accedente Childerici III. Regis, Optimatum, Archiepiſcopi Moguntini, & Comprovincialium Epiſcoporum. Ita enim habet Scriptor ejus vitæ (8) : *Miſſi redeunt, conſenſum referentes, tam Regis & Principum, quam Archiepiſcopi & ceterorum Epiſcoporum.*

VII. Ubi reſcivit Gregorius Magnus præceptum eſſe ab Imperatore, ut ſucceſſor daretur Joanni Archiepiſcopo Juſtinianæ Primæ, quod dolore capitis acerbiſſimo & contumaciſſimo cruciaretur, ut muniis ſuis fungi prorſus non poſſet, & metueretur, ne ea occa-

(1) Du Cheſne Hiſt. Franc. l. 1. p. 685.
(2) Surius die 17. Aug. c. 5. vitæ Cæſarii.
(3) Vita S. Remacl. die 7. Sept. c. 14.
(4) Bar. ann. 677. n. 4. Vita S. Audoen. c. 16. die 24. Aug.
(5) Vita S. Bonif. c. 10. die 5. Jun. apud Sur.
(6) L. 4. c. 4.
(7) Beda Hiſt. Vitemb. l. 1. c. 2.
(8) Le Cointe ann. 751. n. 57.

occaſione Imperii hoſtes eam invaderent civitatem ; contra niti cœpit ſanctiſſimus Pontifex, nunquam fas eſſe per Canones innoxium exauctorari Epiſcopum, nec morbi vi aut contumacia noxium illum effici : Coadjutorem ei addendum, qui Epiſcopalium functionum onere illum levaret : & ni ſucceſſorem ipſe poſceret, ſcriptoque Eccleſiam reſignaret, ſibi permittendum, ne morbi ipſi crimini imputari viderentur. Si a ſententia non diſcederet Imperator, penes eum eſſe ſummam poteſtatem : an eſſet & juſtitia, id ipſi perpendendum diligentiſſime. Se quidem quæ canonice fierent, vehementer probaturum : quæ præter Canones, patienter toleraturum, ſi modo id apud Deum crimini non verteret (1) : *Et quidem nuſquam Canones præcipiunt, ut pro ægritudine Epiſcopo ſuccedatur. Es omnino injuſtum eſt, ut ſit moleſtia corporis irruit, honore ſuo privetur ægrotus, &c. Diſpenſator illi requiratur talis, qui poſſit ejus curam omnem agere, & locum illius in regimine Eccleſiæ, illo non depoſito, conſervare, ac in cuſtodia civitatis implere. Si vero idem Joannes pro moleſtia ſua petierit, ut ab Epiſcopatus onere debeat vacare, eo petitionem ſcripto dante, concedendum eſt. Aliter autem nos id facere, pro omnipotentis Dei timore omnimodo non audemus. Quod ſi hoc ita petere noluerit, quod piiſſimo Imperatori placet, quidquid jubet facere, in ejus poteſtate eſt. Sicut novit, ipſe provideat. Nos tantummodo in depoſitione talis viri non faciat permiſceri. Quod vero ipſe fecerit, ſi canonicum eſt, ſequimur. Si vero canonicum non eſt, in quantum ſine peccato noſtro valemus, portamus.*

VIII. In eam Gregorii Papæ Epiſtolam duo obſervari operæ pretium eſt. Primum eſt, temporalem etiam ad urbium cuſtodiam & incolumitatem plurimum potuiſſe Epiſcopos, adverſus hoſtes Imperii. Ideo enim inſtabat enixius Imperator, ne Epiſcopali præſidio orbata civitas, in poteſtatem inimicorum veniret : *Ne forte dum Epiſcopi jura eadem civitas non habet, quod abſit, ab hoſtibus pereat.* Aſſentiebatur & Gregorius creationi Coadjutoris, qui pro cuſtodia etiam urbis excubaret : *Ne civitas inveniretur eſſe neglecta.* Intererat ergo ſummopere, ad Imperatorum Imperiique ſalutem in tuto collocandam, ut gnavi vigileſque & fidi Epiſcopi conſtituerentur. Hinc facile intelligitur non temere voluiſſe Principem, ut & in electionibus & confirmationibus Epiſcoporum ſuæ partes eſſent aliquæ, atque non facile injuſſu ſuo vel Coadjutores vel ſucceſſores Epiſcopis darentur, cum in his omnibus tantum eſſet præſidii, non ad Eccleſiæ modo, ſed & ad Reipublicæ tutelam.

X. Alterum hoc accedit, quod in eandem Gregorii Epiſtolam merito obſervetur : ſi interpellatus ſit Romanus Pontifex ad ſucceſſorem Epiſcopo Juſtinianæ Primæ deſignandum, probabiliter id eo factum, quod ejus civitatis Præſul ordinaria fungeretur Legatione & vice Apoſtolicæ Sedis, ac poteſtate explicanda in plures Metropoles, quas Pontifex deſignabat, cum miſſo pallio eum quodammodo inveſtiebat. Simili in cauſa erat Bonifacius, cui & ipſi ante mortem deligendi ſucceſſoris copia facta eſt a Romano Pontifice. Namque cum eſſet Pontificius per Germaniam Legatus, & Apoſtolicas gerens vices, tota illi ad nutum Pontificis adminiſtratio ſua moderanda erat. Reliquis omnibus ab exemplis plus ſatis patuit, necdum uſu univerſim convaluiſſe tum, ut Apoſtolica Sedes adiretur ; totum quippe negotium Metropolitani cum Epiſcopis Provinciæ, & Concilia Provincialia expediebant.

X. Ultus eſt Bonifacius II. ipſemet, (2) quam canonicis regulis ipſemet inuſſerat contumeliam, flammis abſumpto coram Clero & Senatu eo Decreto, quo Vigilium Diaconum ſucceſſorem ſibi curaverat deligi. Bonifacius III. Concilium Romæ congregavit, in eoque decrevit, ne de Pontificis ſuperſtitis ſucceſſore unquam tractaretur (3) : *Niſi tertio die depoſitionis ejus, adunato Clero, & filiis Eccleſiæ, tunc electio fiat.* Hæc ex Anaſtaſio Bibliothecario. Cum captivus Conſtantinopolin abduceretur Martinus I. juſſus eſt Clerus ejus ſucceſſorem illi eligere : quod Martinus ipſe in Epiſtola quadam ſua nunquam antea contigiſſe teſtatum facit ; quod nimirum quacunque de cauſa Pontifex Roma diſcedat, Eccleſiam interim ejus adminiſtrari oporteat ab Archidiacono, Archipresbytero & Primicerio (4) : *Quod necdum aliquando factum eſt, & ſpero quod nec aliquando fiet, quia in abſentia Pontificis Archidiaconus & Archi-*

(1) L. 9. Ep. 41.
(2) Bar. ann. 531.
(3) Idem ann. 606. n. 8.
(4) Ep. 15.

chipresbyter & Primicerius locum repræſentant Pontificis.

XI. Si ſeponas quæ vel tyrannice quandoque, vel ut melius dicam, contra Canones tentata ſunt, ex iis quæ hoc capite conglobata ſunt, ſummatim hæc colligunntur. 1. Necdum in more poſitum fuiſſe, ut Coadjutores vel ſucceſſores a Pontifice Romano poſtularentur. 2. Metropolitani & Concilii Provincialis auctoritatem neceſſario interponendam fuiſſe. 3. Addendum & Regis. 4. In morbis ſatis cauſæ fuiſſe ad flagitandum Coadjutorem, ubi nulla convaleſcendi ſpes erat reſidua. 5. At vel hos ipſos ſic afflictos Præſules cogi ad reſignandum non potuiſſe. 6. Conditores novarum Eccleſiarum eo ſæpius adactos fuiſſe, ut ſucceſſores deſignarent, antequam vita migrarent, exemplo Petri. 7. Diſpenſationibus his omnibus annuendis vel renuendis, ani utilitati conſultum fuiſſe, vel neceſſitati Eccleſiarum.

IX. Nonnulla in eam narrationem obſervantur.

X. Epiſcopatus unus in duos Epiſcopos ſectus.

XI. Abhorreſcebat & Orient ab his reſignationibus.

XII. De ceſſionibus violentis.

CAPUT LVIII. *P. 3. l. 2. c. 43.*

De Reſignationibus in favorem. De Coadjutoribus & Succeſſoribus ſub Imperio Caroli Magni, & ejus ſtirpis.

I. Quam adverſati ſint adhuc Canones reſignationibus in favorem.

II. Quæ tamen aliquando utilitati donata ſunt, vel neceſſitati Eccleſiæ. Exempla Abbatiæ Cluniacenſis.

III. Electio & conſenſio Epiſcoporum interveniebat.

IV. In Concilio Romano damnatur Epiſcopus, qui nepoti Epiſcopatum reſignaverat, inconſulto Clero & Populo. Cur interpoſita tunc fuerit Sedis Apoſtolicæ auctoritas?

V. Prudentia & magnanimitas animi eximia Eurojulenſis Patriarchæ olmuit ſucceſſorem ſibi eligere, cum poſſet, ne ejus erroribus & commiſſis conſcientia ſua gravetur.

VI. Mira quædam tempora, ubi ad ſalutem Eccleſiæ intereſt, ut Epiſcopus adoptet Coadjutorem ſibi & ſucceſſorem.

VII. Nec alia ad id quærenda ſunt, quam Concilii & Regis auctoritas.

VIII. Terrificum Udalrici Epiſcopi exemplum, qui nepotem ſucceſſorem habere concupivit, nec potuit.

I. CAnonicis quidem inſtitutionibus adverſantur reſignationes omnes, ut quæ ſolvant illius conjugii nodum, quem ſacrum & indiſſolubilem illæ voluerunt eſſe inter Eccleſias & Beneficiarios, maxime autem Paſtores. Sed multo magis inſenſæ iis ſunt, quæ fiunt in alicujus gratiam & favorem reſignationes: quod cœleſti tantum vocatione & electione canonica diſpenſanda ſint Beneficia: nec Eccleſiæ debeant quaſi hæreditaria quædam terrenaque latifundia ad hæredes & ſucceſſores tranſferri. Sed eæ peculiarius pugnant & colliduntur Canonibus reſignationes, quibus Epiſcopi Coadjutores ſibi ſimul & ſucceſſores adjungunt, cum præter ſuperiores diſciplinæ maculas hæc accedat, quod duo uni Eccleſiæ ſponſi, duo Epiſcopi dantur.

II. Nec negaverit tamen cordatus quiſquam quin ea quandoque inciderint tempora, quibus neceſſe fuerit menti magis obſequi Canonum, quam litteræ: & quod illi vetabant, caritati donare, quæ Canonum dominatrix quædam & providentiſſima diſpenſatrix eſt. De Leidrado Agobardum ſucceſſorem cooptante jam diximus: vetabant Canones, jubebat caritas Eccleſiæ: vicit caritas, atque ita vicere Canones, qui uni illi militabant.

Bernonem Cluniacenſis Abbatiæ primum parentem, & inſtitutorem celebratiſſimæ Congregationis, quis ambigat cœleſti afflatu & pariſſimo pietatis inſtinctu incitatum, eas Abbatias quas regebat, reſignaſſe partim Guidoni cognato ſuo, partim beato Odoni, ut ſibi poſt mortem ſuccederent? Ei Abbatis morientis reſignationi cohærebat electio Monachorum (1): *Ego Berno omnium Abbatum extremus Abbas, ſupremum diem jam vicinari agnoſcens, duos ex noſtris fratribus, Guidonem meum conſanguineum, atque Odonem adæque dilectum, una cum fratrum conſenſu, mihi ſuccedere delegavi.* Beato Odoni ſucceſſit Ademarus, ſucceſſoremque ſibi ipſe Majolum deſignavit, quando grandævus

(1) Bib. Clun. p. 10. 269. 270.

dævus & effœtus senio, jam minus poterat officio Abbatis fungi (1): *Ademarus Majolum sibi substituit, & grandævæ jam senectuti suæ quietis otium procuravit.* At Odilo qui beati Majoli vitam scripsit, duo adnotavit, quæ sine piaculo prætereri non possunt. Alterum est, quod Ademarus exhaustis prorsus esset viribus & oculis captus: ita per Canones fas erat successorem deposcere (2): *Cœpit destitui tota valetudine corporis, & annosione luminis temporalis.* Alterum est, Monachorum electione prælatum fuisse Majolum: *Cœpit de successoris electione cum spiritalibus & religiosis fratribus tractare.* Et mox *Ad Majolum pervenit electio.* Ita declinabatur, quod Canones maxime proscribebant, cupiditas, privatus affectus, carnalis amor, quibus cœlestis vocatio & electio excluditur. Decretum ipsum hujus electionis ad nos perlatum est. Ademarus loquitur, nomine nimirum totius Conventus (3): *Cum omnibus fratribus meis, filiis & conservis, Majolum eligimus, & Abbatem esse decernimus.* In eodem Decreto pissimus Abbas testatur ille quidem, præsidio sibi fuisse Episcopos & Abbates alios, sed ad Majoli causationes & vergiversationes superandas: *Et ne technam alicujus excusationis prætendat, nam sicut quis indigne ad regimen suscepisse asseret, ita si quis dignus reperiatur, merito constringendus habetur, Concilium Episcoporum & Abbatum adhibuimus.* Episcopus denique Matisconensis post Ademarum Abbatem subscripsit.

III. Infinitæ res essent operæ, esset & supervacaneæ, si celebriorum Abbatiarum resignationes recensere adgrederer. Unum illud in iis observabo, canonicas eas fuisse legibus illis duabus constantissime servatis. 1. Abbates non renuntiasse dignitati, nisi postquam devexa jam ætate, & increbrescentibus morbis, jam sola dignitatis gloria frui poterant, officio & labore fungi non poterant. 2. Simplices fuisse renuntiationes, ac mox celebratam a Monachis electionem novi Abbatis. Si in potestate Episcopi essent Cœnobia, & in manus ejus resignabant Abbates, pure & simpliciter, ab eoque confestim alii a Monachis jubebantur eligi, ut supra testabatur Hincmarus de Abbatia Corbiensi.

IV. Vigebant hæ ipsæ leges in resignationibus Episcopalibus. In Concilio Romano sub Gregorio V. anno 998. exauctoratus est Stephanus, Aniciensis Episcopus, quod eum sibi coopta sset Guido avunculus Episcopus Aniciensis, inconsulto Clero & Populo, & post ejus mortem semetipse a duobus Episcopis ordinari curasset, Clero similiter & populo dissentiente (4): *Eo quod a Vidone vivente Episcopo, avunculo, & prædecessore suo sit electus sine Cleri & Populi voluntate, ac post ejus mortem contra Cleri & Populi voluntatem a duobus tantum Episcopis non Comprovincialibus sit ordinatus.* Stephanum ab avunculo superstite designatum, ordinarant Bituricensis Archiepiscopus & Episcopus Nivernensis. Tum copia facta est Aniciensibus, ut alium sibi subrogarent Episcopum, a Papa ordinandum: *Ut Populus & Clerus civitatis Vellavorum licentiam habeant eligendi Episcopum, judicatum est; & ut electus a domino Papa consecretur, statutum est.* Interpellatus est denique a Concilio Rex Francorum Robertus, ne Stephano patrocinaretur, sed electioni a Clero & Populo faciendæ, sospire semper jure Regio in ordinationibus Episcoporum: *Sed ut Cleri & Populi faveat electioni, salva sui debita subjectione.* Romano vero Pontifici vindicata est novi Episcopi ordinatio, ejus regaliæ vi, quam Hincmarus supra inculcavit, cassante Metropolitano electionem Canonibus injuriosam, eligendi aut nominandi jus ad eum devolvi. Cum Gallicani Metropolitani & Episcopi auctores vel conscii fuissent tantæ hujus in Canones contumeliæ, jure ordinandi ea vice exciderant, illudque ad Pontificem, ut solet, devolutum erat.

V. Quam merito vituperandus Aniciensis hic Episcopus, propinquorum, quam Canonum amantior sequaciorque: tam jure admiranda & exsculanda venit Patriarchæ Forojulienſis inregritas vere Episcopalis, & ab omnibus cupiditatum nexibus expedita; cui cum designandi successoris potestatem fecisset Carolus Magnus, tam sapienter, quam moderate relpondit, sollicitum jam se vehementer esse de expediendis apud æternum Judicem rationibus longioris jam Episcopatus sui, & pene infructuosi: nec commissurum ut luenda sibi essent etiam aliena post obitum suum commissa (5): *Do-*

(1) L. 2. Ep. 4. (2) Surius die 11 Maii (3) Spicil. t. 6. p. 420.
(4) Spicil. t. 9. p. 69. (5) Du-Cheſne t. 2. p. 138.

mino Epiſcopatum iſtum diu ſine aliqua utilitate, vel profectu ſpiritali retentum, judicio divino, & veſtræ diſpoſitioni relinquo. Nec ad cumulum peccatorum, quem vivens exaggeravi, etiam mortuus aliquid ſuperinjicere, apud inevitabilem & incorrumpendum judicem deprehendar. Carolo vere Magno Imperatori mirum & gratiſſimum accidit ſanctiſſimi Patriarchæ reſponſum, unde nec illum dubitavit priſcis æquare florentiſſimæ olim Eccleſiæ Epiſcopis; *Quod ſapientiſſimus Carolus ita cepit, ut eum antiquis Patribus non immerito coæquandum judicaverit.*

VI. Fixum tamen & certum illud eſt, univerſim prohiberi ſucceſſorum deſignationes: & eas tamen difficilioribus quibuſdam temporibus non conducibiles tantum Eccleſiis eſſe, ſed & neceſſarias. Utriuſque rei exempla depromo. Cum beatus Anſcharius Bremenſis Archiepiſcopus in cœlos mox evolaturus eſſet, & rogaretur, quem ſibi cuperet ſucceſſorem, reſpondit: *Sui non eſſe miniſterii definire.* Canonica electione ſubrogatus illi fuit beatus Rembertus, qui laudatiſſimo perfunctus curriculo, cum jam non eſſet ferendo oneri, a Rege impetravit, ut Adelgarium Corbienſis in Saxonia Cœnobii Monachum, ſibi jam nunc Coadjutorem arceſsere permitteretur, habiturus deinde ſucceſſorem, & numerandum tunc temporis, pro ſolemni tunc more, inter Regis Conſiliarios (1): *Primo apud glorioſum Regem Ludovicum, quo commendante Epiſcopatum ſuſceperat, ac deinde apud ejus filios Ludovicum & Carolum hoc obtinuit, ut inſignis vir Adelgarius, novellæ Corbeiæ Monachus, illi adjunctus ita in adjutorium confirmaretur, ut cum aliqua præpeditus eſſet ægritudine, ille poſſet circuire diœceſin, adire placita, & quando exigeretur, in expeditionem, vel ad Palatium cum comitatu ſuo proficiſci. Nec multo poſt electio ipſi ſuccedendi in illo confirmaretur, & per manus acceptionem, inter Conſiliarios Regis numeraretur, idque abſentiente Abbate, & fratribus monaſterii ejus, & ſancta Synodo hæc omnia approbante.* Viderit Lector, an non his verbis *per manus acceptionem* deſignetur ſacramentum fidelitatis, quod præſtabant homines & vaſſalli Principis, inſertis in ejus manus manibus ſuis. Conſiliarii Principis ſatis conſentanee creabantur, præſtito hoc fidei ſacramento: *Et per manus acceptionem, inter Conſiliarios Regis numeraretur.*

VII. Sed contemplandas nobis potius eſt in eo exemplo Coadjutor, ſucceſſorque a ſanctiſſimo accitus Epiſcopo ſuperſtite, cum conſenſione Regis & approbatione Concilii, non interpellata Apoſtolicæ Sedis auctoritate. Verum id tum demum tentatum eſt, cum devexæ ætatis Epiſcopum jam priorſus vires deſtituiſſent, unde nec multo poſt tumulo illatus eſt: *Nec diu poſtea in hac vita duravit.*

Meminit Joannes XV. Papa in Epiſtola quadam, Vicarii, vel Coadjutoris Epiſcopi Trevirenſis: *Leonem Vice-Epiſcopum ſanctæ Trevirenſis Eccleſiæ.* Non ſatis affirmare poſſum, Coadjutor is fuerit, an merus Archiepiſcopi Vicarius. Sed in exemplo beati Burchardi Wirtburgenſis Epiſcopi, quod ſuperiori capite relatum eſt, eadem illa obſervanda, quæ in beato Remberto, quibus & illud præterea addendum, cum utraque Eccleſia, Bremenſis & Wirtburgenſis, recentes eſſent, & nuper excitæ, neutram objiciendam fuiſſe turbulentis electionum factionibus: *Ne forte decedente Paſtore novellus Chriſti grex ex improviſo rugientis leonis incurſione acrius diſturbaretur.* Æquiſſima utique erat ea ratio Canonum molliendorum.

VIII. Vix aut nec vix poterat ſanctus Udalricus Auguſtanus Epiſcopus eam prætexere, vel utilitatem Eccleſiæ evidentem, vel urgentem neceſſitatem, cum Imperatorem ipſius interventu Imperatricis compellavit, ut Adalberoni nepoti ſuo adminiſtratio temporalis Epiſcopatus permitteretur, deſponſa etiam in Epiſcopatum ipſum ſucceſſione (2): *Aſſenſum præbens Imperator, ſæcularium negotiorum commercia Adalberoni commendavit, & Epiſcopalis honorem cathedræ poſt mortem Epiſcopi, ſi Deus vellet, ei donare permiſit.* Nulla ibi Metropolitani, nulla Concilii interpoſita eſt auctoritas. Unde non multo poſt anno nempe 972. cum coiſſet Concilium Ingelheimenſe, ab Archiepiſcopis & Epiſcopis vehementer reſtitum eſt Adalberoni, qui præfracta audacia contentus ſacramentum fidei expreſſiſſe ab exercitu, a Vaſſallis, a ſervis Epiſcopatus, in publicum etiam prodierat cum Pedo Epiſcopali. Hæreſeos nota illi aſpergebatur, quod viventis Epiſcopi Eccleſiam invaſiſſet, & uni corpori duo ca-

(1) Surius die 4. Febr.

(2) Surius die 14. Julii.

capita, uni Eccleſiæ duos ſponſos addixiſſet: *Dicebant, ut contra Canonicæ rectitudinis regulam in hæreſim lapſus fuiſſet*; & *quod Pontificalis honorem ſublimitatis vivente Epiſcopo ſibi plus juſto vindicaret*, & *ideo ultra eum Epiſcopum, ordinari non deceret*. Compulſus eſt Adalbero ſiſtere ſe Synodo, ubi & ſacramento ſe purgavit, neſciiſſe ſe, hæreticum eſſe, ſi quis duo Capita, ſive duos Epiſcopos, uni præficiat Eccleſiæ: *Quod non ſciret hæreſim manere, quia Epiſcopalem potentiam cuo baculo arripuit*. Tum vero enixius inſtare Udalricus in Concilio, ut ſibi permitteretur in Monaſterium divertere ſancti Benedicti, reſignato nepoti Epiſcopatu, & inauguratione ejus peracta: *Deſideravit ut prædictus ſuus nepos Epiſcopus ordinaretur*, & *ille ſecundum Regulam ſancti Benedicti in Monaſterio cum eorum conſenſu deſervire mereretur*. Concilii Patres cum nec ſanctiſſimi Epiſcopi votis obniti poſſent, nec aſſentiri petitioni, & promotioni in Eccleſiaſticæ Diſciplinæ dedecus eſſet, privatim Udalricum ſubmonendum cenſuere; Ne vitam tantæ pietatis illuſtrem documentis ad extremum commacularet conſilio tam alieno a ſacris regulis, neu januam panderet ambitioſis Prælatis, ſuo ut exemplo abutantur ad Eccleſias ſuas, tanquam hæreditario jure in cognatos tranſmittendas: *Ne aliis plurimis ſcandalum faciat*. Ceſſit precibus & auctoritati Concilii Udalricus, pollicentibus Epiſcopis ei vita mortali perfuncto ſuecceſſorem non alium fore, quam nepotem: *De nepote autem tuo tuæ voluntati ſatisfaciendo, in commune firmamur, ut nullus alius a nobis poſt tuum ſucceſſum in vivente ordinetur, niſi ipſe*. Aſſenſi ſunt etiam Concilii Patres, ut jam tum Imperator Adalberoni temporalem Epiſcopatus adminiſtrationem confirmaret: *Cum conſenſu aliorum Antiſtitum fecit ab Imperatore Adalberoni commendari in eorum præſentia procurationem ſui habere*, & *ſub ipſo totius Epiſcopatus cautam diſpoſitionem in omnibus adimplere*. Repentina & improviſa poſt morte abreptus Adalbero, temeraria & ambitioſa abrupit, lutique conſilia: Udalrico autem documento fuit, quam non debeant Epiſcopi carnis & ſanguinis illecebris cedere & emolleſcere.

IX. Si cui prolixior ea viſa ſit narratio, id eo reor factum eſt, quod non ſatis animo ſuo proſpiceret, quam multa & quam præclara hinc exiſtant ſacræ Diſciplinæ elucidamenta. 1. Romam non recurritur, nec ad ceſſionem Epiſcopi, nec ad reſignationem in favorem, nec ad Coadjutorem ſibi copulandum, nec ad ſucceſſorem ſibi ſubrogandum. 2. Tota ea reſidebat poteſtas penes Imperatorem & Concilium Provinciale, ſed conſpirari ab iis neceſſum erat. Nam hic quidem Imperator totum annuerat ſolus, ſed nec moleſte tulit totum etiam a Concilio revocari. 3. Id erat ætatis Udalricus, & ea virium extenuatione, ut jure illi meritoque, & Coadjutor condonandus eſſet, & ſucceſſor; ſed deligi ab eo nepotem, & tam cupide urgeri, ut minime idoneo, & vel ipſa Epiſcopatus cupiditate ab eo ſummovendo, Eccleſia commendaretur, eæ juſtiſſimæ fuere cauſæ, ut conatus ejus irriti caderent. 4. Ita viri quandoque ſanctiſſimi ab orbita veritatis & ſanctitatis incauti & imprudentes deviant, quo cogantur contremiſcere, ſi ſapiunt, qui ab eorum ſplendore ſanctitatis procul ſunt. Indefleæ ſunt æqui rectique regulæ, ſed non iis indefleæ inſiſtunt, qui æqui etiam rectique amore & laude clari ſunt. Enimvero tum ferenda ſententia eſt de viris ſanctis ex regula ſanctitatis non de regulis ſanctitatis a virorum exemplo ſanctiſſimorum; cum vel maxime judex vindexque Deus intervenit, Canonumque ulciſcitur injuriam. Rariora ſunt ea cœleſtis vindictæ exempla, ſed ad æternam valent certitlimæ & indeclinabilis vindictæ memoriam. 5. Cum paſſim tunc, maxime in Germania, qui Epiſcopatus erant, eſſent iidem & Regni Imperiique Principatus, eorumque res temporalis pinguiora complecteretur Imperii Feuda; hinc donabantur temporali adminiſtratione ab Imperatore, qui a Concilio inveſtiebantur Epiſcopatu ipſo. 6. Indulſit quidem Concilium Ingelheimenſe, ut Adalbero avunculo ſuccederet, ſed prohibuit, ne eo ſuperſtite ordinaretur; ne duo ſimul eſſent unius urbis Epiſcopi. Ita exemplis Auguſtini inſiſtebatur.

X. Refertur a Leone Oſtienſi (1) inopinum illud, quo adductus eſt Joannes VIII. ut Capuanum Epiſcopatum in duos Epiſcopos partiretur. Capuani extruſo Epiſcopo ſuo alienum elegerant, quem & ab hoc Pontifice confirmari fecerant. Saraceni ejus diſſidii occaſione captata imporentius graſſaban-

(1) Chr. Caſſ. L. 1. c. 43.

ſabantur. Sero tum quidem, ſed pœnituit tamen Pontificem erroris ſui. Itaque legitimum Epiſcopum revocavit, partemque Epiſcopatus dimidiam ei reſtituit. Quo magis magisque approbatur, quam neceſſe fuerit, nuſquam dnos unius urbis pati Epiſcopos.

XI. Exeruit ſe in Eccleſia quoque Græca idem vigor, damnandis ceſſionibus inconſideratis, aut reſignationibus iis, quæ terrena cupiditate exprimerentur, aut Coadjutorum, ſucceſſorumque deſignationibus, quæ ſuco Eccleſiaſticæ utilitatis oblitæ, terrenis affectibus, carni & ſanguini ſervirent. Confirmat Balſamon Apoſtolico Canone proſcribi reſignationes, non favori tantum & demerendis proximis donatas, ſed quaſcunque: quod Epiſcopalibus Sedibus dum vacant proſpicere debeat Concilium Epiſcoporum (1): *Tu autem die, quod etiamſi non ad ſuum cognatum Epiſcopus Epiſcopatum tranſmiſerit, ſed ad alienum, idem erit. Epiſcopos enim a Synodis fieri decretum eſt.* Hinc ibidem ille adjicit, Metropolitanum Philipporum ſedem & Eccleſiam ſuam Concilio reſignare voluiſſe, ea cautione, ut a Concilio eligeretur Œconomus ejuſdem Eccleſiæ: verum eam petitionem a Concilio repudiatam fuiſſe, quod ne de iis quidem diſponere poſſet, quæ poſt Epiſcopalem ordinationem ſuam acquiſiſſet, nedum de ipſo Epiſcopatu: *Auditi, quod ſi res, quas poſt electionem ex Eccleſiæ reditibus acquirit, non poteſt dare, vel ad quos vult tranſmittere, multo magis Epiſcopatum.*

Alibi autem idem Scriptor demonſtrat, (2) Concilio in eo Conſtantinopolitano, quod dicitur Primum & Secundum, damnatos fuiſſe Metropolitanos, qui facilius & temere admitterent Suffraganeorum reſignationes, ſive cedere illi cuperent ob non ferendas exactiones, ſive ob frequentiores incurſationes hoſtium, ſive ob indomiti gregis pertinaciam: vetuitque ſucceſſores iis dari, antequam canonico judicio ſtrenue excuſſi & exauctorati eſſent.

Erant non pauci, qui ſponte abdicato Epiſcopatu ejus ampliſſimæ dignitatis honorem, ordinem, poteſtatem, ceteraſque prærogativas retinere vellent. His reſtatur Balſamon (3) valde adverſatos eſſe conatibus ejuſmodi poſtremorum Conciliorum Præſules, & a Concilio Conſtantinopolitano ſub Photio ea ſpe dejectos fuiſſe, qui Epiſcopalibus renuntiaverant infulis, ut Monachi fierent. Haud ſane magna potuit illud ſub Photio habitum Concilium fuiſſe auctoritate.

Tradit denique Balſamon (4) videri quidem non paucis admittendas eſſe reſignationes indiſcriminatim omnium qui cedere cuperent: at longe in contraria verſari ſententia Canones, Patres, præ cetetis Cyrillum Alexandrinum. Alias enim pleraſque viduatum iri Eccleſias, propter Epiſcopalis ſarcinæ pondus & Moleſtias: *Multi Epiſcopatus erunt ſine Epiſcopis propter rerum inæqualitatem*: Sola in Monaſticæ profeſſionis cupiditate juſtiſſimam eſſe cedendi cauſam, quæ repulſam pati nullam unquam poſſit; Reſignaſſe aliquando Epiſcopum Macræ, ut qui indignus eſſet Epiſcopatu, ejus ceſſionem confirmante Patriarcha Luca & Concilio. At Luca mortuo ſuffectum ejus loco Michaelem Anchialum revocaſſe id decretum, abdicationemque irritaſſe, quod non dixiſſet Epiſcopus ſe indignum eſſe, ſed ſe non eſſe dignum Epiſcopatu (5): *Cum videret Patriarcha Epiſcopi renuntiationem non contiuere, Epiſcopum renuntiare ut indignum, ſed ut non dignum: dixit non admittendam hujuſmodi renuntiationem. Non enim qui utique non dignus eſt ſacrum facere, jam etiam indignus eſt.* Criminis enim conſcientiam prodit, qui indignum ſe profitetur: at ſola reſplendet humilitas, ubi conteſtatur quis ſe tam ſancto faſtigio dignum non eſſe: *Statuens eum quidem, qui ſe dixit indignum, eſſe per ſe condemnatum: qui autem non dignum, laudandum ut humilem æquum cenſuit, ut Epiſcopus Sacerdotii officio fungeretur, ut qui non canonice renuntiaſſet.*

Cum denique contrariæ ſectatores opinionis longo uſu niterentur, quo reſignationes prorſus omnes admiſſæ fuerant, & quo, ut illis quidem videbatur, præſcriptum fuerat adverſus contrarias leges: reſpondet Balſamon diuturnum uſum adverſus Eccleſiæ Canones & utilitates, abuſum potius dici debere diuturnum; eoque deteſtabilem, & omne ope extirpandum; *Qui autem dicunt, longam renuntiationum conſuetudinem, perinde ac Canonem valere debere,*

(1) In Can. 76. Apoſtol.
(2) In Synod. I. & II. Conſtant. c. 16.
(3) In Synod. Eph. p. 322. 323.
(4) Ib. p. 584.
(5) Balſam. Suppl. p. 1116. 1117. Jur. Orien. t. 1. p. 15.

re, male dicunt. Longa enim non ſcripta conſuetudo non valet, quando legi ſcriptæ vel Canoni adverſatur.

XII. Poſtquam tam prolixe differdimus de ceſſionibus voluntariis, non abs re eſt, ut & de involuntariis aliquid perſtringatur. Narrat idem Balſamon (1), ut Nicolaus Muſalon Amyclenus Metropolitanus a Magiſtratu adactus renuntiare dignitati, ad Concilium properarit reſtitui poſtulans. Multa illi ingeſta & objectata ſunt flagitia, quibus ſe vel ante ordinationem obſtrinxiſſet, vel poſtea. Deliberatum illud primo eſt in Concilio, an reſtituendus eſſet dignitati qua indicta cauſa ſpoliatus fuiſſet; an purgandus prius eſſet objectis ſceleribus. Cenſebant aliqui ſuſpendi ejus reſtitutionem criminibus poſt ſpoliationem admiſſis, non ante. Opinabantur alii, non aliter quam in civilibus controverſiis, ordiendum hic eſſe a reſtitutione ſpoliati. Pronuntiatum vero eſt a Concilio, uſque ad examen criminum omnium ingeſtorum differri debere reſtitutionem, ne ſacris Altaribus & cœleſti Victimæ admoveretur miniſter, qui poſtea indignus & contaminatus comprobari poſſet. Id enimvero ingens intercedere civilibus & Eccleſiaſticis cauſis diſcrimen. Præerat huic Concilio Patriarcha Lucas, & ab eo ſpe ſua dejectus eſt ablegatuſque Metropolitanus, quod præcipiti auſu judicium præveniſſet, ſuoque marte abjeciſſet habitum Monaſticum, quo per vim indutus fuerat. Humanius in eum conſuluit Michael Patriarcha, Lucæ ſucceſſor; Profeſſionem Monaſticam irritam declaravit, tanquam vi extortam; & brevi ſuſpenſione Præſulem mulctavit tantum, quod Judicum ſententiam prævertiſſet. In Jure Orientali Leunclavii ſupereſt Formula reſignationum voluntariarum, tum Patriarchæ, tum Epiſcoporum.

CAPUT LIX. *P. 4. l. 2. c. 55.*

De Reſignationibus in favorem. De Coadjutoribus & Succeſſoribus, poſt annum Chriſti milleſimum.

I. Renuntiatio quæ terrenis affectibus data eſſet, irrita declaratur.

II. Alia reſignatio in favorem a Papa admittitur, ſed quam mire commendarent circumſtantiæ.

III. Quo mirabili modo Pontifices aliqui Romani ſuos deſignarint ſucceſſores?

IV. Hæ reſignationes & Cleri & Plebis electioni nihil officiebant.

V. Ejus rei nova argumenta, & de publica Eccleſiæ neceſſitate, cui hæ reſignationes ſamulari debent.

VI. Unum exemplum reſignationis, cui conſenſerint electio, & ubi Pontifex intervenirent.

VII. De reſignationibus in favorem poſt annum ducenteſimum ſupra milleſimum. Coadjutores dati Prælatis ægrotantibus. Papa, Metropolitanus, Princeps, Plebs nominandis Coadjutoribus conſentiebant.

VIII. Regulæ Canonicæ de delectu Coadjutorum.

IX. Coadjutoriæ cum jure ſuccedendi, juri Canonico perinfenſæ.

X. Eis non aſſentitur Concilium Tridentinum, niſi in Epiſcopatibus & Abbatiis, cum maxima urget Eccleſiæ neceſſitas.

XI. Quam abhorreant regulæ Juris Canonici a Coadjutoribus Canonicorum.

XII. Edicta Galliæ Regum in eam rem.

I. CUm ſtatuiſſet Sancius Arragonum in Hiſpania Epiſcopus, ſucceſſorem ſibi adſciſcere, Romam profectus, levari ſe ſarcina Paſtorali poſtulavit a Gregorio VII. Papa, ut qui efferta jam ſenectute & frequentioribus morbis conflictaretur, nec jam par eſſet obeundo muneri. Obtulit & duos Clericos, quorum alteri Rex & ipſemet Epiſcopatum illum conferri averent. Audi ut hæc narret Pontifex ipſe in datis ad Regem Arragonum litteris (2): *Multa nobis de infirmitate ſua conquerens, deferendi Epiſcopatum a nobis ſuppliciter licentiam poſtulavit, &c. Atque ut facilius hoc impetraret, indicavit nobis de duobus Clericis, quorum alterum in Epiſcopatum eligi, tuam & ipſius voluntatem atque conſilium fore nuntiavit.* Clericos illos abjecit Pontifex, ſcilicet de concubina natus, at Epiſcopum monuit, ut pium ſibi aliquem & religioſum Clericum adjungeret, curas in eum & functiones refunderet, annuo ſaltem ſpatio illius periculum faceret; tum vero ſi cum ipſe idoneum approbaret, Romam mitteret, teſtimonio Cleri totius inſtructum: *Sub teſtimonio Cleri ejuſdem Eccleſiæ*

(1) Can. 34. Carthag. Et in Can. 3. Ancyr.

(2) L. 2. Ep. 30.

siæ: nec enim tunc repulsam passurum.

II. Ea erat sane resignatio in favorem, sed ubi miræ quædam circumstantiæ suffragarentur. 1. Ad Papam referebatur, quia præter cessionem quæ sine licentia Superioris fieri nunquam potest, successorem sibi Episcopus deligebat, quod sine dispensatione expediri non poterat, nec ejusmodi dispensatio nisi difficillime concedi. 2. Consensus Regius requiritur, & hoc Pontifex ipse diffinit, ut novus Coadjutor impetret, Romamque mittat Regiam Chartam, qua ejus assertio & testimonium declaretur. 3. Non imponitur Papæ necessitas admittendi ejus qui præsentatur: duos præsentatos ipse repudiat, nec tamen ipse nominat, sed Episcopo liberum integrumque vult esse, ut successorem eligat, effingatque, postea Romæ examinandum. 4. Quanquam a Rege & Episcopo eligi is debeat, & a Papa confirmari, Cleri tamen desideratur suffragatio. 5. Denique nec approbatur vel Coadjutor, vel successor, nisi aliquando probatus tyrocinio, seu ipsis in Episcopatus functionibus edito sui experimento.

Missam facio resignationem in manus Papæ factam ab Archiepiscopo Eboracensi, & Episcopo Lincolniensi (1), præsente Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi, qui baculos Pastorales illis incunctanter restituit, rem totam ejus judicio permittente Papa, quod exploratiores ei essent rationes & causæ Ecclesiarum Angliæ. Prælati hujus utriusque simplex erat cessio, ad antevertendam depositionem canonicam, quod eorum alter infamia natalium, alter simoniæ labe maculatus esset. Sed his nihilominus cautis indolescebat consuetudo, ut in manus Papæ resignarentur Prælaturæ, qui eas quibus vellet redderet.

III. Permira autem ea ratio est, qua idem Gregorius VII. suum sibi successorem designavit (2). Cum immanis quædam in Ecclesia sæviret persecutio, Germanis Imperatoribus in eam concitatis: scisciti sunt Gregorium Cardinales, quem sibi in Ecclesia cuperet ac prospiceret successorem. Ipse Desiderium Abbatem Cassinensis Cœnobii designavit, Presbyterumque Cardinalem: si is abnueret, tres alios indigitavit. Annum integrum restitit Desiderius sacro Collegio, Clero Populoque conspiratissime sollicitanti urgentique. Cessit tandem, non ut ipse Pontifex fieret, sed ut Pontificem designaret. Designavit autem Episcopum Ostiensem, ex illis tribus unum, quos Gregorius indicaverat. Unus Cardinalium intercessit electioni Ostiensis Episcopi, ea ratione, quod translationes canonicis institutionibus interdicantur (3). Tum vero impetum rursus fecere in Abbatem Cassinensem, & vi allata illum Pontificiis induere ornamentis, denique Victorem III. dixere (4). Ille propositi tenax, Terracinam petiit, ibique abdicatis Pontificatus insignibus, Cassinum remeavit, totoque rursus anno viduatam mœrere, & fluctuare Ecclesiam passus est. Emolliere tandem illum Concilii Capuani preces: sed cum vertente anno terris migraturus esset, Cardinales rursum adhortatus est, ut Cardinalem Ostiensem eligerent. Paruere illi, & electus Urbanum II. se dici voluit (5).

Hactenus ex Leone Ostiensi. Perspicis hic autem, fremente quidem persecutione, laxari nonnunquam Canones, quibus vetantur successorum designationes: sed eos tunc eminere viros virtutum præstantia conspicabiles, qui sapientius sanctiusque Canones remittant, quam ab aliis observentur; successoresque eos designent, quibus ne suspicio quidem illini, aut aspergi invidia possit affectatæ, aut vel clam concupitæ sanctissimæ dignitatis.

IV. Epistola ea Fulberti, qua agit de renuntiatione Episcopi Parisiensis in favorem Decani Ecclesiæ suæ, eam habet verborum perplexitatem, ut nihil dilucide satis ex ea colligi possit. Certum est tamen illum, cum Episcopatum resignaret Regi, postulasse, ut Decanus sibi vel quilibet alius subrogaretur: *Decanum Franconem, seu quemlibet alium subrogari tibi, verbis & scriptis a Rege petiisti. Substitutus est tibi Franco, eligente Clero, suffragante populo, dono Regis, approbatione Romani Pontificis.* Ea erit, si voles, resignatio in favorem, cum assensu Regis & Pontificis, sed cum aliqua alternatione circa successorem, ideoque tanto proclivius concilianda cum electione. Et hæc tamen initia erant & rudimenta earum resignationum, quæ postea invaluere, ad gratiam jam & favorem, privatosque affectus inclinatæ; eoque minus

(1) Eadmer. l. 1. Hist. Nov.
(2) Bar. ann. 1085.
(3) Ann. 1086.
(4) Ann. 1087.
(5) Ann. 1088.

minus laudabiles, quam quæ olim ad ſolam Eccleſiæ neceſſitatem, ad accuratiſſimam pietatis normam uſurpabantur.

V. Deſluamus jam ad ſæculum XII. ubi ſanctiſſimus Pontifex ſtatim nobis occurrit Gelaſius II. qui appetente morte, appetente & fine Germanicarum perſecutionum, quibus exagitatus fuerat, Cardinales ad ſucceſſoris electionem convocavit. Omnium ſtatim votis expetebatur Prænestinus Epiſcopus Cardinalis (1); at is onus detrectavit, admonuitque, necdum detumeſcente graviſſima tempeſtate, objiciendum illi eſſe, præficiendumque Eccleſiæ univerſæ Archiepiſcopum Viennenſem. Aſſenſere purpurati Patres, & is fuit Calliſtus II.

Seneſcente eodem ſæculo, Cœleſtinus III. morti proximus, conſilium iniit ſubrogandi ſibi Cardinalis ſanctæ Priſcæ, quem ſibi adjunxerat nexu arctiſſimo curarum omnium conſcium, & Pontificalium functionum adminiſtrum (2). Sed nulla tunc ſtrepebat perſecutio, non uni Eccleſiæ utilitati ſerviebant ea conſilia: ideo & invictiſſima conſtantia reſtitum eſt a Cardinalibus, qui rationibus & ipſi ſuis conſultum volebant; ſi qua Rogerio fides.

Illud certe plurimum habebat momenti, quod ea ſucceſſoris deſignatio a Cardinalium Collegio examinanda & comprobanda erat: nec aliter fieri poterat in Apoſtolica Sede, cui ſuperior Prælatus imminet nullus. Retinebatur tamen adhuc & in aliis Eccleſiis, ut electio celebraretur. Henricus enim Epiſcopus Cardinalis Albanenſis, ante Claravallenſis Abbas, per litteras certiorem fecit Alexandrum III. Armachanum Archiepiſcopum iis fatigatum infirmitatibus, quas ſenectus ſolet habere pediſſequas moleſtiſſimas, deſignaſſe ſibi ſucceſſorem, eligique eum feciſſe a Clero, Populo, & Magnatibus, eique mox dignitatis ſuæ inſulas reſignaſſe; ſe pro Legati Apoſtolici munere totum confirmaſſe; Apoſtolicæ jam ſedis eſſe, ut ultimam rei manum admoveret, ordinando Archiepiſcopo, qui ea de cauſa Romam mittebatur (3): *Latorem præſentium ordinari ſibi deſideraſſe ſucceſſorem, celebrata electione in ipſum a Clero, & Populo, & Magnatibus terræ ejus &c. Nos adducimur aſſenſum non negare, &c. Rogamus tam in abſolutione ejus, quam in ordinatione iſtius efficaciter annuatis.*

VI. Irritæ jam ergo habebantur reſignationes in favorem, niſi Pontificia acceſſiſſet auctoritas, cum hæc Legati Apoſtolici judicio rata quanquam eſſet, ad Apoſtolicam tamen ſedem referenda fuerit. Sed luculentiori mox exemplo duo illa eadem firmabuntur, & Pontificis aſſenſione muniendas neceſſario fuiſſe has ſucceſſorum nominationes, & vel tum ſartam tectamque electionum libertatem eſſe ſervatam. Eskilus Lundenſis Archiepiſcopus in Dania, conſilio inito ſecedendi in Ordinem Ciſtercienſem, & eo pulcherrimo exitu ſanctiſſime adminiſtrati Epiſcopatus curriculum conſecrandi, licentiam aliquando tandem ab Alexandro III. expugnavit, ſæpius nimirum ante repulſam paſſus. Regi repræſentata eſt Pontificia hæc Epiſtola, quod profeſſus ipſemet eſſet citra Pontificis aſſenſum perfici negotium non poſſe: *Romani Pontificis Epiſtola, ſine cujus nutu Rex dignitatem ab ipſo deponendam negabat, in commune relegenda profertur.* Verba ea ſunt Saxonis Grammatici (4). Cupiente Rege ut Archiepiſcopus ipſe ſucceſſorem diligeret, ille alteram prompſit Pontificis chartam, qua ejus deligendi poteſtatem ſibi annuebat, tanquam Legato nato Sedis Apoſtolicæ: *Aliam Romanæ dignitatis epiſtolam explicat, qua ſibi Legationis habenæ tenenti, ſubrogandi Antiſtitis arbitrium mandabatur.* At eo ipſo rempore conteſtatus eſt Præſul ſanctiſſimus, ſuo ſe jure iis cedere, penes quos eſſet electionis canonicæ ordinaria poteſtas, nec commiſſurum ſe, ut violandis Eccleſiæ libertatibus contaminaret Epiſcopatum ſunm, quem totum earum tuitioni impendiſſet: *Ea perfecta, poteſtatem, quam ſibi indulgentia Romana detulerat, ad eos quibus eligendi jus eſſe conſueverit, transferri ſe dixit, quod ultro ſuo jure cedere, quam alienum offendere malit: ne Eccleſiam pro cujus majeſtate tuenda ſemper excubuerit, conſueto libertatis beneficio fraudare videretur.* Clerus & Rex populi partes ſuſtinens: *Plebis ſe partibus proloqui referebat*, inſtare rurſum vehementius, ut ſignificaret ipſe, qui digniſſimus ſibi videretur: atque ita expreſſere tandem, ut Roskildenſem Epiſcopum Abſalomum indicaret, virtutum maxima, nonnulla & carnis cognatione ſibi conjunctum. Vel hinc id intelligas, quod quantumvis inſtarent Archiepiſcopus, Clerus,

(1) Bar. ann. 1119.
(2) Bar. ann. 1198. Roger. pag. 774.
(3) Bib. Ciſt. t. 3. p. 234.
(4) Bar. ann. 1177. n. 91. Saxo Grammat. l. 14.

Rex, Populus, adduci electus non potuit, ut electioni acquieſceret. Pertractus eſt ad ſedem Pontificiam, Pontificalia ingeſta ei ſunt ornamenta, exuit excuſſitque hæc omnia, vim vi repulit, ad Apoſtolicam denique Sedem provocavit. Hinc & inde interpellatus Alexander III. utriſque miro quodam ſe modo ſatisfacere poſſe ſperavit: juſſo Abſalomo clavum capeſſere Eccleſiæ Lundenſis, permiſſo, ut retineret adminiſtrationem Roskildenſis.

Ineſt huic exemplo reſignatio, & quidem in favorem, translatio, pluralitas Beneficiorum, immo & Epiſcopatuum, denique Beneficia, & ipſa Epiſcopalia culmina in Commendam data. Nec tam ſtupenda ſunt hæc rerum novitate, quam virtutum ſplendore, & incredibili prorſus innocentia, ſanctitate, & integritate eorum, in quos hæc Beneficia congerebantur. Ad translationes, ad Beneficiorum pluralitatem, ad Commendas non multo poſt delabemur. Hic vero ne a ſemita deflectamus, advertemus. 1. Jam conſtitutam conſuetudinem adeundæ Sedis Apoſtolicæ ad has diſpenſationes ante calcem ſæculi XII. 2. Permiram ſobrietatem & temperantiam tot Pontificum Romanorum, aliorumque Prælulum, qui abſtinuere ſemper a deſignandis ſucceſſoribus, quanquam id tum poſſent, vel propter incerta perſecutionis diſcrimina, vel invitante Clero, vel permittente ſuperiore Prælato. Omnibus iis certum fixumque fuit æmulari potius Gregorii VII. conſtantiam, qui non ceſſit Cardinalium precibus hortantium, ut Petrum ſequeretur, qui Clementem nominarat; quo ille exemplo negavit uti ſe velle, quod poſterioribus Conciliis prohibita res fuiſſet (1): *Rogatus eſt a Cardinalibus ut Papam conſtitueret, beati Petri exemplum referentibus, qui lacſentis Eccleſiæ rudimentis, vivens Clementem præfecerat. Negavit ille idem exemplum ſecuturus, quod ab antiquo Concilii eſſet vetitum.* Ita Willelmus Malmesburienſis.

Permiſſus eſt quidem ab Alexandro III. Eskilus, ſucceſſorem ſibi eligere, ſed ſingulari & inconceſſo aliis privilegio donari poterant virtutes prorſus ſingulares, & pene inauditæ. Renuntiavit ipſe privilegio, eoque declaravit, qui eſſe debeant, quibus ejuſmodi privilegia conceduntur. Id voluit Gratianus his verbis (2): *Illud beati Petri Apoſtoli ab illis valet in argumentum aſſumi, qui tales ſibi ſubſtituunt, qualem ſibi ſucceſſorem beatus Petrus quæſivit.* Nihil antiquius, nihil optabilius foret his in favorem reſignationibus, ſi qui reſignarent, Petri; quibus reſignaretur, Clementis virtutum guſtum aliquem, vel colorem retinerent.

VII. Progredior ad ſæculum XIII. & ad ea quæ ſecuta ſunt. Innocentium III. conſuluit Arelatenſis Archiepiſcopus in cauſa Epiſcopi Arauſicani, qui totum jam quadriennium decumbebat ex ejuſmodi morbo, quo functionibus Ordinis ſui omnibus arceretur. Juſſit Pontifex Coadjutorem dari: quod ſanctæ adminiſtrata Eccleſia, cum vires ſuppeterent, jam cogi non poſſet, ut reſignaret (3): *Cum ipſum ad ceſſionem compellere non poſſis, nec debeas ullo modo, nec officio afflictio ſit addenda, immo potius ipſius miſeriæ ſit miſerendum, eo quod idem vir bonus extiterit, & Eccleſiam ſalubriter ſibi commiſſam gubernaverit, nos volentes tam Epiſcopo, quam Eccleſiæ providere, mandamus, quatenus illi Coadjutorem adjicies, &c.*

Eodem Titulo Decretalium plura alia obvia ſunt Capita, quibus Coadjutores dari præcipiuntur Parochis, aliiſque Beneficiariis ea afflictis ægritudine, quæ ipſem omnem circumcidat curationis; nec unquam in his ceſſio extorquetur. Ex quo colligas, quæ alibi a nobis contraria explicantur exempla, rariſſima ea fuiſſe, aut ad eos tantum pertinuiſſe Paſtores, qui tam infrenue & ſupine Eccleſiam rexerant, dum valerent, ut minus jam valentibus parci non deberet.

Sed in ea ſpecie Arauſicani Epiſcopi, adverte a Principe terræ & a Civibus interpellatum fuiſſe Metropolitanum: *Princeps terræ ac cives a te poſtulant inceſſanter, ut ipſis, cum ſis Metropolitanus eorum, ſtudeas providere.* A Metropolitano vero Pontificem. A Pontifice definitum, ut daretur Coadjutor, ſed eum Metropolitanus deligeret: quem probabile in primis eſt Cleri Populique ſuffragia ſcrutatum eſſe. Quæ omnia ad ſapientiæ mutuæque caritatis & obſervantiæ leges accuratiſſime videntur expenſa fuiſſe.

VIII. Pertractatur autem ab eodem Innocentio (4) cauſa ſingularis prorſus Epiſcopi Virdunenſis, cui ab iis ipſis Coadjutor

(1) Malmesb. de Willel. I. L. 3. p. 108.
(2) 8. q. 1.
(3) Extr. De Cler. ægr. c. 3.
(4) Regeſt. 15. Ep. 194.

tor allectus fuerat, a quibus fuerat ipſemet electus; ad tempus ſaltem allectus nimirum ad rei temporalis adminiſtrationem, dum ipſe ſpiritalem exerceret curam & juriſdictionem. Nec improbata eſt a Pontifice ea Coadjutoris cooptatio, dum a Regalis non diſſonaret Canonicis, hoc eſt, dum eam excuſaret neceſſitas Eccleſiæ, vel a ſenio profecta Epiſcopi, vel a gravi ægritudine, vel a quibuſdam negotiorum & occupationum procellis.

Omnes porro hi jure Canonico commendati Coadjutores non iidem ſucceſſores ulli ſunt: uti nec ii de quibus Boniface VIII. *in Sexto, C. Paſtoralis.* Eo certe declaratur reſignationem Epiſcopatuum unam eſſe ex illis cauſis majoribus, quas jus Canonicum integras Papæ ſervat: at in Eccleſiis remotioribus, quibus ipſa longinquitas & mora poſſet officere, poſſe ab Epiſcopo & Capitulo conjunctim unum aut duos adoptari Coadjutores, ſi ſeneſta, ſi deſperata ægritudo, ſi qua alia ineluctabilis difficultas Paſtorem functionibus ſuis arceat, nec ſpes ulla in futurum melioris ſortis affulgeat; poſſe vero a Capitulo ſolo rem proſtigari, ſi Prælatus mentis ſit impos: ſi obſtinatius Coadjutorem reſpuat Paſtor, quanquam Eccleſiæ tum ſuæ perneceſſarium, opperienda in eam rem eſſe Sedis Apoſtolicæ Reſcripta. Placet denique Bonifacio, ut Eccleſiæ impenſis ſuſtenteretur Coadjutor: porro adminiſtrationis ſuæ rationes ipſe, vel Epiſcopo referat, vel ſucceſſori (1). Confirmata eſt a Bonifacio IX. electio Capituli Trevirenſis, qua Epiſcopus Trajectenſis Adminiſtrator creabatur Archiepiſcopatus Trevirenſis, dum infantia mentis, & quidem ut videbatur, deſperata laboraret Archiepiſcopus. Tridentina Synodus (2) Parochis imperitis ad tempus Coadjutores dari ab Epiſcopis conceſſit.

IX. Quibus ita definitis, jam minus moleſtiæ faceſſet nobis, ea quæ a Canoniſtis vexatur quæſtio, de reliquis paſſim Coadjutoribus cum certa ſpe ſuccedendi. Quam certis enim prædiiis nituntur Coadjutores, quibus canonicæ ſuffraganter cautæ, & rationes: tam nutat, vacillatque horum Coadjutorum ratio, quorum ſuccedendi conſuetudini nulla favent jura, ſed unus Romanæ Curiæ uſus, ſtatuique. Ideo & proſcripti ſunt a Tridentino Coadjutores hi omnes, ipe improba ſuccedendi ſibi blandientes; ſicut & Regreſſus, & artes demum eæ omnes, quibus Beneficia, velut hæreditaria, una in aliqua gente perpetuantur (3): *In Coadjutoris quoque cum futura ſucceſſione, idem poſthac obſervetur, ut nemini in quibuſcunque Beneficiis Eccleſiaſticis permittantur.* Non inſerti ſunt juri Coadjutores, ut ſupra patuit; ſed Coadjutores cum ſpe ſuccedendi.

X. Excipiuntur a Concilio Epiſcopatus & Abbatiæ, in quibus neceſſitate urgente, & evidente utilitate Eccleſiæ, ſinitur Pontifex Coadjutores dare, cum ſpe ſucceſſionis, ſi modo ii eligantur, quibus aſſiduare ea omnia eruditionis, pietatis & virtutum omnium ornamenta, quibus & jus Canonicum & Tridentinum ipſum maxime Concilium Paſtores inſtrui deſiderat: *Quod ſi quando Eccleſiæ Cathedralis, aut Monaſterii urgens neceſſitas, aut evidens utilitas poſtulet Prælato dari Coadjutorem, is non aliter cum futura ſucceſſione detur, quam hæc cauſa prius diligenter a ſanctiſſimo Romano Pontifice ſit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum ſit, quæ a jure & decretis hujus ſanctæ Synodi in Epiſcopis & Prælatis requiruntur: aliàs conceſſiones ſuper his factæ, ſubreptitiæ eſſe cenſeantur.*

XI. Ad ſolas ergo Epiſcopales Eccleſias, & ad Abbatias probavit Tridentina Synodus adſiguari a Romano Pontifice Coadjutores, ſuccedendi ſpe & fiducia certa munitos, idque urgente gravi neceſſitate, non ad alia quæcunque Beneficia: *In Coadjutoriis quoque cum futura ſucceſſione idem poſthac obſervetur, ut nemini in quibuſcunque Beneficiis Eccleſiaſticis permittantur.* Itaque Canonicis, aliiſque minoribus Beneficiariis, qui jam adduntur Coadjutores, ii nec uſquam in Canonico Decretalium jure commemorati ſunt, nec in Concilio Tridentino attinguntur, niſi ut proſcribantur ab univerſa prorſus Eccleſia: *In Coadjutoriis quoque cum futura ſucceſſione idem poſthac obſervetur, ut nemini in quibuſcunque Beneficiis Eccleſiaſticis permittantur.*

Qui enim jure Decretalium permittebantur Coadjutores: 1. Ii non ultra tempus ægritudinis annuebantur: at hi perpetui ſunt. 2. Illi neceſſitati Eccleſiæ donabantur, etiam præter voluntatem quandoque Beneficiarii: hi petentibus dantur. 3. Priſci illi Coadjutores redibre cogebantur, & Eccleſiæ obire varia miniſteria: hi nec in Choro, nec

(1) Rain. ann. 1399. n. 12. (2) Seſſ. 20. c. 6. (3) Seſſ. 25. c. 7.

in Capitulo locum habent, nec ulla invito Canonico munia implere poſſunt. (1) 4. Olim in his Eccleſiæ conſulebatur, hic nunc gratificantur cognatis & amicis privatim. 5. Dabantur tum Coadjutores ſenibus decrepitis, aut immedicabili morbo languentibus: nunc ſexagenariis donantur Canonicis, vegetis licet & valentibus. 6. Denique priſci Coadjutores parte fructuum ſuſtentabantur; non ita nunc res ſe habet; quorſum enim de altari vivant, qui altari non ſerviunt?

Quæ hic de Coadjutoribus ad minora Beneficia diſceptata ſunt a nobis, ea a Proſpero Fagnano mutuata ſunt; qui unus omnium conſultiſſimus, & experientiſſimus rerum Romanæ Curiæ nobis viſus eſt. Additur & illud ab eodem (2), poſt Concilium Tridentinum a Sixto primum V. datos fuiſſe iſtiuſmodi minorum gentium Coadjutores; nec magnopere mirandum eſſe, ſi Tridentini Patres conceſſit Coadjutoribus ad Epiſcopales Eccleſias & ad Abbatias, iis minores Beneficiarios interdixerint. Promptam enim hanc & expeditam eſſe rationem. Graviſſimum Eccleſiæ immineret periculum, ſi Paſtore orbari ſineretur; aut permitteretur Paſtori, nullas muneris ſui partes implere valenti. Cum ex adverſo nihil detrimenti paſſura ſit Eccleſia, etſi permittatur Canonicus ſenex & effœtus mortem meditari, & abeſſe choro, dum conferto ceterorum agmine frequentantur divina officia. Illud denique concluditur a Fagnano, optatiſſimum eſſe, ut ab his Pontifex abſtineret dandis Coadjutoribus, peræque in aliis Eccleſiis, atque in Germania, ubi Concordato ipſo Germanico interdicuntur (3): *Forte conſultius foret, ut Sedes Apoſtolica ab hujuſmodi gratiis abſtineret ubique locorum, ſicut abſtinet in Germania, ubi ex Concordatis cautum eſt, ut Papa concedendo Coadjutorias cum futura ſucceſſione in omnibus menſibus dicatur Concordatis contravenire.* Non pauca alia potuiſſent ex eodem hic obſervari, quæ brevitatis gratia prætermitto. Ximenius Cardinalis Archiepiſcopus Toletanus Pontificis & Regis auctoritate revocari pervicit Coadjutorem Archidiacono Toletano conceſſum, præter veteriſſimum uſum Eccleſiæ Toletanæ (4).

XII. Edicto Aurelianenſi juſſi ſunt Prælati (5), quos ingraveſcens ætas, vel ægritudo pertinacior retardaret, ſummoveretque a fungendis muniis dignitatis ſuæ, ut Coadjutores ſibi arceſſerent, quos & congruis foverent penſionibus. Nec verbum ibi fit ullum de jure ſuccedendi, quod proinde expungebatur. Anno 1629. a Ludovico XIII. Rege declaratum definitumque eſt (6), nullos jam datum iri Coadjutores Epiſcopis, Abbatibuſque, niſi ubi jura expreſſe permitterent; revocata ſtatim ſunt, & irrita haberi juſſa diplomata iſtiuſmodi omnia, quæ nondum effectum ſortita eſſent; Coadjutores vero ad Canonicatus & Parochiales Eccleſias omnino proſcripti ſunt. Narrat in Epiſtola quadam ſua Oſtatus Cardinalis (7), quam inſanitum fuiſſet in hac parte ſub Rege ſuperiore, ubi ſtagnaium fuerat aliquando, ut juvenculus Princeps, non major annis tredecim, Coadjutor daretur Archiepiſcopo Remenſi, jam inde a primo Pontificatus ſui die.

De Translationibus Epiſcoporum & Abbatum.

CAPUT LX. *P. 1. l. 2. c. 24.*

De Translationibus in Eccleſia Latina, quinque prioribus Eccleſiæ ſæculis.

I. Quam jure irritata ſit ab Hilario Papa & a Concilio Romano translatio ab Epiſcopis Tarraconenſis Provinciæ facta.

II. Qui ſe a ſuo in alium transferri poſſus erat Epiſcopatum, utroque orbandus fuit Epiſcopus.

III. Decretum Leonis Papæ in eam rem.

IV. Translationis facinus ulciſcitur Sardicenſis Synodus, adempta ad mortem uſque communione.

V. Opem publici Magiſtratus arceſſi jubet Concilium III. Carthaginenſe adverſus frequentiores translationes.

VI. In alio Carthaginenſi Concilio, laudantur translationes ea, quibus utilitas Eccleſiæ promovetur.

VII. Ei

(1) Seſſ. 21. c. 6.
(2) In l. 3. Decret. part. 2. p. 236.
(3) In L. 7. part. 1. pag. 102. & part. 2. p. 561. Et in lib. 3. part. 1. p. 194.
(4) Gomezius l. 5. in vita Ximenii.
(5) Art. 7.
(6) Memoires du Clergé T. 2. part. 1. p. 89. part. 2. pag. 6.
(7) Tom. 1. Ep. 87.

VII. Ei decreto aſſentitur Gelaſius Papa.
VIII. Ad cuſtodiam Canonum in hoc negotio, ad Magiſtratus alii civiles, alii ad Pontificem confugiunt.

I. PRælibatum jam aliquid fuit de Translationibus capite ſupra LVI. ubi propoſitum ejus exemplum, qui ſucceſſor depoſcebatur morientis Epiſcopi, cum jam aliam Eccleſiam adminiſtrarer, a qua transferri eum oporterer. Jam enim Irenæus clavum moderabatur alterius Eccleſiæ, cum ſuam illi Barcinonenſem Nundinarius reſignaret. Conſenſerant Epiſcopi Provinciæ ei translationi, ut Cleri Populique votis obſecundarenr, atque ur ſibi quidem videbantur, etiam utilitati Eccleſiæ. At Hilarus Papa, a quo rem confirmari avebant, impune ioſringi Canones non eſt paſſus, ſcripſitque vehementiſſimis litteris ad Metropolitanum Tarraconenſem Aſcanium, graviter illum objurgavit, quod non pro munere ſuo temerarias populorum, & inconſideratas Epiſcoporum petitiones repreſſiſſet (1): *Pro loco & honore tibi debito, ceteri Sacerdotes docendi fuerant, non ſequendi.* Certe & Pontifex & Concilium pluſculum etiam exhorruere audaciam Nundinarii, ſucceſſorem ſibi aſciſcentis, quam Irenæi translationem: *Nonnulli Epiſcopatum, qui nonniſi meritis præcedentibus datur, non divinum munus, ſed hæreditarium putant eſſe compendium, & cedunt ſicut res caducas & mortales, ita Sacerdotium velut legali aut teſtamentaeio jure poſſe dimitti, &c.* Verba illa ſunr Hilari. At in Conc. Romano Epiſcopi & Presbyteri qui aderanr, una omoes voce intonuerunt (2): *Quæ Dei ſunt, ab homine dari non poſſunt. Dictum eſt ſexies.* Ab Epiſcopo dictum eſt, *Succeſſores Deus dat.* Sed proficiſcebarur forſan ea Pontificis & Concilii indignatio ex eo, quod hæ nefariæ reſignationes in Hiſpaniis vehementius increbuerant: *Nam plerique Sacerdotes in mortis confinio conſtituti, in locum ſuum ſeeuntue alios deſignatis nominibus ſubrogare: ut ſcilicet non legitima expectetue electio, ſed defuncti gratificatio pro populi habeatue aſſenſu.* Si plerique Epiſcopi in Hiſpania, *plerique Sacerdotes*, ita paſſim canonicis illudebant inſtitutis, & ſucceſſores dabanr, quos ſolius eſt Dei dare; ſi Dei voluntatem prævertebant, eoque evertebant; juſto & neceſſario zelo ſæviit Romana Synodus.

II. Nec in ſolam tamen ſucceſſorum deſignationem, ſed & in translationem Epiſcoporum exarſit ea Synodus, cum toties ab Epiſcopis & Presbyteris omnibus ingeminatæ ſint hæ voces: *Ut diſciplina ſervetur, rogamus, dictum eſt octies. Ut antiquitas ſervetur, dictum eſt quinquies. Ut Canones cuſtodiantur, dictum eſt octies. Hilaro vita, dignus Papa, dignus Doctor.* Ideo & ad Aſcanium reſcripſit Hilarus, ſuam ut ad Eccleſiam remeare juberet Irenæum, moneretque ex indulgentia illud ei condonari (3): *Quod ei non judicio, ſed humanitate peæſtabitue.* Exauctorandus enim fuiſſet Nicæni Canonis contemptor: *Pacs illa contemnitur, qua vetatur, ne quis relicta Eccleſia ſua, ad alteram tranſire præſumat.* Ubi perſpicis, etſi primigenia ex inſtitutione ſua Romanus Pontifex, executor & diſpenſator Canonum non eſſet, has ei laudes acceſſuras fuiſſe & poteſtates tam longa & invicta eorum per tot rerro ſæcula defenſione, adverſus eorum tam frequenres conculcationes, a Metropolitanis & ab Epiſcopis Psovincialibus vel diſſimulatas, vel etiam comprobatas.

III. Abſolutius a Leone Magno pronuntiatum eſt, qui a minori ad majorem migrarit Eccleſiam, Epiſcopum, utraque ſpoliandum, ot pœoas det, & contemptæ per ſuperbiam minoris, & concupitæ per avaritiam majoris Eccleſiæ (4): *Si quis Epiſcopus mediocritate civitatis ſuæ deſpecta, adminiſtrationem loci celebrioris ambiret, & ad majorem ſe plebem quacunque occaſione tranſtulerit, non ſolum a Cathedea quidem pelletue aliena, ſed carebit & propeia, ut nec illis præſideat, quos per avaeitiam concupivit: nec illis quos per ſuperbiam ſprevit.*

IV. Non poterat flagitii hujus atrocitas acerbius vindicari, quam in Sardicenſi Concilio, interdicta etiam in fine laica communione (5): *Ut nec laicam in fine communionem talis accipiat.* Nec enim eo incitantur Epiſcopi, niſi quodam avaritiæ & ambitionis effrænatiſſimæ œſtro: *Apparet eos avaritiæ ardore inflammari, & ambitioni ſervire, & ut dominationem agant:* Quod vel hinc eluceſcir, quod a majori Eccleſia ad minorem nunquam demigrent: *Cum nullus*

(1) Epiſt. 3. (2) Concil. Rom. ſub Hilar. (3) Epiſt. 1. 3.
(4) Epiſt. 84. c. 8. (5) Can. 1. 2.

ſint inventus ſit Epiſcopus, qui de majori civitate ad minorem tranſiliret. Hanc certe pœnæ atrocitatem Synodo Sardicenſi extorſit incredibilis quædam & deteſtanda Orientalium tunc Epiſcoporum ſive levitas, ſive cupiditas, qui ad alias & alias ſubinde Eccleſias tranſiliebant, eaſque infanda licitatione nundinabantur.

V. Concilii Carthaginenſis III. Patres prævertere maluerunt eam ambiendarum Eccleſiarum inſolentiam, quam ulcisci. Itaque humanius, ſed efficacius conſulentes, ſtatuerunt recurri ad Præſidem Provinciæ, ut priorem in Eccleſiam ſuam faceſcere cogeretur Epiſcopus, qui nec Canones, nec leges reveritus, Sacerdotali & Imperatoria poteſtate in ordinem redigendus eſſet (1): *Quo jam neceſſitate ipſa cogente liberum ſit nobis Rectorem Provinciæ adverſus illum adire, ut qui nitti admonitioni Sanctitatis veſtræ acquieſcere noluit, & emendare illicitum, auctoritate judiciaria protinus excludatur*. Eo Canone obſervatum eſt, nuperrime damnatas eſſe Epiſcoporum translationes in Concilio Plenario Capuano.

VI. Poſſe tamen aliquando Eccleſiis ipſis conducibiles eſſe Epiſcoporum translationes, eoque rem totam Concilio Provinciali permittendam, a quo Cleri Populique petitiones expenderentur (2): *Ut Epiſcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non tranſeat, &c. Sane ſi id utilitas Eccleſiæ ſinendum poſcerit, Decreto pro eo Clericorum & Laicorum Epiſcopis porrecto, in præſentia Synodi tranſferatur, nihilominus alio in loco ejus Epiſcopo ſubrogato*. Non ergo privatæ cupiditati, ſed publicæ Eccleſiarum utilitati donandæ ſunt Epiſcoporum translationes, & Concilii Provincialis judicio ponderari debet, an quod Eccleſiaſticæ tum Diſciplinæ vulnus inligitur, ſatis, ut par eſt, compenſetur utilitate inde redundatura.

VII. Non immerito ergo Gelaſius Papa non omnes indiſcriminatim proſcripſit translationes, ſed eas quæ fierent *nullis exiſtentibus cauſis*; nec enim injuriosas eas eſſe Canonibus, ubi qui migrat ab una ad aliam Eccleſiam Præſul, non ultro ipſe migrat, ſed ſuperioris poteſtatis imperio excitatur, impellitur & transfertur; non opibus inhiat, non Sedis celſius culmen prehenſat, ſed caritati & neceſſitati famulatur Eccleſiæ; ſi ſibi permitteretur, unius, & virginis etiam pauperculæ Eccleſiæ amplexibus inhæſurus. Præclare enim Hieronymus ea de re (3): *Et hoc in Nicæna quoque Synodo a Patribus decretum ne de alia ad aliam Eccleſiam Epiſcopus transferatur; ne virginalis pauperculæ ſocietate contempta, ditioris adultere quærat amplexus*.

VIII. Ex his porro Carthaginenſibus Conciliis manifeſtum eſt, etiam in Occidente fieri ſolitas Epiſcoporum translationes in Conciliis Provincialibus, nullo Sedis Apoſtolicæ tum quidem interventu. At illud quoque non obſcurum ibidem eſt, eam Concilii Provincialis auctoritatem judicio non ſemel habitam fuiſſe, adeo ut ad civilem judicem Præſidemque Provinciæ referendum quandoque fuerit. Conſultius viſum Epiſcopis Hiſpaniæ, interpellari Romanum Pontificem, petita ab eo confirmatione translationis, cui ipſi quidem jam in anteceſſum aſſenſi eſſent, ſed quæ ad ejus tamen confirmationem ſuſpenderetur. Et ſane ab Hilaro Papa in Hiſpaniam delegatus eſt Subdiaconus Eccleſiæ Romanæ, qui Irenæum priorem in ſtationem ſuam retruderet, frangeretque contumaciam Epiſcopi Calaguritani, hactenus Metropolitano ſuo immorigeri (4): *Irenæum ad Eccleſiam ſuam redire compelle, ad quam ſponte potius redire debebit, ſi a ſacerdotali conſortio non metuit ſeparari, nec unius Eccleſiæ duo eſſe permittantur Antiſtites: quod opportunius ſupradicti Subdiaconi fieri delegemus inſtantia, quem etiam pro conſervanda Eccleſiæ diſciplina commeare ad Hiſpanias, diſpoſitionis noſtræ fecit auctoritas*. Nemo non ſentit, utrum compendioſius Eccleſiæ, & honorificentius ſit a Papa, an ab Imperatore; a Delegato Papæ, an a Præſide Provinciæ cogi Epiſcopos, ut ſuis affigantur Eccleſiis. Ubi infra de pluralitate Beneficiorum ſermo erit, aliqua adhuc de Translationibus perſtringentur.

CA-

(1) Can. 38. (2) Can. 27. (3) Epiſt. ad Ocean. de unius uxoris viro. (4) Hil. Ep. 3.

CAPUT LXI. *P. 1. l. 2. c. 25.*

De Translationibus in Eccleſia Orientali per priora quinque ſæcula.

I. Commendant Apoſtolici Canones translationes eas quæ ſunt ad utilitatem Eccleſiæ, & auctoritate Conciliorum. Reliquas explodunt.

II. Perantiquum & pirilluſtre harum translationum exemplum.

III. Niceno Canone confirmatur Apoſtolicus Canon.

IV. Antiocheno Canone damnantur omnes prorſus translationes.

V. Chalcedonenſis Canon Niceno ſubſcribit.

VI. Invehuntur Pontifices & Imperatores in eas translationes, quæ privatis famulantur affectibus.

VII. Laudatiſſimæ ſunt quædam translationes. Ejus rei ratio.

VIII. IX. Ejus rei exempla, Perigenes, Euſtathius, Gregorius Theologus.

X. XI. Exempla alia, Sylvanus, Proclus.

XII. Ad Papam & ad Patriarchas itur, ut translationibus auctoritas concilietur.

XIII. XIV. Ut ea auctoritas, qua rata fierent translationes, a Conciliis Provincialibus ad Patriarchas, & ad Papam transfuſa demum ſit?

XV. XVI. In cauſa fuit infrequentia Conciliorum Provincialium, & auctoritas languidior.

XVII. XVIII. Ea juris devolutio velut ipſa natura ſponte fit; nec fieri poteſt, quin longa ſæculorum ſerie, cauſarumque viciſſitudine invehatur.

XIX. XX. Cum ea jura in matrices Eccleſias revolvebantur, rivuli ii quodammodo erant, qui in fontes ſuos refluerent.

XXI. De Metropolitico jure hic agitur, non de Epiſcopali.

XXII. A quarto jam inde ſæculo cauſarum hæc majorum judicia a Metropolitano ad Exarchos translata ſunt.

I. CAnonicas omnes regulas de translationibus unus paucissimis verbis complexus eſt Apoſtolicus Canon. Univerſim quippe illas damnat, quantumvis Epiſcopi, quod maxime cupiunt, ad id cogi ſe mentiantur. Illas rurſus vehementer probat, ubi invito, & nulli terrenæ illecebræ affixo Epiſcopo, eas extorquet una Eccleſiæ neceſſitas, una caritas. Denique tota ea poteſtas Epiſcopali Concilio commendatur, quod & pro ſapientia ſua dijudicet, & pro poteſtate tum ambitioſos retundat, tum humiles & modeſtos cogat ad celſius faſtigium (1): *Epiſcopo non liceat ſua relicta Parochia ad aliam tranſire, etiamſi a pluribus cogatur; niſi ſit aliqua cauſa rationi conſentanea, quæ eum cogat hoc facere; utpote ad majus lucrum, cum poſſit ipſe, iis qui illic habitant, pietatis verbo conferre; idque non ex ſe, ſed multorum Epiſcoporum judicio, & maxima exhortatione.*

II. Id genus fuit translatio Alexandri Epiſcopi Cappadociæ in ſedem Hieroſolymitanam, quo ille ſe contulerat, non alium aucupaturus, ſed ſuum abdicaturus Epiſcopatum: nec ille ad aſſentiendum adduxiſſet animum, niſi ut cœleſti oraculo pareret, monitiſque divinis, quibus cum cederent Epiſcopi Provinciæ non illubentes, cedendum & ipſi fuit perinvito. Vide ut hæc narret Hieronymus, Euſebio ſuccinens (2): *Alexander Epiſcopus Cappadociæ cum deſiderio ſanctorum locorum Hieroſolymam pergeret, & Narciſſus Epiſcopus ejuſdem urbis jam ſenex regeret Eccleſiam, & Narciſſo & multis Clericis ejus revelatum eſt, altera die mane intrare Epiſcopum, qui adjutor ſacerdotalis Cathedræ eſſe deberet. Itaque re iſta completa, ut prædicta fuerat, cunctis in Paleſtina Epiſcopis in unum congregatis, adnitente quoque ipſo vel maxime Narciſſo, Hieroſolymitanæ Eccleſiæ cum ea gubernacula ſuſcepit.*

III. Sed quam ſtupenda, tam rara ſunt hæc pietatis documenta. Unde & Nicæna Synodus, ne latius in dies ſerperent, gliſcebant enim hæ translationes, neu Canonibus aliquando præſcriberent, eas funditus interdixit: ea lege Presbyteros etiam, Diaconoſque complexa (3): *Propter multam perturbationem & ſeditiones quæ fiunt, placuit conſuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibuſdam partibus videtur admiſſa, ita ut de civitate in civitatem non Epiſcopus, non Presbyter, non Diaconus tranſeat.* Non alia hic pœna ſancitur, quam pudor repetendæ, a qua temere quis ſe divulſerat, Eccleſiæ.

IV. Et prohibetur quidem hoc Canone, ne

(1) Can. 14. (2) Hieron. de Script. Eccleſ. (3) Cap. 15.

ne suo nutu migret Episcopus in aliam Ecclesiam, non autem ut ne a Concilio Provinciæ transferatur. Quinimmo cum conqueratur de temere & impune proculcato Canone priori, κατὰ τὸν κανόνα, hoc est, Apostolico Canone, supra relato: hinc facile intelligimus hunc illi scopum propositum fuisse, ut illi Canoni, qui jam exolescebat, pristinam auctoritatem restitueret, & observantiam. Sed Concilii Antiocheni Patres non ita se voluere coarctare, novaque sua decreta, ad priscorum Canonum observationem. Ideo & translationes omnino proscribunt, nec sinunt eas Concilii Episcopalis auctoritate ratas fieri posse (1): *Episcopus ab alia Parochia nequaquam migret ad aliam, nec sponte prorsus insiliens, nec vi coactus a populis, nec ab Episcopis necessitate compulsus; maneat autem in Ecclesia, quam primitus a Deo fortitus est. Nec inde transmigret, secundum regulam super hoc olim a Patribus constitutam.* Non possumus *regulam* hanc priorem, nisi Nicænum interpretari Canonem, vel Apostolicum. Atqui uterque hic Canon Antiocheno adversatur. Probabile igitur cum primis est, Concilii hujus Episcopos, partium studio, quam fidei Catholicæ zelo ardentiores, affectata hac & parum sincera austeritate dissimulatam voluisse ambitionem, quæ transversos & ipsos sæpe egerat; nec poterat tamen non vel ab ipsis damnari.

V. Nec in eandem reprehensionem incurrere possunt Sardicenses Patres, cum in Occidente fere tam raræ fuerint translationes, excubante Apostolica Sede, quam frequentes erant in Oriente. Denique in Concilio Chalcedonensi innovata rursus est tota vis antiquorum Canonum, adversus Episcopos, & Clericos quoslvis, qui suis ab Ecclesiis ad alias transilirent (2): *De his qui transmigrant de civitate in civitatem, Episcopis aut Clericis, placuit ut Canones qui de hac re a sanctis Patribus statuti sunt, habeant propriam firmitatem.* Quo transmigrationes magis damnantur, quam translationes.

VI. Intercessit Constantinus Imperator, ne quo jam totus propendebat Eusebius Cæsariensis Episcopus, ad Ecclesiam se transferret Antiochenam, quo illum invitabant vanissimi adulatores, non magis suo, quam eius ingenio obsequentes. Contra autem inculcabat ei Constantinus, eam demigrationem tam divinæ legi, quam Apostolicis Canonibus repugnare (3): *Rectissime fecit prudentia tua, quæ & mandata Dei, atque Apostolicam & Ecclesiasticam regulam custodire statuit, Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ repudians, & in eo potius permanere desiderans, quem Dei mandato ab initio susceperisset.* Ubi pissimus Imperator scitissime admonet, primam Episcopo ipsorsum a Deo dari: conjugio illo spirituli, præque ute carnali individuum contrahi vinculum, ut adulterina jam merito dicenda sit illa copula, si quis prima repudiata alteri se conglutinet Ecclesiæ. Eadem erat & mens Episcoporum Concilii Ægyptiaci, cum verba facit de Eusebio, qui Berythensi ab Ecclesia transilierat ad Nicomedienses, & qui rursus hinc migravit ad Constantinopolitanam (4): *Non habens præ oculis illud præceptum, Alligatus es uxori, ne quære solutionem. Quod si hoc de uxore dictum est, quanto magis de Ecclesia, atque adeo de Episcopatu, cui cum quis alligatus est, alium quærere non debet, ne adulter in sacris literis deprehendatur.*

Assentiebatur & Julius Papa Constantino Imperatori, (5) cum ad Episcopos Orientis scribereret: Si pares essent Episcopi & Episcopatus omnes, ut vel jactatione, vel inani simulatione præseferebant, non tam impotenti æstuatione a minoribus Ecclesiis, quibus eos cœlestis vocatio alligasset, ad majores anhelaturos, quo eos cæca & effrænis ambitio impelleret (6): *Si vere parem eundemque honorem in omnibus Episcopatibus censetis esse, oportuit eum cui credita est parva civitas, in ea permanere, ne eam quæ a Deo data est, aspernari, illam quæ hominum ambitu concessa est, magnificare videatur.* Jam ergo nemini mira accidet Damasi Papæ constantia, (7) commumione sua eis interdicentis omnibus, qui avulsi a prioribus Ecclesiis, quod Deus conjunxerat, ipsi disjunxissent.

VII. Quam justæ, tam necessariæ erant hæ prohibitiones, minæ, pœnæque ubi translationum arbitra & architecta non erat, nisi levitas animi, ambitio, quam cupiditas. At erant tamen canonicæ translationes, ubi cordi erat sola Ecclesiæ utilitas & glo-

(1) Can. 21. (2) Can. 5.
(3) Euseb. de vita Constant. L. 3. c. 62.
(4) Athan. Apol. 2. Theodor. L. 1. c. 29. 22.
(5) Ibidem.
(6) Ibidem.
(7) Theodor. L. 5. c. 11.

& gloria, perſuaſiſſimis videlicet Epiſcopis omnibus, Eccleſias omnes non eſſe niſi Eccleſiam unam, Columbam unam, Virginem unam Chriſti ſponſam, atque ita promiſcue habentibus omnes Epiſcopatus, nec a ſua ſe ſponſa deſciſcere interpretantibus, quandiu uni copulabantur, uni ſerviebant Eccleſiæ Catholicæ, cui ſe æterna caritate devoviſſent. Singuli enim Epiſcopi ſuo quodam proprio modo ſunt univerſalis Eccleſiæ ſponſi, Patres, filii, ſervi. Ita quo demum cunque loco illi adhæreſcant & inſerviant, pro ejus, non pro ſua vel utilitate, vel voluntate, ejuſdem ſemper Eccleſiæ ſponſi ſunt, quæ etſi toto orbe diffuſa, individua tamen eſt; etſi caritate plures habeat ſponios, plures Epiſcopos, incorrupta tamen eſt.

Eo adductus eſt Athanaſius, referente Syneſio (1), ut cum paſſus eſſet Epiſcopum ab uno tantum Epiſcopo alio ordinatum, rurſum gemina in eum, ſed perneceſſaria utereturin indulgentia & diſpenſatione, transferendo eum in Metropolitanam Ptolemaidis Eccleſiam, cui regendæ valde idoneus erat, ad ſcindillas fidei ibi intermorientis reſuſcitandas: *Sed formidoloſis temporibus ſummum jus prætermitti neceſſe eſt.* Hinc illa etiam Socratis audax ratio (2): *Itaque res erat plane indifferens apud veteres, quoties uſus poſcebat, Epiſcopum ab una civitate ad aliam transferre.* ἀδιάφορον ἦν. Audacula, fateor, oratio: ſed certiſſime nullo diſcrimine omnes Eccleſias amplexari debet Epiſcopus, unius univerſalis Eccleſiæ infucata caritate inflammatus, & privati affectûs in peculiarem etiam Eccleſiam ſuam expers. Nec prætereundum quod idem alibi refert, Concilio Conſtantinopolitano primo veritas fuiſſe translationes, vel potius migrationes Epiſcoporum, quæ frequentiores fuerant, dum fureret perſecutio: *Nam antea propter perſecutionum tempeſtates iſtud facere cuique liberum erat.*

VIII. Quod autem videbatur Socrates audacius protuliſſe, id mox ipſe munire ſatagit, congeſtis in unum translationibus pluribus, ubi caritas deſæcatiſſima caſtiſſimaque triumphum egerat, non de terrenis tantum cupiditatibus omnibus, ſed & de utilitatiſſimis & ordinariis Eccleſiæ Legibus, tanquam ipſa Legum ceſſiſſima & dominatrix Lex. Eiuſmodi fuit Perigenis translatio, qui tranſiere cum non potuiſſet contumaciam Patrenſis civitatis, cujus ordinatus fuerat Præſul a Metropolitano Corinthi, Corinthum rediit, ubi extincto non multo poſt Epiſcopo, eum ſibi Metropolitanum Corinthi cives & Epiſcopi ejus Provinciæ a Bonifacio Papa popoſcerunt. Scripſit ea de re Bonifacius geminas ad Ruffum Archiepiſcopum, ſeu Exarchum Theſſalonicenſem Epiſtolas, ubi declarat, Perigenem Corinthi natum & baptizatum, Presbyteratu deinde ibidem initiatum, & diutiſſime ſumma cum laude perfunctum; atque adeo non poſſe ſe non & Perigenis meritis, & Concilii votis ſuffragari. Has litteras nuper publicavit Holſtenius in Collectione Sua Romana: *Quo mereretur Eccleſiæ præſidere, in qua natus & renatus, &c. Cui ſermo Concilii jam dudum aſtipulator acceſſit, &c. Cui ad plenitudinem confirmationis Epiſcopatus ſui, hoc ſolum reſidet, quod nondum noſtros in honore ſuo ſuſcepit afflatus.* Ita quandoque jam cum ad Romanum Prætulem referebantur translationum cauſæ, quanquam ut plurimum illæ a Conciliis Provincialibus definirentur.

IX. Eiuſmodi rurſus fuit translatio Euſtathii Sebaſteni Epiſcopi Antiochiam, Euphronii item Colonienſis Epiſcopi ad Metropolin Nicopolitanam a beato Baſilio facta, de qua inferius, ubi de pluralitate Beneficiorum: Gregorii denique Nazianzeni, qui a Saſimenſi Epiſcopatu Conſtantinopolitanam in Eccleſiam translatus fuiſſet, ſi per Orientalium inter ſe Epiſcoporum diſſidia licuiſſet. Nazianzo translatum fuiſſe cenſent Socrates & Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Sed vere neo-Nazianzi unquam fuit Epiſcopus, & ipſius Conſtantinopolitanæ cuſtodem tutoremque magis egit quam ſponſum Eccleſiæ, una in le cura ſuſcepta ſponſi illi quærendi, ejuſque ornandæ. Ita de ſe tam modeſte, quam pie ſentiebat Gregorius, quem fruſtra erant qui calumniabantur, alienæ ſponſæ inſidiatum, qui ſuæ renuntiaſſet (3). *Ingratiam cum veritate redeant, qui nos alienam uxorem expetiviſſe ajunt, cum ne propriam quidem habere voluerimus.* Sic ille de Saſimenſi Eccleſia ſua. Nunc de Conſtantinopolitana: *Huc veniendi cauſa fuit, ut fidei patrocinium ſuſciperemus, Eccleſiæque viro interim carenti, haud ſecus ac interes quidam & curatores operam pro virili noſtra navaremus; alii qui præſtanti ipſius*

(1) Synef. Ep. 67. (2) L. 7. c. 35. Ep. 5. c. 8. (3) Orat. 27.

forma dignus videretur, ac plura virtutum tanquam ſponſalia reginæ obtuliſſet, eam collocaturi. Nec a vero recedit aſſenſum tandem illum eſſe aliquando, & Imperatori, & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſponſum illum ſibi ambienti; ſed dum præ ejus caritate, ſponſum illi digniorem ipſe quæreret, inceſſit illa Orientalium diſſenſio, qua adductus eſt ut præ ejus vehementiori caritate ab ea divelleretur.

X. Addirur ibidem a Socrate (1) Sylvanus, qui Monaſticæ vitæ virtutibus ad ſummas Eccleſiæ dignitates viam ſibi ſtraverat. Atticus Conſtantinopolitanus Patriarcha Philippopolitano-illum auxit Epiſcopatu in Thracia. Cum triennio toto Sylvanus inclementiam ejus cœli, nives, frigora valetudini ſuæ infeſtiſſima pertuliſſet, ab eodem rurſus Attico ſolutus his vinculis ſucceſſorem accepit: nec multo poſt cum Troadis civitatis Epiſcopus fato ſuo functus eſſet, convenitſentque ejus cives ad Atticum, ut Epiſcopum ab eo acciperent, ille Sylvano eam farcinam injecit, quod Coeli mira ibi temperies eſſet, locique amœnitate ſpes eſſet ita recreatum iri corpus ejus, ut animi fervor ad Epiſcopales curas & functiones recaleſceret: *Non eſt ulla tibi amplius excuſatio, quominus Eccleſiæ adminiſtrandæ curam ſuſcipias. Nam Troas nihil habet algoris. Ecce tibi locum amœnum, quem Deus corporis tui imbecillitati paraverit.* Paruit Sylvanus, & ſanctiſſimæ novæ ejus Eccleſiæ adminiſtratione pateſecit, quantum interſit inter eos qui Epiſcopatu uno abeunt, ſpe alterius pinguioris adipiſcendi, & eos qui ita cedunt, ut dulcius nihil poſthac habeant, quam ut ita exonerati in ſeceſſus & pacis deliciis verſentur: quanquam ſi rurſus Deus novo illos jugo ſubjiciat, non ſint detrectaturi.

XI. Nec Sylvanum tantum auxit, provexitque Atticus, ſapientiæ & pietatis ergo clariſſimus, ſed & Proclum; quem perinde ut Chryſoſtomus, non alumnum tantum habuit, ſed & ſucceſſorem. Cyſicenum antea eſſerat Proclus Epiſcopatum; ecclenſque Theodoſius Imperator poſt Maximiani obitum factiones & tumultuationes prævertere, illum ab Epiſcopis eligi fecit, & throno invehi, needum expletis Maximiani exequiis. Confirmata fuit ea translatio litteris Cœleſtini Papæ, qui ad Cyrillum Alexandrinum Epiſcopum, ad Joannem Antiochenum, & ad Ruffum Theſſalonicenſem ſcripſerat, poſſe ab una Eccleſia transferri Epiſcopos ab aliis Epiſcopis, ſola Eccleſiæ utilitatis contemplatione: quamvis ſuo ipſi marte nequeant vento ambitionis ſe permittere, fidemque Eccleſiæ deſponſam violare, quæ ultro citroque inviolata ſervari debet. Rem ita narrat Socrates (2): *Ab Imperatore Theodoſio res prudenter tractata fuit. Nam ne controverſia & tumultus in Eccleſia denuo cieretur, abjecta cunctatione, dum adhuc Maximiani corpus inſepultum jaceret, per Epiſcopos qui ibi aderant, Proclum in ſede Epiſcopali collocandum curavit. Huic etiam negotio ſuffragabantur Epiſtolæ Cœleſtini Romani Epiſcopi, quas ad Cyrillum Epiſcopum Alexandriæ & ad Joannem Epiſcopum Antiochiæ & ad Ruffum Theſſalonicæ Epiſcopum miſit, quibus eos docuit, nihil obſtare, quominus qui unius civitatis nominatus fuiſſet Epiſcopus, vel jam eſſet Epiſcopus, ad alteram civitatem transferretur.*

XII. Simillima veri eſt Baronii conjectura, has Cœleſtini Epiſtolas in gratiam Proculi ſcriptas fuiſſe, non eo tempore quo Proclus Conſtantinopolitanæ præfectus eſt Eccleſiæ, tum enim Cœleſtis jam ad Patriæ gaudia devolaverat Cœleſtinus; ſed poſt Neſtorii exauctorationem: cui jam tum Proclus ſubrogatus fuiſſet, ut perhibet Socrates (3), niſi nodum quo Cyſicenæ tenebatur Eccleſiæ, ſolvere religio fuiſſet. Quod argumento eſt quantum jam auctoritatis exerceret Papa ad translationes. Tranſtulerat Atticus Sylvanum Philippopoli Troadem, inconſulta Sede Apoſtolica: Patriarchalis apicis jura in dies magis magiſque invalelcebant. Hinc Attico ea poteitas. At ut Cyſico Conſtantinopolin Proclus transferretur, ſuperior interponenda erat Papæ auctoritas. Patriarchæ Alexandrinus & Antiochenus, uti & Theſſalonicenſis Exarchus, eo ſe jure abſtinuere. Supra Patriarchas unus eminebat Papa. Fateor tamen Gregorium Nazianzenum translatum, vel transferendum fuiſſe Saſimenſi ex Eccleſia ad Conſtantinopolitanam, a Meletio Antiocheno Patriarcha, referente Theodoreto & Socrate (4), & conſenſu compluriums Epiſcoporum; niſi abſolutio perfectioque ejus negotii ad Concilium tandem Conſtanti-

(1) L. 7. c. 36. (2) L. 7. c. 39.. 40. (3) L. 7. c. 34.
(4) Theodor. L. 4. c. 8. Socrat. L. 5. c. 5. 6. 8.

ſtantinopolitanum rejecta fuiſſet, ubi tamen infeliciſſime res cecidit, qua infelicitate nihil ſibi felicius obvenire potuiſſe ſenſit Nazianzenus.

XIII. Meletius autem Nazianzenum etſi vere tranſtuliſſet Conſtantinopolin, feciſſet quod ſæpiſſime tum factitabatur, cum necdum ea res Sedi Apoſtolicæ reſervata eſſet, & cum necdum ſatis certa & definita erant, necdum ſatis uſu recepta jura ſedium & Eccleſiarum. Erat tamen inter Proclum & Nazianzenum ingens diſcrimen. Erat enim a Saſimenſis Eccleſiæ vinculo abſolutus omnino Nazianzenus. At Proclus tum maxime Cyſicenſi erat attrictus. Longe facilius autem eſt vacanti Epiſcopo vacantem committere Eccleſiam, quam non vacanti ſed jam deſponſam ſibi Eccleſiam regenti. Unde & Concilii Antiocheni Patres (1), cum ne ipſis quidem Provinciæ Epiſcopis copiam faciant Epiſcopum ab Eccleſiæ ſuæ vinculo divellendi: permittunt tamen auctoritate Synodi Provinciæ, σωιεδε τελειας, vacantem Eccleſiam conferri Epiſcopo, prioris Eccleſiæ ſuæ vinculis abſoluto.

XIV. Jus autem Apoſtolicæ Sedis ad transferendos Epiſcopos, vel juris ejus potius exercitium & explicatio, convaleſcebat in dies, necdum omnino uſu invaluerat. Non quod æquiſſimum non eſſet, diſpenſationes Canonum Conciliorum Generalium Apoſtolicæ Sedi integras ſervari, cui concredita eſt Canonum cuſtodia & executio. Sed interciuſa fuerat perſecutionum tempeſtatibus ea Eccleſiarum inter ſe conjunctio & conſuetudo, communioque negotiorum; cumque trecentis annis rara fuiſſet, aut in totum ſuſpenſa ea Conſiliorum reciprocatio, non potuit ea firmari uno aut altero poſt ſæculo. Pace reddita Eccleſiis pene neceſſarium evaſit, quod deſperatum ante fuerat. Conciliis Provincialibus non ea invicta vis inerat, quæ Præſulum ambitionem frænaret, eoſque a temerariis cohiberet translationibus. Nunc audacia peccarunt Epiſcopi, cum inutiles Eccleſiæ translationes molirentur. Nunc metus & hæſitatio obfuit, cum urgente Eccleſiæ neceſſitate audendum eſſet. Cum tot capitum conſenſione ad electiones & translationes opus eſſet, non facile poterat omnibus convenire, ecquando juſta eſſet ad translationem neceſſitas. His aliiſque cauſis paulatim Eccleſiæ & Synodi ipſæ Provinciales illiciebantur, ut ad primam Eccleſiæ univerſæ ſedem confugerent, cui quarum eſſent non potuiſſe a Chriſto concedi Principatum poteſtatis, quin adderetur & conſentanea ſapientiæ & juſtitiæ plenitudo. Exemplis Irenæi & Procli utcunque jam hæc confirmantur: at frequentioribus ſubinde exemplis ætas poſterior prodet, quantum præſidii fuerit in unius maxime Apoſtolicæ Sedis Petri inconcuſſa conſtantia, ad confirmandos fratres ſuos, & ad refringendam ambitionis quandam velut procellam, qua plerumque Conciliorum Provincialium decreta, velut objecta repagula disjiciebantur.

XV. Auctor Tractatus de Translationibus in Jus Orientale conjecti, (2) Proclum memorat ſola Præſulum ambitione retardatum fuiſſe, ne jam tum poſt depoſitionem Neſtorii in ſedem Conſtantinopolitanam eveheretur; ad quam tandem evectus fuit poſt obitum Maximiani, conſenſu Cœleſtini Papæ, Cyrilli Alexandrini & Joannis Antiocheni: σωμπεφ. δε Κελεστινου τοτε Ρωμης σωμψηφου γενομενου & Κυριλλα, &c. Poſt laudatas vero tres Cœleſtini Epiſtolas, quarum vera epocha indigitata ſuperius a nobis eſt, hanc mox ſubjicit regulam, in qua tantum ſemper fuit momenti, improbari ab Eccleſia migrationes, non translationes. *Quippe migratio prohibita eſt, non translatio*, ἡ μετάβασις κεκώλυται, ἀ μὴν ἡ μετάθεσις. Migrat enim Epiſcopus ſua ſponte, impetu abreptus cupiditatum ſæcularium; transfertur vero, qui vocanti ſuperne Deo, & Eccleſiæ carirati obſequitur.

XVI. Si in translationibus autem extra Provincias Epiſcoporum Alexandriæ, Antiochiæ, Conſtantinopoli-, & Theſſalonicæ faciendis, eorum interpoſita auctoritas & conſenſio eſt, non obſcurum eſt vel ſic obviandum fuiſſe factioſorum hominum impotentiæ. Ex quo rurſus liquidum eſt Conciliorum Provincialium minus parem quandoque fuiſſe poteſtatem majoribus his cauſis & diſpenſationibus expediendis, & neceſſum perſæpe fuiſſe deveniri ad Sedes Apoſtolicas, quarum pondere & majeſtate opprimeretur contrariæ turbulentorum hominum factiones. At ipſa rerum experientia conſtat, hac frequenti ad ſuperiores Sedes cauſarum majorum relatione, conſuetudinem inoleſcere ſenſim, & ex inoli-

(1) Can. 21. C. 26.

(2) Tom. 2. p. 293.

conſuetudine legem confirmari, earundem eo ſemper referendarum. Ea ratione, majuſculæ cauſæ complures in Conciliis ante Provincialibus tractari & terminari ſolitæ, ad Sedis Apoſtolicæ judicium traductæ ſunt, ea devolutione, quæ longo volventium ſæculorum lapſu inevitabilis ſemper fuit. Epiſcoporum Galliæ concertationes de Primatu, hoc eſt, de jure Metropolitico, tranquillari non potuere, niſi iteratis Pontificum Romanorum decretis, nullo ad has ſedandas ſatis idoneo Concilio Provinciali. Apud Hilarum Papam mutuas rixas & querelas effuderunt Provinciæ Tarraconenſis Epiſcopi, populique in Hiſpania (2), in negotio Sylvani Epiſcopi, quem inſimulabant alii, alii defenſitabant. Quin & ipſam Irenæi translationem probabilius eſt non omnibus ejus Provinciæ Epiſcopis placuiſſe, & ne ipſi quidem Metropolitano. Ex quo compulſi ſunt referre ad Apoſtolicæ Sedis judicium eam cauſam, quam ſuo terminaſſent, ſi concordare inter ſe potuiſſent.

XVII. Non ergo ſuperiores Judices occuparunt ipſi, ambieruntque, ut hæc ad ſe judicia perferrentur. Sola inferiorum Judicum Præſulumque mutua diſſenſio, vel populorum in eos contumacia, in cauſa fuit, ut ad ſuperioris poteſtatis arcem confugerent, ubi & pax redintegraretur illis, & præſidium adjiceretur. Ita ſuperioribus ſedibus fruſtra ſunt, qui hinc invidiam faciunt. Nec enim ipſæ ultro obviam prodiere, dominationis cupidine inſtigante; ſed cum adirentur, non potuere non intervenire, quo juſtitia, quo caritas invitabat, quo ipſa ſummi Numinis providentia.

XVIII. Sed & illud ſedulo obſervandum eſt, non aditas eſſe Apoſtolicas Sedes, tanquam arbitrario judicio perfunctoras, & eam exerturas poteſtatem, quam Epiſcopi Provinciarum ſubire ſua ſponte voluiſſent. Quin ex adverſo ipſi ſe Sedium & Tribunalium ordini Provinciales Epiſcopi accommodabant, quem Chriſtus conſtituerat, principatu poteſtatis aſſignato uni Petro, Petrique ſucceſſoribus, in Apoſtolos ceteros Apoſtoloruмque ſucceſſores Epiſcopos. Agnoſcebant ergo & profitebantur in Apoſtolica Sede ejuſmodi poteſtatem, qua finirentur cauſæ & lites omnes, quæ Provincialibus in Conciliis vexatæ fuiſſent, nec definiri potuiſſent.

XIX. Obſerva iterum hac cauſarum devolutione factum eſſe, ut rivuli velut quidam in ſuum fontem revolverentur, & particularium Eccleſiarum jura ac privilegia ad matrices rurium confluerent Eccleſias, ex quibus primo manaverant. Tres enim illæ Patriarchales vetuſtiſſimæ ſedes ex ſuo veluti ſinu effuderant orbem in univerſum puriſſimos primum Chriſtianæ Religionis lactices, & Epiſcopatis auctoritatis radios in omnes ceteras Provinciarum civitates ſpargerant. Primigeniam fidei & Epiſcopatus ſcaturiginem Petrus & Paulus Apoſtolorum Principes Romæ defixerant. Hinc fluxit, huc refluxit Metropolitica poteſtas, quæ Epiſcopis imminet præeſtque ſive in Conciliis Provincialibus, ſive extra ea tempora. Neque enim quæcunque Epiſcopis, a Chriſto conſtitutis Eccleſiæ Paſtoribus, præeſt & dominatur poteſtas, ſcatere aliunde ea poteſt, quam ex ejus participatione aut imitatione poteſtatis, qua Chriſtus ipſe ſolum Petrum præfecit Apoſtolis & Apoſtolorum ſucceſſoribus omnibus. Cum ergo vel a Metropolitanis, vel a Provincialibus Synodis Romam referebant, quæ extricare ipſi minus potuiſſent: tunc enimvero ſurſum verſus revolvebatur ad originis ſuæ fontem, quæ inde manaverat olim poteſtas.

XX. Obſerva denique ſi qui horum rivulorum in ipſo ſui fonte demerſi ita ſint, ut jam non appareant, hoc eſt, ſi jura quæpiam Metropolitica ab Apoſtolicis olim Sedibus profecta, & Metropolitanis, Conciliiſque Provincialibus communicata, in eas rurſum abſorpta ſunt: de eo nec vel tantillum doluiſſe Epiſcopos, quibus Chriſti & Eccleſiæ ſola caritas cara eſt. Ubi enim amatur poteſtas propria, quia propria eſt, ea vituperabilis cupiditas eſt. Ubi amatur, quia fructuoſa Eccleſiæ, & promovendæ ſaluti mortalium conſentanea, ea caritas eſt, qualis Clericos, qualis Epiſcopos potiſſimum decet. Amanda ergo poteſtas eſt, non ubi penes nos eſt, ſed ubi plurimum ſaluti publicæ prodeſt. Si utilitas ergo vel neceſſitas Eccleſiæ ad Sedes Apoſtolicas revocaverit jura quædam & privilegia Sedium Metropolitanarum, vel Provincialium Conciliorum; tam huic diſciplinæ poſteriori quam ſuperiori gratulator vera & pura caritas, ut quæ non propriæ vel gloriæ, vel oſtentationi poteſtatis ſtudeat, ſed publicæ utilitati, gloriæ Chriſti.

XXI. Ubi dixi autem hæc primitus jura ab

(2) Ep. 1. 2. 3. 4.

ab Apoſtolicis Sedibus dimanaſſe, non de Epiſcopis dixi, quorum immediate a Chriſto inſtitutio eſt & poteſtas; ſed de Metropolitanis & de Conciliis Provinciarum, maxime autem de his quæ nunc excutiuntur privilegiis, transferendi Epiſcopos, vel eorum ceſſiones admittendi, & id genus aliis. Eccleſiaſticæ enim inſtitutioni tota hæc accepta referenda eſt diſciplina, nec poteſt ea non experiri varias vices & mutationes in tanto decurſu ſæculorum. Conſtat quippe inter exordia Eccleſiæ eam totam poteſtatem ipſos exeruiſſe Apoſtolos, eorumque in Apoſtolicis Sedibus ſucceſſores. Conſtat denique Eccleſiaſtico tantum jure niti poteſtatem prorſus omnem Epiſcoporum aliorum in alios, una excepta Petri in Apoſtolos, Petri ſucceſſorum in ſucceſſores Apoſtoloram poteſtate, quæ jure divino, & inconcuſſa Chriſti auctoritate nititur. Ex quo proclive eſt conjicere, poteſtatem quamcunque aliam Epiſcoporum in Epiſcopos alios, cum humanæ ſit inſtitutionis, ex imitatione, vel ex emanatione ortam eſſe illius, qua Chriſtus Petrum, Petrique in Apoſtolica Sede ſucceſſores donavit. Id volui, ubi dixi, ſuum in fontem primigenium refluere has poteſtates, ubi ad Apoſtolicam Sedem devolvuntur.

XXII. Sedes denique Apoſtolicas perſæpe dixi, quod jam inde vertente ſæculo quarto, cœperint cauſæ majores, quæ pleræque prius in Conciliis Provincialibus & a Metropolitanis dirimebantur, reſervari Conciliis Dioeceſanis, vel Patriarchalibus, & Exarchis, vel Patriarchis, qui his præſidebant; nec niſi poſtquam in ſolius Romani Patriarchatus fines tota coarctata fere eſt Catholicæ Eccleſia, ſola cœpit Sedes adiri Petri, ad harum omnium majorum cauſarum judicia. Quanquam non temere dici poſſet, Alexandrinam quoque & Antiochenam, Sedes fuiſſe Petri, Romanæ obnoxias & conjunctas; nec Patriarchales ſedes alias novas in id faſtigii luctari aut rapi potuiſſe, niſi conſenſu & confirmatione Romanæ Petri Sedis. Denique Patriarchales jam illæ per orbem Sedes in unam cum Petri ſede ſedem conflatæ quodammodo ſunt, a qua ortum duxerant, & a qua ſejunctæ nunquam fuerant, quandiu veritatis Spiritu & unitatis vinculo cohæſere.

CAPUT LXII. *P. 2. l. 2. c. 44.*

De Translationibus Epiſcoporum & Epiſcopalium ſedium, ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. Pulchra & laudatiſſima Gregorii ratio, qui Epiſcopos in Italia nunquam tranſtulit, niſi jubente Eccleſiæ neceſſitate, & conſentientes.

II. Nec Epiſcopales illæ tranſferebat Sedes, niſi urgeret neceſſitas.

III. IV. V. Regum & Epiſcoporum conſpirante auctoritate, fiebant in Gallia Epiſcoporum translationes ſine interventu Sedis Apoſtolicæ. Sed uni debantur neceſſitati.

VI. VII. Nec aliter ſe res habebat in Anglia & Hiſpania.

VIII. IX. In Oriente mira in translationes indignatio, ex occaſione Anthimi, qui Trapezunte Conſtantinopolin migraverat, ſuoque exemplo ambitioſos Præſules ſuccenderat.

X. XI. Exempla canonicarum in Oriente translationum, conſentientibus populis, Epiſcopis, Imperatoribus.

I. IN Alerienſem Corſicæ Inſulæ Epiſcopatum translatus eſt a Gregorio Magno Epiſcopus, cujus a Barbaris Eccleſia funditus everſa fuerat (1): *Quoniam Eccleſia Tamitana, in qua dudum fuerat honore ſacerdotali tua fraternitas decorata, ita eſt hoſtili feritate occupata atque diruta, ut illuc ulterius remeandi ſpes nulla remanſerit; in Eccleſia Alerienſi, quæ jam diu Pontificis auxilio deſtituta eſt, Cardinalem te ſecundum petitionis tuæ modum, hac auctoritate conſtituimus ſine dubio Sacerdotem.* Cum vero Alerienſes cives diutius cunctarentur Epiſcopum ſibi eligere, Paſtorem illis præfecit Gregorius, incurioſo ſui & ſupino gregi tanto impenſius a ſummo Paſtore ratus conſuli debere: *Eſſe vos multo jam tempore ſine Pontifice Eccleſiam non doletis; nos autem de ejus regimine cogitare ſuſcepti cura compellit officii.* Clerus, Nobilitas, Populus Neapolitanæ civitatis a Gregorio petiere Paulum ut ſibi Epiſcopum præficeret, cujus adminiſtratio, dum vacaret Eccleſia, ſummæ ſibi

(1) L. V. Epiſt. 77. 79.

sibi & utilitati fuisset, & voluptati. Episcopatu jam alio initiatus fuerat Paulus. Satis Gregorio visum est rem tantisper protrahere, dum & Paulum experiretur ipse, & Neapolitanorum in eo postulando constantiam (1): *Quem quoniam ita estis in paucis diebus experti, ut eum Cardinalem habere & servetis Episcopum, gratulamur. Sed quia summis in rebus citum non oportet esse consilium, & nos quid faciendum sit, matura subinde, Christo adjuvante, deliberatione disponimus, & vobis melius tractu temporis, qualem se exhibeat, innotescet.*

Non ita Paulum Barbari Ecclesia sua ejecerant, ut Paulinum, quem idem Gregorius Liparitanam in Ecclesiam transtulit (2); & Joannem, cui Scyllacensem idem commendavit, ea cum primis memoranda conditione, ea lege, ut si quando recuperari posset prior ejus Ecclesia, a servitute & vastitate, qua eam Barbari afflixerant, ad eam ipse, ut ad priorem spousam suam rediret (3): *Et licet a tua Ecclesia sis hoste imminente depulsus, aliam quæ Pastore vacat, Ecclesiam debes gubernare: ita tamen ut si civitatem illam ab hostilibus liberam effici, & Domino protegente, ad priorem statum contigerit revocari, ad eam in qua prius incardinatus es, Ecclesiam revertaris.* At vero Paulus, quem sibi postulaverant Episcopum Neapolitani, ad priorem Ecclesiam suam Nepesinam reversus est, a qua hactenus tantum divertebrat, ut Neapolitanæ visitatorem ageret vacantis. Id ille & oravit Gregorium, & exoravit (4). Si ambitioni, aut cuicunque demum cupiditati fuæ aures ille accommodasset, Neapolitanam utique Nepesinæ antepositisset Ecclesiam; sed in his omnibus manifestum est, solam Ecclesiæ regnasse utilitatem, animarumque salutis procurationem, longissime summotis terrenis affectibus.

Anceps animi aliquandiu fuerat Gregorius, an Paulum a Nepesina ad Neapolitanam transferret Ecclesiam, quod quanto hæc major splendidiorque erat Ecclesia, tanto operosius esse idoneum illi Episcopum deligere. At enixius flagitante Paulo restitui Ecclesiæ suæ priori, pauperi quidem illi, sed castæ annuit Gregorius, aliumque Neapoli Episcopum præfecit (5): *Sæpius a nobis Paulus frater & Coepiscopus noster expetiit, ut eum ad propriam reverti faceremus Ecclesiam. Quod quia rationabile esse perspeximus, ejus petitionem necessario duximus adimplendam.* Inde est quod tradit Joannes Diaconus, collatos a Gregorio fuisse vacantes Episcopatus Episcopis aliis, sede sua excussis, abrupta ubi omnis postliminii spes erat; at nunquam ab eo avulsos esse Episcopos ab ea Ecclesia, cui primum dicati fuerant, & unde a Barbaris non extrudebantur (6): *Licet Gregorius vacantes Episcopos vacantibus civitatibus incardinare studuerit; nunquam tamen Episcopum ab integritate suæ Ecclesiæ, vel ipse in aliam commutavit, vel sub quacunque occasione migrare consensit.* Quod exemplo probat Episcopi hujus Nepesini: *Neapolitanis Paulum visitatorem tribuit; Cardinalem vero constituere, tam primo dispensatorie distulit, quam postea penitus recusavit.*

II. Ejusdem Ecclesiarum utilitatis contemplatione una moveri poterat Gregorius (7), ut sedes ipsas Episcopales transferret a locis per Barbaros evaltatis, ad alia quædam beatiora. Vide ut scripserit ad Episcopum Velletrinum; dum ejus sedem traduceret in locum alium, Barbarorum incursionibus minus patentem (8): *Temporis qualitas admonet, Episcoporum sedes antiquitus certis civitatibus constitutas, ad aliqua quæ securiora putamus, ejusdem Diœceseos loca transponere, quo & habitatores nunc degere, & barbaricum possint periculum facilius declinare.*

III. Gradum moliamur in Gallias, ubi perhibente Gregorio Turonensi, cum diffunderetur quaquaversum fama humanissimæ Francorum dominationis, & amor, Aprunculus Lingonensis Episcopus in obliquiores incurrit Burgundionum suspiciones: compertoque jussum se ab iis esse interfici, nocte intempesta Divionensis se ex castri muris demittri curavit, Arvernamque in civitatem confugit, cujus & Episcopus creatus est (9). Eadem de causa exosus fuit Gotthis B. Quintianus Rutenensis Episcopus, cui probro vertebatur, quod dominationi Francicæ omnia cuperet subesse: *Quia desiderium tuum est, ut Francorum dominatio possideat terram hanc.* Arvernum assu-

(1) L. 2. Ep. 6. 7. 12. 35.
(2) L. 2. Epist. 13. 26.
(3) L. 2. Epist. 25.
(4) L. 2. Epist. 35.
(5) L. 2. Ep. 35.
(6) L. 3. c. 18.
(7) L. 3. c. 17.
(8) L. 2. Epist. 11.
(9) L. 2. hist. c. 23. L. 2. c. 36.

aufugit Quintianus, ubi Epiſcopali humanitate & hoſpitalitate ab Euphralio exceptus eſt, Aprunculi ſucceſſore. Fidem ejus remunerari voluit Theodoricus Rex Arverni Epiſcopatus conteſſione, cum primum vacare illum contigit. Populus eum elegerat, Rex ab Epiſcopis electionem eam confirmari juſſit (1): *Convocatis Pontificibus & populo eum in Cathedram Arvernæ Eccleſiæ locaverunt.*

Fronimius Bituricenſis civis in Occitanam profectus Provinciam, a Leuva Viſigothorum Rege prolixe exceptus eſt, non ſine ſingulari amoris ſignificatione: quo factum eſt, ut mox ab eo Agathenſi Epiſcopatu augeretur. Leuvæ interim ſucceſſit Leuvigildus (2), qui Hermenegildo filio elocata Ingunde, regia Franciæ gentis puella, in hunc deſtomachari cœpit Epiſcopum, quaſi nobiliſſimam puellam documentis ſuis imbuiſſet, muniſſetque adverſus omnes Arianorum Gorthorum ſuaſiones. Inſidias quæ ſibi clam ſtruebantur, ſubodoratus Epiſcopus, ad Childebertum Regem confugit, a quo Vencienſi Epiſcopatu donatus eſt. Non ſemel jam diſſeruimus de Burgundis Epiſcopis, Theodoro & Proculo, qui inteſtinis patriæ bellis Eccleſiis ſuis exturbati, ſanctiſſimam Reginam Clotildem ſecuti fuerant (3): qui & ejus juſſu conjunctim deinceps Turonenſem rexere Eccleſiam.

IV. Beatum Medardum Noviodunenſem Epiſcopum, Fortunatus, vel quicunque alius vitæ ejus Scriptor, narrat everſa ab Infidelibus Auguſta Veromanduorum, ubi Cathedralem primo Epiſcopatus ſui defixerat Eccleſiam, Noviomum primo ſedem traduxiſſe: & ſatis concedente Tornacenſi Epiſcopo, in hanc demum civitatem tranſtuliſſe thronum ſuum, cogente Rege, Epiſcopali Collegio, Clero & populo, quantumcunque ipſe quidem repugnaret: atque ita Noviomenſem & Tornacenſem Eccleſias unum in Epiſcopatum tum coagmentatas fuiſſe (4): *Pontificali demum, Metropolitani ſcilicet & Comprovincialium ſuorum evictus auctoritate, Regiſque ac Procerum aſſenſu, plebiſque coactus inceſſabili acclamatione, vix conſenſit: & unanimi Pontificali videlicet & Regali auctoritate duas illas Eccleſias unam fecit.*

V. In hanc Eccleſiæ Gallicanæ diſciplinam duo hic obiter adnotabimus. Primum, ut ex funditus everſa civitate canonicæ Epiſcopi translationi locus erat; ita interpretatos eſſe Epiſcopos Gallicanos, ubi Epiſcopus, converſo rerum ſtatu, armorum vi, & regnorum viciſſitudine ſuſpectus exoſuſque evaſerat gregi ſuo, cui nec præeſſe jam poſſet, nec prodeſſe, hanc quoque canonicam tranſlationis cauſam videri debere. Alterum eſt, has translationes conſenſione Regum & Epiſcoporum peractas fuiſſe, inconſulta Sede Apoſtolica, ut cui necdum reſervatæ eſſent hæ diſpenſationes.

VI. Æque perſpicua ex Anglia ejus rei ſuppeditabuntur argumenta. Cum ex Gallia in Angliam revocatus eſſet Mellitus Epiſcopus Londinenſis a Rege Eadbaldo, Londinenſes ſuos emollire non potuit, ut ab iis admitteretur, quippe in idololatriæ barataram altius tum demerſis. Hinc ille anſam arripuit adgubernandæ Eccleſiæ Cantuarienſis. Et terris emigranti ſucceſſit Juſtus, cum Roffenſem Epiſcopatum ſuum Romano reſignaſſet, quem & ipſemet ordinavit, ejus rei copiam faciente ſibi Romano Pontifice, ut refert Beda (5): *Pallium direximus, &c. Concedentes etiam tibi ordinationes Epiſcoporum, exigente opportunitate, celebrare.* Præſtantiſſime Beda interpretatus eſt, eo loco ordinandi poteſtate ipſas contineri tranſlationes, quibus non raro utendum eſt, in novis ſerendis Eccleſiis. Romanus naufragio periit, cum Romam pergeret, quo eum juſtus Archiepiſcopus delegabat. Tumque Paulinus Eboracenſis Archiepiſcopus regimen ſurpſit Eccleſiæ Roffenſis, ſuaſione Archiepiſcopi Cantuarienſis Honorati, & Eadbaldi Regis (6). Miſſas facio tranſlationes alias complures in Anglia factas ſolo Epiſcoporum & Regum conſenſu.

VII. Transferebantur & in Hiſpania Epiſcopi, Epiſcoporum auctoritate & Regum. In Concilio Toletano X. exauctorato Bracharenſi Epiſcopo Potamio, Dumienſis Epiſcopus Fructuoſus in eam ſedem translatus eſt. In Toletano XVI. abdicato Sisberto Toletanæ Eccleſiæ Metropolitano, ſuffectus eſt in ejus locum Felix Epiſcopus Hiſpalenſis, cui jam Rex eam Eccleſiam cum mendaverat, dum accederet & Concilii auctoritas (7): *Secundum præſtitio-*

(1) L. 2. c. 2. (2) L. 9. c. 24. (3) Ibid. l. 10. (4) Surius die 9. Jun. c. 18.
(5) Beda hiſt. Angl. l. 2. c. 6. 7. 8. (6) Ibid. c. 20. L. 3. c. 7. (7) Can. 12.

ctionem atque auctoritatem Domini noſtri, per quem in præteritis juſſa, Felicem Hiſpalenſis ſedis Epiſcopum de prædicta ſede Toletana, jure debito curam ferre, noſtro eum in poſtmodum reſervans decreto firmandum: ob id nos cum conſenſu Cleri ac Populi ad dictam ſedem Toletanam pertinentis, prædictum Felicem Epiſcopum de Hiſpalenſi ſede in Toletanam ſedem canonice tranſducimus. Quo eodem tempore & ab eodem Concilio translatus eſt Hiſpalin Epiſcopus Braccharenſis, Portocalenſis Bracchararam.

VIII. In Oriente vero cum dimiſſa Trapezuntina Eccleſia Anthimus Conſtantinopolitanam invaſiſſet, non alio quam amplioris & opulentioris Eccleſiæ amore æſtuans, totius Orientis Monachi & Conſtantinopolitani, ad Agapetum Papam amaruleniſſime conqueſti ſunt (1) adverſus *adulterium & raptum hujus imperialis Eccleſiæ: τὸν φοβερὸν ἁρπαγὴν τῆς βασιλίδος ἐκκλησίας* adverſus eum qui Eccleſiam ſuam abjeciſſet *viduam & ſine viro contra divinos Canones*. Communione ſua Anthimum interdixerat Agapetus, ex quo primum Conſtantinopoli fuit: & quantumvis eam contumeliam deprecarentur Imperatores, a ſententia non receſſit, juſſo ante eo fidem Catholicam profiteri, & Eccleſiam ſuam Trapezuntinam repetere. Audiendus hic Liberatus (2): *Petentibus Principibus, ut Anthimum Papa in ſalutatione & communicatione ſuſciperet: ille fieri inquit poſſe, ſi ſe libello probaret orthodoxum, & ad cathedram ſuam reverteretur. Impoſſibile eſſe ajebat, translatitium hominem in illa ſede permanere.* Denique pervicit magni & infracti animi pontifex, ut depoſitioni Anthimi annueret Imperator, atque ita Menam ejus loco ipſemet ordinavit: *Papa Principis favore Menam pro eo ordinavit Antiſtitem, conſecrans eum manu ſua.*

IX. Pari hoc loco Eccleſia Orientalis & Occidentalis flagravit ardore ac zelo, adverſus eas Sedium translationes, quæ non gregis ſaluti & caritati, ſed mercenariorum cupiditati ſerviebant. Scripſerant enim Patriarchatus Antiocheni & Hieroſolymitani Antiſtites literas ad Agapetum vehementiſſimas & inflammatiſſimas, ad deteſtandam ulciſcendamque Anthimi in uſurpanda ſuperiori & opulentiori Eccleſia inſolentiam. Nec humanioribus verbis rem Papa apud Imperatorem & Imperatricem tractavit: *Impoſſibile eſſe ajebat, translatitium hominem in illa Sede permanere.* Imperatoriam denique ipſam poteſtatem pro Anthimo armatam fregit, vicitque conſtantia Eccleſiæ invictiſſima in ſuis ſanctiſſimis legibus defenſandis. Nec tam vinci ſe, quam vincere ſenſit Juſtinianus, vincente Eccleſia, Legumque Eccleſiaſticarum ſanctimonia. Si tam caſte autem, tam canonice & ſentirent Epiſcopi, & res tum gereretur in Orientis & Occidentis Eccleſia, ſimillimum veri eſt nullas tunc factas fuiſſe translationes, quæ vulnus canonicis inſtitutis inflictum, non aliunde, forſan etiam cum fœnore compenſarent.

X. Si enim juxta eundem Liberatum Joannes Talava Alexandrina ſua ſede ejectus ab Eccleſiæ & Catholicæ fidei adverſariis; provocanſque ad Papam, & Romam veniens, ab eo Nolanæ præfectus eſt Eccleſiæ, ubi reliquum vitæ curriculum peregit; erat omnino Canonicis ſanctionibus conſentanea ea translatio, niſi Commenda potius dicenda ſit, ut infra declarabitur.

XI. Rurſum ſi auctore Theophane (1), Germanus a Cyſiceno Epiſcopatu Conſtantinopolim translatus eſt, id ea confirmatum eſt conſpiratione unanimi Cleri, Senatus, Populique Conſtantinopolitani, Epiſcoporum denique & Apocriſiariorum Sedis Apoſtolicæ, qui coram aderant, ut dubitari neutiquam poſſit, quin cœleſtis vocationis oraculo ad novam eam dignitatem provehere-tur. Accipe verba ipſa Decreti Translationis, a Theophane relata ad annum 714, & ab Anaſtaſio Bibliothecario: *Suffragio atque conſenſu Religioſorum, Presbyterorum, Diaconorum, & totius ſanctioris Cleri, facrique Senatus & Populi imperatricis hujus civitatis; divina gratia quæ infirma ſemper curat, & quæ deſunt, adimplet, Germanum ſanctiſſimum Metropolitam & Præſidem Cyzici Metropoleos, in Epiſcopum hujus a Deo ſervatæ urbis & reginæ urbium transfert. Facta eſt hæc translatio coram Michaele Presbytero, & Apocriſiario Apoſtolicæ Sedis, ceteriſque Sacerdotibus & Epiſcopis præſentibus, Artemio imperante.*

CA-

(1) Conc. Conſtant. ſub Mena, Act. 1. (2) In Brev. c. 21. (3) Cap. 18.

CAPUT LXIII. *P. 3. l. 2. c. 40.*

De Translationibus ſub Imperio Caroli Magni, & ejus ſtirpis.

I. Regulæ generales Translationum Canonicarum, utilitati ut famulentur Eccleſiarum, nec fiant niſi auctoritate Concilii Provincialis, aut Papæ.

II. III. De translationibus Ebbonis & Actardi.

IV. Cur ad Papam relatum ſit?

V. De translatione Frotarii.

VI. Cur ei Papæ intervenerit auctoritas?

VII. In Provinciarum devaſtatione quam fuerint neceſſariæ ea translationes.

VIII. Auctoritatem transferendi Epiſcopos, cum urget Eccleſiæ neceſſitas, confert Hincmarus Concilii particularibus & Pontifici.

IX. De translatione Actardi quid ſenſerit Hincmarus?

X. In dies ſingulos frequentius ad Papam referebatur.

XI. An Actardi translationem probaverit eandem Hincmarus?

XII. Jure antiquo potiebatur ſemper Eccleſia Gallicana, ſimiliter & Germanica, faciendarum translationum.

XIII. Similiter & Anglicana.

XIV. De translationibus in Italia. Translatio Formoſi.

XV. De translationibus Orientis.

I. DEcurſis totius hujus ævi medii Translationibus, toto orbe factis, pandemus primo rationes & cauſas earum canonicas, hoc eſt Eccleſiarum utilitati, & neceſſitati accommodatas. Secundo auctoritatem, quæ, ut ratæ ſint, interponi iis debeat, Imperatorum, vel Regum, Metropolitanorum & Epiſcoporum, Conciliorum & Pontificum. In his omnibus veſtigia indigitabimus inſerpenris jam novæ diſciplinæ, quæ exinde latiſſime invaluit.

II. Ad unam Eccleſiæ utilitatem revocantur juſtæ omnes cauſæ Translationum. Cum exciditſet tandem infelix Ebbo Remenſis Archiepiſcopus Lotharii Imperatoris benevolentia, quam non mediocri & conſcientiæ & ſalutis diſcrimine aucupatus erat; ſileo de fide in Ludovicum Lotharii partem concuſſa: Epiſcopatu Hildesheimenſi donatus eſt a Ludovico Germaniæ Rege, in quem & eo hortante, translatus eſt decreto Gregorii IV. Ita tranſlato Ebbone, Carolus Calvus Hincmarum Remenſi Eccleſiæ præfici curavit, quæ viduata gemnerat, ex quo ea Ludovicus Pius ſpoliaverat Ebbonem. Rem ita narravit Nicolao Papæ I. Concilium Tricaſſinum, litteris ad eum datis (1): *Non longe a vicinitate finium Normannorum, quibus a Paſchali Papa prædicator fuerat deſtinatus, Epiſcopium Hildeſenheim vacans obtinuit; ubi etiam auctoritate cujuſdam privilegii nobis oſtenſi, a Gregorio Papa ſibi collati, conhibente ſupra memorata ſua reſtitutione, miniſterium Pontificale ſine tenus exercuit.*

Poſt mortem Ludovici Pii redditus fuerat Ebbo ſedi ſuæ Remenſi ab Imperatore Lothario, ſuffragantibus tum Provinciæ, tum pleriſque aliis Epiſcopis. Jactabat Ebbo odio ſe potius ceſſiſſe Ludovici Pii, quam Canonico cecidiſſe Judicio. Ubi rurſus poſtea Carolus Calvus in Lotharium inſurgens, ea ſibi regnoque ſuo recuperavit, quæ ille invaſerat, rurſus Ebbo cedere compulſus eſt. Hæc tam varia Ebbonis fortuna, argumento eſt conſultiſſime Decreto Gregorii IV. translatum eum fuiſſe in Eccleſiam Hildesheimenſem; cum tanta eſſent hinc & hinc rationum momenta, & ut ne pro canonice depoſito haberetur, ubi nulla reſtitutionis ſpes reſulſiſſet: nec etiam Remenſi Eccleſiæ reſtitueretur, cum tantum ea res tumultuationum concitatura eſſet. His adde expeditiones ſacras & Evangelicas Miſſiones atque Prædicationes in regionibus Borealibus, quibus inclaruerat Ebbo, ut non injuria cum eo diſpenſaretur, & interpoſita Sedis Apoſtolicæ auctoritate ad Hildeſheimenſem Eccleſiam transferretur (2). Pleræque enim adhuc translationes in Conciliis tum Provincialibus fiebant illæ quidem, ſed quæſtio hic vertebatur de Epiſcopo bis depoſito, aut bis ejecto ſede ſua, cujus etiam depoſitio a Sergio Papa confirmata fuiſſet.

III. Accedamus jam ad translationem aliam paulo expeditiorem. A Normannis & Brittonibus evaſtata penitus dirutaque fuerat Civitas & Eccleſia Nannetenſis. Poſt annos vaſtitatis decem Actardus Nannetenſis Epiſcopus a Carolo Calvo Rege & a Synodo miſſus eſt Romam, ut vacantem aliquem Epiſcopatum alium a Nicolao Papa.

(1) Conc. Gal. t. 3. p. 556.

(2) Ibid. p. 83.

I. impetraret (1) : *Civitas olim florentiſſima, nunc exuſta & funditus diruta, redacta per decennium cernitur in Eremum, &c. Si annuit veſtræ diſcretionis ſolertia, optamus, vacantis ſedis conſtituatur in Cathedra, &c.* Ita Rex ad Pontificem præſcribebat. Cum poſtea Sueſſionenſis Concilii Patres Hadrianum II. interpellaſſent eadem de ipſa Actardi cauſa, annuit Pontifex ut in aliam Eccleſiam, etiam Metropolitanam Actardum transferrent, Majorum ſe in eo veſtigiis, & maxime Gregorii Magni exemplis inſiſtere teſtificatur : *Decernimus hunc Eccleſiæ, quæ ſuo forte fuerit viduata Paſtore, penitus incardinari*. Tranſtulit denique Actardum Pontifex in Eccleſiam Turonenſem, poſtquam Clerus & populus ejus urbis ſua in eum ſtudia & ſuffragia contulere. Hæc Hadriani verba ſunt ad Concilium Duziacenſe anno 871. *Sicut Synodus expoſtulavit, plebs & Turonicus Clerus eum concorditer elegit, per noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis decretum conſtituimus Cardinalem Metropolitanum, & Archiepiſcopum Turonicæ Eccleſiæ atque Provinciæ*. Concinere Canonibus eam translationem idem Papa ex eo pronuntiat, quod eam non ambierit Actardus, quodque Eccleſiæ unius neceſſitatibus ea donata ſit : *Qui hoc non ambitu aut propria voluntate fecit, ſed utilitate quadam aut neceſſitate, aliorum hortatu & conſilio*. Poſtremo denique idem Pontifex curæ & ſollicitudini Actardi commendat ruinas, aut reliquias, ſi quæ ſupereſſent Epiſcopatus Nannetenſis; ea cautione, ut ſi quando ea civitas in integrum reſtituatur, proprium tunc quoque ſibi & peculiarem accipiat Epiſcopum.

IV. Difficile eſt divinare, ecquid cauſæ fuerit, quamobrem Carolus Calvus Rex, & Epiſcopi ejus Regni toties ſynodice congregati, non ipſimet Actardum tranſtulerint, maluerintque ad Pontificem referre. Suberat quidem Carolo Calvo Armorica ea Provincia, ſed bono modo, & pene perfunctorie : erat & alius qui ſe ejus Regem vindicaret, cui Carolus ipſe compulſus fuerat Regiæ poteſtatis inſignia permittere, & mittere; ut Regnum quo excutere illum non poſſet, fiduciario a ſe jure obtineret : quin & ante Pontificis & Epiſcoporum auctoritatem idem Carolus interpoſuerat, ut Brittonum Duces Nomenojum & Salomonem utcunque obſequentes haberet. Conceſſerat & ipſe Romam Actardus, (2) quo ſuæ aliarumque Eccleſiarum vaſtationis cauſam culpamque in Brittones conferret. Prope ergo abeſt a vero Papam interpellatum fuiſſe, quod non immerito diffiderent Franci, a Brittonibus approbatum iri, quod ipſi definiſſent. Cum eo ævo Armoricæ Provinciæ Epiſcopi a jugo & nexu Metropolitani Turonenſis liberos ſe eſſe confiderent, ſpecialius quoque Apoſtolicæ Sedis obſequiis mancipatos ſe profitebantur. Itaque ut ne ſemper ab obedientia Turonenſis Metropolitani abhorreſcerent, conducibile fore videbatur, ut is a Papa ipſo conſtitueretur.

Adde non potuiſſe Actardum ab Imperio Brittonum & Clero divelli; conglutinari autem Clero Francorum & Regno, niſi interveniente communi Parente omnium & Principum & Eccleſiarum. Sed & ab exemplis ſequentibus lux uberior affulgebit ad hanc illuminandam in Translationibus Epiſcopalibus Papæ interventionem.

V. In Concilio Pontigonenſi anni 876. cum indeflexa quadam conſtantia Gallicani Præſules oblucrarentur ei, quod ſibi impigebatur, novo Senonenſis Primatiæ jugo; nec hortatibus cederent vel Pontificis Legatorum, vel Imperatoris, qui præſens aderat : unus fuit Frotarius, qui ei aſſentiretur innovationi, ne ingratt animi reus ageretur a Carolo Calvo ipſo Imperatore, qui eum ab Eccleſia Burdigalenſi ad Pictavienſem, Pictavienſi rurſus ad Bituricenſem tranſtulerat (3) : *Excepto quod Frotarius Burdigalenſis Epiſcopus, quoniam a Burdigala ad Pictavos, indeque ad Bituricum favore Principum contra regulas ſe contulit, per adulationem reſpondit quod Imperatori placere cognovit*. Ad hanc ergo translationem expreſſo jam Imperatoris aſſenſu Frotarius, ubi aſſenſum quoque Epiſcoporum hujus Concilii demereri ſtuduit, tum vero repulſam paſſus, pœnas dare ſe intellexit ejus defectionis & ignaviæ ſuæ, qua cauſam & libertatem communem tueri detrectaſſet. Veniam Canonum ſibi fieri debere jactabat tanto propenſius, quod Burdigalæ jam ſedem figere omnino per Paganorum, hoc eſt per Normannorum incurſationes ſibi non liceret. At a quo animi mollitia tam graviter peccatum eſſet, ad ejus preces molleſcere & inflecti abnuerunt Epiſcopi : *Lecta eſt proclamatio Frotarii Burdigalenſis Archiepiſcopi, quia*

non

(1) Ib. p. 362. 365. 367. 368. 369. (2) Ib. p. 362. (3) Ib. p. 435. 436.

non poterat conſiſtere, propter inſeſtationem Paganorum in civitate ſua, ut liceret ei Metropolin Bituricenſem occupare. Cujus petitioni unanimitas Epiſcoporum nullatenus acquieviit.

VI. Si adduci potuiſſent hujus Concilii Antiſtites, ut Frotarii precibus obſecundarent, perſpicuum eſt translationem profligandam ablolvendamque fuiſſe, nullo Apoſtolicæ Sedis interventu: nec Concilii Patres interpellaſſet Frotarius, quos a ſe alienaverat, niſi compertum habuiſſet penes hujuſmodi Concilia librari ſolitas cautas iſtiuſmodi diſpenſationum. At Imperator nihil ad ſe repullam eam pertinere voluit. Itaque a Joanne VIII. Papa obtinuit, quod a Pontigonenſi Concilio expugnare non potuerat, atque ita viam complanavit ei devolutioni, quæ translationum poſtea cauſas a Conciliis Provincialibus ad Apoſtolicam Sedem tranſtulit. Meam non eſt expendere, an mero Canonum zelo & caſto purioris diſciplinæ amore Pontigonenſes Patres Frotarii vota fruſtrarint, an rancoris afflatu aliquo. Certe enim aſſenſus non eſt Joannes VIII. Frotarii translationi, niſi non Imperatore tantum, ſed & toto Burdigalenſis Provinciæ Epiſcoporum Collegio confirmante, funditus everſam eſſe & labefactatam Burdigalenſem Provinciam. Adprime canonica erat hæc ratio, & cui ea Actardi translatio, ab Epiſcopis Gallicanis tantopere experita, ſuperſtructa fuerat. Non injuria ergo Pontifex, quaſi devolutione canonica, translationem conceſſit, quam Galli Epiſcopi abnuiſſent. Audi ut ea de re Papa ad Imperatorem ſcripſerit (1): *Quia pietatis veſtræ teſtimonio, Comprovincialium quoque Præſulum litteras convenire nuper cognovimus ſecundum pietatis veſtræ religioſiſſimum libitum, Burdigalenſis Eccleſiæ Epiſcopum in Bituricenſem Eccleſiam, Cardinalem ſteri decernentes, Metropolitanæ dignitatis privilegio iterato munire curavimus.* Scripſit & ſimiles litteras ad Clerum, Populum, Senatumque Bituricenſem, alias ſimiliter ad Epiſcopos Provinciæ Bituricenſis, & ad Frotarium denique ipſum.

Quibus in omnibus litteris duo quædam juvat obſervaſſe. Primum eſt, poſtulatum fuiſſe Frotarium a Clero & Populo Bituricenſi, & ab Epiſcopis Provinciæ: *Poſtulant*. Alterum eſt, diuertis verbis Pontificem profiteri, urgente tantum ineluctabili neceſſitate infringi tum a ſe Canonum vigorem, non alias unquam enervandum: *Prioribus manentibus regulis inconvulſis, quas ubi nec rerum nec temporum urget neceſſitas, jure convenit obſervari, &c. Tali neceſſitate remota, removeatur etiam id quod neceſſitas imperat.*

Scripſit & annis ſequentibus ad Frotarium idem Pontifex Epiſtolas (2) quibus eum Bituricenſem vocat Archiepiſcopum. Et inde nobis hærendi & ſtupendi cauſa, cur eum idem in Gallias profectus eſſet, adeſſetque Concilio Triceſſino II. Pontifex ſcripſerit ad Frotarium Burdigalenſem Archiepiſcopum, invitaveritque ut ad Concilium adproperaret, chartaſque adferret omnes, ſulciendæ translationi ſuæ opportunas, ſecumque haberet Apoſtolica etiam quæ jactare lolebat in eam rem diplomata. Apparet eos Epiſcopos furtim labefactandæ Frotarii translationi adlaboraſſe, quæ ipſis repugnatibus peracta fuerat. Prætextu aliquo conatus ſuos obumbrare ſvebant. Nec longe quærendus fuit. Terris emigrante Carolo Calvo (3), Ludovicus Balbus filius & ſucceſſor ejus privatis Frotarii adverſariis facile adhibuit aures, crimine illum hoc fœdiſſimo inceſſentibus, quod Bituricenſem civitatem hoſtibus prodere molitus eſſet. Ubi primum eam criminationem Frotarius diffiavit diſſipaviſque, manifeſtiſſimis fidei & innocentiæ ſuæ editis documentis, incunctanter Bituricenſis rurſus Archiepiſcopus & eſſe cœpit, & ſcribi in ipſis Papæ litteris.

Nonnihil ex Flodoardo (4) moleſtiarum ſuſtinuit adhuc Frotarius ſub ſequentibus Pontificibus, quando & ejus tuitionem adgreſſus eſt Fulco Remenſis Archiepiſcopus apud Hadrianum III. Papam, datis ad eum litteris, quibus ſignificat, poſtulatum & electum fuiſſe Frotarium ab Epiſcopis Provinciæ Bituricenſis, & a Clero Populoque civitatis, acceſſiſſe denique conſenſum Marini Papæ prædeceſſoris ejus (5): *Quod ab Epiſcopis Diœceſeos, omnique Clero & populo civitatis ſit petitus & electus, & quod prædeceſſor ejus Marinus pium in hoc præbuerit aſſenſum, & ipſius in Eccleſia Bituricenſi promotionem ſcriptis roboravit.*

Ex hac de Frotario narratione colligitur pernecellariam fuiſſe, ad Actardi a Nan-

(1) Ib. p. 447. & 469. 471.
(2) Ib. p. 483. Ann. 878.
(3) Ibid. p. 487. 519.
(4) Flodoard. L. 4. c. 1.
(5) Anal. Fulg ann. 886.

netenſi ad Turonenſem Eccleſiam translationem, conſenſionem Epiſcoporum Armoricæ Provinciæ, adeoque & ſufficere potuiſſe: ſed cum ea ne ſperari quidem poſſet ea tempeſtate, ejus loco interpoſitam fuiſſe Pontificis auctoritatem, quod ea diſpenſatio valde conducibilis Eccleſiæ fore videretur.

VII. Hoc ſane tempore concidentis Regiæ ſtirpis Caroli Magni, quam frequentes, tam neceſſariæ erant hæ translationes Epiſcoporum, ab urbibus everſis profugorum, & ad vacantes alias Eccleſias commigrantium. Quin & ea de re Decretum editum eſt in Concilio Romano ſub Carolo Craſſo: *Summus Præſul a Rege interrogatus decrevit, ut Epiſcopis, quorum Parochiæ de incendiis Gentilium penitus vaſtatæ apparent, alia ſedes eis non occupatæ concederentur.* Ita imperator ipſe Pontificem adibat, ut generalem ea in re diſpenſationem extunderet. Non tam circumſpecte Hugo Rex Italiæ, cum cognatum ſuum Manaſſen Archiepiſcopum Arelatenſem donabat Epiſcopatibus omnibus Italiæ, quos involare poſſet, commendavit illi Eccleſias Epiſcopales Veronenſem, Tridentinam & Mantuanam. Quin & Manaſſes ipſe improbitatem ſuam profana dicacitate exaggerans, ajebat æmulari ſe B. Petrum, qui Antiochia migraſſet ipſe quidem Romam, Marcum vero diſcipulum Aquileja Alexandriam migrare juſſiſſet. Inani hoc ille verborum ludribio impietatem ſuam diſſimulabat, teſte Luitprando, a quo ſcitiſſe reſpondetur, Petrum veniſſe Romam, ut ſanguinis impendio animas hominum Chriſto lucraretur: nec aliis quam his aut ſimilibus de cauſis uſurpandas eſſe translationes (1): *Venit Romam Petrus; non ambitione inflammatus, ſed martyrio animatus; non quærens aurum, ſed animarum lucrum. O felicem, immo beatum, ſi talem te tua conſcientia teſtaretur!*

VIII. Obſervantior erat Hincmarus Sedis Apoſtolicæ, cum ajebat niſi de Concilii Provincialis, vel Pontificis Romani licentia fieri non debere translationes. Eam alternationem amplexa eſt medio hoc tempore Eccleſia Gallicana, quaſi medio interſtitio veteris diſciplinæ, quæ totum particularibus Conciliis tribuebat, & novæ, quæ Pontifici totum reſervat. Illud quoque inculcat Hincmarus omnino inconcuſſum, non privatis & terrenis affectibus, ſed Eccleſiæ publicis utilitatibus indulgendas eſſe translationes (2): *Si autem cauſa certa neceſſitatis vel utilitatis exegerit, ut quilibet Epiſcopus, de civitate in qua ordinatus eſt, transferatur ad aliam civitatem, Synodali diſpoſitione, vel Apoſtolicæ Sedis conceſſione, apertiſſima ratione manifeſtum fieri debet, quia transfertur cauſa fidei, non temporalis commodi; pro animarum lucro, non pro rerum temporalium quæſtu; non ſuo vitio, ſed aliorum repudio; neceſſitate perſecutionis, non ardore ambitionis, vel præſumptione propriæ voluntatis.* Exemplum ejus rei prodit in B. Bonifacio Martyre, qui ſola illiciente Eccleſiæ utilitate Colonia Moguntiam migravit. *Aliquandiu in civitate Agrippinenſi Colonia ſedit, & emergente neceſſitate atque utilitate ad civitatem Moguntinam translatus eſt.* Alias quippe negat ex Conciliorum doctrina minus piaculares & execrabiles eſſe debere Epiſcoporum migrationes, quam Baptiſmi vel Ordinis iterationes: *Sed & colligendum eſt, quam grande ſcelus ſit hujuſmodi translatio, quæ rebaptizationi & reordinationi comparando conjungitur.*

IX. Non collimat hic Hincmari ſermo, niſi ad concerpendam Actardi translationem, qui primum a Nomenojo Duce Eccleſia ſua ejectus Nannetenſi, & a Carolo Calvo Rege reſtitutus, dejectus ſecundo fuerat a Salomone Tyranno: tum ad tempus donatus Eccleſia Tervanenſi auctoritate Concilii donec ab Epiſcopis, Clero & Populo Provinciæ & civitatis Turonenſis, ad eam ſedem poſtulatus Metropolitanam, eo a Papa translatus eſt. Ita Hincmarus preſsius circumſtantias omnes proſecutus eſt translationis Actardi, ex quo rurſum apertius fit cur neceſſario intervenerit Sedes Apoſtolica.

Invehitur porro Hincmarus in eam translationem, tanta licet auctoritate munitam. Tantæ ille ſuccenſet facilitati, nimiæque indulgentiæ. Non abjiciendas enim fuiſſe miſelli gregis diſſipatas reliquias; ſed accuratius colligendas, ſolandaſque: incumbendum fuiſſe in ipſorum converſionem Paganorum, quos eo videretur Numinis providentia amantiſſima expuliſſe, ut jugo ipſi veritatis ſubjicerentur, non dimittendos fuiſſe pauciſſimos alios, qui ex Clero Populoque reſidui fuiſſent; victitandum fuiſſe elee-

(1) Luitpr. L. 4. c. 3. (2) Tom. 2. pag. 744.

eleemoſinis, vel labore manuum, exemplo Clericorum non paucorum qui ibidem hæſerant, cum Comite & Magiſtratibus ſæcularibus; denique exercendas ibi Actardo fuiſſe tot Epiſcopales functiones alias, quæ nulli præterea delegari poſſint, & quibus citra ingens diſpendium fruſtrari grex fidelium non poteſt: *Non exiret de civitate in qua ei multus populus erat, ſed conſtanter prædicaret; quis enim ſcit utrum multi de Paganis illis ſint a Deo prædeſtinati ad vitam, &c. Sicut enim Comes civitatis homo ſæcularis, & alii etiam ſæculares majoris & minoris poteſtatis habent unde in ſua Metropoli poſſint conſiſtere, & comminiſtri ejus Eccleſiaſtici valent ibidem vivere; ſic & ipſi niſi eum cupiditas & ambitio inde ejiceret, ibidem vel de operibus manuum, vel de decimis fidelium, ac conlatione Presbyterorum, & ſi aliter non poſſet, vel ſub cenſu, ſicut Hieroſolymis Patriarcha, & vivi religioſi ac fideles in Corduba, & in aliis civitatibus per Hiſpaniam faciunt, ibi valerent manere, & prædicationis verbum impertire, & miniſteria, quæ nonniſi ab Epiſcopis poſſunt dependi, &c.*

Tantas inter Hincmarum & Actardum componere lites aut vero dirimere, ac certo definire judicio, non opis eſt noſtræ. In rationibus Hincmari plurimum ſane ponderis eſt. Auctoritate contra Actardus tuetur ſe Concilii, Papæ, Regis, quibus nefas eſt oblucari. Cum tantum hinc veritatis lumen, hinc auctoritatis pondus ſtet, conſultiſſimum tutiſſimumque nobis erit, ſi dicamus, præponderare univerſim & retinendas eſſe Hincmari rationes & leges ab eo propoſitas: at in ſpeciali Actardi cauſa multa nos effugere poſſe, quæ non latebant Concilium & Pontificem, a quo abſolutus eſt, a nobis etiam abſolvendus, nos quoque ni laterent.

Sed & illud ſedulo mandandum infigendumque animo eſt, quod & Hincmaro patet perſuaſiſſimum hic fuiſſe: diſpenſationes a Conciliis & Pontificibus conceſſas, retractari adhuc apud incorruptæ & incommutabilis Veritatis tribunal, ubi Judices ipſi & Pontifices judicio ſummi & æterni Pontificis ſubjicientur. Nulla nos in Actardi geſtis fallunt, ideo nec Hincmari in eum cenſuræ ſubſcribimus: quinimmo favemus ex animo, ut par eſt, judicio Pontificis, Concilii, Regis, & eo validiſſimo confirmigimur non illubentes præjudicio. Sed non in eam debacchatus eſſet Hincmarus translationem, ſi præſumptum animo habuiſſet translationes a Conciliis particularibus & Pontificibus ſummis indultas, certiſſime ſemper conſentire Evangelicis legibus, æternæque veritati.

X. Cum a Normannis vaſtatus fuiſſet Epiſcopatus Tervanenſis, Herinaldus ejus loci Epiſcopus ad Metropolitanum ſuum Fulconem Remenſem ſe contulit, a quo vacantis Eccleſiæ conſtitutus eſt Viſitator, ut ejus interim proventibus ſuſtentaretur. Scripſit & ad Formoſum Papam Fulco, percunctaturus, annon expeditius foret Herinaldum ei Eccleſiæ vacanti prorſus affigere, Tervanenſi autem alium ordinare Paſtorem, qui & eorum linguam calleret, & indidem progenarus eſſet, ut quot cognatos, tot ibi haberet obſides, illiceſque mutuæ inter Paſtorem & gregem caritatis (1): *At quia homines præfatæ Tervanenſis Parochiæ, barbaricæ videbantur eſſe feritatis & linguæ; ſupplicat ut reſponſo Papæ mereatur certificari, ſi hunc viduatæ debeat præponere plebi, & alterum ei liceret in præmemorata ipſius Eccleſia ſubrogare, qui acceptior propter parentelam & linguam in eodem loco poſſet exiſtere.* Cum nihil reſponſi acceſſiſſet Fulco a Formoſo, poſt ejus obitum iteratas dedit ad ejus ſucceſſorem litteras; Petrique *Epiſcopi Romani*, id eſt, Epiſcopi Cardinalis, interceſſione apud eum uſus eſt, munivitque ſe exemplo Actardi Nannetenſis, quem Nicolaus Papa Nannetis Teroannam, Teroanna Turonas tranſtulerat. Ex quo perſpicis non ſubſcripſiſſe Fulconem Hincmari præceſſoris ſui ſententiæ & indignationi in Actardum.

XI. Sed ut ulterius aliquid moliamur, non tanta ſemper fuerat Hincmari aſperitas in Actardum. Ipſemet enim præſidens Concilio Duziacenſi, ſynodicam ad Hadrianum II. Papam elucubraverat Epiſtolam, cui & alteram ſuo peculiariter nomine ſcriptam addideraat; ut iiſdem pene utrobique verbis Pontificem admoneret, Actardum a Normannis Eccleſia ſua ejectum, qui Pagani erant, & a *pſeudochriſtianis Brittonibus*; commendatum ei a ſe fuiſſe Epiſcopatum Teroannenſem, cum aſſenſu Epiſcoporum Provinciæ & Regis (2): *Conſenſu Coepiſcoporum Remenſis Provinciæ, & favore Caroli Regis*: noluiſſe ſe ejus Eccleſiæ titulum

(1) Flodoard. ibid. c. 3.

(2) Conc. Duziac. Coll. p. 300. 301.

tulum ei conferre : *Incardinari non potuit:* quod reliquiæ Nannetenſis Epiſcopatus remotiſſimæ ſint a Ternanna, nec poſſit idem Epiſcopus duabus aſcribi Provinciis : at nunc vero eum poſtulari a Clero & Populo Turonenſi : *Sibi incardinari depoſcit :* eoque æquius eſſe, ut eam diſpenſationem concedat Pontifex, cum in Turonenſi Eccleſia Actardus olim baptizatus, attonſus, inſtitutus, & ordinatus ſit; potuiſſe eam tranſlationem fieri ab Epiſcopis ipſis Gallicanis, cum ex Concilio Antiocheno ea poteſtas penes Concilium ſit perfectum, hoc eſt Provinciale, cui præſit Metropolitanus ; cum eam ipſis curam commendaſſet ipſe Pontifex ; ſed ſatius ſibi viſum, ut ipſa Sedes Apoſtolica eo humanitatis officio fungatur: tum ut Eccleſiæ Turonenſi, & B. Martini memoriæ honos impendatur : tum quod occupaverit jam Papa Actardum Pallio honeſtare : *Quem licet juxta Antiochenos Canones perfecto Concilio, atque ſecundum Apoſtolicas veſtras litteras vacanti Eccleſiæ incardinare poſſemus ; tamen quia Turonenſis Eccleſia ex antiquo Metropolis, & B. Martini meritis famoſiſſima & honorabilis ſemper extitit, & frater Actardus genio pallii a veſtra benignitate eſt honoratus, rationabilius vidimus, ut petitione Cleri & Plebis, & conſenſu noſtræ unanimitatis, ac favore domini Caroli Regis, a veſtra auctoritate eidem incardinetur Eccleſiæ.*

Quam oro jam commentari poterimus rationem Hincmari ipſius ſibi conciliandi ; niſi re perfecta, novi illum in Actardum ſtimuli pupugerint ; aut novæ alluxerint rationes improbandi, quod approbaverat ; aut privatim ſibi viſus ſit poſſe inſimulare, quod Concilio cum præeſſet, multitudine & conſpiratione abreptus ſuffragiorum probaverat.

Quas tamen peculiares ad Papam dederat litteras, ne dicam de ejus in Actardum indulgentia, cui Teroannenſem crediderat Eccleſiam ; eæ, inquam, litteræ palam faciunt, ab ipſius Concilii ſententia eum non abhorruiſſe. Unde illum neceſſe eſt a priori poſtea receſſiſſe ſententia. Sed præſtat hic ſedulo advertiſſe, Eccleſiæ Gallicanæ Præſulibus illud indubitatiſſimum fuiſſe, ſui juris eſſe tranſlationes Epiſcoporum facere, ubi ſuaderet Eccleſiæ utilitas : quauquam non raro eas ad Petri Sedem ultro referrent ; ſuæ ut in Petrum, Petrique ſucceſſores, venerationis hoc eſſet monumentum.

XII. Illud quoque admoneri & obſervari operæ pretium eſt, in his Hincmari, & Concilii Duziacenſis litteris, tametſi effuſiſſimis in obſervantiam & venerationem Pontificis, præ ſe tamen ſemper ferre Eccleſiam Gallicanam dignitatis documenta ſuæ præclariſſima, & libertatis. 1. Quanquam enim eam tranſlationem a Papa fieri vellent Gallicani Præſules, profitentur tamen eam a ſe jure fieri potuiſſe ; quod & Antiocheno Canone probant in Eccleſiis receptiſſimo. 2. Quanquam orabant Pontificem, ut ipſe transferret ; conteſtabantur tamen, præiiſſe electionem Eccleſiæ Turonenſis, conſenſionem Epiſcoporum Provinciæ, Regis ipſius aſſenſum. 3. Futuræ etiam libertati proſpiciebant, ut diem ſuum obeunte Actardo, ſucceſſoris electio ſit juxta Canones penes Epiſcopos Provinciæ, Clerum & Populum civitatis Turonenſis : *Eo ſi vobis placet tenore Archiepiſcopum incardinetis, ut poſt deceſſum illius, Cleri ac plebis electione, ſicut regula ſacræ præcipiunt, & vetus conſuetudo exigit, a ſuffraganeis Epiſcopis Metropolitanus ibidem ordinetur Epiſcopus.*

Sartam tectam Conciliis Provincialibus ſervaverant Capitularia Caroli Magni Tranſlationum facultatem (1) : *Ne de uno loco ad alium tranſeat Epiſcopus ſine Decreto Epiſcoporum, vel Clericus ſine juſſione Epiſcopi ſui.* Aſſentiebantur ipſi Pontifices ei Conciliorum Provincialium ordinariæ poteſtati : cum Gregorius V. in Concilio Romano anno 998. cenſuerit, ſi approbare poſſet Giſilerus Merſeburgenſis Epiſcopus, non ambitioſe, ſed electione Cleri & Populi migraſſe ſe ab eo Epiſcopatu ad ſedem Metropolitanam Magdeburgenſem permanſurum in ejuſdem Metropolis adminiſtratione (2): *Si Cleri & Populi invitatione & electione migravit, in eadem permaneat Metropoli.* Si autem citra electionem, nec tamen auri ſerviens, vel honorum cupidini migraſſet, Merſeburgenſi ſe ſuæ redderet Eccleſiæ : *Quod ſi abſque invitatione, non tamen per ambitionem & avaritiam factam eſſe conſtiterit, ad priorem redeat ſedem.* Hinc intelligis quæ tum in his eſſet Germaniæ Diſciplina & conſuetudo, in Epiſcopis ex una in aliam Eccleſiam devolantibus. Perſpicuum eſt, nequaquam intervenire ſolitam fuiſſe Sedem Apoſtolicam. Adde ex Rogerio B. Brunonis Colonienſis Archiepiſcopi vitam

(1) L. 1. c. 137.

(2) Spicil. to. 6. pag. 69.

viram ſcribente, Brunonem vacante Epiſcopali Eccleſia Leodienſi, ei præfeciſſe Ratherium, Veronenſi recentiſſime Eccleſia deturbatum (1): *Leodienſi Cathedræ vacanti magna ejus induſtria ſecundum ſtatuta Canonum incardinatus eſt.*

Anno 810. erectus eſt a Carolo Magno Epiſcopatus Salingeſtadienſis, primuſque ibi creatus eſt Epiſcopus Hildegrinus, (2) qui Catalaunenſi jam fruebatur Epiſcopatu, fratremque habebat B. Lugderum primum Epiſcopum Migerodenſem. Hildegrini æſtuantior caritas illum jam ſæpius a ſua Catalaunenſi abripuerat Eccleſia, ad ferendas fratri ſuo Lugdero ſuppetias, reſiduos Germaniæ Paganos debellanti. In cauſa id fuit ut ad novellæ hujus Eccleſiæ emolumentum, Salingeſtadium transferretur; unde non multis poſt annis ſedem ipſe ſuam Halberſtadium tranſtulit, quæ populoſior erat Civitas, & vitæ commodis uberior. Paucis rurſum poſt annis, id eſt anno 812. idem Carolus in Saxonia Epiſcopatum inſtituit, in loco qui *Aulicus* dicebatur, quod Aula ibi Imperatoria frequentius verſaretur, unde & Hildesheimum poſtea translatus eſt ad alterum inde lapidem, anno 814. ab Imperatore Ludovico Pio. Perſpicis hic autem quam frequentes neceſſario fuerint translationes Epiſcoporum & Epiſcopalium ſedium, in novis Eccleſiarum fundationibus. Quo tempore, & juſtiores ſunt cauſæ, & a cupiditatum ſuſpicionibus ii alieniores, qui transferuntur.

XIII. Similiter in Anglia quoque Metropolitani, Epiſcopi, Reges hæc omnia in poteſtate habebant. Oſuvaldus ſanctiſſimus Epiſcopus Vorceſtrenſis ad Eboracenſem Metropolin accitus eſt, electione Cleri, auctoritate Dunſtani Archiepiſcopi Cantuarienſis, & Edgari Regis juſſu (3): *Mortuo Eboracenſi Archiepiſcopo beatus Oſuvaldus cogente Edgaro Rege & ſancto Dunſtano Cantuarienſi Archiepiſcopo, omnique Clero aſſentiente, Eboracenſem Eccleſiam regendam ſuſcepit.* Dunſtanus ipſe Vorceſtrenſem eandem olim rexerat Eccleſiam, a qua in Londinenſem fuerat translatus (4): *Tandem electio omnium ſuper Dunſtanum verſa eſt, & ipſe Pontificatum prædictæ Eccleſiæ ſuſcipere communi cunctorum acclamatione coactus eſt.* Poſtremo denique eadem invicta vi ſuperiore vocationis, & conſpiratione univerſæ Eccleſiæ Anglicanæ, compulſus eſt idem ipſe ſarcinam ſubire Primatialis Eccleſiæ Cantuarienſis: *Unanimis omnium electio Dunſtanum inclamitat, &c. Hac acclamatione, quaſi voce vere divina conſtrictus eſt, &c.* Nec accuſari quiſquam poteſt translationes eas Romæ ignoratas, & Papæ incompertas fuiſſe: cum continuo Dunſtanus ad Romanum iter ſe accinxerit, Pallium petiturus. Vulfenus & Odo, referente Willelmo Malmesburienſi (5), alter Viltunenſis, Uvellenſis alter Epiſcopi, ad Archiepiſcopalem Eccleſiam Cantuarienſem provecti ſunt, ita ut alter alteri ſuccederet. Reſtitabat Odo, quod Monaſticum nunquam profeſſus eſſet inſtitutum, quod omnes hactenus Cantuarienſes Epiſcopi ſectati fuiſſent. Ceſſit tamen ille tandem Regis & Epiſcoporum voluntati, & Floriacum profectus, ibique Monachum profeſſus, tandem ſe ſuæ Angliæ Eccleſiæque reddidit: *Sed cum Regiæ voluntati Epiſcoporum omnium aſſenſus accederet.* Ei ſucceſſit Dunſtanus, Dunſtano Ethelgarus Ciceſtrenſis Epiſcopus, Ethelgaro Elfridus Epiſcopus Viltunenſis, Elfrido Siricius Epiſcopus Vintonienſis, Siricio Elphegus Epiſcopus & ipſe Vintonienſis, huic Livingus Uvellenſis Epiſcopus. Apparet ergo non alios plerumque ſediſſe Cantuariæ Epiſcopos, quam qui eo ex aliis Epiſcopiis transferrentur; non improbabili cauſa, ut Principem totius Angliæ ſedem ii regerent Epiſcopi, qui in aliis Eccleſiis & tyrocinium poſuiſſent, & aliquod ſui experimentum dediſſent.

XIV. Ita perluſtrata Gallia, Germania, Anglia, compertoque non fere niſi in Gallia Epiſcopos & Reges Pontificiam auctoritatem interpoſuiſſe ad confirmandas Translationes, propter ſingularem quandam ſemper conſenſionem Sedis Apoſtolicæ cum Gallicano Regno; adeunda jam nobis Italia eſt, quam ſi fas eſſet, non illubentes præterveheremur, ne in Formoſi Papæ tragica neſcio quæ incideremus infortunia. Poſt obitum Stephani VI. Papæ, electus eſt ab aliis Sergius Diaconus, ab aliis Formoſus Epiſcopus Portuenſis (6), ea eruditionis & pietatis præſtantia, cui ſæculum fortunatius deberetur. Fautorum Formoſi contume-

(1) Surius die 11. Octob. c. 39.
(2) Surius die 15. Octob. c. 7.
(3) L. 1. Pont. Angl.
(4) Le-Cointe. Ann. Franc.
(5) Surius die 19. Maji. c. 26. 27. 28.
(6) Anno 891.

melitis exagitatus & exulceratus Sergius, ad Adelbertum ſe recepit Thuſciæ Marchionem, & ſtrepitu ac vi armorum Sedem Apoſtolicam invaſit, ſtatim atque fato functus fuit Formoſus, quinque non amplius annis Pontificatu functus. Stephani VII. nomen induit Sergius, & immani truculentia corpus Formoſi ſepulcro extrahi juſſit, Pontificalibuſque veſtitum ornamentis obtruncari: uno ſcilicet illi exprobato flagitio, quod a Portuenſi Epiſcopatu ad Romanum demigraſſet: *Cum Portuenſis eſſes Epiſcopus, cur ambitionis ſpiritu Romanam univerſalem Sedem uſurpaſti?* Spoliari mox illum fecit, & in Tyberim præcipitem agi, irritas denique declaravit omnes Formoſi ordinationes, quaſi qui Portuenſis fuiſſet ſemel Epiſcopus, non potuiſſet Romanam in Eccleſiam transferri: atque ita Ordinationes ejus omnes ipſe iteravit: *Cunctoſque quos ipſe ordinaverat, gradu proprio depoſitos iterum ordinavit.* Hactenus ex Luitprando.

At Auxilius qui Presbyteratu initiatus fuerat a Formoſo, defenſionem ejus duobus libris executus eſt (1), in quibus duo hæc aſtruit, veluti duos totius controverſiæ cardines: 1. Urgentibus Eccleſiæ neceſſitatibus poſſe Epiſcopos ab una ſede in aliam transferri. 2. Etſi minus canonice translatus fuiſſet Formoſus, ejus nihilominus ordinationes ratas validaſque futuras fuiſſe: *Quod ſi Epiſcopus a propria ſede fuerit pulſus, certa imminente neceſſitate, vel utilitate, in alia Eccleſia quæ Præſulem non habet, inthronizari poſſit, non tamen abſque auctoritate duntaxat Romani Pontificis.* Et *quod ordinatio illa, quam Papa Formoſus fecit, rata & legitima eſſe probabiliter oſtendatur, etiamſi ipſe Formoſus, ut ajunt, non rite fuerit ordinatus.* Ita ille in Operis ſui præfatione. Quod vero contendit ille, non poſſe niſi auctoritate interveniente Papæ conſenſione Epiſcopos transferri, inoleſcebat illa quidem jam tum conſuetudo, nondum penitus ubique invalnerat, ſuperioribus vero ſæculis multo rarior fuerat ut nec Auxilius ipſe diſſimulat (2). Ut enim Formoſi translationem communiat, ingentem exemplorum ex omni antiquitate congeriem aſtruit; quorum nulla fere ſunt, ubi Sedes Apoſtolica interpellata ſit.

Sed in Concilio demum Romano Joannes IX. retractavit, irritavitque, quidquid contumelioſe in Formoſum decretum fuerat, omnes ab eo ordinatos reſtituit, Eccleſiæ utilitati datum eſſe pronuntiavit, quod Formoſus Porto translatus Romam fuiſſet: quanquam ubi nulla ingruit publica Eccleſiæ neceſſitas, translationes damnentur, & tam acerbe damnentur a Sardicenſis Concilii Patribus, ut ejus flagitii affines etiam in ipſo vitæ fugientis diſcrimine Euchariſtiæ communione interdixerint (3): *Quia neceſſitatis cauſa de Portuenſi Eccleſia Formoſus pro vitæ merito ad Apoſtolicam Sedem provectus eſt; ſtatuimus, & omnino decernimus, ut id in exemplum nullus aſſumat, præſertim cum ſacri Canones hoc interdicant, & præſumentes tanta feriant ultione, ut etiam in fine laicam eis prohibeant communionem.*

Nec primus inter Romanos Pontifices Formoſus alia ex Eccleſia aſcitus fuerat. Alterius civitatis Epiſcopatum regebat Marinus, cum ad Romanum vocatus eſt. Baſilius Imperator iniquo ferens animo damnatum ab eo Pontifice Photium (4), & eam contumeliam ulciſci cupiens, aculeatiſſimas in eum litteras evulgavit, illud præ ceteris premens, quod qui alterius Eccleſiæ ſponſus ante fuiſſet, non potuiſſet poſtea Romanam habere ſponſam. Perlatæ ſunt ex litteræ ad Stephanum VI. quæ ad ejus præceſſorem Hadrianum III. fuerant deſtinatæ, Marini ſucceſſorem; ab eodemque confutatæ ea generoſitate, & infracta conſtantia quæ Petri maxime ſucceſſoribus conſentanea eſt.

XV. Si Baſilium non occæcaſſet animi perturbatio, & odii impotentia, advertiſſet & ipſe in Eccleſia Orientali laudatiſſimas translationes, Eccleſiæ caritati & neceſſitati donatas. Dubium certe erat, an neceſſe eſſet interponi Imperatoriam poteſtatem. Ne Balſamon quidem affirmabat. Cum enim ex Antiocheno Canone id effeciſſet, poſſe a Concilio Epiſcopos transferri, miratur eſſe, qui velint & Principis conſenſum neceſſario intervenire debere (5): *Nota ex præſenti Canone, quod cum Synodali decreto permittitur vacanti Epiſcopo in vacante Eccleſia celebrare, & in ipſo ejus throno ſedere. Sæpe enim audivi, quod Imperatorio quoque mandato ad id opus eſt.*

Idem vero tres fecit Balſamon translatio-

(1) L. 2. c. 8.
(2) L. 1. c. 1. L. 2. c. 22.
(3) Anno 904.
(4) Ann. 882.
(5) In Can. 16. Antioch.

tionum claſſes (1): 1. Cum paribus ſcientiæ & virtutum præſidiis inſtructus Epiſcopus a minori ad majorem traducitur Eccleſiam, ubi illuſtrior erit ejus induſtria in Eccleſiæ miniſterio, uti Gregorius Nazianzenus Saſimis Conſtantinopolin translatus eſt. 2. Cum Epiſcopus Eccleſia ſua & civitate a Barbaris diruta, in aliam migrat vacantem Eccleſiam. Quæ duæ legitimæ ſunt translationum cauſæ. 3. Cum Epiſcopus alio jam vinctus Epiſcopatu, aut nullo vinctus, ſuopte marte in aliam inſilit Eccleſiam. Idque facinus illud eſt, quod tam acerbe ulciſcitur Sardicenſis Synodus. In his nulla Imperatoris mentio. Sed diligenter ſecernitur μετάβασις, translatio, a migratione, quæ κίνησις dicitur.

At Archiepiſcopus Theſſalonicenſis Demetrius Chomatenus in reſponſis ad Cabaſilam Archiepiſcopum Dyrrachenum, tradit Epiſcopum electum, confirmatum, adeoque & mox ordinandum uni alicui Eccleſiæ, poſſe ab Imperatore ad alterius amplioris gubernacula capeſſenda compelli, ubi major in Eccleſiam redundabit utilitas & gloria ex ejus Prædicationibus, aliiſque Pontificalibus muniis: *Fit ſæpe jubente Principe per diſpenſationem publice conducentem.* Ita Manuel Comnenus Imperator Theſſalonicam migrare juſſit doctiſſimum Euſtathium, qui Myrenſis electus erat, & mox ordinandus ejus Eccleſiæ Epiſcopus. Sic ille Græcorum falcinatus doctrina & moribus, & adulationibus molliſſimis in Imperatores, Principem ea poteſtate fretum eſſe auguratur, & quidem ſolum, tanquam ſummum Eccleſiæ Legislatorem, & Conciliorum ſuo jure Præſidem (2): *Sola igitur, ut diximus, Imperatoria juſſio mutandi hæc innovandique poteſtatem habet. Imperator enim ut communis Eccleſiarum ἀποστασιάρχης exiſtens & nominatus, Synodalibus præeſt ſententiis, & robur tribuit, Eccleſiaſticos ordines componit, & legem dat vitæ politicæque eorum qui Altari ſerviunt.*

Nec eo prohibetur, quin fierent in Oriente translationes per varias Imperii Provincias, ſola Metropolitanorum, & Provincialium Conciliorum auctoritate, nulla Principum interventione. Ita conſtitutum fuit in Synodo Patriarchæ Conſtantinopolitani Michaelis, aſtantibus Regiis Judicibus (3): *Si cum ſua Synodo Metropolitanus ob cauſam laudabilem, & probabilem prætextum, utilitas autem hæc animarum, & Eccleſiaſtici ſtatus adminiſtratio comprobaverit, ut quis Epiſcoporum transferatur, id ſine dubio faciet, &c.* Idem liquet ex reſponſo canonico Patriarchæ Michaelis, qui ad translationes ſolam deſiderabat Metropolitani auctoritatem, & uberiorem Eccleſiæ utilitatem (4): *Epiſcoporum translationes fieri de judicio illius qui Primas inter eos eſt, uſu ſic poſcente ad majorem fructum.*

(1) Supplem. p. 1110. 1111.
(2) Juris Orient. To. I. p. 240. 241.
(3) Juris Orient. To. I. p. 317.
(4) Ib. p. 5.

CAPUT LXIV. *P. 4. l. 2. c. 56.*

De Translationibus poſt annum Chriſti milleſimum.

I. Tres regulæ generales translationum canonicarum, aſſenſus Papæ, utilitas Eccleſiæ, Regum conſenſus.

II. Exempla ſæculi XI. ubi hæc duo præterea emicant, translationem fieri debere ex minori in majorem Eccleſiam, & electionem non excludendam.

III. An flagitante Eccleſiæ neceſſitate poſſint Epiſcopi inviti transferri?

IV. Translationes ſæculi XIII.

V. Ante Innocentii III. Pontificatum poteſtas transferendi Epiſcopos certiſſime Sedi uni Apoſtolicæ jam ſervabatur integra.

VI. De translationibus ſæculi XIII. De iis quæ fecit Innocentius III. Contemplatione Primatus Petri divinitus inſtituti Concilia Pontificibus ſervarunt cauſas majoras; lapſu temporum vero factum eſt, ut ceſſiones & translationes Epiſcoporum cauſis majoribus annumerarentur.

VII. De translationibus ſub Innocentio IV. & ſucceſſoribus. An ſemper deſideratus ſit conſenſus, tum Regum, tum eorum qui transferebantur Epiſcoporum?

VIII. De invitorum & renitentium translationibus ſæculo XIV. & ſequentibus. Decreta Concilii Piſani, Conſtantienſis & Baſileenſis.

IX. Sententiæ diverſæ tres de translationibus coactis, & earum rationes.

X. Græcorum mores.

XI. Querimoniæ Bellarmini.

I. IN exequenda hic varia translationum hiſtoria, tria erunt, quorum elucidationi potiſſimum incumbamus. 1. Perſuaſiſſimum fuiſſe, fieri eas non poſſe, niſi Pontificia auctoritate. 2. Conſenſu opus fuiſſe Regum, necnon & Epiſcoporum, qui transferebantur. 3. Adverſari translationes omnes Eccleſiaſticis inſtitutis, niſi uno fiant impulſu utilitatis & neceſſitatis Eccleſiarum.

II. Initium ducam a ſanctiſſimo Hungariæ Rege Stephano, qui Pontificia Legatione & poteſtate cohoneſtatus fuit, ad inſtituendos Epiſcopatus, nominandos transferendoſque Epiſcopos regni ſui. Strigonienſi is Metropoli donavit præſtantiſſimum Monachum Sebaſtianum, quo non multo poſt oculis orbato, Rex idem eo tranſtulit Colocenſem Epiſcopum Aſtricum, Papa annuente: *Aſſentiente Romano Pontifice Aſtricum Colocenſem Epiſcopum in ejus locum Rex ſubſtituit*. Tertio poſt anno Sebaſtianus recepto oculorum lumine, Strigonienſi etiam redditus eſt Eccleſiæ, permittente Papa, remigrante ſuam in priorem Eccleſiam Aſtrico, cum Pallio quod a Pontifice conceſſum fuerat: *Pontifice Romano approbante, Aſtricus cum Pallio rediit ad ſuam Colocenſem Eccleſiam, Sebaſtianus Strigonienſem gubernandam recepit*.

Hæc Baronius ex Scriptore vitæ ſanctiſſimi Regis Stephani ad annum 1002. Plurima hic ſunt autem, quæ jure meritiſſimo obſervari debeant, quam infeſta Canonum verbis & cortici, tam accommodata eorum menti & ſcopo, ac caritati, Eccleſiarum utilitatibus ſervienti, maxime inter earum rudia adhuc exordia. Epiſcopus cæcitate perculſus Eccleſia decedit, cum aſciſcendus tantum eſſet Coadjutor. Alius in ejus ſedem transfertur Epiſcopus, qui quaſi ad tempus tantum ſnæ renuntiaſſet, & alteri ſe adglutinaſſet ſponſum Eccleſiæ, hanc cedit priori rurſus ſponſo, ipſe ſe priori rurſus reddit ſponſæ. Nil alienius litteræ Canonum, nihil eorum ſententiæ & voluntati conſonantius fieri potuit. Ita expeditiſſimum erat naſcentis Eccleſiæ rudimentis; totum porro fiebat conſpirante Pontificis, Regis & Epiſcoporum Regni auctoritate.

Clemens II. Papa anno 1047. in transferendo Peſtano Epiſcopo in Eccleſiam Salernitanam, eaſdem regulas ſectatus eſt, ac præterea duas adjecit, minime nobis prætereundas. Nimirum Cleri & populi petitionem & ſuffragia intervenire, & non fieri translationem, niſi a minori ad majorem Eccleſiam; fit enim ad unius utilitatem & ſplendorem Eccleſiæ, cui amplum & compendioſum eſt, ut majores Eccleſias regant Epiſcopi majoribus præcellentes virtutibus. Verum ut illudit non raro ambitio, fallitque pietatis velo palliata: Pontificum eſt, Regum & Epiſcoporum, in eam ut incumbant curam, ne obrepat verſipellis cupiditas, & ſibi quam Eccleſiæ conſultum malit. Audi ut ea de re hic ipſe Pontifex ad Salernitanum reſcripſerit Archiepiſcopum (1): *Quoties ita contingit, ut exigente neceſſitate vel maxima utilitate tranſmutandus ſit quiſquam Epiſcopus de propria ſede ad aliam; diligentiſſime perquirenda eſt perſona, utrum neceſſario ſit tranſmutanda, ut ſic major utilitas oriatur, ſicut major ſedes aſſumitur. Te vero, frater cariſſime, quem unanimitas Cleri & Populi una cum glorioſiſſimo Principe Gaimario in ſuum Pontificem elegit, diligenter diſcuſſimus, ne tuæ ambitionis cauſa, & non majoris utilitatis neceſſitate electus fuiſſes, &c.*

Qui duo Clementi immediate ſucceſſere Pontifices, Damaſus II. & Leo IX. in Sedem Apoſtolicam translati ab aliis ſedibus & ipſi fuere, ille a Brixienſi, hic a Tullenſi. Probabile eſt cordi fuiſſe neceſſitates Eccleſiæ. Narrat autem Ottho Friſingenſis Epiſcopus, Leonem IX. ab Henrico II. Imperatore hortatibus Cardinalium Pontificem Romanæ Eccleſiæ deſignatum, Cluniacum perrexiſſe, ibique in Hildebrandum incidiſſe, eum qui Gregorius poſtea VII. fuit. Perfecit Hildebrandus, ut electioni renuntiaret per Principem ſæcularem factæ; comitemque ſe illi Romani adjungens itineris, Romæ illum a Clero & populo eligi fecit: *A Clero & populo Bruno in ſummum Pontificem eligatur*. Habes hic translationem expetitam & confirmatam a populo, a Clero, a Cardinalibus, ab Imperatore.

Rurſus idem Leo IX. translationem confirmavit Epiſcopi Toſcallenenſis in Eccleſiam Portuenſem, ut quam Synodus approbaſſet conducibilem, adeoque & neceſſariam Eccleſiæ (2): *Reſidentes in Synodo, &c. Cum diligenter eſſet examinatum, qua ratione de Epiſcopatu ad Epiſcopatum tranſiiſſ*

(1) Baron. an. 1047. n. 11.

(2) Ep. 14.

fieris ; inventum eſt tam neceſſitatis quam utilitatis cauſa hoc factum fuiſſe.

Anno 1050. Concilium Rothomagenſe pudendam eorum Præſulum retexit proſcriptitque ambitionem, qui patrocinium ſibi captabant ab Apoſtolicis illis viris, quibus præceperat Chriſtus, ut vitandæ perſecutionis ergo de civitate in civitatem fugerent (1) : *Nullus Epiſcoporum de civitate in qua denominatus & ordinatus eſt, ad aliam amplioris honoris cauſa tranſire præſumat, &c.* Ea prohibitione non vetabantur raræ illæ translationes, quæ publicæ famulantur utilitati. Cum non multis poſt annis, nempe anno 1067. vita abeunte Archiepiſcopo Rothomagenſi, cum omnia ſuffragia conſpirarent in Lanfrancum Cadomenſem Abbatem, ille miro humilitatis ingenio, Joannem Abrincarenſem Epiſcopum eligi pervicit. Perrexit ipſemet Romam teſte Orderico, ut translationis ejus confirmationem ab Alexandro II. Papa impetraret (2) : *Porro ut canonice fieret iſta conjugatio, Romam adiit, prædictæ ordinationis licentia ab Alexandro Papa impetravit.*

III. Inter axiomata, *Dictatus* vocant, quæ Gregorio VII. tribuuntur, nec iſtud ſiletur (3) : *Quod Papa liceat de Sede ad Sedem, neceſſitate cogente, Epiſcopos tranſmutare.* Agitur hic de extrema *neceſſitate cogente*. Nec dicitur poſſe Papam permittere, ſed poſſe facere translationes : quo videri poſſet facultas dari, etiam reluctabundos Epiſcopos transferendi. Enimvero ubi *cogit neceſſitas* Eccleſiæ, eccui dubium eſt, quin teneantur omnes vim ſibi ipſis adferre, & imperare ſibi, ut velint quod nolebant ? Si quis vero Epiſcopus in ejuſmodi temporum rerumque moleſtiis otium ſuum privatamque quietem anteponeret publicæ Eccleſiæ neceſſitati & ſaluti, quis abnuat profiteri, & eſſe debere poteſtatem ſuperiorem, qua compellatur officio fungi, nec ſibi, ſed Eccleſiæ fateri ſe natum, ſe ordinatum Epiſcopum univerſæ ? Sed cum fallat nonnunquam cupiditas caritatis nomine & fuco, poſſet hujus tantæ poteſtatis abuſu concuti & labefactari quidquid eſt toto orbe Chriſtiano Epiſcopalium & Metropolitanarum ſedium. Satius eſt hic ergo non præcipitare ſententiam, & in loco tam falebroſo ſuſpenſis ingredi veſtigiis, dum ſequentium ſæculorum monumenta hiſtorica evolventibus, prodat ſe aliunde lux aliqua, qua hæc dubitatio expediatur.

Non temere credemus ea poteſtate ſumma uſum aliquando fuiſſe Gregorium hunc VII. ſed illo altiſſime infixo animis noſtris præjudicio, puriſſimo illum exarſiſſe zelo utilitatis & dignitatis Eccleſiæ, nec alio unquam collineaſſe. Epiſcopum quendam anonymum per litteras delegavit, ut Lugdunum commearet, Epiſcopumque curaret eligi ; ſi vero diutius res protraheretur, præcepit ut in Eccleſiam Lugdunenſem demigraret, ubi poſtulabatur : utque exemplo uteretur Petri, Antiochia Romam commigrantis : *Ex Apoſtolica tibi præcipimus poteſtate, ut rogatus a fratribus, & electus ab ejuſdem Eccleſiæ filiis, ad regimen prædictæ Lugdunenſis accedas Eccleſiæ, imitando Petrum, qui de minori Antiochena Eccleſia tranſlatus eſt in Romanam.* Hunc Præſulem eligebat Clerus Plebeſque Lugdunenſis, Epiſcopi Provinciæ id cupiebant ; ſumma in illum poteſtate utitur Gregorius, ut aſſentire cogat : non aliter quam toto ex orbe ad Romanum apperoperabatur Pontificem, ut electioni factæ aſſentiri detrectantes cogeret. Si poteſt enim Papam compellere ad acquieſcendum ſimplici electioni : quin ergo & translationi ? Ne erat quidem locus dubitandi, ubi eligebatur transferendus. At ubi ſilentibus jam electionibus Pontifices & nominarunt Epiſcopos, & transferre invitos adgreſſi ſunt, potuere aliqui forſan abruptis his offendi imperiis, & reſilire. Quo jure, infra forſan liquebit.

Auſonenſem Epiſcopum tranſtulit Urbanus II. Tarraconem, nuper a Mauris receptam ; ei tamen ſucceſſoribuſque permittens utendos fruendoſque reditus Auſonenſis Eccleſiæ, donec vetuſtiſſima hæc Metropolis priſcam recuperaſſet gloriam & opulentiam. Præſuit idem Pontifex Nemauſenſi Concilio anno 1096. ubi Parochi ipſi vetiti ſunt a Parochiis aliis in alias transferri, ſolo majorum redituum lenocinio (4) : *Quod ſi ambitionis vel cupiditatis cauſa ad aliam ditiorem migraverint Eccleſiam, utramque amittant.*

IV. Sola Regum auctoritate in Polonia translationes Epiſcoporum peragi conqueſtus eſt Paſchalis II. datis ad ejus Regni Archiepiſcopum litteris (5) : *Quid ſuper*

(1) Can. 9. (2) Script. Normann. pag. 507. (3) Poſt Epiſt. 55. l. 2.
(4) Can. 9. (5) Ep. 6.

Epiſcoporum translationibus loquar, quæ apud vos non auctoritate Apoſtolica, ſed nutu Regis præſumuntur? Vituperanda quidem ea erat licentia, ubi Rex ſua unius voluntate transferebat Epiſcopos: at vel hinc certe argumentari fas eſt, non ſine aſſenſu Regum celebratas fuiſſe translationes. Reſcito idem Pontifex Hieroſolymis electum fuiſſe Patriarcham, illum quem ipſe in Palæſtinam Legatum tranſmiſerat, Gibelinum Archiepiſcopum Arelatenſem: actutum in eam illum tranſtulit Patriarchalem Eccleſiam; quod apud Clerum Populumque Arelatenſem excuſavit, quaſi electionem tantum Hieroſolymis factam confirmaſſet (1): *Nos electionem firmavimus.*

Roſſenſem Epiſcopum elegit Cantuarienſe Capitulum, utque Pontifex ratam haberet eam translationem, illi per Epiſtolas ſignificavit Regem, Epiſcopos, Abbates, Magnates, Populum aſſentiri vehementer, & in votis rem habere (2): *Huic electioni affuerunt Epiſcopi, Abbates, Principes Regni, & ingens populi multitudo, conſentiente Rege.* Annuit tum quidem Pontifex, ſed non diſſimulavit, ſubiniquo ſe ferre animo, quod hæc nonnunquam injuſſu ſuo tentarentur: *Vos præter auctoritatem noſtram Epiſcoporum quoque mutationes præſumitis; quod ſine ſacroſanctæ Romanæ Sedis auctoritate ac licentia fieri, novimus omnino prohibitum.* Denique reſciſſa eſt ab hoc Pontifice in Concilio Lateranenſi anno 1116. translatio quædam Provinciæ Mediolanenſis Epiſcoporum, tanquam infeſta Eccleſiaſticis utilitatibus, auctore Uſpergenſi Abbate.

Vehementiſſime Paſchali aſſentiebatur Anſelmus, non poſſe niſi diſpenſante Papa demigrare Epiſcopos in alias Eccleſias: ſed in datis ad Regem Anglorum litteris illud addebat, deſiderari præterea conſenſum Metropolitani, & Epiſcoporum, tum ejus a qua demigratur Provinciæ, tum ejus ad quam tranſmigratur. Ab illis enim abſolvi & jejungi neceſſe eſt, his vero conglutinari, utrilque volentibus (3): *Qui ſacratus eſt Epiſcopus, non poteſt conſtitui in alia Provincia Epiſcopus canonice, ſine conſilio & aſſenſu Archiepiſcopi & Epiſcoporum ejuſdem Provinciæ, cum auctoritate Apoſtolica, nec ſine abſolutione Archiepiſcopi & Provinciæ in qua ſacratus eſt.*

Mortalitatis exuvias ubi abjecit Anſelmus, Cantuarienſem Eccleſiam quinquennio Angliæ Rex vacare paſſus eſt. Electus eſt tandem a Capitulo & a Comprovincialibus Epiſcopis Radulphus Roſſenſis Epiſcopus, ut jam ſupra attigimus. Interpoſuit ſe, calamumque ſuum Ivo Carnotenſis Epiſcopus apud Paſchalem Papam, ut ab eo hæc electio, hæc, inquam, translatio confirmaretur (4): *Eccleſia conſenſu Epiſcoporum, Rege tandem connivente elegit ſibi in Archiepiſcopum, Radulphum Roſſenſem Epiſcopum, &c. Ut electum confirmetis &c.*

Idem aliquantis ante annis Ivo Carnotenſis Pontificem pro alia interpellaverat translatione (5), Galonis nimirum Bellovacenſis Epiſcopi in Eccleſiam Pariſienſem; quod Rex juramento conſtrictus eſſet, non eum Bellovaci pati, qui non abnuebat tamen quin Pariſienſi Eccleſiæ præſſet (6): *Ut Galonem de Bellvacenſi Epiſcopatu, quem per ſacramentum domni Ludovici habere non poteſt, per manum Senonenſis Archiepiſcopi transferri jubeatis in Pariſienſem Epiſcopatum, quem ei gratanter & devote concedunt pro veſtro amore Rex & Regis filius.* Scripſit Ivo & ad Senonenſem Metropolitanum, transferendi jus & poteſtatem reſidere penes Metropolitanum, & Papam, qui tum diſpenſat, relaxatque Canones, cum hortatur neceſſitas Eccleſiæ: *Sed quia translationes Epiſcoporum neceſſitate urgente, Metropolitani auctoritate & ſummi Pontificis diſpenſatione fieri oportet.* Nec Metropolitani jam detrectabant, quin neceſſario deſideraretur hæc Pontificis diſpenſatio ad translationes, cum Senonenſem Archiepiſcopum hortetur Ivo, ut a Pontifice flagitet facultatem hujus Epiſcopi transferendi.

Conſtat ergo receptiſſimam fuiſſe eam, & regulam juris, & conſuetudinem ſæculo XI. quæ jam ne in controverſiam quidem vocabatur ineunte ſæculo XII. Pontificibus reſervari translationes Epiſcopales, quamvis non ita pridem in Conciliis Provincialibus conſultatæ, & conceſſæ fuiſſent. Paucis in contrarium obſtrepentibus exemplis, nihilominus certum erat, eam & legem & conſuetudinem jam invaluiſſe.

Ita certe ſentiebat beatus Bernardus (7), cum datis ad Mediolanenſis litteris monebat, tum compluribus illos aliis ab Apoſtolica

(1) Ep. 15. (2) Ep. 105. 107. (3) L. 3. Ep. 126. (4) Baron. ann. 1114. n. 9.
(5) Baron. ann. 1104. n. 4. (6) Epiſt. 169. 171. (7) Epiſt. 131.

ſtolica Sede cumulatos eſſe Beneficiis, tum hoc in primis nulla oblivione obruendo, quod eorum obtecundaſſet votis, in Epiſcopo ad eorum Metropolitanam Eccleſiam transferendo: *Voluiſtis licuiſſe vobis, quod illicitum, niſi pro magna quidem neceſſitate ſacri Canones judicant, translationem Epiſcopi ſcilicet in Archiepiſcopum conceſſum eſt.*

Hugo de ſancto Victore ita de re iſta definit, ut nihil dubitationis in ea reſidere poſſe præſeferat (1): *Mutatio Epiſcoporum de ſuis locis ad alia loca, nulla ratione fieri debet, niſi pro magna utilitate, vel neceſſitate cogente: & hoc quidem non per ipſos fieri oportet, ſed conſilio & invitatione Coepiſcoporum, atque auctoritate Romani Pontificis.*

Petrus Cluniacenſis Abbas Imperatoris Hiſpaniarum nomine ſcripſit ad Innocentium II. Papam, ut ab eo eliceret, quod annuere ſolus poterat, translationem Epiſcopi Salmaticenſis in Metropolin Compoſtellanam, convenienter celebratæ electioni (2): *Electionem Salamantini Epiſcopi in Archirpiſcopum ſancti Jacobi ab omni Clero, ab omni populo, canonice, pacifice, communiter factam prædictus Imperator per humilitatem Majeſtati Apoſtolicæ repræſentat, &c. Quod poteſtatis veſtræ ſolius eſt, translationem ejus de Salamanca ad urbem ſancti Jacobi Apoſtoli concedatis.*

Ante Innocentium II. Petri ſedem obtinuerat Honorius II. qui Hildebertum Cenomanenſi ex Eccleſia in Turonenſem traduxit, ut refert Ordericus, ad annum 1125. (3) *Turonici Hildebertum Cenomanenſem probatum Præſulem ſibi aſciverunt, & Honorii Papæ permiſſu gaudentes in Turonicæ Metropolis Cathedram tranſtulerunt.* Sed quid geſtum ſit, narrare non contentus Ordericus, addit & quid geri conſentaneum jure fuerit vulgatiſſimo. Diſſertiſſime enim ad annum 1136. de translatione quadam agens Anglicanæ Eccleſiæ, negat eam citra Pontificis aſſenſionem fieri potuiſſe: *Quia Epiſcopus ſecundum Decreta Canonum de propria ſede ad aliam Eccleſiam niſi auctoritate Romani Pontificis promoveri nequit, &c.*

De eo ergo transferendi jure ne certabatur quidem cum Pontifice, vel in Anglia, vel in Gallia, immo nec in Hiſpania, nec in Germania forſan uſque ad tempora Eugenii III. Papæ. Tum enim, anno videlicet 1152. Fridericus I. Imperator, ſciſſam expertus Magdeburgenſem Eccleſiam in electionem Metropolitani, perſuaſit ut Guimannum eligerent, Epiſcopum jam Namburgenſem, ut nunc vocant, prius Cicenſem: quem & confeſtim temporali tota Eccleſiæ Magdeburgenſis ditione inveſtivit. Hanſta eſt hæc narratio ex Ottone Friſigenſi, qui totus eſt in defenſanda hac Imperatoris ratione & poteſtate (4): quod videlicet, ubi adducti ſunt tandem Imperatores, ut Inveſtituras ejurarent, ita viciſſim illis repenſum ſit, ut diviſis ſuffragiis & votis eligentium, ipſi Præſulem eligerent de conſilio Procerum Aulicorum. Verum eo etiam dato, Imperatoriæ non erat poteſtatis Epiſcopum transferre, maxime ubi diſſentiunt electores, cum translationes fieri non debeant, niſi evidens ſit utilitas, aut urgens neceſſitas Eccleſiæ.

Ita enimvero reſcripſit Eugenius III. ad Epiſcopos Germaniæ, qui Friderici facinus approbarant, idque expetierant a Pontifice confirmari: *Cum translationes Epiſcoporum ſine manifeſtæ utilitatis & neceſſitatis indicio, divinæ legis oraculum non permittat, cum etiam multo amplior quam in aliis electionibus Cleri & Populi debeat eas prævenire concordia, in facienda translatione de Cicenſi Epiſcopo nihil horum eſt, ſed ſolus favor Principis expectatur.* Ottho ipſe Friſigenſis, qui non extremum in his Epiſcopis locum tenebat, de novo hoc Archiepiſcopo verba facit tanquam de intruſo, ubi ait Anaſtaſium IV. Papam ex diſpenſatione ratum habuiſſe, Eugenii nempe III. ſucceſſorem, quod auſus fuerat Fridericus: *Princeps miſſis ad Anaſtaſium cum Guimanno novo Archiepiſcopo ab ipſo intruſo nuntiis, non ſolum facti ſui ratihabitionem, ſed etiam pallium obtinere eum fecit, non ſine quorundam ſcandalo.* Nimia non paucis viſa eſt hæc Anaſtaſii facilitas diſpendendi; at ne Imperator quidem dubitavit, quin neceſſaria fuerit in eo negotio Pontificia diſpenſatio.

Anaſtaſio ſucceſſor datus Hadrianus IV. hoc expreſſit a Guillelmo Siciliæ Rege, ut ne translationes poſthac in Sicilia fierent, niſi conceſſione Romani Pontificis (5): *Translationes in Eccleſiis fient, ſi neceſſitas aut*

(1) De Sacram L. 2. p. 3. c. 24. (2) L. 4 Ep. 6. (3) Scrip. Norman. pag. 882. 908.
(4) Baron. ann. 1152. n. 7. ann. 1154. (5) Baron. ann. 1156. n. 5.

utilitas Eccleſiæ aliquem de una Eccleſia ad aliam vocaverit, & vos, aut veſtri ſucceſſores concedere volueritis. Hadriano ſucceſſit Alexander III. qui maximam ex eo cepit voluptatem, quod confirmatum fuerit ab Hungariæ Rege fœdus illud, quod olim pepigerat Alexander II. cum priſcis Hungariæ Regibus, ut ne unquam Reges conſulta Apoſtolica Sede Epiſcopos transferrent (1): *In ſe & ſuis poſteris domino Alexandro Papæ & ſuis ſucceſſoribus noſcitur conceſſiſſe, videlicet quod ſine auctoritate, conſiliove ejus, vel ſucceſſorum ſuorum, depoſitionem, ſeu translationem Epiſcoporum non facient, vel fieri permittet*. Verba ipſiſſima hæc ſunt Edicti Regis Hungariæ.

Impetraverat ab hoc eodem Pontifice (2) Henricus II. Rex Angliæ translationem Epiſcopi Herefordienſis in Eccleſiam Londinenſem, ut fidem facit Epiſtola Pontificia ad eundem Epiſcopum (3): *Rex multa olim a nobis precum inſtantia requiſivit, ut de te translationem fieri pateremur &c.* In Gallia vero referente Rogerio ad annum 1177. ejuſdem aſſenſione Pontificis Senonenſis Archiepiſcopus ad Eccleſiam migravit Remenſem (4): *Facta ſedium Archiepiſcopalium mutatione; Alexandri ſummi Pontificis permiſſione*. In Scotia conſultatum fuerat de Epiſcopalium ſedium permutatione, quam Pontifex irritam fecit: *Rex Scotiæ ad Alexandrum Papam miſſi nuntios, poſtulant, ut pro bono pacis conceſſiſſet hanc fieri ſedium Epiſcopalium commutationem, ſed dominus Papa hoc concedere noluit*.

V. Contineo me ab exemplis pluribus ſæculi XI. & XII. congerendis. Plus ſatis in his eſt præſidii, ad hæc duo ante confirmanda, quam ad XIII. progrediamur. I. Hallucinari vehementer eos, qui ab Innocentio III. nugantur refervatas primum fuiſſe Apoſtolicæ Sedi Epiſcoporum translationes. Centum, aut ducentis jam ante annis invictiſſimis Pontificum, Hiſtoricorum, & Doctorum teſtimoniis conſtabat Romanos eam poteſtatem explicuiſſe Pontifices. 2. Vix aut nec vix poſſunt hæ diſciplinæ Novationes, in quibus cauſa vertitur Epiſcoporum & Regum, abruptæ & uno impulſu fieri. Invaleſcunt illæ ſenſim, & pedetentim, inopine, & præter mentem fere, ac præter voluntatem; ita enim ſolet in iis quæ uſu invehuntur. Ante conſuetudo inoſita ſentitur, quam ſentiretur inoleſcere. Nec enim fere niſi de ſingulis negotiis & cauſis expediendis ſolliciti ſumus; an autem ex ſæpius iteratis exemplis conſuetudo & lex invalitura ſit aliquando, nec providere animo poſſumus, nec fere in cogitationem venit. Quin ne ab ipſis quidem ſuperioribus poteſtatibus naſcuntur exordia harum mutationum; ſed ex variis incidentibus cauſis, & occaſionibus, quibus cogimur ad eas confugere. Ceſſantibus Conciliis Provincialibus, non reſidentibus Metropolitanis, aut officio minus fungentibus, aut non ea qua par eſt auctoritate valentibus, aut privatæ cupiditati famulantibus, aut ſedibus vacantibus, his aliiſque compluribus cauſis fit, ut translationes ad eos referri prius ſolitæ, ad Apoſtolicam Sedem referantur. Electi ab alia quapiam Eccleſia Epiſcopi, electioni quandoque non acquieſcebant, & disjungi ab Eccleſia ſua moleſte ferebant: interpellabatur tunc prima Sedes, quæ eos adigeret privatos affectus publicæ Eccleſiarum utilitati poſthabere. Electo ad aliam ſedem Epiſcopo malitioſe aliqui adverſabantur; controverſia erat, an Eccleſiæ utilitati conſentiret translatio aliqua, ita pene neceſſario adibatur ſedes Apoſtolica. Translationi quandoque impenſus ſtudebant Reges, ea ut certiſſime procederet, utque cum ſplendore & pompa res perageretur, ipſimet Pontificiam & ſummam interpellabant auctoritatem. Poſſemus & alias proferre cauſas harum innovationum complures, quæ ſingulæ oculos ad ſe hominum non convertebant, nec antiquis moribus derogaturæ videbantur; ſed quæ univerſæ tandem novos hos invexere uſus. Permagni autem intereſt hæc obſervaſſe varia rerum & cauſarum momenta, quæ vitari tum quidem forſan potuere, cum res gererentur: & ex quibus tandem crebreſcentibus devitari non potuit, quin novæ inſerperent & conſuetudines & leges.

VI. Accedamus ergo ad Innocentium III. qui ipſo ſtatim primo Pontificatus ſui anno non potuit non ſuccenſere Epiſcopo Hildesheimenſi in Germania, & Archiepiſcopo Turonenſi in Gallia. Ille ſua unius auctoritate uſus ab Eccleſia ſua deſciverat, invaſeratque Virtsburgenſem: hic Arbincaten-

(1) Baron. ann. 1169. n. 40.
(2) Paris ann. 1168.
(3) Ep. 13.
(4) Rogerius p. 553. 613.

tenſem Epiſcopum in Andegavenſem traduxerat (1). Diſtrinxit in eos Innocentius eam ſummæ poteſtatis vim, quæ perinde ut æquum eſt, violatas ſanctiſſimas & antiquas leges ulciſcitur. Non is erat ille qui Pontificatum ſuum auſpicaretur a promulgandis novis legibus, aut ab excommunicationum & ſuſpenſionis jaculis adverſus Epiſcopos & Metropolitanos ſpargendis. Quin conteſtatur ipſemet ultore se gladio Eccleſiæ uti, ad tuitionem legum earum, quas *ſancti Patres* conſtituiſſent: *Sancti Patres majores Eccleſiæ cauſas, utpote ceſſiones Epiſcoporum & Sedium tranſlationes, ſine Apoſtolicæ Sedis licentia fieri vetuere.* Hoc jam capite abunde declaravimus, quam non injuria Innocentius dicat ſanctos Patres eam ſanxiſſe diſciplinam, quæ tranſlationes Papæ reſervaret. Ubi conſuetudo annis centum, vel ducentis viguit, tunc jure ſuo gloriam ſibi vindicat & majeſtatem venerandam antiquitatis. Pauciſſimis ea ſuppetit vel otii vel ingenii abundantia, quæ expiſcandis legum & conſuetudinum initiis Epochiſque ſufficiat. Sanctiſſimi Præſules, & Eccleſiarum gravioribus cauſis occupatiſſimi, ii certe minime omnium poſſunt ei ſpinoſæ vacare indagationi. Jure ergo Innocentius antiquis Patribus vindicat eam tranſlationum teſervationem ad Sedem Apoſtolicam, ut cujus initia hominum omnem memoriam antecederent. Denique dici poſſunt Patres antiquiſſimi cauſas majores univerſim Sedi Petri reſervaſſe, quarum in numero Eccleſia aliquando tandem tranſlationes has collocavit.

Nec ſtatim morigerum ſe præbuit Innocentii mandatis Hildesheimenſis Epiſcopus: nempe conceſſione fretus Cœleſtini III. qui hoc ei indulſerat, ut ad majorem provehi poſſet Eccleſiam. Vide quid ea de re Geſta Innocentii narrent: *Pretendens quod a Cœleſtino Papa ſibi fuerat indultum, ut invitatus majorem poſſet aſſumere dignitatem.* Horum Scriptor Geſtorum eam dilui cavillationem, ex eo quod ditior quidem eſt, at nequaquam major Eccleſia Virtsburgenſis: *Quamvis ditior, non tamen dignior.* At pronius eſt æquiſque diſpenſare, ut ad celſiorem quis Eccleſiam promoveatur, quod major hinc in Eccleſiam fructus excubet (2): *Cum in majori dignitate propter majorem utilitatem facilius ſoleat diſpenſari.* Utraque tandem ſe abigi dolens Eccleſia, & contemptui haberi, audacior ille ante Hildesheimenſis Præſul, infregit tandem animum & tumorem ipſe ſuum, Romæque ad Pontificis genua procidit, a quo prolixe exceptus eſt, facta etiam copia Virtsburgenſibus, ut eum ſibi Epiſcopum eligerent, ſi idoneum judicarent.

Jam quod ad Archiepiſcopum Turonenſem pertinet, ea ſe ille tuebatur ratione, quod electus tantum & confirmatus fuiſſet Epiſcopus Abrincatenſis, non ordinatus, non conſecratus: eoque citra Pontificiam diſpenſationem transferri potuiſſet. Itaque ne illi quidem duo Præſules inficiebantur tranſlationum jus penes unam jam eſſe Apoſtolicam Sedem; ſed illud Turonenſis ad Epiſcopos conſecratos coarctabat: Hildesheimenſis conceſſo per Cœleſtinum III. privilegio trajiciendi ad majorem Eccleſiam, uti ſe poſſe ſperabat, ut in æquali conquieſceret. Planum id totum fit ex Innocentii III. Decretalibus (3).

Sed in iis illud maxime Decretum perpendi par eſt, quo ſuſpenditur Patriarcha Latinus Antiochenus, ob tranſlatum Archiepiſcopum Apameenſem in Sedem Tripolitanam. Duo ſunt ibi ſtudioſe nobis obſervanda. 1. Cum omnes inimicæ ſint Canonibus tranſlationes, hæc illis infeſtiſſima erat: propterea quod tranſlationem Epiſcopi in majorem Sedem, excuſet major inde utilitas in Eccleſiam emerſura. At inſolens & inuſitatum eſt, ut in minorem decreſcat Epiſcopus Eccleſiam, dum tranſfertur: quod ne umbra his quidem prætexi poſſit publicæ utilitatis (4): *Novo quodam mutationis genere epiſcopare Archiepiſcopum, immo potius dearchiepiſcopare præſumens.* Nec jd Oſtienſis obſtrepit doctrinæ, qui ait Præſulem eum qui bona fide ceſſerit, poſſe interjecto temporis ſpatio non mediocri ad minorem Prælaturam aſſumi: & exemplo eſſe poſſe Clementem IV. qui Archiepiſcopum Salisburgenſem poſt ceſſionem Eccleſiæ ſuæ, longo poſt tempore Epiſcopali Eccleſia donavit.

Illud 2. obſerva, quam conſiderate & circumſpecte Innocentius loquatur, ubi ait, (5) Sedem Apoſtolicam a Chriſto ipſo Princi-

patu

[1] Rainal. an. 1198. n. 12. [2] Rainal. an. 1199. n. 53. Ann. 1200. n. 140.
[3] Extrav. De Translat. Epiſc. c. 1. 2. 3. Et de majorit. c. 3.
[4] Fagnan. in L. 1. Decr. Part. 2. p. 128. [5] Extrav. De translat. c. 1.

patu omnium Eccleſiarum donatam eſſe : Concilia vero poſteriora ei exemplo ut ſe accommodarent, majores cauſas ei reſervaſſe ; ex quo contigit ut ſæculis volventibus cum translationes quoque Epiſcoporum majoribus cauſis fuerint adſcriptæ, ex quoque Sedi Petri reſervarentur. Ita videri poſſunt hi veluti rivuli ab illo primigenio manaſſe Primatus fonte, etſi nonniſi longo poſt tempore in lucem eruperint. Tria ergo ſunt rerum genera, tria ſingulorum tempora. Primatus Sedis Apoſtolicæ, Cauſæ majores in genere, Translationes ſpecialiter Epiſcoporum. Primatus ab ipſo immediate Chriſto ſcatnrit. Reſervatio cauſarum majorum Conciliis innititur, & Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, ut corollarium quoddam Primatus idque antiquiſſimum. Recentior eſt translationum reſervatio, ſed & ipſa quodam ſuo modo dimanat a Primatu: *Cum ex illo privilegio generali, quod B. Petro & per eum Eccleſiæ Romanæ Dominus noſter indulſit ;* en divini juris Primatus : *Canonica poſtmodum manaverint inſtituta, continentia majores cauſas Eccleſiæ ad Apoſtolicam Sedem perferendas.* Hæc eſt cauſarum majorum reſervatio, in Conciliis quidem facta, ſed ab origine tamen aliquo modo ſcatens divini Primatus, in quantum Concilia contemplatione & reverentia divini Primatus has reſervationes ſanxere : *Ac per hoc translationes Epiſcoporum ac Sedium mutationes ad ſummum Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem de jure pertineant.* Ita conſentanee antedictis jure canonico ceſſiones & translationes Epiſcoporum cauſis majoribus ſunt annumeratæ.

VII. Necdum ullo exemplo animadverti potuit translatos a Pontifice Epiſcopos, niſi electione aut poſtulatione præeunte canonica. Nec ipſe Innocentius Genevenſem Epiſcopum Ebrodunum tranſtulit, niſi poſtquam Ebrodunenſi ab Eccleſia electus fuit. At eum Norvicenſem in Anglia Epiſcopum elegiſſet Eccleſia Vintonienſis ; alieniſſimo autem eſſet animo Rex Angliæ ab eo Præſule, præciperetque ut ſcripto Vintonienſi Eccleſiæ renuntiaret : cenſet Matthæus Paris, nihil machinari potuiſſe Regem Epiſcopatui ipſi contumelioſius. Propterea quod ſi ex obedientiæ lege juberet Pontifex electum electioni aſſentiri, non poſſet non ille Superioris imperio obtemperare (1): *Quod omnino diſſonum fuit rationi, & Epiſcopali contrarium religioni. Quia ſi Dominus Papa in virtute obedientiæ id ei præciperet, nullo modo ſi filius eſſet obedientiæ, aliquatenus poſſet contradicere.* Tranſtulit revera Innocentius IV. eum. Præſulem in Eccleſiam Vintonienſem, reſcripſitque ad Angliæ Regem, qui diſſentiente ſe negabat perfici rem potuiſſe, quod res Epiſcopatuum temporales in cuſtodia & poteſtate Regum ſint (2): reſcripſit, inquam, Pontifex, illud perſuaſiſſimum eſſe Præſulibus Eccleſiæ, nequaquam in arbitrio Principum temporalium poſitam eſſe diſtributionem ſacrarum dignitatum : & ſentire tamen ſe quanti intereſſet ad Sacerdotii incolumitatem, & amplitudinem tuendam, amicitias colere Principum terrenorum, ſub quorum patrocinio conquieſceret Eccleſia : ideoque certum ſibi eſſe eorum deſideriis obſequi, quantum per juſtitiæ leges, legumque dominatricem caritatem fas erit (3): *Præſertim cum teneat omnium credulitas pia fidelium, quod Apoſtolicæ Sedis auctoritas liberam habeat in Eccleſiis univerſis poteſtatem a Deo providentia ; nec arbitrio Principum ipſa ſtare cogitur, ut eorum in electionum vel poſtulationum negotiis requirat aſſenſum. In quibus tamen Dominum habendo præ oculis ſic provide procedit & caute, quod per illam nullius poſſit honori detrahi, vel juſtitiæ derogari.* Ita tum quidem profeſſus eſt Pontifex, qui nihilo tamen minus conſtantiæ ſuæ retinentiſſimus fuit ; ut a ſententia tandem receſſerit Rex, abjeceritque perverſam illam ſuam ab Epiſcopo de Eccleſia benemerito, virtutibus inclyto, & quem ipſe olim in deliciis habuerat, animi alienationem.

Conjunctiſſimus erat ei Angliæ Regi Beatus Ludovicus Galliarum Rex ſanctitatis laude clariſſimus ; ſed longe alia erat ipſe in Eccleſiam Chriſti reverentia & caritate. Frequentibus litteris popoſcerat ille ab Urbano IV. Papa, ſibi ut permitteret, dimitteretque Archiepiſcopos Ebrodunenſem & Narbonenſem, ut conciliandæ paci operam navaret inter Reginam conjugem ſuam & Carolum Andinum Comitem fratrem ſuum, ſuper iis jnribus quæ illa ſibi vindicabat in Provinciæ Comitatum. Offenſiſſimis verbis ſuam & Eccleſiæ neceſſitatem excuſavit piiſſimo Regi Pontifex, quod jam ab exordio Pontificatus oculis omnes perluſtraſſet Chriſtiani orbis Provincias ; ut undequaque venaretur & arceſſeret ejuſmodi viros, qui Cardinalium Col-

(1) Matth. Paris ann. 1241. (2) Rainal. ann. 1254. n. 46. (3) Epiſt. 2.

Collegio inſcribi merito poſſent, ſecumque Eccleſiæ univerſæ gubernaculis aſſidere. Ea de cauſa ex canonicæ obedientiæ lege arceſſitos a ſe eſſe Archiepiſcopos eos, quo purpura ſacra decorati, Eccleſiis Epiſcopalibus Sabinienſi & Oſtienſi præficerentur (1): *Urgens Eccleſiæ generalis non diſſimulanda neceſſitas, nos ſtatim reddidit multipliciter anxios in exquirendis viris ſecundum cor noſtrum idoneis ad Cardinalatus officium aſſumendis, &c. Narbonenſem ad Sabinenſe & Eboracenſem ad Oſtienſe Eccleſiarum regimen duximus evocandos. Propter quod eis in virtute obedientiæ dedimus in præceptis, ut ad præſentiam noſtram feſtinanter accederent, Collegio Cardinalium ſolemniter aggregandi.*

Non patitur Urbani IV. ipſa ex Gallia noſtra oriundi ſingularis ſanctitas vitæ in dubium vocari conſiliorum ejus ſanctimoniam & integritatem, adeoque & infucatam in Regem ſanctiſſimum Ludovicum obſervantiam & caritatem. Nec de Ludovico Rege ambigi poteſt, quin Regni etiam ſui utilitates neceſſitatibus poſthaberet Eccleſiæ univerſalis. Tanto autem proclivior eſt ejus rei fides, quod Henricus iſte Angliæ Rex Innocentio IV. tandem aliquando ceſſerat ipſemet, tum ſua in ſummum Chriſti Pontificem veneratione, tum Vintonienſis Epiſcopi mollitus modeſtia, ſuique dejectione, ut narrat Matthæus Paris.

Transferebantur autem hi Epiſcopi ſubinviti a Pontifice, cum citra controverſiam eſſe illi Regum voluntati accommodaturi fuiſſent, ſi ipſos ſibi Papa permiſiſſet. Sed illud adverte, tum demum Matthæum Paris verba feciſſe de Epiſcopi obſequio neceſſario in Pontificem, ſuo ad transferendum jure utentem, ubi res agebatur de Epiſcopo canonice electo, & a Papa confirmato, quem Rex transferri neſcio qua mentis obliquitate prohiberet. Ut enim ire Regiæ Epiſcopus ſubduceretur, ita conſtituebant, quanquam percuperet Epiſcopus, ut de Rege benemereretur, Epiſcopatui Vintonienſi renuntiare. non poſſe tamen eum non parere Pontifici Vintoniam illum transferenti. Illud hic præ ceteris obſervari operæ pretium eſt, has nunquam ſatis commode ſedari controverſias, niſi depenſa Regibus reverentia debita, ut Matthæus hic Paris approbat hujus Epiſcopi Vintonienſis exemplo, qui humiliſſimis obſequiis Regiam tandem delinivit & manſuefecit iracundiam.

VIII. Sed ea ſemel patefacta janua, ut Pontificis auctoritas interpellaretur ad transferendos invitos Præſules, quod a Vintonienſibus factitatum tunc eſt: non eo res loco ſtetit, quo cœperat. Plures inde translati ſunt a Pontificibus Epiſcopi, non expectata Eccleſiarum poſtulatione, immo & præter ipſorum Epiſcoporum voluntatem. Ea incidebant tempora, cum ita conducere ad Eccleſiæ univerſalis ſalutem, adeoque citra flagitium jam non poſſent Epiſcopi repugnare: quo fiebat, ut ea deneri non poſſet Eccleſia auctoritate legitima, quæ hos amoliretur obices, & repugnantes cohiberet. Sed ea rerum perturbatio concitabatur in Provinciis, imperioſæ ejus dominationis ſtactenus inſolentibus, nec ſatis perſuaſis totum tribui Eccleſiæ neceſſitati: is erat & Epiſcoporum rancor, impatienter ferentium, ſuarum de ſponſarum caſtiſſimis amplexibus abſtrahi: ut hinc merito ſuſpenderetur illa publicæ utilitatis & Eccleſiaſticæ neceſſitatis oſtentatio.

Illuſtrabitur res exemplis. Narrat Valſinghamus ad annum 1298. Epiſcopum Lincolnienſem translatum fuiſſe a Pontifice in Eccleſiam Ceſtrenſem, ut Ducis Lancaſtriæ filio conferretur Lincolnienſis Eccleſia toto Regno longe opulentiſſima. Indigniſſime tulit hanc translationem ſuam Epiſcopus Lincolnienſis, quod nec diſſimulavit, reliquo vitæ ſpatio cum Cantuarienſibus Monachis decurſo. Confeſſor Regis qui Dominicani gregis alumnus erat, a Landaffenſi Epiſcopatu ad Ceſtrenſem translatus eſt. Tum vero Richardus II. Rex Clerum Regni convocavit, percontaturus, an proprio motu hæc tentare poſſet Pontifex: *Rex eo tempore fecit convocari Clerum, ut determinaret ſi liceret Papæ tales facere translationes pro arbitrio ſuæ voluntatis.* Clerus enimvero gemino hinc & inde ſcopulo territus & fluctuabundus, nec alienare a ſe Pontificem volens, cujus ſubinde opportuna & prævalida ope nitebatur adverſus regiorum impotentiam miniſtrorum: reſpondit conſultiſſimum fore, ut litteris Rex ad Pontificem datis, rogaret his poſthac temperare translationibus, ut voto ſatisfieret Eccleſiæ Anglicanæ: *Ad quod fuit reſponſum non directe, ſed per modum ſupplicationis porrectæ Regi, ut dignaretur Papæ*

(1) Raincl. ann. 1262. n. 42.

ſcribere, ut a translationibus ceſſaret, pro commodo totius Eccleſiæ Anglicanæ. Minus probata eſt Regi tam mollis, aut tam modeſta reſponſio: unde & profeſſus eſt, ſi Clerus priſtini vigoris aliquid exeruiſſet, ſe ei validiſſime fuiſſe patrocinaturum: *Juravit Rex, quod ſi Clerus reſtitiſſet conſtanter Papæ in iſto negotio, ipſe manus appoſuiſſet in auxilium eorundem.*

Iiſdem fere cum Anglia querelis ceteræ perſonabant Eccleſiæ, quæ in Concilio Piſano erupere tandem anno 1409. ubi pollicitus eſt Alexander V. Papa, nunquam invitos a ſe Epiſcopos Eccleſiis ſuis divellendos, niſi intercederent cauſæ juſtiſſimæ, & de conſenſu majoris partis Cardinalium (1): *Dominus noſter ſacro approbante Concilio diſponit non facere translationes de invitis, niſi parte audita & vocata, & de conſenſu majoris partis Cardinalium, niſi ex cauſis juſtis & rationabilibus.* Per hoc ergo Concilium licebat adhuc Pontificibus, etiam invitos transferre Epiſcopos, dum tres iſtæ ſervarentur cautiones. 1. Ut nonniſi gravibus & juſtis id fieret cauſis. 2. Ut Epiſcopi primum ipſi arceſſerentur, monerentur de Eccleſiæ neceſſitatibus, audirentur, ſi qua ſe ratione tueri & contra niti vellent. 3. Res fieret aſſentiente Cardinalium majori parte.

Illud obiter hic admonebimus huic ipſi Pontifici Alexandro V. transferendos fuiſſe Cardinales aliquos ex uno Titulo in alium; propterea quod in illius ſchiſmatis diuturni rerum perturbatione, eodem quandoque Titulo plures donati diverſarum etiam partium fuerant Cardinales. Obſervatum eſt autem ab Onuphrio (2) translationes ejuſmodi Cardinalium ab uno Titulo ad alium, ab una Eccleſia ad aliam, factas antea fuiſſe nunquam, factas autem deinceps fuiſſe ſæpius.

Conſtantienſis Concilii Patres nihilo plus ad aſſentandum Pontificibus Romanis propendebant, quam Piſani: & eadem tamen illos poteſtate uti facile paſſi ſunt, iiſdem conditionibus, quas etiam valere voluerunt in Abbatibus; in ceteris vero transferendis Beneficiariis deſideratum eſt duntaxat, ut cauſæ ſubeſſent juſtæ & rationales. Addidere autem eo tantum conſilio hos circumſcribi limites & modos, ut ne Pontificibus obreperetur, quo metu retardabantur Epiſcopi, ut ne toto pectore & tota virium contentione ſuas colerent Eccleſias, a quibus ſejungendos ſe verebantur (3): *Cum Prælati nonnunquam jura & libertates Eccleſiarum ſuarum translationis formidine non adeo ſolerter ut alias proſequantur; ne ad importunitatem quorundam, quæ ſua & non quæ Jeſu Chriſti quærentium, Romanus Pontifex forſan ut homo facti neſcius, in hujuſmodi circumveniatur, aut alias leviter inclinetur; præſentibus ſtatuimus & ordinamus, invitorum Epiſcoporum & Superiorum translationes abſque magna & rationabili cauſa, quæ vocata parte cognita fuerit & deciſa, de conſilio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, vel majoris partis eorundem, & eum ſubſcriptione de cetero fieri non debere. Inferiores vero, ut Abbates, aliique perpetuo beneficiati, invitis abſque juſta & rationabili cauſa cognita amoveri, ſeu privari non debeant. Adjicientes, quod in mutationibus Abbatum ſubſcriptio Cardinalium interveniat, ſicut in Epiſcopis eſt præmiſſum.* In Baſileenſi denique Concilio nihil aliud quam confirmatum eſt hoc Conſtantienſe Decretum (4): *Salvo Decreto ſacri Conſtantienſis Concilii de Prælatis non transferendis invitis.*

IX. Recentioribus ex Canoniſtis prolixe Fagnanus hanc veriat quæſtionem, invitine poſſint a Papa transferri Epiſcopi. Affirmat autem eam concertationem tum vehementer exarſiſſe olim, cum Urbanus VI. Epiſcopum Florentinum abſentem in Cardinalium Collegium cooptavit; an ſcilicet vacarit ea Eccleſia, ex quo Pontifex Epiſcopum Cardinalitia exornaſſet dignitate, an ex quo Epiſcopus aſſenſus eſſet. Prima eſt eorum ſententia, qui negant poſſe Pontificem, quacunque demum de cauſa invitos transferre Præſules (5). Alias enim inſolubile & individuum non erit conjugium; nutu Pontificis amoveri poterunt Epiſcopi, quod ne de Parochis quidem dici poteſt erga Epiſcopos. Denique diſerte apud Gratianum negat Gregorius Papa, quandiu procul a crimine ſunt Epiſcopi, invitos ſpoliari eos poſſe (6): *Alium loco ejus, recuſante eo, nulla ſinit ratio ordinari.*

Longe diverſa eſt aliorum ſententia, abſolutiſſime poſſe ſemper Pontificem, quoties libet. Ita enim ſtatuunt Scriptores iſti,

Be-

(1) Seſſ. 21. (2) Spondan. ann. 1420. n. 1. (3) Seſſ. 39.
(4) Seſſ. 23. c. 3. (5) Fagnan. in C. Quanto De tranſl. (6) C. Quamvis 7. q. 1.

Beneficia omnia ita obnoxia eſſe voluntati & arbitrio Pontificis, ut quæ manualia dicuntur, & obedientiæ; clauſtralium inſtar officiorum, quippe cum Epiſcopatuum & Beneficiorum atque Eccleſiarum omnium fundatrix fuerit Eccleſia Romana; ſitque Pontifex non adminiſtrator tantum, ſed dominus rerum omnium Eccleſiæ temporalium.

Tertia eſt quæ mediam tenet orbitam, tutiſſima eorum ſententia, qui cenſent ita transferri poſſe Epiſcopos, cum utilitas evidentiſſima, aut graviſſima flagitat Eccleſiæ neceſſitas; non alias. In ea manifeſtiſſime hæſere ſententia, quæ modo laudata ſunt Concilia, Piſanum, Conſtantienſe, Baſileenſe. Perfacilis eſt autem & perexpedita hujus doctrinæ ratio, non poſſe diſpenſationes niſi Eccleſiæ utiliiati & neceſſitati donari; non poſſe a Papa diſſolvi conjugium ſpiritale, niſi qua Chriſti Vicarium agit; non ageret autem, ſi hoc divortium faceret, humanis tantum affectibus in conſilium adhibitis; Pontificem non dominum eſſe, ſed diſpenſatorem fidelem dignitatum & honorum Eccleſiæ; definitum denique eſſe in Conciliis, Conciliorumque Canonibus & Decretis, indivulſo & æterno vinculo Epiſcopos ſuis Eccleſiis aſtringi, niſi ab iis disjungat illos neceſſitas & caritas Eccleſiæ univerſalis.

Præſtat certiſſime tertia hæc ſententia & rationum momentis, & auctoritatis pondere. Unde & illi ſuffragatur Fagnanus; a quo & illud additur: Si uni Pontifex ſerviat Eccleſiæ utilitati & neceſſitati, poſſe illum haud dubio invitos Epiſcopos prioribus ſuis Eccleſiis ſubducere, non poſſe invitos poſterioribus conjugare, cum nuſquam tam neceſſaria ſit, quam ad novum conjugium libertas.

Subtiliter id quidem diſputatur; an æque ſolide, videtit, ſuoque fruatur Lector judicio. Complufculos enim ſupra audivimus, qui nos docerent conveniri ſolitos Pontifices, ut ſummæ auctoritatis pondere cogerent acquieſcere Eccleſiis, ad quas electi vel poſtulati aliqui fuiſſent, nec alias aſſenſuri unquam eſſent.

Quoad tres autem illas quas Fagnanus ediſſerit opiniones, ut longe probabilior tertia fuit circa tempora eorum trium Conciliorum, quando iis moribus utebantur Eccleſiæ, & is erat uſus pervagatiſſimus: ita poſtquam exolevit is uſus, maxime poſt Concordata cum Regibus inita, & poſt Regias ad Prælaturas nominationes, danda neceſſario palma eſt ei ſententiæ, quæ primo recenſita eſt loco. Diutius enim multo & univerſalius receptiſſima ea fuit, ſi revolvamus priores Eccleſiæ ætates ab origine ipſa ſua, quæ non paulo ad gloriam & ad ſanctimoniæ commendationem illuſtriores fuere. In confeſſo quidem eſt, tum Epiſcopos, tum Beneficiarios omnes, ita intimis in animi ſui præcordiis imbutos, paratoſque eſſe debere, ut non ſibi, ſed Eccleſiæ vivant, illam medullitus diligant, illam amplexentur, ei ſe impendant ex animo. Ex quo id quoque naſcitur, ut Epiſcopatu & Beneficio quovis ſpoliari præſto ſint, ſi ita conducat Eccleſiæ. Sed quam certa & inconcuſſa eſt hæc doctrina, tam immaniter a vero abhorret, per annos amplius mille ducentos ullam exiſtimatam eſſe ejuſmodi poteſtatem Eccleſiaſticam, qua ita poſſent mutari, & transferri ab Eccleſiis ſuis ad Eccleſias alias, ſive Epiſcopi, ſive Abbates, ſive Beneficiarii quicunque demum alii, invitt & renitentes. Statutum fuit aliquando in Conventu Epiſcoporum Africæ, ut Epiſcopi Catholicis ſedibus ſuis abirent, cederentque Epiſcopis Donatiſtis earundem civitatum, ſi ad eorum reſipiſcentiam reditumque ad Eccleſiam Catholicam, eo caritatis ingenio perveniri poſſet. Verum ſemel id toto ſæculorum decurſu contigit, nec habuere quos imitarentur Africani iſti Epiſcopi, uti nec poſtea fuere, qui eos imitarentur. Verum quo rei cardo vertitur, minime inviti cedebant hi Epiſcopi, ut qui ipſi ſibi eam legem ſancirent, ſibi imperarent. Si invitos transferri Epiſcopos, ceſſurum aliquando fuiſſet utilitati Eccleſiæ, qui fieri potuit, ut tandiu & per tot ſæcula res exemplo careret? An vero prohibiti fuiſſent Epiſcopi invitos transferre Parochos, ſi ipſi nolentes transferri potuiſſent? An ſpiritale Parochi cum Eccleſia ſua conjugium, ſanctius & indiſſolubilius eſt, quam Epiſcopi?

X. Strictim aliquid de Eccleſia Græca dicendum ſupereſt; in qua non injuria expoſtulabat Simeon Theſſalonicenſis Epiſcopus, de aſſentatorum quorundam inſania, qui Imperatores ad ea tentanda impulſiſſent, quæ eorum poteſtatis fines longo intervallo excederent, ad creandos videlicet, & tranſferendos Epiſcopos; cum ea poteſtas propria ſit Epiſcoporum, qui Miniſtri & interpretes ſunt Spiritus Sancti, a quo Epi-

ſcopi inſtituntur (1) : *Verum iſta non tam ab Imperatoribus , quam ab adulatoribus fiunt , qui eos commovent ad majora perpetrandum , ita ut audeant & promovere Epiſcopos , & translationes facere Papæ . Ordinatum per Spiritum ſanctum hujus Eccleſiæ Paſtorem , ab iis conſtitui alterius Paſtorem , qui non habent Sacerdotii poteſtatem & virtutem , & præter Spiritus ſententiam . Si ædificationis Eccleſiæ cauſa oportet aliquem Epiſcopum in majori urbe conſtitui , hoc a Spiritu ſtatuendum eſt , a quo & ordinatus eſt , non autem a mundana poteſtate .*

In his ergo tribus , quæ plurimum habent hic momenti , conveniebat Græcis & Latinis : 1. Non faciendas translationes , niſi quas extorqueret neceſſitas Eccleſiæ , 2. Eam neceſſitatem evidentius tunc patuiſſe , cum minori ex Eccleſia ad majorem vocabatur is Epiſcopus , qui meritis & eruditione præſtaret . 3. Nec niſi Eccleſiaſtica auctoritate has fieri debere ſedium mutationes .

Nec veritati tam perſpicuæ repugnare poterant Imperatores ipſi Conſtantinopolitani , ſed arte & aſtutia graſſabantur , ut plerumque electiones & translationes Epiſcoporum in poteſtate haberent . Narratum eſt ſuperius ut Iſaac Angelus Imperator , quo Doſitheum ab Hieroſolymitana ad Conſtantinopolitanam transferret Eccleſiam (2), Epiſcopos omnes , atque in primis Balſamonem ludificatus ſit , quem Regiæ urbis ejuſque Sedis ſpe lactaverat , atque ita illexerat , ut pro translationibus opportune faciendis in Synodo peroraret . Prolixe ea de re Nicetas Choniates (3). Nec diſſimilia poſſent ex aliis Scriptoribus aſtrui exempla , quibus liqueret , translationes fieri quidem ſolitas a Concilio , vel a Patriarcha , ſed ita tamen , ut ſin minus poteſtate , certe induſtria & arte voluntas Imperatorum in his dominaretur . Citra eorum certe conſenſum fieri eæ non poterant , præſertim ubi de creando agebatur Patriarcha Conſtantinopolitano . Plerumque enim in Patriarchalem hanc ſedem transferebatur alterius ſedis Epiſcopalis , vel Metropoliticæ Præſul . Eandem Reges Angliæ rationem tenebant , nec fere Cantuarienſem committebant Eccleſiam , niſi iis qui jam alterius Eccleſiæ clavum tenuiſſent , ſuique ſpecimen dediſſent . Favebant ei uſui Concilia & Pontifices , ut facilius quis ab Epiſcopali ad Metropoliticam Sedem traduceretur . Illud enim utilitati Eccleſiæ accommodatius , ut majori præficiatur Eccleſiæ , qui artem regendi longo didicit experimento .

Quod dictum hic eſt autem a me de translationibus Orientis , quæ Conciliorum & Imperatorum auctoritate fiebant , nequaquam colliditur cum iis , quæ de Innocentio III. dicta ſunt . Nec enim ille niſi de Eccleſia Latina diſſerebat , & ubi hujus legibus ſervire voluit Patriarcham Latinum Antiochenum , totam Orientalem Eccleſiam ad Latinorum mores traducere meditabatur . Ne Legatis quidem ſuis Innocentius copiam faciebat transferendorum Epiſcoporum , nedum Patriarchis , qui quanti quanti eſſent , infra Legatos erant Sedis Apoſtolicæ . Vide ejus Pontificis Decretales , Titulo *De officio Legati* . Sed nihilo tamen minus Græci ipſi Patriarchæ & Concilia inconſultis Romanis Pontificibus translationes ſemper fecere . Idque rurſus argumento eſt , non aliter quam nos interpretati ſumus , interpretandam fuiſſe Innocentii III. Conſtitutionem , qua jure velut divino reſervat Sedi Apoſtolicæ translationes Epiſcoporum . Nam Eccleſia Orientalis ſponte ſubſcripſit inſtitutioni Sedis Apoſtolicæ ex jure divino : ſubſcripſit & reſervationi cauſarum majorum . At translationes Epiſcoporum cauſis majoribus nequaquam adſcripſit . Quod vero de neceſſario diximus conſenſu Græcorum Imperatorum , idem profitetur Rebuffus de conſenſu Galliæ Regum poſt Concordata (4) , quamvis ex utilitate , vel neceſſitate Eccleſiæ fiant translationes .

XI. Frequentiores noſtro hoc ævo Epiſcoporum translationes Bellarmino Cardinali diſplicuere , nec potuit ille rem diſſimulare apud Clementem VIII. quem ſubmonuit ex canonicis regulis , & ex uſu Eccleſiæ antiquiſſimo fieri eas non debere , niſi urgente ipſius Eccleſiæ neceſſitate , vel ingenti aliqua utilitate : cum ex adverſo jam non transferrentur fere Epiſcopi , niſi quo Epiſcopis ipſis , & opum , & dignitatis ac gloriæ fieret acceſſio : *Translatio Epiſcoporum ſecundum Canones atque uſum veteris Eccleſiæ , non debet fieri niſi ob Eccleſiæ neceſſitatem , vel majorem utilitatem .*

Nec

(1) De ſacris Ord. c. 8. (2) Baron. ann. 1193. n. 25. (3) Lib. 2.
(4) Rebuffus De Reg. ad Præſat. nomin. §. 2.

Nec enim inſtituta ſunt Eccleſiæ propter Epiſcopos, ſed Epiſcopi propter Eccleſias. Nunc autem quotidie translationes fieri videmus, ea ſolum de cauſa, ut Epiſcopi vel honore, vel opibus augeantur. Pontifex ſanctiſſimis his regulis conſentaneus, permoleſtas ſibi eſſe reſpondit translationes, & tum per litteras, tum per Nuntios ſuos ſæpe a ſe admoneri Principes, ut iis abſtineant: *Nos eum difficultate transferimus, & non deſitimus monere Principes per Nos, & per Nuntios noſtros.*

An concupiſcere quis poſſit, an abnuere Epiſcopatum, & ceteros majores Ordines?

CAPUT LXV. *P. 1. l. 2. c. 29.*

An expetere quis poſſit Epiſcopatum, & alios Ordines ſacros, Presbyteratum & Diaconatum.

I. Status quæſtionis. An pia ſit aliqua ratio deſiderandi Epiſcopatus.

II. Rationes & argumenta affirmantium.

III. Ut contra nitatur Gregorius Magnus.

IV. V. VI. VII. Item Baſilius. Gregorius Nyſſenus, Syneſius & Chryſoſtomus.

VIII. Origenes ſimiliter & Iſidorus Peluſiota.

IX. Sententia Gregorii Nazianzeni.

X. XI. Exempla Chryſoſtomi & Theodoreti. Item aliorum.

XII. Lex Imperatorum Leonis & Anthimi.

XIII. Doctrina Cornelii & Zoſimi Pontificum.

XIV. Placita beati Hieronymi.

XV. XVI. XVII. Doctrina SS. Ambroſii, Auguſtini & Gaudentii.

XVIII. XIX. Quam tremendus ſit ex Hieronymo aditus ad quoslibet ſacros Ordines.

XX. Hieronymi ipſius exemplum & fratris ejus.

XXI. XXII. XXIII. XXIV. Exempla Auguſtini, Paulini, Chryſoſtomi, aliorum.

XXV. Canones Conciliorum Carthaginenſium.

XXVI. Leges Leonis & Majoriani Imperatorum.

I. ANtequam ingrediamur in reſidentiæ Epiſcopalis Leges excutiendas, & in alias Beneficiariorum, maxime vero Epiſcoporum functiones, quæ tertio & poſtremo libro hujus II. Partis ſubjicietur materia; extricanda viſa eſt nobis hæc quæſtio veluti præluſoria, an cum laude poſſit aliquando deſiderari, & concupiſci Epiſcopatus; & ex adverſo an poſſet aliquando quis irrevocabili conſtantia aut contumacia electioni canonicæ ad ejuſmodi ſacras dignitates factæ reluctari. Quod enim de Epiſcopatu hic diſputabitur, valebit & ad ſacros quoslibet Ordines, & ad majores quaslibet dignitates pro cujuſque modulo.

II. De Maximiano Neſtorii ſucceſſore in Epiſcopatu Conſtantinopolitano teſtatum facit Cœleſtinus Papa omnibus eum virtutum ac meritorum gradibus ad id faſtigii eluctatum eſſe: & ſi quo Epiſcopatus deſiderio arſiſſet, operi & labori eum, non dignitati & ſplendori ſtuduiſſe (1): *Etiamſi deſiderium fuit Epiſcopatus, non niſi propter opus bonum, ſicut ait Apoſtolus, concupivit. Ita Deus noſter, & quid velimus, & cur velimus, attendit.* In libello Concilii Chalcedonenſis Patribus porrecto, Theodorus Diaconus teſtificatur ſe in Eccleſia Alexandrina munia Clericatus omnia perfunctum eſſe annis quindecim, ipſe altioris gradus adipiſcendi (2): *Quindecim annos in eodem Clero permanſi, ſperans & majorem honorem mereri.* Rurſus idem Cœleſtinus Papa Gallicanos Epiſcopos per litteras admonuit, Epiſcopos e Collegio & Clero ejuſdem Civitatis deligendos eſſe, Epiſcopatu tandem remunerandos eſſe eos, qui vitam omnem in obeundis Clericatus muniis diverſiſſimis conſumpſerint (3): *Habeat unuſquiſque Clericorum ſua fructum militia in Eccleſia, in qua ſuam per omnia officia tranſegit ætatem. In aliena ſtipendia minime alter obrepat: nec alii debitam ſibi alter obrepat: audeat vindicare mercedem. Sit facultas Clericis retinendi, ſi ſe viderint prægravari.* Nec nos fallit tamen eo jure donari Clerum ipſum univerſim Eccleſiæ, non ſingulos autem Clericos ſtimulari, ut ea ſe ipſe delectent, aut illudant. Cum ait Cœleſtinus, *Unuſquiſque Clericorum habeat*, declarat quid cuique debeatur Clerico, non quid ipſe ambire poſſit: quid illi ceteri apprecari poſſint, non quid ipſe ſibi.

Eos demum Iſidorus Peluſiota cenſet Epiſco-

---

(1) Concil. Eph. part. 3. c. 20. (2) Concil. Chalc. Act. 3. (3) Epiſt. ad Epiſc. Prov. Vienn.

ſcopatum deſiderare poſſe, quorum vitæ ſanctimonia ad delineatas a Paulo Apoſtolo leges elimata eſt (1) : *Non eſt quorum libet, vir præclare, Epiſcopatum appetere; verum eorum, quorum vita ex Pauli legibus dirigitur. Quamobrem ſi illam in te ipſo ſinceritatem perſpicis, libenti atque alacri animo ad tanti faſtigii aſcenſum perge. Sin autem ea tibi deeſt, quoad ipſam adeptus ſis, ea quæ attingere nefas eſt, minime attinge. Cave ne ad ignem, qui materiam abſumit, accedas.*

Non is erat Chryſoſtomus, qui ambitioſis Sacerdotii amatoribus aſſentaretur; & compulſus eſt tamen diſſertiſſimis Pauli ad Timotheum verbis confiteri, poſſe non illaudato deſiderio optari Epiſcopatum, ſi non in votis eſſet niſi labor, & opus, & ſtudium exerendæ flagrantiſſimæ & indefeſſæ caritatis (2) : *Si quis Epiſcopatum deſiderat, non culpo, non improbo, opus quippe regiminis eſt; ſi quis hunc idcirco appetit, non principatus aut dominationis faſtu, verum cura regiminis, & caritatis affectu, non improbo, inquit, bonum quippe deſiderat opus. Si quis ita deſiderat, deſideret.*

III. Sed hæc deſideria vehementer repreſſit Gregorius Magnus in Paſtorali Libro, ubi obſervat, poſſe quidem ex Apoſtolo innoxia aliqua eſſe Epiſcopatus deſideria, ſi cui ob oculos non obverſentur niſi labores, ærumnæ, & cruces ſanctiſſimi miniſterii: ſed validiſſime retundi eam efferveſcentiam ab eodem ipſo Apoſtolo, ajente Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe debere (3) : *Laudans deſiderium in pavorem protinus vertit, quod laudavit, cum repente ſubjungit, Oportet autem Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.* Eo tempore affirmavit Paulus Epiſcopatum deſiderari poſſe, quo Epiſcopis deſponta pene certa eſſet martyrii ſpes : *Tunc laudabile fuit Epiſcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad ſupplicia graviora pervenire.* Epiſcopatus ipſe profeſſio eſt humilitatis, & abdicationis opum, voluptatum, vanitatumque ſæculi omnium; & mira itaque perverſitas eſt, ſi qui eo nomine & colore aucupentur honores, voluptates, opes (4) : *Mundi lucrum quæritur ſub ejus honoris ſpecie, quo mundi deſtrui lucra deberunt.* Denique verendum iis eſt, qui his inhiant ſacris dignitatibus, ne labor, ne opus, ne defatigatio, quam animo verſant ludibrium ſit, quo ſe animus in ſummo ſui cortice paſcat: cum interim furtiva honorum opumque libido in animi penetralibus regnet, & erumpat aliquando, ſi doloſa ipſis vota feliciter proceſſerint: *Sed plerumque hi qui ſubire Magiſterium Paſtorale cupiunt, nonnulla quoque opera bona animo proponunt; & quamvis hoc intentione elationis appetunt, operaturos ſe tamen magna pertractant; ſicque ut aliud in imis intentio ſupprimat, aliud tractantis animo ſuperficies cogitationis oſtendat.*

IV. Ratum ergo illud eſt, ſiſumque indignos eſſe Epiſcopatu, qui ſibi cunque viſi fuerint digni: arcendos eo, quicunque ambiunt: non mereri eum apicem, niſi qui fugiunt: in fuga ipſa ejus plurimum eſſe ad merendum momenti: tanto digniores eos eſſe, quo ſibi videntur indigniores. Notat Baſilius, Moyſen regimen populi ſtatim detrectaſſe, nec acquieviſſe, niſi ingeminatis Dei imperiis adactum, quod illa eſſet dignitas ſumma, laboris & periculi incredibilis, qua tanto æquius donandus erat, quanto ſincerius refugiebat (5): *Quare Moyſes ad ſplendidum & illuſtre genus vitæ accitus, & ad tanti populi Præfecturam, deprecatur eam: quis ſum ut pergam ad Pharaonem Regem Ægypti, & educam populum de terra Ægypti, &c. Ruſus, Obſecro, Domine, inſufficiens ſum, &c. Supplico, Domine, dehge alium.* At contra Iſaias incunctanter aſſenſus eſt muneri & delegationi, quam vallabant undique minæ, labores & cruces : *Iſaias per exuperantem caritatem injecit ſe medium ſubeundis periculis, Ecce ego mitto me.*

V. Obſervat Gregorius Niſſenus non potuiſſe primum a Moyſe expugnari contumaciam duorum civium, qui inter ſe jurgabantur; at ubi annos quadraginta in ſolitudine contrivit in iis ſtudiis & virtutibus, quæ futuri tanti reginiinis tyrocinio conſentirent, tum ad reipublicæ ſacræ adminiſtrationem a Deo accitum fuiſſe : *Magna igitur voce Scripturæ auctoritas clamare videtur, non inſiliendum eſſe ad docendum, inſtituendamque multitudinem, niſi prius magna diligentia, magniſque laboribus eam fueris auctoritatem adeptus, ut auditores verbis tuis facile acquieſcant.* Sic ille in libro de vita Moyſis. Incubuit terrifica quæ-

(1) L. 1. Ep. 104.
(2) In Ep. 1. ad Tim. hom. 10.
(3) Paſtor. P. 1. c. 8.
(4) Ibid. c. 9.
(5) In Cap. 6. Iſaiæ.

quædam vindicta in eos, qui profana æmulatione exarſere in Aaronem ſummum Sacerdotem; hiatu enim terræ abſorpti ſunt eum ſuis omnibus, palam edocente Numinis providentia, qui rerum ſacrarum ambitione creſcere & aſſurgere ſibi videntur, eos in profundiſſimas foveas demergi: *Docet hæc hiſtoria terminum elationis, quæ ſit ex ſuperbia, deſcenſum eſſe ad inferiora.*

VI. Optatiorem ſibi fuiſſe mortem Epiſcopatu profitetur Syneſius, & necdum intelligere ſe poſſe, qui conciliari poſſit tanta negotiorum & ſollicitudinum moles, cum cœleſtium deliciarum contemplatione & præguſtatione, quam nec delibari fas eſt, niſi in beato pii ſeceſſus otio, & qua fraudatum vivere, morte ipſa infeliciùs ſibi videatur (1): *Equidem non unam mortem pro ea functione ſubiiſſem, &c. Qui me ipſum negotiorum turbis implicans, in eas mentis pulchritudines animum poſſum defigere, quibus ſui beati cujuſdam eſt otii, ſine quibus mihi ac mei ſimilibus, vita univerſa vitalis eſſe non poteſt?* Sed de omnipotentis Numinis indulgentia non deperandum, fore ut Epiſcopatus gradus ſit, quo ad contemplationem aſſurgamus, non quo deſcendamus: *Si a Deo derelictus non fuero, tum agnoſcam Sacerdotium non deſcenſum eſſe a Philoſophia, ſed aſcenſum.*

VII. Satis mirari non poteſt Chryſoſtomus inſanorum hominum temeritatem & effræxem audaciam, qui ſuæ incerti & incuriòſi ſalutis, curam induere volunt ſalutis infinitæ hominum multitudinis, & eorum ſarcinas ac peccatorum onera in ſe recipere. Si enim qui renitentes coacti ſunt divinitus ejuſmodi regimen ſubire, luerunt tamen quidquid erraverunt in tam falebroſo munere, ut Aaronis, Moyſis, & Sauliſ exemplis liquet, qui pro virili ſacrum Magiſtratum declinaverant: quo evadent ii qui in illum quodammodo irrumpunt? Contremiſcere ergo & fugitare neceſſe eſt, nec ſemel tantum effugere, ſi quando eo pertrahamur: nedum adrepere ad eam dignitatem, in qua non ſatis conſtat Chryſoſtomo, quod poſſit quis de procuranda ſalute propria bene ſperare (2): *Quid miſeris illis dixeris, qui ſe conjiciunt in tantam abyſſum ſuppliciorum? Omnium quos regis, multerum & virorum & puerorum, a te reddenda ratio eſt; tanquam igni ca-put tuum ſubjicis. Miror an fieri poſſit, ut aliquis ex Rectoribus ſit ſalvus, quum videam poſt minas, & præſentem ſocordiam, aliquos adhuc occurrentes, & ſe conjicientes in tantam molem adminiſtrationis. Num ſi ii qui neceſſitate trahuntur, non habent quo confugiant, & quo ſe excuſent, ſi rem male adminiſtraverint, & ſint negligentes; quanto magis ii qui in hoc ſtudium ſuum ponunt, & in id irruunt? Timere enim oportet & contremiſcere, & propter conſcientiam & propter molem imperii: & neque ſi trahantur, ſemel recuſare: neque ſi non trahantur, in ipſum irruere; immo vero etiam fugere, prævidentes magnitudinem dignitatis.* Pulcherrimam hanc doctrinam Chryſoſtomus novis confirmavit præſidiis in aureolo Tractatu ſuo de Sacerdotio (3), ubi rurſus ultro fatetur merita laude ſtrudum non eſſe Epiſcopatus deſiderium, quod ex caritate flagrantiſſima Chriſti & proximorum ſalutis eſtioreſcat. Sed & ibidem palam vociferatur cupiditates creſcendi, diteſcendi, dominandi peſtes eſſe longè periculoſiſſimas, eaſdem fallaciſſimas, ac ubi minime ſuſpicamur, deliteſcentes.

VIII. Exemplo Moyſis & Jonæ probat Origenes, una nos cupiditate, una ambitione accendi debere, fugiendi, latitandi, ultimo loco ſedendi (4): *Bonum eſt non proſilire ad eas quæ a Deo ſunt dignitates, & principatus, & myſteria Eccleſiæ, ſed imitari Moyſen & dicere cum eo, Provide alium, quem mittas. Neque ad principatum Eccleſiæ venit, qui ſalvari vult, ſed ad ſervitutem Eccleſiæ.*

Palladium Diaconum ſubmonet Iſidorus Peluſiota, quibus verbis Paulus allicere videtur ad prehenſandum Epiſcopatum, iis nos vehementer deterreri, oſtenſis iis quæ undique ingruunt periculis (5): *Ego Epiſcopatus opus mirifice laudo, divinum enim eſt; ipſius autem amorem minime laudo, periculoſus enim eſt.* Præpoſterum eſt ergo, quod homines ventoſi iis ſuperbiam ſuam Pauli verbis exaggerent, quibus illa validiſſime retunditur: *Apoſtolum qui exitialem eorum morbum profligare ſtuduit, tanquam morbo ſuo patrocinantem teſtem citant.*

IX. Diu multumque ipſi ſuo eſt Epiſcopo reluctatus Gregorius Nazianzenus, ne Presbyteratu initiaretur; acquievit tandem. At in avias Ponti ſolitudines aufugit, ubi immi-

(1) Ep. 11.
(2) Hom. 14. in Ep. ad Hebr.
(3) L. 3. c. 12
(4) Hom. 6. in c. 6. Iſaiæ.
(5) L. 3. Ep. 216. L. 2. Ep. 125.

imminere ſibi ſenſit Epiſcopalem ſarcinam. Creavit quidem illum Baſilius Epiſcopum Saſimorum, expugnanda tamen illi prius fuit humilitas & mira animi modeſtia Gregorii, ſuique deſpicientia, denique ipſa Patris Nazianzeni Epiſcopi auctoritas advocanda (1): *Conſilio cum ipſius Patre habito, invitum hominem & repugnantem electioni admovet, negotiumque conficit.* Ita ſummus Theologus exemplo ſuo approbat, quod poſtea ſcriptis prodidit, altiſſima quæque maxima fugienda eſſe culmina, honorumque cupidine in Eccleſiam invehi fœdiſſima morum dehoneſtamenta (2): *Primariæ Sedis dignitatem nunc fugere, ut mihi quidem videtur, primæ & ſingularis eſt prudentiæ. Propter hanc enim res omnes noſtræ jactantur & concutiuntur: propter hanc fines orbis terræ ſuſpicione & bello flagrant.*

IX. Non tacuit Palladius, qua obrependum arte fuerit, ut Chryſoſtomus Antiochia, ubi ordinarius fuerat Presbyter, Conſtantinopolin abduceretur, Regiæ urbis Epiſcopali ſolio ſeſſurus. Nullibi ſplendidior aut vehementior Chryſoſtomi ipſius eloquentia, quam cum in libello de Sacerdotio exequitur (3), quæ mens, quæ ſententia, quid conſilii ſibi fuerit circa fugam Epiſcopatus. Sed multo præclariſſimum eſt extremum illud monitum, quo inſtructas voluit ſanctiſſimas & illuſtres matronas, quas vitæ innocentia & regiminis integritas tam arcte devinxerat ejus defenſioni adverſus iniquiſſimos ejus exilii auctores. Præcepit enim, ut inconvulſo caritatis vinculo illigatæ hærerent Eccleſiæ, & Epiſcopo ſucceſſuro, dum illum canonica electio, non ambitio, non violenta intruſio ei ſedi inveheret (4): *Hoc deprecor, ne qua ex vobis ſolitam ad Eccleſiam benevolentiam deferat; & quicunque non ſponte fuerit ordinatus, neque id ullo queſierit ambitu, ſed de conſenſu omnium, et caput veſtrum inclinate ut Joanni per omnia.* De ſe ipſo profitetur Theodoretus, invitum ſe Epiſcopatu inauguratum fuiſſe, cum ætatem ante omnem in Monaſterio traduxiſſet (5): *In Monaſterio tempus quod Epiſcopatum præceſſit, cum exegiſſem, invitus Epiſcopus ordinatus ſum.*

XI. Ammonius fama ille ſanctitatis celeberrimus Monachus dexteram ſibi auriculam præcidit, ſperans ſe ea irregularitate eos deterriturum, qui eum ad Epiſcopatum rapere meditabantur (6): *Cum ad Epiſcopatum quæreretur, dexteram ſibi præcidit auriculam;* ut refert Socrates. Nilamnon ſanctiſſimus Deſerti incola, reſcito adventare Theophilum Alexandrinum Epiſcopum, ut Epiſcopalibus illum inſignibus exornaret, in preces effuſus, effluvit animam, Epiſcopatum enixius fugitans, quam mortem; auctore Sozomeno (7). In juventæ flore Chryſoſtomus fuga declinavit Epiſcopatum, quem & pia aſtutia in amicum Baſilium nihil ſuſpicantem declinavit.

Eximiæ ſapientiæ ſpecimen dedit B. Ephrem, ſimulata tum inſania, cum ad Epiſcopalem ſedem abriperetur (8). Periculoſiſſimi ejuidem culminis ſplendorem exhorreſcens Syneſius (9) continentiæ & fidei ſe inimicum ſimulavit, cujus utriuſque virtutis amantiſſimus erat; ut reliquo ipſe vitæ totius vere Epiſcopali cenriculo approbavit. Eadem ſimulatione Ambroſius ſpeciem ſibi aliquam incontinentiæ oblinere tentavit, ſed ſuboluit pia fraus, vicit prior caſtitatis incorruptæ fama, & Epiſcopus, quantumvis reniteretur, creatus eſt (10).

XII. Legibus ipſi ſuis Evangelicæ ſanctitati & doctrinæ ſuccinuere Imperatores, vetito, ne ad Epiſcopatum adfciſcerentur, qui non ei loco terga verterent, qui non ad eum ab hac ipſa virtutum magiſtra & caſtode humilitate arceſerentur (11): *Tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur rogandus, rogatus recedat, invitatus refugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas obſequendi.* Denique ea lege indigni pronuntiantur Epiſcopatu, quicunque ſponranea fuga non faciunt fidem, ſe tanto apice indignos ſibimetipſis videri: *Profecto enim indignus eſt ſacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus.*

XIII. Sed jam nobis ad Eccleſiam Latinam retorquenda eſt oratio. Cornelii Papæ virtutibus omnibus nova gloriæ & puritatis acceſſio facta eſt, pudore & horrore eo quo concuſſus eſt, ubi ſubeunda fuit Epiſcopatus ſarcina. Audi Cyprianum, hoc illum elogio adornantem (12): *Epiſcopatum*

(1) In ejus vita.
(2) Orat. 28.
(3) Cap. 5.
(4) Palladius cap. 20.
(5) Epiſt. 182.
(6) L. 4. c. 28.
(7) L. 8. c. 19.
(8) Sozomen. c. 25.
(9) Syneſ. Ep. 11. 47. 57.
(10) Paulinus in ejus vita.
(11) Cod. de Ep. & Cler. L. Si quenquam.
(12) Ep. 52.

tum nec poſtulavit nec voluit, ſed pro pudore virginalis conſcientiæ ſuæ, & pro humilitate ingenitæ ſibi & cuſtoditæ verecundiæ, non ut quidam, vim fecit, ut Epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt, ut Epiſcopatus coactus exciperet. Zoſimus Papa ſpe neſcio qua Epiſcopatus pios & religioſos Presbyteros ſolari & animare videtur, ubi ait (1): *Ad Presbyterii faſtigium talis accedat, ut nomen ætas impleat, & meritum probitatis ſtipendia anteacta teſtentur: jure inde ad Pontificis locum ſperare debebit.*

XIV. At idoneus Zoſimi interpres doctrinæ Hieronymus, piorum Presbyterorum virtutes, aliorum, non ipſorum docet mentibus eas cogitationes ingerere, ſpes inſerere debere: nec tam honorifico judicio ac teſtimonio pares eſſe poſſe, aut dignos, niſi qui illud plurimum reformident (2): *Quod ſi te quoque ad eundem Ordinem pia fratrum blandimenta ſollicitant, gaudebo de aſcenſu, ſed timebo de lapſu. Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Scimus iſta, ſed junge quod ſequitur. Oportet autem hujuſmodi irreprehenſibilem eſſe, &c. Non omnes Epiſcopi, Epiſcopi ſunt. Attendis Petrum, ſed & Judam conſidera, &c. Non eſt facile ſtare loco Pauli, tenere locum Petri, jam cum Chriſto regnantium, &c. Probet ſe unuſquiſque, & ſic accedat.* Et alio loco (3): *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat: opus, non dignitatem; laborem, non delicias; opus per quod humilitate decreſcat, non intumeſcat faſtigio.*

XV. Sciti ſſime Ambroſius gloriæ & dignitatum cupidine edomari plerumque ait, invictos ceterorum vitiorum omnium domitores (4). *Hoc ipſo perniciofior eſt ambitio, quod blanda quædam eſt conciliatricula dignitatum; & ſæpe quos nulla vitia deflectunt, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia ſubruere, facit ambitio criminoſos. Habet enim forenſem gratiam, domeſticum periculum; & ut dominetur aliis, prius ſervit; curvatur obſequio, ut honore donetur: & dum vult eſſe ſublimior, fit remiſſior.* Hac ſui dejectione aſſurgunt, his detrimentis creſcunt, viliſſima ſervitute dominatum captant, centies privatim periclitantur, ut in publico aliquando emineant; denique uni ſuperbiæ ſubſternuntur victoriæ omnes de aliis vitiis reportatæ. Ab hac animi vitioſitate procul erat Ambroſius, cum ordinationi ſuæ tam generoſe & tam ſincere repugnabat. *Quam reſiſtebam ne ordinarer; poſtremo cum cogerer, ſaltem ut ordinatio protelaretur. Sed prævaluit impreſſio.*

XVI. Ampliſſimæ dignitatis ſuæ columen cenſet Auguſtinus ipſos exhorreſcere debere Epiſcopos; quo altius ſedent, hoc graviorem reformidare caſum, & mente eorum omnium pedibus ſubjacere, quorum cervicibus immineant (5). *Quanquam & nos qui vobis videmur de ſuperiori loqui loco, cum timore ſub pedibus veſtris ſumus; quoniam novimus quam periculoſa ratio de iſta quaſi ſublimi ſede reddatur.* Docet idem alibi amori eſſe debere laborem; at amari citra dedecus non poſſe honorem, quo is circumfulget. *In actione non amandus eſt honor in hac vita, ſive potentia, quoniam omnia vana ſub Sole; ſed ipſum opus, quod per eundem honorem vel potentiam fit, ſi recte atque utiliter fit, id eſt, ut valeat ad eam ſalutem ſubditorum, quæ ſecundum Deum eſt. Propter quod ait Apoſtolus, Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat; exponere voluit, quid ſit Epiſcopatus, quia nomen eſt operis, non honoris.* Ex quo illud infert Doctor ſanctiſſimus, noſtra nos ſponte propendere & ferri debere ad veritatis in aliquo latibulo contemplationem, concupiſci non poſſe dignitates, niſi propudioſa & damnabili cupiditate: rite ad eas non pervenire, niſi quos electio trahit Eccleſiæ, quos lex rapit obedientiæ, quos ſummum torquet imperium caritatis (6). *Itaque a ſtudio cognoſcendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium. Locus vero ſuperior ſine quo regi populus non poteſt, etſi ita teneatur atque adminiſtretur ut decet, indecenter tamen appetitur. Quamobrem otium ſanctum quærit caritas veritatis, negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas caritatis; quam ſarcinam ſi nullus imponit, recipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati: ſi autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter caritatis neceſſitatem.* Et eodem loco: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſideret, quia Epiſcopatus nomen eſt operis, non honoris, ἐπισκοπῆς ſuperintendere. Ut intelligat non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe.*

(1) Ep. 1. (2) Epiſt. ad Heliod. (3) Epiſt. ad Ocean.
(4) L. 4. in Luc. (5) De verbis Dom. ſer. 62. (6) Civit. l. 19. c. 19.

ſe. Epiſcopus non eſt, qui non pro grege excubat. Quid ſit Epiſcopatus, „prorſus ignorat, qui non eum intelligit in laborem quodam infinito, & indefeſſa vigilantia ſitum eſſe.

Rurſus idem alibi ſanctiſſimus Pater, non honores a nobis, ſed nos ab honoribus docet & dignitatibus ambiendos & prehenſandos eſſe; ſi altiores autem aucupemur ſedes, everti & labefactari a nobis totam Chriſti doctrinam ac legem, qui ſanxit nos imis inhærentes locis, ad ſublimiora inviſos debere rapi (1). *Honor te quærere debet, non ipſum tu. Debes enim in loco humiliori diſcumbere, ut qui te invitavit, faciat te honoratiorem locum aſcendere. Si autem nolueris, ubi recumbis manduca, quia nihil hoc intuiſti in hunc mundum.*

Nec alia poterat Auguſtini animo inſidere ſententia, cui compertiſſimum erat, nihil tam operoſum eſſe, & tam arduum, quam ſancte ſanctiſſimis fungi Sacerdotii muniis: nihil tam periculoſum, tamque damnationi finitimum, quam iis perfunctorie fungi, quanquam carnalium hominum oculos præſtringat repentinus neſcio quis fulgor harum Dignitatum (2). *Cogitet prudentia tua nihil eſſe in hac vita, & maxime in hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, ſi perfunctorie atque adulatorie res agatur: ſed nihil apud Deum miſerius, & triſtius, & damnabilius. Item nihil eſſe in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laboriouſius, periculoſius Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio: ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo Imperator noſter jubet.*

XVII. Denique B. Gaudentius Epiſcopus Brixienſis pulcherrime declarat, tunc temporis deſiderari potuiſſe Epiſcopatum cum non alii vel honores ejus erant, vel reditus, quam labores, perſecutiones, cruces, martyria omnis generis. At poſtquam occurſat animo oculiſque Epiſcopatus, gloria & opibus circumfluens, ab iis tantum deſiderari eum poſſe, quos avaritia vel ambitio præcipites agit (3). *Cum Epiſcopatum cogitas, ne reſpras animum ad hæc tempora, quibus Epiſcopi nihil minus norunt, quam eas partes quæ illis a Paulo aſſignantur. Nec quidquam aliud nunc intelligitur appellatione Epiſcopi, quam fructus & vectigalia & immanes honores. Sed tempora illa ante oculos propone, cum Paulus ipſe qui alios inſtituebat Epiſcopos, peragrabat orbem terrarum in fame & ſiti, in frigore, & nuditate, in verberibus & plagis, in carceribus atque quotidianis mortibus. Eo igitur tempore optare Epiſcopatum, nihil omnino aliud erat, quam optare quotidie millies pro Chriſto mori; quod ſane optare nulla religio prohibet.*

XVIII. Nec Epiſcopatus ſolus toto animo fugiendus eſt, ſed ut paulo ante pronuntiabat Auguſtinus, Presbyteratus etiam & Diaconatus, utque rurſum ſuo calculo confirmat locupletiſſimus teſtis Hieronymus. Ita enim ille de Nepotiano Presbytero in ejus Epitaphio: *Quid multa? Fit Clericus, & per ſolitos gradus Presbyter ordinatur. Jeſu bone, qui gemitus, qui ejulatus, quæ cibi interdictio, quæ fuga oculorum omnium! Tunc primum & ſolum avunculo iratus eſt. Querebatur ſe ferre non poſſe, & juventlem ætatem incongruam Sacerdotio cauſabatur. Sed quanto magis repugnabat, tanto magis in ſe ſtudia omnium conciliabat; & merebatur negando, quod eſſe nolebat; eoque dignior erat, quo ſe clamabat indignum.* Subjicit ſanctus Pater rationem ſapientiſſimæ hujus fugæ. Exploratiſſimum erat Nepotiano, Clericatu non honorem, ſed onus importari. *Igitur Clericatum non honorem intelligens, ſed onus.*

XIX. Alibi rurſum Epiſcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum oculis ſubjicit Hieronymus, tanquam formidoloſa quædam onera (4). *Epiſcopus, & Presbyter, & Diaconus non ſunt meritorum nomina, ſed officiorum. Nec dicit, Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum deſiderat gradum, ſed bonum opus deſiderat: quod in majori Ordine conſtitutus, poſſit ſi velit, occaſionem exercendarum habere virtutum.* 'Et infra: *Cernis igitur, quod Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, non ideo ſint beati, quia Epiſcopi, vel Presbyteri ſint, vel Diaconi, ſed ſi virtutes habuerint nominum ſuorum, & officiorum.*

XX. Non tam eruditionis ubertate, quam modeſtia & humilitate ſpectabilior fuit Hieronymus. Itaque cum invitus Presbyteratu initiarus fuiſſet, adduci nunquam potuit, ut ejus Ordinis munia obiret in Cœnobio Bethlehemitico; habuitque ea quoque in re imi-

(1) L. 10 Hom. Hom. 13. c. 1.
(2) Ep. 148.
(3) In Scholiis ad illum locum Apoſt.
(4) L. 1. Adver. Jovin.

imitatorem Vincentium, antiquissima necessitudine & familiaritate sibi devinctum. Paulinianum Hieronymi fratrem, & eorundem virtutum æmulatorem, Presbyterum ibidem ordinavit beatus Epiphanius, & ipsum vehementissime repugnantem : *Cum vidissem quia multitudo sanctorum fratrum in Monasterio consisteret, & sancti Presbyteri Hieronymus & Vincentius propter verecundiam & humilitatem nollent debita nomini suo exercere sacrificia.* Verba ea sunt Epiphanii in Epistola ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum (1). Quanquam autem ei Cœnobio non esset necessarius nisi Presbyter : non tamen exiitimavit Epiphanius ordinari a se posse Paulinianum Presbyterum, nisi ante Diaconum ordinasset. Sed & ne ipso Diaconatu oneraretur, diu multumque depugnavit Paulinianus : *Ignorantem eum per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus, ne forte liberari se cupiens adjuraret nos per nomen Christi, & primum Diaconum ordinavimus.* Eadem vis adhibenda fuit, ut Presbyteratu augeretur. *Rursus cum ingenti difficultate tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum.*

XXI. Augustino ipsi in Presbyterum ordinando uberes excussit lacrymas ejus Ordinis sanctitas, eminentia, pericula, horror (2) : *Ubertim eo flente, cum majori consideratione intelligeret & gemeret, quam multa & quam magna suæ vitæ pericula de regimine, & gubernatione Ecclesiæ impendere ac prospexere speculares, atque ideo flerem.* Ita Possidius. At Augustinus ipse (3) : *Hinc erant lacrymæ illæ Ordinationis meæ tempore.* Hanc enim ille non gloriam, sed pœnam peccatis suis irrogatam interpretabatur, ut ad clavum sedere cogeretur, qui necdum satis didicisset remum tenere. *Vis mihi facta est, merito peccatorum meorum. Nam quid aliud existimem, nescio, ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.* Horrorem illi incutiebat Diaconatus ipse : *Nihil in hac vita & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi aut Presbyteri, aut Diaconi officio.*

XXII. Vi non dissimili coarctandus fuit beatus Paulinus, ut Presbyter ordinaretur (4). *Vi subita, astrictus, & multitudine strangulante compulsus.* Nec Gregorius Nazianzenus, nisi posse quam diu repugnaverat, cogi potuit ad Presbyteratum (5). *Pater filium, quem invitum & repugnantem, egregue cedentem Presbyterum creaverat.* Quanquam autem tum oessisset, Presbyter tamen ordinatus, statim se in Ponti solitudines subduxit. Id ipsemet narrat in Carmine de vita sua (6). *Nam genitor per vim fecundis collocat me in sedibus, quæ mihi tyrannis tam gravis mensi fuit, ut mox sodales, mox parentes & meos, mox & propinquos deferens, patrium & larem, ut sævo asili spiculo puncti boves, in Pontum abirem, pellerem ut curas graves.*

Chrysostomum auctor est Palladius a beato Meletio Antiocheno Episcopo Diaconum ordinatum fuisse : at quinquennio post a Flaviano Meletii successore adduci non potuisse, ut Presbyteratu decoraretur : itaque violentas ei manus injecit Flavianus, & quanquamvis reluctabundum Presbyteratu initiavit. Subdit Palladius (7) editis de Sacerdotio libris Chrysostomum prodidisse, quam religioso tremore adire quisque pissimus debeat Presbyteratum, aut ei potius se subducere. *Presbyter a sanctæ memoriæ Flaviano Episcopo confecratur, invitus licet ac multum renitens. Notatur id ex his libris, quos de Sacerdotio adhuc solitarius scripsit.*

XXIII. Vim fecit Chrysostomo Flavianus ; at Macedonium arte adgressus est prorsus mirabili. Erat is Monasticis institutis in solitudine ab annis jam quadraginta exercitatissimus. Arcessit illum Flavianus Antiochiam, quæsito prætextu purgandi criminis, quod illi illineretur : tum vero sacris mysteriis interesse jussum, inopinum, nec advertentem Presbyterum ordinavit. Ubi relicvit ille se ordinatum præter mentem suam fuisse ; tum vero itomachari, indignari, & tantum non baculum suum illidere illi ipsi Episcopo, a quo ordinatus fuisset. Has artes tentabant tum Episcopi, gnari non aliter sanctissimos Monachos unquam ordinationi sue assensuros.

Hæc ex Theodoreto, qui & Acepsimam narrat (8) annos sexaginta in cellula ita latuisse, ut viderit interim neminem, a nemine visus sit. Minus morosus hic fuit, minusque pugnax in Episcopum, a quo

(1) Inter Ep. Hieron. (2) Possid. c. 4. (3) Ep. 148.
(4) Epist. ad Amand. (5) Gregor. in ejus vita. (6) In Carmine de vita sua.
(7) Palladius in Dial. c. 5. (8) Theodor. Hist. relig. c. 13.

Presbyter inaugurabatur: ſed conteſtabatur nihilo tamen minus, tanto ſe proclivius morem gerere, quod certiſſimus eſſet, paucis poſt diebus mortali hac ſe vita migraturum, nec multum laboraturum in reddenda geſtati tanti oneris ratione. *Enimvero ſi diutius victurus eſſem, grave & tremendum Sacerdotii onus plane refugerem, reddendam depoſiti rationem perhorreſcens.* Non ſuffundebatur Theodoretus, (1) cum hæc ſcriptitaret, ut qui & ipſe nonniſi vi ad Epiſcopatum rapi potuiſſet.

XXIV. Muthuem quoque Abbatem invitum Presbyteratu auctum eſſe narrat Ruffinus (2); at monitum ab eo Epiſcopum, de fratre ſuo non paulo virtutibus præſtantiore, huic quoque manus impoſuiſſe, ne divelli a ſe mutuo cogerentur, utque conjunctim orationi inſtarent. A ſolitudine non diſceſſere ſanctiſſimi ambo hi Monachi, nec incruentum celebrare ſacrificium adgreſſi ſunt, ſibi videlicet conſcii, quam innoxias manus illud, menteſque deſideret, tota cœleſtis ſanctimoniæ copia deliburas. *Unde dicebat ſenex, Confido in Deum meum, quia non habeo grande judicium propter hanc ordinationem, quia oblationem non mihi præſumpſi offerre. Nam ordinatio hæc illorum eſt, qui ſine culpa ſunt juſti & immaculati; Ego autem bene me cognoſco.* Addit Ruffinus (3) Eremi decus ingens Macarium, dum juventa vigeret, Clericatu donatum præter voluntatem ſuam fuiſſe, & mox inde aufugiſſe, ne vel ulterioribus Ordinibus vel ſuis functionibus conſtringeretur. Theodorus Abbas Diaconatu exornatus, ejus muniis omnino ſe abſtinuit, quantumvis contra urgerent Monachi alii, quos ille tandem ſummovit, edito quodam cœlitus oraculo, quo ſumma, & Angelis par, & humana major innocentia Miniſtris ſacris præſcribebatur (4). Beatus Martinus perhibente Severo Sulpitio inter exordia converſionis ſuæ Diaconatum detrectavit, *indignum ſe eſſe vociferans*; acquievit autem Exorciſtæ officio, quo deprimi magis, quam aſſurgere videbatur. *Ne deſpexiſſe tanquam humiliorem videretur.*

XXV. Quam abhorrerent autem Clerici a ſuperioribus Ordinibus ambiendis, teſtatum faciunt in primis ipſa Africana Concilia, ubi Ordinis ſui functionibus ſpoliandos decernunt eos, qui pervicacius obſtiterint Epiſcopo, ſuperiores ad gradus eos propellenti, quod ita Eccleſiæ ſuæ conducere exiſtimet (5). *Placuit, ut quicunque Clerici vel Diaconi pro neceſſitatibus Eccleſiarum non obtemperaverint Epiſcopis ſuis volentibus eos ad honorem ampliorem in ſua Eccleſia promovere, nec illic miniſtrent in gradu ſuo, unde recedere noluerunt.*

XXVI. Id ipſum perſpicuum fit ex lege Leonis & Majoriani Imperatorum (6), qua ordinari vetantur, qui invicta & indicta reſtitant pugnacitate. Pecuniaria mulctatur Archidiaconus pœna, Epiſcopus judicio ſubjicitur Papæ. Verum ea Lex ad Laicos reſtringenda eſt, in quos nihildum Epiſcopus ſibi paravit ejus poteſtatis, qua in Clerico per ordinationem armatur. Itaque Canoni Africano ſupra relato nihil officit hæc lex: nec alio ea collimat, quam ut Epiſcoporum vel Archidiaconorum ſubdolis & malitioſis quandoque conſiliis repagulum objiciat, ſi quem laicum illi ulciſci & affligere vellent, impacto ei per vim Clericatu.

CAPUT LXVI. *P.I. l. 2. c. 30.*

Ubi repugnatum eſt aliquandiu, acquieſcendum tandem eſſe imperio Superiorum, niſi ſi cujus eſt apertiſſima & notoria indignitas, & habilitas prorſus nulla ad ſacras functiones.

I. Duæ illæ regulæ proponuntur, cedendum tandem eſſe imperio Superiorum; nec cedendum, ſi quis notorie indignus, & abſurdus ſit.

II. III. IV. V. VI. Prior illa regula probatur ex Gaudentio, ex Auguſtino & Paulino, ex Juliano Pomerio, ex Ambroſio.

VII. Ex compluribus aliis, quibus ex Auguſtino vis adhibebatur.

VIII. IX. X. XI. Probatur rurſus ex Gregorio Nazianzeno, Chryſoſtomo & Syneſio.

XII. XIII. Altera regula probatur ex Chryſoſtomo, & Gregorio Nazianzeno.

XIV. XV. Ex Hieronymo & Juliano Pomerio.

I. DUobus his Capite ſuperiori conſtitutis, 1. Innoxie & pie concupiſci poſſe Epiſcopatum, ſi quis eum non ali-

(1) Ibidem c. 19.
(2) Ibid. c. 90.
(3) Canones Afric. Græc. c. 31.
(4) Ruffinus de Vitis Patrum, l. 3. c. 188.
(5) Paſchaſius in viris Patr.
(6) Additam. Cod. Theod.

ter, quam ut laboribus, angustiis & crucibus septum contempletur. 2. At ex quo gloria opibusque cœpit circumfluere, non posse ei nisi avaritia & ambitione homines exercatos inhiare. Duo nunc alia constabilienda nobis sunt, in quibus tantumdem certe ponderis sit: 1. Qui infucata modestia & humilitate imbuti sunt, eos abjecta tandem pugnacitate, obedientiæ & caritatis jugo, Ordinumque sarcinæ cervices inflectere debere. 2. Nulli cedendum esse vi, & imperio, si quis sibi notorie conscius sit indignitatis, & habilitatis prorsus nullius, ad tantum onus gestandum. Septum tamen & munitum quemque esse debere, adversus scrupulosæ conscientiæ ludibria & morositates.

II. Hujus ergo Capitis initium ducemus ab exemplo & verbis B. Gaudentii, qui superiori jam Capite laudatus est, & qui testatum ipsemet facit, assensum se tandem esse, & successisse oneri, vix ferendo, compulsum videlicet jussione Ambrosii Metropolitani sui, & Comprovincialium Episcoporum, atque interminatione Orientalium Præsulum, non alias communioni suæ copiam facientium (1). *Imparem me vestro desiderio per omnia sentiens, onus istud totis viribus conatus sum declinare. Sed beatus Pater Ambrosius, ceteriique venerandi Antistites, tales ad me Epistolas cum vestra legatione miserunt, ut sine damno animæ meæ ultro jam resistere non valerem: Cui ab Orientalibus quoque Episcopis, nisi meum ad vos reditum polliceer, salutaris communio negaretur. Tali igitur conclusus articulo, & auctoritate Sanctorum præsentium subjugatus, suscepi hoc summi Sacerdotii munus, nec merito dignus, nec ætate aptabilis, nec doctrina maturus.*

III. Non jam humilitas, sed humilitatis specie fucata contumacia est, nisi sit morigera. Ejus est ergo repugnare, sed cedere tandem. Si nolit de propria periclitari salute, dum alienæ procurandæ laborat: multo plus incurri sciat periculi, superiorum imperiis pertinaciter detrectandis. Ea erat Augustini sententia, ea voluntas, cum plenam discriminis sarcinam subiit, ne in majora se conjiceret discrimina, si Episcopo suo morigerari usque recusaret (2). *Ut te nec pro lucro animæ nostræ audeamus offendere.*

Qui idem rursus alibi Monachos, & omnes solitudinis & contemplationis nimios quandoque amatores admonet, quæ media terenda sit via inter inertiam, præcipiti semper studio fugacem, & ambitionem ad dignitates sacras præproperam: inter pii secessus otium religiosum, & caritatem se sibi, ut Ecclesiæ obsequatur necessitatibus, suffurantem: inter propriæ & alienæ salutis sollicitam procurationem. Si omnes enim totos se sibi solis impenderent, nec extra sinum suum ullos caritatis ignes effunderent: quis Ecclesiæ prolem augeret, quis nobis ipsis hos divinos in Ecclesia natales, & cœlestes hisque consentaneas dotes contulisset (3)? *Vos autem, fratres, exhortamur in Domino, ut propositum vestrum custodiatis, & usque in finem perseveretis: ac si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis: sed miti corde obtemperetis Deo, nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini non inveniretis. Sicut autem inter ignem & aquam tenenda est via, ut nec exuratur homo, nec demergatur; sic inter apicem superbiæ, & voraginem desidiæ, iter nostrum temperare debemus.*

Hæc exemplis, & non verbis tantum sancivit Augustinus (4). Quanquam enim studiosissime declinaret civitates eas omnes, quarum vacabant sedes, cessit tandem vim afferenti sibi populo & Episcopo Hipponensi, ut Presbyter primum crearetur, hoc est Parochus, & Vicarius Generalis; deinde ut Episcopus quoque ejusdem fieret civitatis. *Compulsus atque coactus succubuit, & Episcopatus curam, ac majoris loci ordinationem suscepit.* Confirmat (5) & ipse in Confessionibus, conterritum se mole peccatorum suorum, consilium arripuisse aufugiendi in aliquam solitudinem: sed revocatum se divinitus fuisse, & in schola pectoris edoctum, Pro omnibus hominibus unum mortuum esse Christum, ut jam non sibi singuli vivant, sed ei qui pro ipsis & pro omnibus mortuus est.

IV. Eadem animo suo concoquebat, eadem & verbis pene iisdem exarabat B. Paulinus, qui propriæ salutis procurationem proximorum postposuit caritati (6): *Cum pro meritorum meorum conscientia recusarem, vel potius*

(1) Serm. 16. (2) Ep. 148. (3) Epist. 81. (4) Ibid. c. 4. Possi.
(5) L. 10. c. ult. (6) Epist. Ad Amandum.

potius non auderem recipere, ego vermis & non homo, vi ſubitæ invitus, quod fateor, uſtrictus, & multitudine ſtrangulante compulſus, quamvis cuperem calicem ipſum a me tranſire, tamen neceſſe habui dicere Domino, verum non mea voluntas, ſed tua fiat. Cum præſertim ipſum de ſe Dominum dixiſſe legerem, Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.

V. Injuſtitiæ reos agit & furti Julianus Pomerius eos, quos electio canonica virtutibus claros vocat ad ſacra culmina, & quos Eccleſiæ neceſſitati ſubducit ignavia; ſua plus, quam quæ Chriſti ſunt quærentes; nec Chriſto & Eccleſiæ reſundere paratos earum virtutum lumina, quas a Chriſto, quas ab Eccleſia hauſtas & mendicatas habent: *Ac per hoc contra juſtitiam faciunt hi, qui merito ſuæ converſationis vel eruditionis electi, otioſum ſtudium fructuoſæ utilitati regendæ multitudinis anteponunt: & cum poſſint laboranti Eccleſiæ ſubvenire, operoſæ adminiſtrationis laborem, fruendæ quietis contemplatione refugiunt.*

Quoad alios vero, qui ſuæ imbecillitatis certo conſcii ſibi ſunt, eas illi declinare omni ſtudio debent, quo celſiores, eo periculo propiores dignitates. Qui vero iis potiſſimum idonei & pares ſunt, quandiu ad eas non vocantur, non coguntur, abdere ſe ipſos debent in reconditiora quæque ſapientiæ penetralia (1): *Sed quoniam ſunt multi, qui ſe impares tantæ ſarcinæ norunt, tales juſte ſe, etiam quæſiti, non offerunt, ne videantur non labores Eccleſiaſticos velle ſuſcipere, ſed honores ambire. Cum dignitas Eccleſiaſtica nec ambienda ſit, nec vitanda. Qui vero præeſſe & prodeſſe populis poſſunt, ſi quæſiti non fuerint, juſte ſe ipſos percipiendæ ſapientiæ ſtudiis tradunt.* Ubi nec ambienda, nec vitanda tradit Pomerius celſarum dignitatum faſtigia, hoc vult, nec ambienda ullo modo, nec contumaci & inexpugnabili faſtidio rejicienda eſſe.

VI. Nihil in præteritis reliquit Ambroſius, quo electionem ſuam fruſtraretur. Ceſſit tamen aliquando tandem, non tam Imperatorum voluntati, & conſpiranti Clero, Populoque, quam Deo, qui eam illi inſpirabat tum pugnacitatem, ut eam mox glorioſius frangerer (2): *Productus itaque & adductus Mediolanum, cum intelligeret circa ſe Dei voluntatem, nec ſe diutius poſſe reſiſtere.*

VII. Profitetur denique Auguſtinus, non mediocrem eorum fuiſſe turbam, in quos manus injiciebantur, qui raptabantur, includebantur, cruciebantur, dum aſſentirentur geſtandæ variarum functionum ſarcinæ, quas ipſa maxime fuga & averſatione promerebantur ſua, & quas promereri non potuiſſent, ſi contumacius averſati eſſent (3): *Tam multi ut Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur invitti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni.*

VIII. E Græcis profilit ante alios auctor luculentiſſimæ Epiſtolæ ad Dracontium Monachum ſcriptæ, ut illum cohortaretur animaretque ad ſubeunda tandem aliquando gubernacula Eccleſiæ, ad quam electus fuerat: ne non pietatis ſeceſſus is foret, ſed pudenda fuga, quæ videlicet populis offendiculo eſſet: cum ea conſtantia labores fugitaret, qua eſſent ſuperandi: *Non vacat culpa quod agis, auditis iſtis ſcandalizabuntur. Fugientem te conſpicimus, & ex fuga futurum proſpicimus, ut & in judicio de eo crimine convincaris, & convictus miſere doleas.* Conclamatam eſſe Eccleſiæ ſalutem inculcat, & nec ipſum baptiſmo tingi unquam potuiſſe, ſi integrum omnibus eſſet Epiſcopatum devitare. Nec remorari illum debere, quo ſe obſtrinxerat ſacramentum, interferendi ſe nunquam ſacri Epiſcopatus inſulis, muniiſque. Enimvero Paulum, Moyſen, Jeremiam, Jonam quamlibet conteſtatos ſuam & imbecilliratem & indignitatem, obtemperaſſe tamen cœleſti imperio, quo vocabantur. Denique nec a Monaſtica profeſſione quidquam poſſe eum patrocinii ſibi arceſſere, cum Serapion, & bene multi alii, ut ne jam Elias & Eliſæus proferantur, religioſas inſtituriones curæ & regimini Eccleſiarum pulcherrime ſociaverint.

IX. Tantundem periculi ingruere ominatur Gregorius Nazianzenus, ſi Epiſcopatum vel omnes captent, vel omnes refugiant (4): *Par meo quidem judicio malum eſt, ac peræque inordinatum, & omnes præeſſe atque imperare velle, & neminem id ſuſcipere.* Inde eſt quod quamvis in avias Ponti ſolitudines una cum Baſilio ſe ſubduxiſſet, mox ut Presbyteratu ornatus fuit Gregorius: arceſſitus mox tamen patris imperio, Eccleſiæque opem orantis precibus, rediit,

(1) De vita contempl. l. 3. c. 28.
(2) Paulin. in ejus vita c. 13.
(3) Ep. 104.
(4) Orat. 1.

rediit, Coadjutorem aut Vicarium egit Generalem Nazianzenæ Eccleſiæ, Baſiliumque revocari fecit, ut eaſdem Eccleſiæ Cæſarienſi operas commodaret. Fugam porro Theologus reditumque ſuum approbat exemplo Patriarcharum & Prophetarum: legibus certiſſimis humilitatis & obedientiæ: his denique regulis ſapientiam miram quandam & modeſtiam ſpirantibus, vocatione cœleſti non præeundum unquam, nunquam obſequendum, medioque ingrediendum eſſe tramitem inter audaciam inverecundam & ignaviam meticuloſam: *Videte quam recte inter utrumque timorem negotium tranſigam; nimirum ut nec minime oblatam Præfecturam appetam, nec oblatam repudiem. Illud enim temerariorum hominum eſt, hoc inobedientium, utrumque autem timidorum. Atque ipſe inter nimis audaces & nimis timidos quodammodo interjectus ſum, nempe & his qui ad Præfecturas omnes proſiliunt, timidior, & iis rurſus qui omnes fugiunt, audacior.*

Eidem Gregorius obedientiæ legi conceſſit, cum ſubinvitus Saſimorum Epiſcopus ordinatus eſt, parentis & Metropolitani voluntati ut ſe accommodaret. Saſimis digreſſus, Nazianzum rediit, ſuppetias patri laturus. Denique minus lubens quidem, ſed tamen regimen ſuſcepit Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, lubentius ea abiturus: uni conſtantiſſime ei legi vitam & rationem ſuam omnem aptans, attemperanſque, ut ſuapte ſponte nullas non refugeret dignitates, nullas non ſubiret Eccleſiæ auctoritate & cœleſtibus juſſis impulſus (1): *Ad vos acceſſi, idque non ſponte, nec memet offerens, ut multi eorum ſolent, qui nunc ad Eccleſiæ gubernacula proſiliunt, ſed accitus & coactus, ac timori & ſpiritui obſecundans.* Utra amplius virtute magis claruerit Nazianzenus, non facile dixerim, dignitatum omnium cupiditate declinandarum, ubi fas eſſet; an ſubeundarum, ubi lex divina juberet. Eam ille ex Scripturarum meditatione jugi combiberat & ſui diffidentiam, & in Deum fiduciam ſummam (2): *Bonum eſt Deo ſeſe parumper ſubducere, ut Moyſes ille olim & poſtea Jeremias; & rurſus ad vocantem prompte atque impigre accurrere, quemadmodum Aaron & Elias, modo utrumque pro animo ſit, alterum ad propriam imbecillitatem, alterum ad vocantis potentiam.*

X. Commemorat ipſe Chryſoſtomus, ut in deſertis abditioribus cum Baſilio vetuſta familiaritate ſibi conjunctiſſimo cœleſtibus orationis & contemplationis deliciis frueretur, cum ad Epiſcopales ambo ſedes poſtulati ſint. Se quidem conſtantiſſime fugam arripere decreviſſe: at ne fraudaretur Eccleſia Paſtore præſtantiſſimo, qualem præſagiebat fore Baſilium, quid conſilii ipſe cepiſſet, illum celaſſe, ut ipſum quoque Baſilius confideret ei neceſſitati pariturum (3). Ordinatus eſt ergo Baſilius Epiſcopus, aufugiente tum quidem & latitante Chryſoſtomo; ſed non multo poſt & ipſo omnipotenti vocationi Dei parituro, cujus interpretes ſunt Eccleſiæ Adminiſtri & Principes. Confitetur ipſemet, nihilo minus periculi & flagitii eſſe in contumacia fugiendi, quam in ſuperbia audendi & ambiendi: eumque teneri a nobis debere modum ſobrietatis, ut nec prævertamus Dei imperium, necdum jubentis; juſſi autem, nec vel punctum temporis ceſſemus, aut feriemur (4): *Quemadmodum is qui non ſibi traditum a Deo honorem uſurpare præſumit, culpari digniſſimus ſit; ita & qui traditum ſibi repellere, & a ſe arcere molitur, aliorum eſt criminum reus, infidelitatis ſcilicet atque inobedientiæ. Unde ait Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti: Secundum imperium Dei.*

XI. Epiſcopatus infulas ut a ſe propulſaret, ea dixit, ea fecit, ea conteſtatus eſt Syneſius, ut nemo poſſit non magnopere mirari, qui deterriti non ſint ab eo ordinando Epiſcopi: aut qui tam ſancte poſtea Epiſcopatum geſſerit, qui tam ſtupendis & improbandis artibus illum refugiebat. Sed eo tamen ipſo tempore fatebatur ille, omnino pariturum ſe, tum Concilio Provinciali, tum Archiepiſcopo Theophilo: quippe ſi Imperatoribus & Imperatorum miniſtris formidine pœnæ obtemperatur, multo propenſius & ex animo parendum eſſe Chriſto, imperia ſua per miniſtros ſuos promulganti (5): *Sed ſi poſteaquam iſta manifeſta fuerint, quæ celari minime volo, in Epiſcoporum numerum nos aſcribat, cui ejus poteſtas a Deo commiſſa eſt, cedam neceſſitati, ac tanquam divinitus oblatam teſſeram accipiam. Ita enim apud me exiſtimo: ſi quid mihi aut Imperator præcipiat, aut infelix neſcio quis Auguſtalis, pœnas utique dem, niſi mandatis obtemperem. Deo autem ſponte obtemperandum eſt.*

Hoc rurſus exemplo illuſtratur ea, quæ in

(1) Orat. 25. (2) Orat. 42. (3) De ſacerd. L. 1. c. 3.
(4) In Ep. 1. ad Timot. hom. 1. (5) Ep. 105.

in ſummorum hominum & ſanctiſſimorum Epiſcoporum pectoribus, in Paulino, in Ambroſio, in complufculis aliis, natalium, opum, civiliumque adminiſtrationum ſplendore clariſſimis vigebat obedientia: cum a Conciliis & Metropolitanis vis ea illis inferebatur, cui reſiſtarent modeſte, non pervicaciter, ne non tam Pontificibus, quam Deo per eos imperanti oblu&tarentur. Illud alibi quoque præfefert Syneſius, optatiorem ſibi mortem futuram fuiſſe, & tolerabiliorem, quam Epiſcopatum: at quantumcunque renitamur nos quidem, tam æquum, quam neceſſe eſſe, ut Deus vincat (1): *Ego pronus & flexis genibus ſupplex mortem præ ſacerdotio optabam, ſed poſtquam hominibus expugnatis, a Deo ſum ſuperatus, &c.*

XII. Ad illud jam alterum defluet oratio, quod nobis hoc capite illuminandum propoſueramus: eſſe nimirum tam turpem, tamque perſpicuam pietatis, virtutum, doctrinæ inopiam, ut nullis ea conſtringi poſſe cenſenda ſit obedientiæ legibus ad ſubeundum Epiſcopatum. Ita ſentit Chryſoſtomus, qui hujuſmodi homines vetat, aut illatæ vi cedere, aut cujuſquam imperio frangi; ut nec vel ſuaderi ſe vel frangi ſinerent, ſi cogerentur Naucleros ſe, vel architectos profiteri, vel medicos, ſi harum diſciplinarum nullis eſſent imbuti rudimentis; cum in ſpiritualibus multo major peritia deſideretur, ſeu medicis, ſeu naucleris, ſeu architectis, quam in temporalibus (2): *Decere arbitror, vel ſi te eo ſexcenti vocent, atque adeo cogant, non illos ſpectare: verum animi tui dotes prius examinare, viresque tuas omnes exacte perſcrutari, atque ita demum cogentibus cedere. Jam domum ſe aliquam ædificaturum polliceri nemo audeat, qui idem Architectus non ſit: neque ægrotantiæ corpora contigere quiſquam aggrediatur, qui Medicinam non didicerit: quin immo vel pluribus vim afferentibus deprecabitur, neque eum ſuæ pudebit ignorantiæ. Cui autem tam multarum animarum cura credenda ſit, is non prius ſe ipſum examinabit, quin potius vel omnium imperitiſſimus munus ipſum ſuſcipiet, poſteaquam vel ille jubet, vel ille cogit, atque adeo ut ne illum offendat?*

Ne mortis quidem intentatæ metu adigetur unquam agricola, ut navim regat; nec nauclerus, ut agricultorem agat; nec artificium quiſquam, ut artem profiteatur, cujus omnino rudis & inexpertus eſt. An vero vel minora ingruunt pericula, vel detrimenta facilius reſarcienda, ſi artem artium, regimen animarum, is exerceat, qui ne tyrocinium quidem eius unquam poſuit? An cogi nos ſinemus, ut tot malorum auctores ſimus, & artifices? An qui vim afferunt, artem quoque ipſam, regiminis peritiam inferere animo poterunt: *Itane ergo ubi modicis in rebus periclitamur, tanta utemur ipſi providentia, neque cogentium nos violentiæ parendum eſſe putabimus: ubi vero æternum illos manet ſupplicium, qui Epiſcopatus adminiſtrationem juſte præſtare neſcierunt, temere, atque ut caſus tulerit, in tantum nos conjiciemus periculum, alienæ violentiæ cauſam opponentes, &c. An cum te nullus vocaret, imbecillis tu & minime idoneus eras; ubi primum vero compertî ſunt, qui honorem ad te deferrent, de repente in valentem atque idoneum evaſiſti?*

XIII. Gregorius Nazianzenus, cujus tanta hactenus edidimus obedientiæ documenta, eſſe tamen modum, certos eſſe fines duxit tenendos, ut ſuas quiſque emetiretur vires, nec prompte tantum, ſed provide & ſapienter obediret. Hoc ſapientiſſimo & expertiſſimo viro fixum ſtatumque fuit, hac mediocritatis lege vitam componere, ut dignitates cuperet nullas, ne plus æquo fugeret ullas, nullas ſubiret ultra virium ſuarum modum & patientiam (3): *Mihi optimum atque a periculo remotiſſimum viſum eſt, mediam quandam viam inter cupiditatem & timorem ſegui, nec partim cupiditati, partim ſpiritui ſatisfacere. Id autem ſic fieri poſſe, ſi nec ſacrum munus omnino defugiam, nec rurſus graviorem, quam vires ferant, ſarcinam humeris tollam. Pii viri ſimulque tranquillitati ſuæ conſulentis eſt, functionem ſacram viribus metiri; ut ſcilicet tanquam in cibis eam admittamus, cui pares eſſe poſſumus; eam autem quæ vires noſtras ſuperat, repudiemus.*

XIV. Auctor hortatorque eſt Hieronymus, ne propitio & favorabili minus acquieſcamus eorum judicio, qui nos ad magna vocant culmina, ſi noſtra nos conſcientia moneat, quam ſit nobis res anguſta domi, quam non poſſit noſtra alios locupletare inopia: quam non pares ſimus curandis proximi vulneribus, cum graviter conſoſſi, & necdum ſanati ipſi languemus & ægreſcimus adhuc (4): *Ergo non ſtatim multitudinis acquieſcamus judicio, ſed electi in prin-*

(1) Ep. 57. (2) De Sacerd. L. 4. c. 2. (3) Orat. 8. (4) In c. 3. Iſa.

principatum, noverimus menſuram noſtram, & humiliemur ſub potenti manu Dei, quia Deus ſuperbis reſiſtens, humilibus dat gratiam. Quanti panem non habentes, & veſtimentum, cum ipſi eſuriant, & nudi ſint, nec habeant ſpiritales cibos, neque Chriſti tunicam integram reſervarint, aliis & alimonias & veſtimenta promittunt, & plani vulneribus, medicos eſſe ſe jactant? Nec ſervant illud Moſaicum, Provide alium, quem mittas; aliudque mandatum, Ne quæras judex fieri, ne forte non poſſis auferre iniquitates.

Si innoxius eligentium error nobis blandiatur, ne ſponte erremus & cæcutiamus ipſi, nec nobis in noſtram ſuppalpemus perniciem. Veniale eſt, quod illi errant, cum in noſtri animi non poſſint invadere penetralia; at nos ſtultum eſt foris diſſimulare, quos ipſi morbos intus ſentimus. Fallax illa & falſa eſt, ſive humilitas, ſive obedientia, ſi eorum nos accommodemus judicio, vel imperio pareamus, qui ignari eorum quæ intus experimur, ſuadere fatagunt, eos eſſe nos, qui nunquam fuimus: & poſſe nos, quæ immane quantum vires noſtras ſuperant. Admovendæ ſunt aures æternæ Veritati, & ex ejus judicio diſpicienda & retundenda hominum de nobis diſſimillima opinio. Id volebat his verbis Hieronymus: *Electi in principatum, noverimus menſuram noſtram, & humiliemur ſub potenti manu Dei, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*

In his rerum temporumque anguſtiis lex non fallacis humilitatis, & tutiſſimæ obedientiæ ea eſt, ut hominum inconſideratis obluctemur judiciis imperiiſque temerariis; utque iis auſcultemus, obſequamurque, quæ ſempiterna & incorrupta Veritas in noſtris ipſiſmet præcordiis pronuntiat; utque populorum ſaluti potius quam votis conſultum velimus. Nobis eligendis dignos a ſe eligi volunt, putantque, cedamus non errori, nec mananti inde electioni, ſed ſinceræ voluntati eligendi dignos: ita illis etiam repugnando obſequemur.

XV. Ea ſane erat Juliani Pomerii ſententia (1): *Sed quoniam ſunt multi, qui ſe impares tantæ farcinæ norunt; tales juſte ſe etiam quæſiti non offerunt: ne videantur non Eccleſiaſticos labores velle ſuſcipere, ſed honores ambire.* Eadem nobis inculcabit Gregorius Magnus capite ſequenti, eam eſſe quandoque nobis unis notam evidentiam indignitatis noſtræ ad ſuperiores dignitates, quæ ſufficiat ad peremptoriam & irrevocabilem adverſum noſmetipſos ſententiam proferendam.

CAPUT LXVII. *P. 2. l. 2. c. 45.*

Quas tenuerint regulas ſanctiſſimi quique viri, ut electioni Epiſcopali repugnarent, aut acquieſcerent?

I. Mirum Gregorii magni exemplum, utque nullum non moveris lapidem, quo Pontificatum declinaret.

II. In eo inde viſus eſt ſibi ſemper quandam curarum & ſollicitudinum tempeſtatem pati.

III. Alios tamen hortatus eſt, ut neceſſitati cederent, ut Eccleſiæ utilitati ſervirent.

IV. Duo illa fuere Gregorii placita, & omnes defugere dignitates, nec ſe tamen Eccleſiæ neceſſitatibus ſubducere.

V. Nec nimia poteſt cuiquam videri Gregorii inclementia, cum alias vellet nos iis Paſtoribus eſſe contentos, quibus meliores inveniri non poſſent.

VI. VII. Aviti & Fortunati doctrina Gregorio conſentanea.

VIII. IX. Cæſarius & Fulgentius Epiſcopatum declinare conati ſunt.

X. Juſtinus ipſa Imperator ab ea dignitate abhorruerat.

XI. Joannes & Cyriacus Patriarchæ Conſtantinopolitani non niſi allata vi acquieverе Patriarchali ſorciuæ.

I. EXpendendum rurſus nobis hoc capite eſt, ut laudatiſſimi quique Epiſcopi, nonniſi inviti tantæ dignitatis faſtigio ſucceſſerint, ſola Chriſtiana humilitate & obediendi neceſſitate aſſenſum eorum expugnante. Ne fingi quidem vel optari poteſt illuſtrius ejus rei exemplum, quam in Gregorio Magno, qui natalium claritate, doctrinæ & pietatis ornamentis, Monaſticarum etiam virtutum non pœnitendo tyrocinio, ad Epiſcopatum videbatur paratiſſimus inſtructiſſimuſque venire, a quo tamen eo ipſo nomine alieniſſima erat mente. Electioni ſuæ pro virili ſua repugnavit, indignum ſe ea profeſſus, veritusque ne immenſo quodam ſollicitudinum æſtu & negotiorum tumultu implicaretur in eo defungendo munere, quod ſummam animi libertatem, tranquillitatem, & cœleſtium rerum contemplationem deſiderare videbatur. Vide ut hæc ediſſerat Joannes Diaconus in ejus vita (2): *Gregorium licet totis viribus venitentem Clerus, Senatus, Populuſque Romanus*

(1) De vita contempl. l. 3. c. 28.

(2) L. 1. c. 39. 40. 44.

manus ſibi concorditer Pontificem delegerunt. Quem ille apicem totis viribus evitare decernens, ſeſe indignum omnino tali honore clamitabat; videlicet metuens, ne mundi gloria, quam prius abjecerat, ei ſub Eccleſiaſtici colore regiminis aliquo modo ſubrepere potuiſſet.

Cum vero Romanorum, a quibus electus fuerat, conſtantiam inflectere non potuiſſet, Mauritium Imperatorem aggreſſus eſt, penes quem olim Apocriſiarium egerat Apoſtolicæ Sedis, & cujus filii luſtricus fuerat parens. Ad eum ergo eas exaravit litteras, quibus alienari illum poſſe ſperabat a conſenſu præſtando: *Latenter litteras deſtinavit, adjurans, & multa prece depoſcens, ne unquam aſſenſum populis præberet, ut ſe hujus honoris gloria ſublimaret.* Cum ejus litteras intercepiſſet Præfectus Romæ, & electioni aſſenſus eſſet Imperator, mutata veſte fugit ex urbe, & in ſylvas ſe remotiores abdidit: *Diſſimulato, ut fertur, habitu, ſylvarum ſaltus petiit, cavernarum latibula requiſivit.* Sed cœlo ipſo, unde illi latitandi amor inſpirabatur, latebras ejus prodente, & ignea columna locum ubi deliteſcebat commonſtrante, ceſſit neceſſitati, quam ineluctabilem jam ſentiebat: *Agnoſcitur, capitur, traditur, & Pontifex conſecratur.*

II. Verum Gregorii mores & divinas ejus morum regulas non alio aptius diſertiuſque & ſanctius ediſſeri potuere, quam ipſius Gregorii ingenio, calamoque. Querulas ille, & amoris tamen illecebris referias ad Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum litteras dedit, quibus expoſtulabat, quod qui Patriarchalem excutere prius ſarcinam tentaſſet, non ſibi ad Pontificatum quoque declinandum ſuffragatus eſſet: quo prodebatur, non ita eum fratribus ex animo favere, ac ſibi ipſi (1): *Qua enim ardore, quo ſtudio Epiſcopatus pondera fugere voluerit beatitudo veſtra, ſcio: & tamen hæc eadem Epiſcopatus pondera, ne mihi deberent imponi, non reſtitit. Conſtat ergo, quia non me ſicut vos diligitis, quia illa me voluiſtis onera ſuſcipere, quæ vobis noluiſtis imponi.* Scripſit & ad Theoctiſtam Imperatoris germanam, ſe prius terrenorum omnium abdicatione, terras calcaſſe, & cœlis quodammodo inſeruiſſe caput; at nunc Pontificia electione, velut tempeſtate quadam dejectum ſe eſſe velut in procelloſum pelagus, curis, ſollicitudinibus, terroribus inquietum: ut enim nihil ſibi timendum haberet, at univerſo gregi quidquid immineret diſcriminis, id uni ſibi impendere (2): *Nihil in hoc mundo appetens, nil pertimeſcens, videbar mihi in quodam rerum vertice ſtare; ſed repente a rerum vertice tentationis turbine impulſus ad timoret pavoreſque corrui: quia etſi mihi nihil timeo, eis tamen qui mihi commiſſi ſunt, valde formido.* Tantæ dignitatis functione, veluti procella quadam excuti ipſe ſibi videbatur, ac ita diſſipari, ut jam ſecum habitare nunquam poſſet: *Undique cauſarum fluctibus quatior, ac tempeſtatibus deprimor. Redire poſt cauſas ad cor deſidero, ſed vanis ab eo cogitationum tumultibus excluſus redire non poſſum.* Conteſtatur denique ſanctiſſimus Pontifex, potuiſſe quidem Imperatorio præcepto nomen & ſtationem Leonis ſibi aſſignari; ſed malle ſe, ut inviſta potius animi fortitudo addi ſibi potuiſſet: *Serenitſſimus Imperator fieri ſimiam Leonem juſſit. Et quidem pro juſſione illius vocari Leo poteſt, fieri autem Leo non poteſt.* Iiſdem verbis & ſententiis litteras dedit ad Patritium Narſetem, & ad Anaſtaſium Patriarcham Antiochenum, ut & ad Joannem Exconſulem, prolixiſſimæ caritatis melle leniens querelas, quod ubi electioni ſuæ ſuffragati eſſent, in æſtuoſum ſe curarum vorticem impuliſſent: *Gemo quotidie occupationibus preſſus, & reſpirare non valeo.*

Nec vero temporis diuturnitate obtundi potuere harum in ejus animo ægritudinum ac ſollicitudinum aculei: cum longo poſt tempore ſcribens Gregorius ad Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum, (3) vetuſtiſſima ſibi familiaritate devinctum, cohibere nec-dum poſſet erumpentes gemitus, quod pietate decreviſſet & virtute, cum dignitate creſceret; quodque pro ſerena rerum cœleſtium contemplatione, ad quam totus olim exarſiſſet, nunc irrequieta negotiorum tumultuatione obrueretur: *Neque enim, bone vir, hodie ego ſum ille, quem noſti. Multum fateor exterius proficiendo, interius cecidi, &c. Ego vias mei Capitis ſequens, ſummopere eſſe decreveram opprobrium hominum & abjectio plebis, &c. At me multum nunc deprimit honor oneroſus, curæ innumeræ perſtrepunt, &c. Nulla cordis quies eſt, &c.* Sic animo, ſic toto Gregorius pectore afflictabatur, ante & poſt electionem. Celſitudinem, quam vulgo cupiunt, exhorreſcebat: latebris quas horrent, oblectabatur: cadere ſe exiſtimabat, cum ſurgeret; denique Epiſcopatu, veluti retrolabi ſibi videba-

(1) L. 1. Ep. 4. (2) L. 1. Ep. 5. 6. 7. 30. (3) L. 7. Ep. 126.

batur in ſæculum, quod ex animo deteſtabatur (1): *Sub colore Epiſcopatus, ad ſæculum ſum reductus.*

III. Si Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum prolixo Gregorius encomio proſecutus eſt, quod quam ceſſam, tam lubricam dignitatem omni virium contentione effugere voluiſſet: in ſucceſſorem ejus Cyriacum nihilo parcior, aut laudum illiberalior fuit. Et hic enim averſabatur illud ſua ſponte faſtigium, ad quod impellebatur. At monuit tamen præclariſſime Gregorius, pium quidem eſſe ampliſſimas declinare dignitates, ſed non minus religioſum, eos qui refugiunt ad illas compellere. Honoribus reſiſtendum, ſed cum modo, eſſe; nec diligi ab eo Chriſtum ſolida ſatis caritate, qui gregis Chriſti regimen contumacius detrectat (2): *In ſcriptis veſtris vos magnopere queſiſſe requiem narratis: ſed per hoc ad Paſtoralem ſollicitudinem congrue vos veniſſe oſtenditis, quia ſicut locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, ita fugientibus offerendus eſt, &c. Paſtori ſanctæ Eccleſiæ dicitur, Simon Joannis amas me? Paſce oves meas. Ex quibus verbis colligitur, quia ſi is qui valet, omnipotentis Dei oves remit paſcere, oſtendit ſe Paſtorem ſummum minime amare.* Si paterno e ſinu exiliit Verbum Dei, ſempiternus animarum noſtrarum Paſtor: ecquis otii & ſeceſſus ſui pii ſuavitatem non abdicabit, ubi ad paſcendas rationabiles Chriſti oves vocabitur: *Si enim Unigenitus Patris pro explendæ utilitate omnium deſereto Patris ſecreſſum eſt ad publicum noſtrum: nos quid dicturi ſumus, ſi ſecretum noſtrum præponimus utilitati proximorum?*

IV. Palmaria illa duo ſunt capita doctrinæ Gregorii, ſacras dignitates fugientibus ſemper ingerendas, ambientibus occludendas: *Locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, fugientibus offerendus.* Fugientes vero modum fugæ ſuæ ponere debere, & intra gyrum hunc ſe cohibere, ut ne ſe ſubtrahant Eccleſiæ neceſſitatibus, & ubi digniores præſto non ſunt, qui gregi Chriſti præficiantur (3): *Quos itaque nobis ex corde appetenda eſt, & tamen pro multorum lucro aliquando poſtponenda. Nam ſicut toto deſiderio debemus occupationem fugere: ita ſi deſit qui prædicet, occupationis onus libenti neceſſe eſt humero ſubire.* Se quidem Iſaias ad Prophetæ & præconis munus præſto eſſe explanavit, ſed illius ante Angelus igne altaris labia adūſſerat, eoque excuſſerat ex ejus animo dubitationem omnem de cœleſti vocatione. At Hieremias ex adverſo tergiverſabatur, & demandatam ſibi a Deo prædicandi Provinciam detrectabat. Sed cum humili & demiſſo ejus animo abeſſet pertinacia, ceſſit tandem obedientiæ legi. Ita in rerum medulla conſentiebat utriuſque Prophetæ ratio, etſi in cortice & ſpecie tenus vehementer diſſentiret: *Quod ergo laudabiliter unus appetit, hoc laudabiliter alter expavit. Iſte ne tacitæ contemplationis lucra loquendo perderet: ille ne damna ſtudioſi operis tacendo ſentiret. Sed hoc in utriſque eſt ſubtiliter intuendum, quia & is qui recuſavit, plane non reſtitit; & is qui mitti voluit, ante ſe per altaris calculum, purgatum vidit: ne aut non purgatus adire quiſquam ſacra miniſteria audeat; aut quem ſuperna gratia elegit, ſub humilitatis ſpecie ſuperbe contradicat.*

V. Nec eſt quod auſteriorem ſibi quiſquam fingat Gregorium; cum eam ille faciem incidere aliquando temporum triſtitiam, tantamque penuriam dignorum Præſulum, ut ſacris illis dignitatibus neceſſario innectendi ſint, non qui digni ſunt, ſed quibus digniores nulli ſunt in noſtra poteſtate. Hanc ille præcribit normam electioni Epiſcopi Syracuſani (4): *Trajanus Presbyter, quantum ſuſpicor, ad regendum locum illum idoneus non eſt. Tamen ſi melior inveniri non valet, & ipſe nullis criminibus tenetur involutus, condeſcendi ad eum regendæ animæ neceſſitate poteſt.* Ubi vides quantumcunque urgeat Eccleſiæ neceſſitas, intercedere Gregorium, ne illi præficiatur, qui enormi alias crimine vitam maculavit. Idque fortaſſe alibi ab eodem Pontifice innuitur, ubi ait: *Indignus, nec coactus accedat.*

VI. In hac eadem verſabatur ſententia Avitus Epiſcopus Viennenſis, famæ merito ſuo clariſſimæ. Qui enim verba Apoſtoli ſibi obtendebant, deſiderando Epiſcopatum bonum opus deſiderari: eos ſerio monet Avitus, ut illa quoque ponderent Apoſtoli ejuſdem verba de neceſſaria Epiſcopi innocentia, & inculpatiſſima vita (5): *Solent plerique propriæ ambitionis incendium dicti hujus Apoſtolici quaſi refrigerio temperare. Sed ſtatim ceſſaret tale deſiderium, ſi ſequentia tractaretur. Oportet, inquit, hujuſmodi irreprehenſibilem eſſe. Conſidarent ſi ab omni interdicta reprehenſionis nævo candida divinæ imaginis integritas cuſtodi-*

(1) L. 1. Ep. 5. (2) L. 6. Ep. 4. (3) Ibid. (4) L. 4. c. 19. (5) In Fragm. p. 101.

ſloditur, &c. Ubi hanc patet eſſe Aviti mentem, irreprehenſibiles a Paulo eos demum dici, qui primigeniam innocentiam nullo unquam flagitio contaminarunt. Ita ſancit & conſtituit denique Avitus, Deo diſplicere eos, qui ſibimetipſis ita placent, ut Epiſcopali ſibi ſede digni videantur: *Placere Deo penitus nequit, qui uſque ad ſui electionem ſibi ipſe placuerit.* Qui ſibi clam favent plauduntque, aliorum favore & ſuffragiis facile cadunt.

VII. Fortunato Pictavienſi Epiſcopo ita videtur vilem illis & deſpicabilem eſſe Epiſcopatum, qui illum non reverentur, qui non verentur, qui prehenſant, contemni vocationem divinam, ubi prævenitur, ſi Hilarius, ſi Martinus, ſi Gregorius ad eas dignitates contremuerunt, inſolentiſſima inſania inſanire eos, qui ſeſe his anteponant; denique ambitionem legibus etiam civilibus pœnas dare (1): *Gravat Sacerdos Ordinem, qui Epiſcopatum ſic petit. Præcepta qui complectitur, fugit honoris ambitum. Hoc ſi cui ſit debitum, coactus aſcendat gradum, non ſe petente callide, ſed dante Chriſti munere. Ineptus eſt qui ſanctæ ſe præferri vult Eccleſiæ. Nam rem ſacratam ſumere, electio divina ſit. Clarus Sacerdos Ordinem Hilarius non ambiit, Martinus illud effugit, Gregorius vix ſuſtulit. Leges refutant ambitum. Invaſoe omnis pellitur. Quod reſpuunt Prætoria, vitat nefas Eccleſia.*

VIII. Reſcito Cæſarius quæri ſe ad Epiſcopatum, abſtruſit ſe in vetuſtiſſima ſepulcrorum antra, nec prodiit, niſi vim faciente populo, & inſuperabili gratiæ divinæ poteſtate inflexus (2): *Cum perveniſſet ad notitiam Patris noſtri, quod eſſet ordinandus Epiſcopus, intea quædam ſepulcra ſe abſcondit; ſed latere non potuit, quem detexit non culpa, ſed gratia. Teabitur igitur e quodam ſepulcro vivus, quem non moetuum, ſed celatum, vitæ claritas oſtendebat. Cogitur Epiſcopatus farcinam ſuſcipere: & ille quidem ceu manſuetum Cheiſti jumentum, impoſitum ſibi onus modeſto fert temperamento.* Ita viri ſanctiſſimi cogi meruerunt; dum cogerentur, non amplius repugnarunt: hanc rati certiſſimam eſſe divinæ vocationis teſſeram.

IX. Plnribus in Africæ Civitatibns electus eſt Fulgentius a Clero & Populo; ſed quam fugax, tam ingenioſa ejus animi modeſtia inſequentes & perſcrutantes diu deluſit. Cum denique certior factus eſt, ſuos jam ſibi ſingulas civitates Paſtores delegiſſe, ſuo ſe reddidit Monaſterio; ubi Civitatis Ruſpenſis incolæ, quæ ſola Paſtore viduata remanſerat, deprehenſum vi pertraxere, ut eſſet ignotæ ſibi Eccleſiæ notiſſimus ipſe Epiſcopus (3): *Tunc adgregata violentæ multitudinis manu eepente B. Fulgentius dolens oculos in cellula propria reperitur, invaditur, tenetue, ducitur, & Pontifex eſſe non rogatur, ſed cogitue.*

X. Illud etiam a Fortunato obſervatum eſt, ne Magiſtratuom quidem civilium dignitatibus remunerandam eſſe hominum inconſideratam vanitatem, qui illis inhiant; ſed eorum navitatem & prudentiam, qui quanti ex ſint ponderis & pericnli callent, quique ideo ab eis aufugiant. Unus exemplo ſuo luculente id approbabit Juſtinus Imperator, qui datis ad Hormiſdam Papam litteris ſanctiſſime affirmat, invitum ſe & repugnantem electum fuiſſe a Proceribus Imperii, a Senatn & ab Exercitu (4): *Declaramus, primum quidem inſeparabilis Trinitatis favore, deinde ampliſſimorum Procerum ſacri noſtri Palatii, & ſanctiſſimi Senatus, necnon electione firmiſſimi exercitus ad imperium, nos licet nolentes ac recuſantes, electos fuiſſe, atque firmatos.* Sciſſime reſcripſit Pontifex in eo uno ſatis argumenti eſſe, nt crederetur ad eum apicem a Deo vocatus eſſe, idque ingenti Eccleſiæ commodo & laudi ceſſurum(5): *Significaſtis nolentibus & recuſantibus vobis Imperii pondus impoſitum: qua eatione electos ſuos cœleſti conſtat eſſe judicio; ſecundum Apoſtolum dicentem: Non eſt poteſtas niſi a Deo. Supereſt ut a Deo electi Eccleſiæ ſolatia porrigatis.* Nec ſpes feſellit Pontificem. Pacem enim Juſtinus univerſæ tandem reddidit Eccleſiæ, Acaciano ſchiſmate prorſus oppreſſo, quo illa jamdiu lacerabatur.

XI. Ubi Joannem & Cyriacum Conſtantinopolitanos Patriarchas oſtendimus paulo ſupra cogendos fuiſſe, nt in eam ſe propelli ſedem paterentur: jam tum patuit incompertam Orientali Eccleſiæ minime fuiſſe illam animi modeſtiam, ſuique dejectionem, cui fugienti, ob ipſam maxime fugam, ſacræ ingeruntur dignitates. Diximus & de Theodoro Anaſtaſiapolitano Epiſcopo, qui quod vehementior quædam vis allata ſibi fuiſſet, eo liberum ſibi duxit eſſe, ut ei renuntiaret.

Finis Liber ſecundus Partis ſecundæ.

(1) Poemat. L. 2. c. 16. (2) Vita ejus apud Surium. Auguſt. die 27. c. 6.
(3) Vita ejus c. 17. (4) Poſt Ep. 27. Hormiſd. (5) Ep. 27.

VAI
1532516

165.
C.
14.